
1958

53











Ardoynus

SANTIS ARDOYNI

PISAVRENSIS MEDICI ET PHILOSOPHI PRAESTANTISSIMI OPVS



DE VENENIS,

A MVLTIS HACTENVS DESIDERATVM, ET nunc tandem castigatissimè editum.

IN quo naturalis primùm historia venenatorũ omnium, siue natura siue arte constent, fidelissimè proponitur (quam partem Theriacam Græci vocant:) & quibus signis venena non in genere tantùm, sed etiam in specie cognosci ac diiudicari debeant, ostenditur. Deinde verò Alexipharmacia, hoc est, ratio tum præcauendi venena, tum curandi, elegans, copiosa, secura, planeq; methodica, & post omnes alios, qui in consimili argumento versati sunt, perfectissima & absolutissima traditur.

Cum Præfatione luculenta, in qua Methodus uenenorum cognoscendorum atque curandorum, summa arte, breuitate & facilitate docetur.

ADIVNXIMVS
Eiusdem generis commentarium doctissimum, FERDINANDI PONZETTI Cardinalis.



INDICEM præterea rerum atque verborum copiosissimum.

Cum Cæsareæ Maiest. Gratia & Priuilegio.

BASILEAE.

THEODORI ZVINGGERI BAS- PHILOSOPHI ET MEDICI PRAEFATIO,

Ad clariss. & in omni literarum genere exercitatiss. uirum,

GILBERTVM COGNATVM NOZERENVM.



RIA sunt, Cognate clarissime, quæ in extremo probro sapientes Persæ collocabāt, Mentiri, Immundis rebus fluuios coinquinare, & Aere alieno nexū esse. Breuis illa quidem & Laconica philosophia, perfecta tamē & omnibus suis numeris absoluta. Nam cùm solius rationis beneficio homo à belluis differat, Dijsq; immortalibus similis euadat, si modò suijpsius perfectionem desiderat, veritatem colet, quæ summa humanæ mentis virtus cēsenda est. Deinde verò Pietatem erga Deos amplectetur, cuius veluti symbolum in eo proponitur, ne sordibus profluentem contaminemus. Postremò in quotidiana cōuersatione fidem, iustitiæ pedissequam, & anteambulonem, sine qua nulla esse vita potest, religiosè seruabit: cuius inter plurima alia præclarè instituta, hoc quoque non postremum est, æs alienum non contrahere, contractum statuto tempore dissoluere. Ex quo, tanquam ex specie genus, vniuersam hanc cum hominibus conuersandi rationem ingeniosissimi Persæ deducere & insinuare voluerunt. Vt enim pecunia τῶν ἑκουσίων συναλλαγμάτων mensura est, quæ quia lege & instituto hominum, non natura, constat, νόμισμα fuit dicta: ita qui in hac fidē fefellerit, in cæteris quoque eiusdem generis contractibus iniustus videri poterit. Ea propter quod illi symbolicè & synecdochicè proponunt, nostri apertius paulò & clarius καθόλου enuntiant, Nullum ingratitudine maius esse vitium, Beneficium ingrato datum maleficium esse. Sed quorsum hæc parerga dices? Vt instituti mei ratio tibi, cui omnia summa me debere intelligo, constet. Nam cùm tuis præclaris meritis in Italia primùm, quę me virtutum tuarum spectatorem, admiratorem & imitatorem esse voluit: deinde in Germania, cuius de me expectationem graui & honorifica tua commēdatione excitasti, ita me tibi deuinxeris, vt, quod dici solet, tuus totus ex asse sim: vinctum nexumq;, ἑκὼν ἀέκοντι γε θυμῷ me tibi dedam oportet, donec vel reipsa, vel quod proximum est, voluntate tuis erga me beneficijs aliqua saltem ex parte respondeam. In quo tamen ipso non proportione arithmetica, vt ratio iubet, sed geometrica tātùm, pro tua facilitate meaq; tenuitate vtar. Sic enim apud Homerum quoque celebris illa, quanuis insolens, fit permutatio χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων, nō minus amicitiæ nomine laudanda, quàm suspicione timiditatis in Glauco reprehendenda. Itaque cùm Santis Ardoyni opus de Venenis, ante annos plus minus centū triginta sex Venetijs cōscriptū, opera clarissimi viri, Cōradi Gesneri, Philosophi & medici præstantissimi, ad Henricum Petri, Senatorem & Triumuirum Academiæ nostræ prudentissimum, & de Republica literaria optimè meritum transmissum esset, vt cùm à multis desideraretur, in communem Reipublicæ literariæ vtilitatem prælo denuo subijceretur: mihi illius castigandi ac emendandi, vt ardua & difficilis, ita liberrima potestas concessa est. Quam quidem non magis speratam quàm optatā occasionem esse putaui, meā erga te voluntatem publico testimonio declarandi. Etsi enim maiora dignitas tua cum pari eruditione coniuncta, meæq; erga te obseruātiæ ratio, exigere vi-

deatur: ἀλλὰ μὴν ἐπεὶ οὐκ αὐτῷ τῷ μέτρῳ, οὐδὲ λώϊον (vt Hesiodus præcipit) sed κατὰ δύ-
ναμιν tantùm, rependere liceat, nostram hanc voluntatem boni, vt spero, consu-
les. In castigatione certè modum adhibuimus: quòd etiamsi multa essent, quæ
melius tractari, & ornatius explicari poterant, nostri tamen muneris ratio id nõ
pateretur: quandoquidem non opus nouum condere, sed vetus tantùm refice-
re, & locos authorum deprauatos restituere voluimus. Aliud enim est apud me-
dicos, corporis vitiatam temperiem emendare, aliud eandem omnino immu-
tare, quod Thessalij methodici per μετασύγκρισιν suã se assecuturos, temere stul-
teq; sperabant. Porrò quamuis iuxta vetus verbum, Vino vendibili suspensa he
dera non sit opus, tamen ne suscepto oneri vlla ex parte deesse videar, ea quę in
Præfationibus requiruntur primùm exequi conabor, deinde ad rei ipsius, me-
thodicę didascalicę in venenis tractandis, clariorem intelligentiam, summatim
& per capita omnem eam, quæ de venenis haberi potest, cognitionem expli-
care tentabo.

Cùm itaque in authorum vel censura vel analysi compendiosa (quorũ vtrum
que ferè in Præfationibus locum obtinuit) eorum quæ προλεγόμενα vulgò appel
lantur, ratio habenda sit: hæc autem duobus summis capitibus cõprehensa sint,
nimirum vt nomen siue inscriptio libri, deinde res ipsa, de qua agitur, perspicia-
tur: prius quidem illud per se patet, cuius sit authoris hic liber, Santis videlicet
Ardoyni Pisaurensis, Medici & philosophi clarissimi, qui nisi in ea tempora in-
cidisset, in quibus bonæ literæ profundo barbariei cæno penitus obrutæ fue-
runt, cum veteribus profectò, non dico Arabibus, sed Græcis atque Latinis cõ-
ferri potuisset. Nunc temporum iniuriæ styli impuritas imputãda est, & ex ster-
coribus aurum colligendum. Posterius verò, de qua scilicet re agat, ipsa docet
inscriptio. De Venenis enim post omnes alios tam veteres quàm recentiores
scripturus, veluti promptuarium atque penu τῶν θηριακῶν simul & ἀλεξιφαρμα-
κῶν λόγων construit, ex quo omnia ea quæ de Venenis dici possunt, ratione pri-
mùm, deinde grauissimorum scriptorum authoritate confirmata depromãtur.
Intelligis fortasse libri huius argumentum, doctissime Cognate, & quàm te di-
gnum, quamq; nobis conueniens hoc sit munus, perspicis. Nam cùm in omni
disciplinarum genere sis versatissimus, & sacram medicinam (de Theologia &
Iurisprudẽtia nunc non loquor) ita amplectaris, vt eam quoque interdum cum
laude exerceas, Medicum medico medica dare, non modò non absurdum, sed
omnino consentaneum videri debet. Age verò, si fortasse delicatæ tuæ aures ru
di & incondito stylo authoris nostri offenduntur, à nobis breuiter venenorum
methodum accipe: vt si quis aliquando erit, qui in consimili genere argumenti
cum laude versari volet, & ea quæ à veteribus dicta sunt, ad ordinem verè dida-
scalicum reuocare, habeat à nobis iam veluti iacta & constituta totius rei capita
& fundamenta. Cui lecta potenter erit res (inquit ille) Non facundia deseret
hunc, nec lucidus ordo.

De Venenis igitur acturi, non temerè, neq;, vt indocti solent, sed artis, quę na
turæ æmula est, præcepta secuti: illud in primis statuere debemus, & loco προλε-
γομένων inuestigare, quid sibi nomen velit, quæue res hoc nomine denotetur: de
inde verò re subiecta cognita, cuius artis vel scientiæ sit de Venenis disputare:
& quia ars quælibet varias habet partes, ad quámnam illarum disputatio hæc
referenda sit.

Græci, qui rerum inuentionem, nominumq; etymologiam, ambitiosè satis,
quàm verè nescio, sibi arrogarunt, φαρμακὸν appellant omne id quod alimentum
esse nequit, siue vsum præterea aliquem corpori præstare queat, vt medicamen
tum propriè dictum, siue planè noxium sit, quod Latini Venenum vocãt. Huic
loquendi consuetudini, nominis quoque ratio astipulatur. Venena enim cùm

plane noxia & inimica ſint humanæ naturæ, ὡς ἄχος φέροντα φάρμακα dicuntur, & φαρμακευτίδες eandem ob cauſam mulieres veneficæ: Medicamenta verò, quia ſalubres cauſæ eſſe poſſunt, ὡς ἄκος φέροντα, καὶ οἷον ἀκεσώδυνα φάρμακα appellantur, & conſimili ferè ratione expurgatores ciuitatum φαρμακοί. Aut certè æquiuocè ſumpto vocabulo τοῦ φέρειν, aliàs quidem pro eo quòd τὸ ἄχος ſiue dolorē affert, aliàs verò pro eo quod eundem aufert, pro veneno ſimul & pro medicamento pharmaci nomen rectè vſurpari poterit. Nos tamen in præſentia priorē ſignificationem amplectimur, & ea quæ venena Latinis dicuntur, hoc eſt, quæ quocunque modo humanam naturā ſumma ſua malitia deſtruunt, corrumpūt, atq; delēt (vnde à Romanis mutuato vocabulo, δηλητήρια Grecis ſūt dicta) perſequi volumus. Quorum ambitu non ea tantùm quæ ſemper exitialia ſunt, & venena abſolutè nuncupantur, comprehēdimus, ſiue ab inanimatis proueniāt, ſiue ab ἰοβόλοις violento vulnere virus atque ſanies in corpus humanum emittatur: ſed ea quoq;, quæ interdum ex accidenti maleficam & exitialem induūt naturam, ideoq; non ſimpliciter venena, ſed cibi venenoſi, medicamenta venenoſa, aut certè mortifera appellantur. Nec quis miretur, nos tantopere in etymi inueſtigatione laborare: cuius vtilitas in ſequentibus patebit. Nominis enim cognitio non parum lucis ad rei naturam exactiùs intelligendam affert. τὸ γὰρ ὄνομα, ὡς ἂν ὁμοίωμα τοῦ πράγματος, primi nominum impoſitores dixerunt.

Iam verò quia Geometriæ ignarus de terræ dimenſionibus diſputare nō debet: ad illum tantùm Venenorū tractatio pertinebit, ad quem finis ſpectat. Circa venena profectò venefici occupātur, Phyſiologi item, & rerū naturalium indagatores: illi quidē vt impio planè & nefario auſu mortale genus è medio tollant: hi verò, vt omniparentis naturæ prudentiam & ſagacitatem in bonis ſimul & pernicioſis rebus agnoſcant. Medius inter hos eſt Medicus: ab illis enim agēdi occaſionem contrariam ſumit: ab his verò contemplandi cognoſcendiq; modum. Nam non modò cum Phyſico venena ratione ſimul & ſenſu cognoſcere laborat: ſed etiam cum venefico, quos effectus in corporibus excitare queant, conſiderat. Itaq; theoria eadē eſt, finis tantùm diuerſus. Phyſiologo enim propoſita eſt pura veritas: Medico ipſa actio ſiue operatio circa corpus humanum. Hæc autem in genere cum venefico conuenit, differt in ſpecie: quoniam veneficus, naturæ inimicus, corpus humanum corrumpere, at Medicus ἀντίθετος illud idem conſeruare ſtudet. Itaque cùm eorum, quæ ſub eodem genere ſunt, cōtrarietas ſumma habeatur, quo ſceleratior, & diis pariter hominibuſq; infeſtior eſt veneficus, eo gratior & acceptior eſſe debet Medicus, naturę miniſter & auxiliator. De venenis igitur Medicus agit, & ad finem ſingula refert, ad operationem videlicet.

Cùm autem omnis materia medica, de qua artifex diſputat (alia enim eſt, in qua, vel circa quam Medicus operatur, ipſum ſubiectum corpus humanum) & cuius ambitu non theoria tantùm, ſed ipſa quoq; praxis comprehēditur, in tres ſummas diuiſa ſit ſpecies, in Res ſcilicet naturales, quæ naturam corporis cōſtituunt & abſoluunt: in Res præter naturam, quæ eādem deſtruūt & corrumpūt: & in Res nō naturales, quæ cùm medio modo ſe habeant, neutræ quodāmodo cenſendæ ſunt, quandoquidem pro vario vſu nunc quidem naturales atq; ſalubres, nunc verò per naturam & ægrę poſſunt euadere: Venena quoq; ad poſtremum hoc genus referenda erunt. Rerum enim nō naturalium ambitus omnes, cauſas procatarcticas tam ſanitatis quàm morborum complectitur: & proinde etiam venena ipſa, quæ ratione indomitæ ſuæ malitiæ nunquam iuuare, ſemper lædere nata ſunt. Proinde duplex iam rerum non naturaliū claſsis aſsignari poteſt. Aliæ enim neceſſariò corpori eueniunt, neque euitari poſſunt, quæ ſex numero recenſentur: aliæ euitabiles ſunt, cùm non neceſſariò, ſed vel caſu vel vo-

luntate noſtra nobis accidant, vt gladij, tela, venena, beſtiarum impetus, & cõ ſimilia: in quibus declinandis & effugiendis plus poteſt humana induſtria atq; pietas, quàm vllius medici diligens præcautio. Quapropter ad artem nõ alia de cauſa pertinent, quàm vt affectus ab his impreſſus corrigi & emendari queat. Ex his ergo conſtat, vt opinor, quòd Venenorum, tanquam rerum non naturalium ſemper inſalubrium, theoria ad medicum primùm ſpectet, deinde ad eam partem, quę, quia cauſas omnes tam procatarcticas quàm antecedentes & coniunctas exequitur, αἰτιολογικὴ dicitur. Verumenimuerò ſi ad didaſcalici ordinis trutinam hæc expendantur, Venena ad efficientem cauſam Medicinæ pertinebunt: in qua non medici tantùm tanquam naturæ miniſtri ratio habetur, ſed ipſorum quoq; inſtrumentorum, quę eadem planè ſunt cum cauſis ſalubribus & inſalubribus, differentiam tantùm ſortiuntur pro diuerſitate ſui effectus. Nam quandocunque ſanitatem conſeruant aut recuperant, Medica inſtrumenta tria enumerantur, Diæta, Pharmacia, Chirurgia: quando verò morbos pariunt, in tres claſſes cauſarum morbificarum diſtribuuntur: quarũ aliæ extra corpus ſunt προκαταρκτικαὶ dictæ, ſub quibus venena quoq; cõplectimur: aliæ intra corpus latent, ſiue morbum facturæ ſint, προηγούμεναι, ſiue iam actu faciant, quæ συνεχεῖς appellantur. Ad eundem itaque locum Alimenta, Medicamenta, Chirurgica operatio, & Venena referẽda erunt, in genere & per ſe conſiderata: quæ ratione finis & effectus inter ſe, vt iam dictum eſt, differunt. Hiſtorica ergo cognitio Venenorum, ad efficientem cauſam Medicinæ pertinet, quæ res omnes nõ naturales partim vt inſtrumenta medica, partim vt cauſæ morbificæ fiunt, conſiderat. At medica cognitio Venenorum, hoc eſt, quomodo illorũ corruptioni obſiſtendum ſit, ex fine ipſo petenda eſt, nimirum ab operatione curatiua, ſiue ab ipſa θεραπευτικῇ & προφυλακτικῇ. Quemadmodum autẽ generalis tractatio de alimẽtis, & medicamentis ſimplicibus à Galeno inſtituta fuit, quæ tamen in particularibus morbis miro modo variat, vt quot ſunt morborum differentię, totidẽ ferè particulares medendi & diætandi habeantur modi: ita quoq; nos generalẽ theoriam Venenorum nunc meditamur, in cognoſcendo pariter & curando, vt ex hac facilius & expeditius particulares affectus dijudicari & corrigi poſsint. Quamuis enim Venenorum ſymptomata pleraq; omnia alijs quoq; morbis cõueniant, qui vel non lethales, vel certè non ſunt extremè maligni: tamen quia curatio in cauſarum continentium remotione conſiſtit, hæ autem ex antecedentibus & procatarcticis pendent, ideo fit, vt alia ſit curandi methodus in morbo venenato, alia in eo qui veneno caret. Vt enim curatiuæ intentiones & indicationes eędem eſſe concedantur, at certè remedia ipſa diuerſa erunt. Nam venenum cùm in extremo gradu malitiæ ſit poſitum, quo maiorem naturæ hominis labem inuſsit, eo pollentioribus remedijs opus habet. Venenorum igitur naturam Medicus hiſtoricè ſimul & philoſophicè inueſtigat, ut circa illa medicè operari poſsit. Et proinde in principiorum medicinalium theoria, venena ad efficientem ſimul & ad finalem cauſam referenda erunt.

Iam ergo προλεγομένοις noſtris ſatisfecimus. In quibus tantũ tẽporis & operæ nõ impendiſſemus, ſi ab ijs, qui de Venenis ſcripſerũt, pertractata fuiſſent. In ſequẽtibus prout ſubiecti natura feret, breuiores erimus, & capita tãtùm rerũ producere conabimur. Medicinę finis, eſt ſanitas actu in corpore humano exiſtẽs: quapropter ars eſt factiua ſeu potius refectiua. Cõmunem enim cũ ſarctore & quouis alio cerdone operationẽ Medicus habet, cum philoſopho verò contẽplationem. Itaque non ineptè tota medicina, iuxta ſententiam Arabũ, in Theoricam & Practicam diuidi poteſt: non quòd partes natura coniunctæ, penitus diuelli & diſtrahi debeant, ſed vt ὁ πρῶτος καὶ δεύτερος λόγος τῆς ἰατρικῆς, (ſic enim Galenus in primo capite Artis medic. loquitur) clarius & facilius innoteſcat.

ſcat,

ſcat. Cùm ergo duplicem hunc modum conſiderandi medicina obſeruet, Venenorum quoque accurata & diſtincta tractatio, aliam partem habebit theoricam, aliam verò practicam. Quarum vtraque à nobis diligenter cognoſcenda, & methodicè explicanda erit.

Quantum igitur ad theoriam attinet, duplex ſe nobis offert contemplatio: altera quidem de eſſentia & natura veneni: altera verò de eiuſdem ſpecieb. & differentijs: quarum prior, quæ ratione nititur, philoſophica, poſterior, hiſtorica cognitio appellari poteſt, quoniam ſenſus iudicium ſubit. Vtraque tamen ad θηριακὸν λόγον Nicandri & Dioſcoridis referri debet, ſic κατ' ἐξοχὴν dictum, quòd cùm omne genus venenorum complectatur, illud perniciosiſsimum ſit, quod à θηρίοις ἰοβόλοις emittitur: nam validiſsimè in corpus humanum agit, cùm calorem à viuo animali impreſſum tanquam vehiculum ſortiatur, & proinde humano calore non magnopere egeat vt in actum deducatur. Sed de his poſtea. Nunc autem Veneni naturam inueſtigaturi, Platonem in Sophiſta, & Ariſtotelem in Rhetoricis imitemur: hoc eſt, reſoluendo & diuidendo genus & ſpecificam differentiam inueniamus, ex quibus tandẽ τὸ τί ἐστι certò inferri queat. Venenum profectò omnes Medici cum alimento è diametro pugnare aſſerunt: medicamẽtum verò inter duo iſta veluti extrema medio modo ſe habere. Quæ inter ſe ſummè pugnant, eodem genere participent neceſſe eſt, alioqui pugna æqualis inter accidentia eſſe nequit. Quare venenum, alimẽtum & medicamẽtum apud Medicos idem habebunt genus, nimirum vt inter Res non naturales ponantur: quas ratione ſui effectus cauſas efficientes nuncupant. Nanq; vt ſuprà monuimus, Res non naturales dicuntur, quòd nec ſecundùm naturam nec præter naturam ſimpliciter exiſtant, ſed tales euadere poſsint, alimenta quidem augendo, medicamenta verò corrigendo, venena denique corrumpendo. Et ea quidem quæ conſeruant, quandoquidem ſimilitudinem cum eo quod alitur acquirere debent, à calore innato prius ſuperentur neceſſe eſt, quàm in corporis ſubſtantiam ſimilem conuerti poſsint. Medicamenta verò à calore primùm patiuntur, & in actum deducuntur, deinde verò in corpus re agunt, & ad meliorem ſtatum idipſum transferunt. Venenorum diuerſa eſt ratio: nam ſiue à calore comminuantur, vt quæ frigida ſunt, ſiue excitentur tantùm, vt calida, in corpus agunt non conſeruando, non reficiendo, ſed corrumpendo. Eapropter maligna ſui natura ſemper cauſæ inſalubres procatarcticæ erunt, interdum quoq; antecedentes, vt quando ingens humorum putredo oritur: nunquam neutræ aut ſalubres, quod tamen cibis & medicamentis aliquando vſuuenire poteſt. Vt enim alimentum dicitur, quia alere poteſt, & medicamentum, quia mederi: ita etiam Venenum, quia corrumpere ex ſui natura aptum natum eſt: proinde ſi quando prodeſſe & iuuare conſpicitur, non per ſe, ſed per accidens hoc facit: quemadmodum cibus & medicamentum ſemper per ſe conferunt, aut certè non malitioſè obſunt, interdum autem ex accidenti ſummam induere malitiam, & venena fieri poſſunt. Eſt ergo Venenum Res non naturalis, quemadmodum etiam Alimentum, Medicamentum, ipſum denique Chirurgicum inſtrumentum, antequam corpori adhibeantur. Differt tamen, quòd illa quidem corpori adhibita ex cauſis procatarcticis non naturalibus, poſſunt fieri cauſæ antecedentes modò ſalubres (& inter Res naturales connumerari) modò inſalubres (& inter Res præter naturã, hoc eſt inter cauſas morbificas referri:) Venenum verò, vt venenum, ſemper eſt cauſa inſalubris: & propterea ratione ſui ortus, Res non naturalis, at ratione ſui effectus, Res præter naturam, cauſa ſcilicet morbifica dici debet, quando iam actu corpus infeſtat, nec amplius theoriam Medici, ſed ipſam praxin requirit. Ex hac analyſi eſſentiam & naturam veneni in vniuerſum definitiuo inſtrumento aſsignare poſſumus: vt nihil aliud ſit,

quàm Res non naturalis, quæ quomodolibet corpori humano admoueatur, naturam illius malignitate sua corrumpit & abolet.

Iam verò vt secũdam partem theoriæ, Historicam videlicet cognitionem assumamus, ex definitiuæ methodi præscripto, singulæ partes definitionis diligẽtiùs erunt examinandæ, & Venenorum differentiæ deducendæ. Res nõ naturalis in definitione proposita genus est, & materiæ rationẽ obtinet. Quotquot ergo ex genere possunt venenorum differentiæ assignari, materiales erunt censendæ. Porrò Res non naturalis duplici modo considerari potest, vt corpus cõpositum simpliciter, & vt corpus medicum, hoc est, ad sanitatem vel morbum conferens. Priore modo ad historiam naturalem refertur, cuius est, ea quę naturâ constant, indagare. Prima ergo Venenorum diuisio ab efficiente sumitur, quòd alia naturæ opera sint, alia artis. Ars certè naturæ simia est. Vt ergo medicamenta simplicia naturæ accepta referri debent, composita arti: ita quoque venena. Medicamentorum tamen compositio quia vtilis est homini, ad medicum pertinet: Venenorum non item. Eaq; de causa Galenus nõ modò Venenorum compositionem subticuit, sed etiam authores, qui de ea scripserunt, Orpheum, Orum Mendesium, Heliodorum & Aratum meritò accusauit, quòd magis occasionem veneficij, quàm præcautionis dedisse videantur. Qui simplicia norit, ille etiam composita non difficulter assequetur. Naturalium ergo Venenorum tot erunt species, quot corporum naturalium differentiæ. Sumentur igitur alia quidem ex corporibus simplicibus, non puris, sed corruptis vel à putredine ingẽti, vel ab externa aliqua re venenata. Sic aer, aqua & etiam terra infici potest, non aliter quàm cibus & potus venena interdum fiunt. Alia verò ex corporib. mistis, tum imperfectis, vt ex glacie impura, ex niue à vaporibus pestilentibus infecta, denique ex ipso vapore & halitu venenoso: tum perfectis, quæ in multiplici sunt differentia. Inanimata enim sunt metallica ferè omnia, gypsum, calx, auripigmentum, sandaracha, argenti spuma, plumbum, argentum viuum, rubrica sinopica, lithargyrium, cerussa, sulfur, borax, lapis armenus, magnes, adamas, & sexceuta alia, de quibus author noster in libro secundo agit. Animata verò continent plantas, quæ vel totæ, vel saltẽ aliqua sui parte venenatæ sunt. Huc pertinent semina, flores, folia, radices, succi: de quibus libro tertio Ardoynus tractat. Succedunt animalia, vel tota, vt cantharides, vel secundùm partes venenum habentia, vt cauda cerui. Quorum alia quidem in aere degunt, vt volucres vel morsu vel vnguibus venenatæ (& huc fortasse insecta quoque referri possunt, muscæ quædam, cãtharides, buprestes, apes, vespæ, & crabrones:) Alia verò in aqua reperiuntur, scolopendra marina, dracones marini, pastinaca, echinus, muręna, cancer, scorpena, torpedo, lepus marinus, & similia. Alia demum terrestria sunt, siue rationem habentia, sic morsus hominis etiam inter venena connumeratur: siue ratione careant, tam reptilia, & ferè perniciosissima, quàm quadrupedia: de quib. author noster lib. 6. & 7. abundè differit. Ad quorum catalogum etiam insecta reducuntur, pediculus vulturis, cimices, pulices. Nam quamuis horum venena neminem enecant, illud tamen non naturæ bonitati, sed quantitati minimæ attribuendum est: cùm manifestam præ se ferant malitiam, quæ si in iusta quantitate corpori offerretur, proculdubio exitialis euaderet. Varij enim gradus venenorum secundùm intensionem & remissionem malignitatis dantur. Sic minima scorpij punctura enecat, pulicis nõ item: quia venenum scorpionis exitialius est. Iam verò si posteriore modo rem naturalẽ consideremus, quatenus scilicet sub Medici contemplationem cadit, quamuis venena eadem sint numero cum ijs, quæ iam recitauimus, differũt tamen ex varia diuidendi occasione. Nam cùm in omni rerum non naturalium specie venenata interdum qualitas reperiri posit, manifestum profectò est, Venenorũ alia

ex ijs rebus desumi, quæ etsi extra corpus reperiūtur, tamen quia ad eiusdē vsū conferunt, Oblata vocātur, siue ad caloris innati ventilationem pertineant, vt aer: siue ad carnosæ substantiæ refectionem, vt cibus atque potus: siue ad affectus alicuius præternaturalis correctionem, vt medicamenta. Alia verò ex his rebus, quæ intùs in corpore latent: quales sunt humores, qui per vehementem putrefactionem, aut per alicuius procatarcticæ causæ infectionem, summam interdum malitiam acquirūt, quam (ne penitus nomine destitueretur) venenatam qualitatem Medici appellarunt. Hæ igitur Venenorum differētiæ ex ipso genere deducuntur, quatenus scilicet Venenum Res non naturalis existit, & causa est procatarctica. Alio enim rationis modo venenum Res præter naturā dicitur, quando causa antecedens morbifica euadit, & morbum in corpore actu parit: vt in reliquarum definitionis particularum explicatione audiemus, quæ ferè omnes ad specificæ differentiæ constitutionem faciunt.

Corpori humano Venenum applicandum esse, sequens particula in definitione posita monet. Vt enim alimentum & medicamentum respectu corporis nutriendi & curandi dicuntur, ita quoque venenum. Cicuta enim sturnis, elleborus coturnicibus, scamonea ficedulis nutrimentum est, homini venenum. Præterea generalis Venenorum tractatio omnia omnium animalium venena continet: at ea quæ ad Medicum pertinet, humanæ tantùm naturæ aduersantia. Nam nec veterinaria ars medicinæ pars est: nec ea quæ bestijs vel vtilia, vel noxia sunt, sub medici contemplationem cadunt.

Additur in definitione, Quomodolibet corpori admoueatur: vt varia ratio insidiarum, tam naturalium quàm artificialium venenorum nobis insinuetur. Natura enim venena interdū celare solet blanda & amica aliqua qualitate, qua illecti homines ea imprudentes hauriunt. Sic dulcedo in aconito, in arsenico, in ephemero colchico reperitur. Venefici pariter, vt etiam cautos & prudentes decipiant, miro modo saporem, odorem, atque colorem Venenorum adulterare consueuerunt. Itaque nulla planè rerum non naturalium species reperitur, in qua non vel natura, vel arte, venenum aliquod occultetur: in cibis tamen & medicamentis frequentissimè. Obseruandum autem hîc est, quòd vt venenum in corpus agere possit, applicatio requiritur, siue dicere malis, contactus, quacunque tandem ratione illud fiat. Corrumpēs enim, rem quæ corrumpitur, vel per medium quoddam, vel absque medio contingere debet. Venenum in corpus grassatur, ita quidem vt ab illius calore superari & euinci nequeat. Necesse igitur est, ut debitam proportionem habeat, quæ naturæ dominetur. Venenorū certè magna est diuersitas. Quædam in minima quantitate, eaq; ferè insensibili, enecare possunt, vt quæ ab occulta proprietate agunt, à viuis præsertim animalibus eiaculata. Quædam non nisi in magna portione sumpta interficiunt, vt opium, & quæcunque qualitate manifesta, passiua præsertim, aut etiā ex actiuis frigida, nocere consueuerunt. Quod quidem discrimen diligenter animaduertendum est, ne ea quæ venena sunt, si in minima quantitate offerātur, & effectu suo frustrentur, venena esse negemus. Omne enim venenum quia naturæ contrarium est, eam corrumpit, postquàm à calore natiuo in actum fuerit deductū, calidum quidem promptius, frigidum verò tardius. Quòd si iam ratione minimæ quantitatis naturā superare nequeat, à natura superatur (vt ita loquar) quoniam in minimas diuisum partes vel in halitum resoluitur, vel per vias consuetas excernitur. Alimentum è contra à calore victum in substantiam corporis cōuertitur. Medicamentum verò, postquam vires suas corpori impressas reliquerit, è corpore eijcitur, aut immutatur. Huc nobilis illa quęstio, de actione veneni, referēda est: præsertim cùm omne patiens reagat, & omne agens repatiatur. Iam verò si modum applicandi consideremus, cùm venenosum corpus (quod

Rem nõ naturalem & naturalẽ corpus esse professi sumus) exitialem suam vim humano corpori communicet, idq; per contactum: necesse est, vt vel intra corpus sumatur, vt ea quæ inspirantur, quæ comeduntur, quæ bibuntur: vel extra corpus manens, in corpus tamen transferat venenum vel corpulentum, vt virus animalium: vel vaporosum, vt ea quæ illinuntur, quæq; per arteriarum diastolen intra corpus rapiũtur: vel spirituosum, quod sola qualitate noceat, vt ea quę per radios visiuos corpus ingrediuntur. Huc etiam locus ipse, cui applicantur, siue per quem in corpus venena transeunt, referendus est. Multis enim in locis, corpus humanum natura ad commodos vsus patefecit: per quos itidem venena inferri possunt. In vniuersum autem alij meatus sunt præter naturam, vt quando ab ictu animalis, alteriusve rei inanimatæ, vt puta telorum aut gladiorum, soluitur continuum, & aperitur corpus: alij sunt naturales, à primo ortu homini salutis & valetudinis ergò cõcessi. Sic ergo venena, corpus subingredi possunt varijs modis. Venenum torpedinis & ea quæ illinuntur exterius, per poros attracta, quando arteriæ dilatantur: similiter per pudenda in coitu: item per anum: per organa sensuum frequentius, vt per oculos venenum basilisci, per aures reguli, per nares fungi cuiusdam venenosi, per palatum denique sexcenta alia, partim in cibo & potu, partim in medicamentis hausta, quocunque modo præparata & condita fuerint. Horum autem cognitio nõ minus ad Medicos, quàm ad Veneficos pertinet: nam vt impium & sceleratum est, hominem dolo & fraude necare, ita humanum simul atque diuinum à præsenti exitio eundem liberare.

Sequitur in definitione, Naturam humanam Veneni malignitate corrumpi, Quænam ea sit natura, diligenter perpendẽdum est. Natura certè humana, hoc est, homo ipse, compositum naturale, principia sua habet ex quibus cõstituitur, materiam scilicet atque formam. Quapropter Venenorum alia materiæ, alia formæ, primò & per se contraria erunt. Materiam ergo corrumpũt tum ea quæ humores inficere & putrefacere possunt, ut aër pestilens: tum ea quæ partes solidas corrodunt, putrefaciunt, colliquant: tum ea quæ spiritus alterant, vt venenum torpedinis & basilisci. Formam porrò corporis intelligo vt mistum est, nõ vt est animatum. Temperatura igitur à veneno corrumpitur, duplici ratione, vt etiam temperatura ipsa duplex est. Vna enim, eaq; prima, mistionem denotat quatuor primarum qualitatum elementarium, ad certam temperiem beneficio cœlestis caloris reductarum. Altera verò perfectionem formæ ex hac mistione prouenientem significat à qualitatibus ita diuersam, vt sonus ab ipsa harmonia seu proportione fidium mutua diuersus est, quæ itidem, propter inopiã vocabulorũ, temperatura dici consueuit. Priore sanè modo consideramus qualitates ipsas, ex quibus corpus humanum pro debita elementorum mistione cõflatum est. Sic quamuis in sui natura, pro functionibus suis rectè obeundis corpus humanum temperatum esse dicatur, tamen ratione habita excellentioris, vita in calido & humido consistere perhibetur. Et propterea venena quoque huiuscemodi qualitatibus contraria erunt secundùm qualitates manifestas, nõ primas tantùm, sed secundas quoque & tertias. Caloris ergo fomitem venena frigida per σβέσιν suffocant, atque ea etiam quæ nimia obstructione viam spiritubus & euentilationi naturali intercludunt, quale est lactis coagulum, vel taurinus sanguis epotus. Eundem pariter venena calida per μάρανσιν omnino resoluunt. Humidum verò alimentare simul & substantificum, venena nimis exiccãtia dissipare & corrumpere possunt. Cæterùm posterioris modi temperatura ab illis venenis læditur & oppugnatur, quæ non manifesta & elementari qualitate, sed specifica & occulta proprietate, hoc est, ex tota sui natura, cum forma seu temperie humana pugnant: quorum vt nulla reddi potest ratio, ita sola experien-

perientia cognoscuntur. Hæc alioqui ratione excellentiæ suæ venena absolutè dicuntur, & quia etiam in minima quantitate lethalia sunt, propriè Deleteria appellātur. Est porrò tertium adhuc Venenorum genus, quod tam occulta quàm manifesta qualitate naturæ humanæ insidiatur: quale iuxta multorum opinionē opium esse creditur, & argentum viuum. Vt plurimum tamen alterutra qualitas in his manifestius sese exerit, à qua deinde veneni actio denominatur.

Malitiam veneni, cuius in definitione mentio fit, κατ' ἐξοχὴν intelligo. Quamuis enim omnis alia causa morbifica mala sit, quia malum effectum procreat: tamen quia veneni qualitas in summo malitiei gradu posita est (attestantur huic rei grauissima symptomata, & repentina mors) malitiæ nomē absolutè meruit. Eadem ferè ratione Medici, summum gradum putredinis in humoribus, modò pestilentem, modò venenatum appellant. Malæ causæ malus effectus, pessimæ pessimus attribuitur. Graue est in bello, post multa egregia facinora, ab hoste superari: at grauissimum omnium, absque vllo virtutis monumento post se relicto, ἀκονιτὶ καὶ ἀναιμωτὶ debellari atque vinci. Illic enim fortitudinis argumenta fortunæ iniuriam aliqua ratione subleuāt: hîc vero nō tam rerum vicissitudini, quàm propriæ inertiæ, belli calamitas ascribēda esse videtur. Illud idem in morbis quoque accidit, quorum alter à veneno, alter à quauis alia causa morbifica, eaq; lethali, dependet. Etsi enim vnus atque idem vtriusque morbi exitus est, mors videlicet: in veneno tamen deterior est conditio, quòd naturam non modò nō respirare, sed ne pugnare quidem patitur, ac malitia sua omnem illius conatum anteuertit & eludit. Hæc autem malitia in subiecto venenoso non semper reperitur, & proinde venena diuiduntur, quòd alia perpetuò hac qualitate prædita sint, alia non perpetuò, neque ex sui natura, sed per accidens tantùm. Hoc enim modo cibi quoq; & medicamenta possunt venena effici. Et illa quidem venena propriè appellātur, quæ semper talia sunt: hæc verò impropriè venena, rectiùs medicamenta aut alimenta mortifera dici debent, cùm ex solo vsu & modo applicandi qualitatem hanc malignam induant: vt quod de carnibus leuiter assis, in quibus vapor cōclusus remanet, aut de coagulo lacti paulò ante quàm bibatur indito, aut de aqua post vehemētem aliquam exercitationem affatim epota, aut de citrullo vel lactuca auidius ingestis, dici solet. Cibos profectò Medici statuunt quosdam medicamentosos, & vicissim medicamēta quædam quę alere possint: quoniam etsi in vtrisque vis alendi vel medendi superat, altera tamen illa potentia quoque iuncta est. Pariter in cibis & medicamentis interdum tertia qualitas, malefica scilicet, oriri potest, ex vsu indebito, vt cibus venenatus, & medicamentum venenatum dicatur. Sub vsu autem omnia ea cōprehendimus, quæ ad malitiam hanc generādam, fouendam & promouendam conducere possunt. Vicissim quoque venenum aliquod erit, quod commodo vsu probaq; mistione medicamentum euadit, & venenum medicamentosum dicitur. Sic ferè ea quæ occulta proprietate purgāt, pro vario vsu, & medicamēta & venena euadūt: eoq; factum, opinor, vt Pharmaci nomen commune apud Græcos meruerint.

Vltima particula definitionis, Corruptionem à veneno inferri ostendit: quę quia motus est, varias venenorum differentias continebit. In omni enim motu duo considerantur, ea videlicet quæ partim ad motus naturam & essentiam cōferunt, mobile subiectum, mouens causa, & motus ipse: partim accidētaliter ei competunt, locus nimirum & tempus. Subiectum mobile, est corpus humanū: cuius cùm variæ dētur temperaturæ, tam insitæ quàm acquisitæ, pro ratione regionum, ætatum, sexus, cōstitutionis anni & cōsimilium, manifestū est alias valetius, alias debilius venenis resistere. Magna hac de re inter Medicos est quæstio: tota tamen in potētia patiendi à rebus similibus & dissimilibus sita est: cu-

ius generales regulas Gal. in lib. Artis medic. de signis cerebri insalubribus nõbis proposuit. Iam verò mouens causa, est corpus venenosum, quod siue extra corpus remaneat, siue corpus subingrediatur, motum hunc, qui corruptio dicitur, qualitate sua maligna, inchoat & perficit. Venenum ergo à venenoso corpore progrediens, mouens causa morbifica & antecedens efficitur, siue corpulentum sit atque solidum, tam intra corpus sumptum in cibo aut medicamẽto, quàm exteriùs applicatum: siue vaporosum: siue spirituosum & sola qualitate noxium. Porrò motus ipse, forma scilicet fluens inter duos terminos, à quo, & ad quem fit motus, corruptio dicitur, inter vitam atque mortem media. In genere corruptionis venenum cum quauis alia causa morbifica, atque etiam cum ipso morbo lethali non venenoso communicat, differt in specie. In his enim remissa malitia conspicitur, quæ tamen diuturnitate sua tandem naturam pessundare queat: in veneno verò intensa, quam nõ modò non superare, sed ne aggredi quidem natura ausit. Et hîc fortasse non importunè quæstio illa celebris exagitari posset, an venenum aliquando nutrire queat. Ratio enim & experientia inter se digladiantur, grauemq́ controuersiam excitant. Cæterùm corruptio, quia compositi dissolutio est, partim ratione materiæ, partim ratione formæ humanæ accidere potest. Priore modo, quando partes tam similares, quàm dissimilares per colliquationem, per putrefactionem, per erosionem, dissoluuntur. Posteriore verò, per alterationem vel manifestam, vel occultam. In his autẽ corrumpendi modis, qualitas naturæ hominis penitus contraria deprehenditur, quamcunque morbi venenosi speciem imprimat, intemperiem, compositionẽ vitiosam, aut vnitatis solutionem. Sequuntur nunc accidentia motus, locus videlicet atque tempus. Locum autem intelligimus partem, quæ corruptionem prima patitur. Vbi illud notandum & pro indubitato sumendum est, omnia venena quatenus interficiunt, cor tanquam fontem vitæ præcipuum atque formalem (materialis enim in hepate residet) impetere. Id tamen agunt vel immediatè, vt ea quæ natiuam cum corde inimicitiam gerunt, & proinde quàmprimum intra corpus recepta fuerint, cor petunt, siue occulta qualitate duce, siue manifesta, summè calida videlicet, cum partium insigni tenuitate coniuncta: vel mediatè, vt ea quæ cùm non ita vehementis & celeris actionis sint, cor tardiùs petunt, in transitu tamen alias partes priùs afficiunt, donec ad cor labes deducta, hominem interimat. Sic lepus marinus pulmones, cantharides vesicam, phalãgij quædam species caput ante omnia lædere consueuerunt. De hac tamen re, an scilicet cor ab ipso veneno inficiatur, an à qualitate communicata à membro primariò affecto, in quo veneni corpus remanet, magna inter authores lis est.

A tempore quoque Venenorum sumuntur differentiæ. Quædam enim citò agunt, quædam tardè interficiunt. Causa horum, partim in venenum ipsum, partim in corporis affecti naturam, referri debet. Venena enim calida citiùs operantur quàm frigida, cùm satis habeant vt à corpore incalescant, nõ etiam vt attenuentur, quod tamen frigida requirunt. Præterea quæ à viuis animalibus emittuntur, cùm actualem (vt ita loquar) calorem veluti vehiculum habeant, efficaciora redduntur. Addenda hîc est substãtiæ tenuitas: quam cùm cicutæ suæ Athenienses deesse viderent, ne diu à veneno sontes cruciarentur, vino albo tenui permistam propinabant, vt hoc tanquam vehiculo crassities pharmaci attenuaretur, & in intimas venas deduceretur. Neque interim quantitas opportuna negligenda est: cuius merito fit, vt ea quæ in magna quantitate data citò enecant, si in minima dentur, aut à calore innato dissipãtur, aut certè longo tantùm pòst tempore interficiunt. Id quod superioribus annis nouus quidam Thessalius asinus Alchimistico suo Laudano (sic enim vocabat) præstitit: multi enim quibus pharmaco hoc suo benedicto dolorem omnem exemerat, non multo

pòst per

poſt per caloris innati ſuffocationem & extinctionem interierunt. Ad hunc locum celebris illa quæſtio, vtrum venena ad certum & præſinitum tempus agentia propinari poſsint, referenda eſt.

Verumenimuerò vt Hiſtoricæ cognitioni colophonem imponamus, breuiter per ἀνακεφαλαίωσιν præcipuas Venenorum differentias annotemus. Sumuntur ergo vel ab eſſentialibus cauſis, à materia ſcilicet, à forma, & ab efficiente: vel ab accidentibus communibus, à loco nimirum, & à tempore. Materia dupliciter conſiderari poteſt, tum Quod agit, tum Quo agit. Quod agit, eſt corpus venenoſum, ſiue à philoſopho iuxta corporis naturalis differentias, ſiue à medico iuxta rerum non naturalium ſeriem diuidatur. Quo agit, eſt id quod à corpore venenoſo emiſſum, venenum propriè dicitur: & vel ſubſtantia eſt, tam ſolida quàm vaporoſa: vel qualitas, quam nos in præcedentibus ſpirituoſam appellauimus. Forma itidem duplicem habet reſpectum. Nam ſi per ſe conſideretur, ſummam denotat veneni malitiã, quæ à calore naturali ſuperari nequeat, idq; vel ſemper (vt in ijs quæ venena propriè dicuntur, in quæ calor natiuus aut non agit omnino, aut ſi agit, non aſsimilandi, ſed expellendi & diſsipandi cauſa:) Vel aliquando tantùm, vt in ijs quæ alimenta & medicamenta per ſe ſunt, at propter vſum importunum venena euadunt, in quæ calor agit, ſed cùm debilior ſit, quàm vt tantæ malignitati obſiſtere poſsit, à venenis, quibus vitam dedit, opprimitur & aboletur. Sin autem ex actione qualitas formæ æſtimetur, cùm alia venena formam corrumpant, temperaturam ſcilicet, alia materiam, vtpote ſpiritus, humores & ſolida: plures iam venenorum differentiæ neutiquam contemnẽdæ exurgent. Iam verò ratione efficientis, venena diuidemus in naturalia & artificialia: quorum illa quidem prouidæ & ſagacis naturæ, hæc verò nefariorum hominũ inuenta & opera cenſeri debent. Quod ſi iam ad accidentia tranſeamus, Loci conſideratio duplex erit. Nam varij ſunt meatus, per quos venena in corpus ferri poſſunt, ſiue naturales, ſiue præter naturam exiſtant. Rurſus, locus ſiue pars, quam venena tãquam arcem petunt, cor eſt, atque illud inuadunt vel immediatè, nullis alijs viſceribus aut membris ſenſibiliter læſis: vel mediatè, vt quãdo alias partes priùs labefactant, ſiue natura ſua & nobis occulta proprietate, ſiue caſu, pro varia ratione applicationis. Tempus itidem ſuas habet differentias, quòd alia citiùs, alia tardiùs agant. καὶ ταῦτα μὲν ταῦτα de Venenorum cognitione tam philoſophica quàm hiſtorica.

Tertia & vltima pars noſtræ contemplationis ſupereſt, quam Practicam vocauimus, ex ipſo fine: Nicander & Dioſcorides paulò particularius ἀλεξιφαρμάκων λόγον dixere. Rationem enim præſeruandi curandiq; veneni continet. Nam cùm venenum cauſa ſummè maligna exiſtat, nec vnquam ſalubris euadere poſſit, primùm quidem ante omnia ratio ineunda eſt, ne corpus inficiat, quam partem προφυλακτικὴν nuncuparunt: poſtquàm verò corpori venenum adhæſerit, ne lethale euadat, θεραπευτικὴ efficiet. Præſeruatio igitur, quæ prior eſt natura ſimul & dignitate, in diæta potiſsimùm conſiſtit, & magis ad humanam prudentiam, aut prouidentiam diuinam, quàm ad Medici præſcriptum regẽda eſt. Curatio vero quia rectè inſtitui nequit, niſi prius cognoſcatur affectus: ideo ſymptomata, per quæ in genere ſimul & in ſpecie venena nobis innoteſcãt, perpendenda erunt. Hæc cùm accuratè ab authore noſtro ſuis locis tradita ſint, declaratione nõ egent: fontes tantùm indicabimus. Signa ergo quia accidentia ſunt conſequentia internam affectionem ſiue morbum à veneno impreſſum, in vniuerſum vel ad actiones læſas, vel ad paſsiones immutatas reduci poſſunt. Actiones quidem partim ſunt animales, internæ, delirium, furor, obliuio: externæ, ſopor, torpor, ſurditas, debilitas viſus, & conſimilia. Partim vitales, palpitatio & tremor cordis, ſyncope, λιποθυμία. Partim naturales, excrementa alui, vrina, ſu-

riaca ad Pamphilum Principem. De Theriaca ad Pisonem. De Commoditatibus Theriacæ. De Alimentis. De Euchymia, & cacochymia. De Interioribus. In lib. Κατὰ γένη. In Pasionario. De Experimentis. De Facilè acquisibilibus ad Solonem. De Virtutibus Centaureæ ad Papiam. De Secretis ad Monteum. De Pharmacis. De Dynamidia. De Dynamidijs. De Virtutibus naturalibus. De Malitia complexionis diuersæ.
Geber in lib. de Floribus naturarum.
Gentilis Fulginas de Consilijs.
Gilbertus Anglicus in suo Compend. medicinæ.
Guilielmus de Placentia in sua Practica.
Haly in Commentis centiloquij.
Halyabas in Regali dispositione.
Hippocrates in lib. Aphorism. de Aere, aqua, & regionibus.
Ioannes Serapionis in Breuiario.
Ioanues Mesue in lib. de Simplicib. in suo Antidotario.
Ioannes Gadesden in Rosa.
Isaac in Diætis.
Macer in lib. de Simplicibus,
Nicolaus in Antidotario.
Oribasius in sua Practica. De Dynamidijs. Eiusdem excerpta ex libro decimo,
Petrus Hispanus in Thesauro pauperum.
Petrus de Abano in lib. de Venenis.
Platearius in Circainstans, de Simplicibus.
Plinius Secundus de Naturali historia.
Rabbi Moyses in Aphorismis de Venenis.
Rainaldus de Villanoua in lib. de Destillatione sanguinis humani.
Rasis in Continente, in Almansore, in Diuisionibus, in lib. de Proprietatibus animalium: in lib. de Experimentis.
Serapio in lib. de Simplicibus.
Thaddæus de Bononia in Consilijs.
Theodorus Priscianus in sua Practica.
Vnaym in lib. de Incantatione, adiuratione, & colligatione.

SANTIS DE ARDOYNIS PISAVRENSIS PHISICI PRAESTANTISSIMI

De Venenis, ac mortiferis medicinis in generali Liber primus.

De Veneni, ac medicinæ mortiferæ in generali definitione. Cap. I.



RACTATVRVS IN PRAESENTI libro Saluatoris nostri Domini IESV CHRISTI gratia confauente, principaliter de Venenis ac mortiferis medicinis interius seu exterius approximatis, pro posse conabor ex illustrium ac famosorum auctorum mentibus reserare, quæcunq; omnipotens Deus ac omnium genitor, generis humani misertus ad ipsius conseruationem statuit de suę largitatis solio, ac speciali munere procreari: vt præfatorum venenorum, ac medicinarum mortiferarũ interius, seu exterius approximatorum cognitis nocumentis subueniret Medicus iuxta posse, nulla prorsus alia de causa de ipsis mentionem faciens, attento præsertim Medicorum principe Galeno, in suo libro de Pharmacis taliter inquiente: Multa quidem verisimile est inueniri medicamina talem habentia virtutem, vt mox à principio attrahant sanguinem: sed taceri rationabile, ipsa sicut alia venenosa tacentur ab omnibus habentibus intellectum. Fuerũt enim aliqui iam & circa horum doctrinam sine inuidia prodigiosam quandam cõmunionem monstrantes, & scribentes cuiuslibet venenosorum præparationes, sed non sunt habentes sensum qui tales, sicut neq; vos si nos interrogatis, quæ medicamina sunt eductiua sanguinis. Vt igitur præsenti capit. satisfiat, dico quòd venenum dicitur, quia per venas vadit: non enim aliter cor, & alia præcipuè principalia membra molestat, nisi quia ad ipsa vadit per venas & arterias: Vel dicitur venenum, quasi venas nectens: ob ipsius nanq; principium formæ hominis corruptiuum nectit venas & arterias, vt non deferant ad membra spiritus & sanguinem congruentes: aut secundum Galenum in libro de Dinamidia: Venena dicuntur, quia vocem inferunt mortis. Medicina verò mortifera dicitur, quia est cum modo mortem ferens, seu inferens: secundum enim certum & determinatum modum approximata mortem infert. Differẽtia autem inter venenum & medicinam mortiferam est, quia venenũ est id quod solum principaliter per eius proprietatem seu specificam formam corrũpit complexionem & substantiam corporis: sicut viperæ venenum, napellus & consimilia, agens in corpus humanum sua primaria obuiatione, cum ipsi proprietati occultæ qualitati spirituali existenti nulla elementaris qualitas contrarietur, quanuis contrarietur eius effectui: sicut lumini solis qualitati spirituali existẽti nulla elementaris qualitas contrariatur, quanuis effectui suo qui est caliditas, contrarietur qualitas elementaris quę est frigiditas. Ob hanc igitur causam venenum in quãtum venenum debitè approximatum mutat corpus, non cessando ab operatione sua, eius virtute & forma manẽtibus, quousq; ipsum corrumpat: & non mutatur à corpore in sua naturali forma, & virtute, seu proprietate de per se, quanuis de per accidens aliquando mutetur, quinimo & corrumpatur ab eo. Agendo nanq; corpus in venenum, non vt venenum, sed vt compositum ex elementis & elementari qualitate complexionatum subtiliat ipsum venenum, & euaporare id facit & consequenter ipsum resoluit & consumit

siue corrumpit Medicina verò mortifera, est medicina quæ solùm principaliter per eius qualitatem manifestam, seu elementarem complexionem, corrumpit complexionem & substãtiam corporis: sicut exempli gratia, euphorbium, opium, & consimilia: quanuis iuxta opinionem meam opium principalius & fortius per eius proprietatem stupefaciat, & infrigidet quàm per eius complexionem elementarem, prout ostendi in quæstione mea qua quęsiui: vtrum theriaca confortatiua cordis à proprietate sit stupefactiua, improbando ambos Gentilis modos stupefactionis theriacæ nouæ, & dando vnum nouissimum modum, & verissimum iudicio meo: verùmtamen quia plurimæ medicinæ dictæ mortiferæ, interficiunt non solùm per eius complexionem elementarem, sed etiam insimul & per formam specificam, &, vt prædixi, aliquæ amplius per formam specificam, quàm per complexionem elementarem, vt opium, & aliquæ amplius per complexionem elemẽtarem, quàm per formam specificam, vt euphorbium, idcirco auctores ferè omnes de venenis tractãtes, medicinas mortiferas in venenorũ numero posuere. Quos equidem & ego similiter insequar cupiens humanum corpus per huius libri doctrinam ita præseruari, & curari à mortiferis medicinis sicuti à venenis.

De speciebus Venenorum & mortiferarum medicinarum, & de dispositionibus & naturis eorum in generali, & de modis generalibus approximationis eorum. Cap. II.

SVmendo venena indifferẽter, tam pro venenis propriè dictis, quàm pro mortiferis medicinis: dico quòd venenorum quædam sumuntur ex mineralibus, vt argentum viuum, gypsum, lapis armenus, & cõsimilia: quędam ex vegetabilibus vel plantis, vt napellus, elleborus, mezereon, & consimilia: quædam ex animalibus, vt lepus marinus, fel viperæ, scorpio, & consimilia: & quędam sumuntur ex elementis, vt aer & aqua, interficientes propter aliquam vel aliquas ex qualitatibus manifestis vel occultis in ipsis existentibus. Insuper venenorum quædam interficiunt solùm principaliter à qualitate occulta, seu proprietate, vt napellus, & cõsimilia: quædam à qualitate manifesta, vt euphorbium & cõsimilia: quædam à qualitate occulta, & à qualitate manifesta simul, vt opium, & consimilia. Agentia autem à proprietate seu qualitate occulta nullatenus possunt à nobis, nisi experimento cognosci, iuxta præcipuè Galen. 6, de Simplici medicina cap. de Abrotano: & cap. de Alison, seu alguasen, seu alusen, seu aliso: & nono de Simplici medicina cap. de Lapide: Et Auerroem in libro de Theriaca. Agentia autem à qualitate manifesta seu nobis cognita, rationibus cognoscuntur: agentia verò vtroq; modo consimiliter cognoscũtur vtroq; modo. Iterum venenorum quædam interius hoc est oretenus assumuntur, vt sunt ea quæ comeduntur, vel bibuntur vel transglutiuntur: quædam verò assumuntur exterius hoc est per porositates corporis, vel per venas, vel arterias, vel qualitercunq; aliter, dũmodo non comedantur neq; bibantur, neq; transglutiantur: sicut sunt venena morsuum & puncturarum, & sicut venena interimentium visu: vt basilisci, aut auditu siue sibilatione, vt reguli, qui est species basilisci: aut odoratu, sicut cuiusdam speciei venenosi fungi: aut tactu, sicut piscis, qui ab auctoribus torpedo cõmuniter nominatur: quem hîc Venetijs pluries vidi. Insuper venenorum quædam interficiunt calefaciendo & inflammando, sicut euphorbium: quædam infrigidando & stupefaciendo, sicut opium: quædam exiccando, sicut calx non extincta, & colcotar: quædam humectando, sicut secundum aliquos argentum viuum. Item venenorum quædam interficiunt soluendo continuum, vt lepus marinus: quædam putrefaciendo, vt venenum cuiusdam serpentis, qui momordit quendam in somno: quo excitato & non valente surgere tracto per manum remansit eius caro corru-

pta &

pta & putrefacta super terram & vt auripigmentum. Quædam autem quàm multipliciter diuersimodè aliter interficiunt, prout particulariter & seriosè ex sequentibus tractatibus notum fiet.

De signis specierum Venenorum ac mortiferarum medicinarum in generali. Cap. III.

SIgnificantur species venenorum per effectus quos ipsa in corpus inducunt. Si nanque ex assumpto veneno accidat mordicatio, incisio, punctura, & corrosio: scias quòd ipsum est de genere seu specie venenorum calidorum, mordicantium & vlcerantium: vt arsenicum vel argẽtum sublimatum, vel aliud cõsimile. Si verò ex assumpto veneno accidat absque vlceratione, vel mordicatione, vel punctura, vel corrosione inflammatio vehemens, & exuberatio sudoris, & rubedo oculorum, & angustia & sitis: scias quòd ipsum est de specie venenorum calidorum, vt est euphorbium, & sibi consimile. Si autem ex veneni assumptione accidant profunditas somni & stupor & frigus: scias quòd ipsum est de specie seu genere frigidorum & narcoticorũ, vt est opium, & aliud sibi consimile. Si verò ex veneni assumptione appareat principaliter putrefactio: scias, quòd ipsum est de genere seu specie venenorum humidorum, & putrefactiuorum, vt à proprietate, licet nos à qualitate manifesta, vt est auripigmentum, & aliud sibi consimile. Si autem ex veneni assumptione accidat principaliter exiccatio: scias, quòd ipsum est de genere seu specie venenorum exiccantium, vt est calx viua, alumen, & aliud eis consimile. Si verò ex veneni assumptioni accidant effectus compositi, vt puta, calefactio & exiccatio, aut calefactio & humectatio, aut infrigidatio & exiccatio, aut infrigidatio & humectatio: scias venenum illud esse vel fuisse in virtute cõpositum correspondente compositioni effectuum præfati veneni. Et sicut dixi de qualitatibus primis: ita pariformiter intellige de qualitatibus secũdis à primis procedentibus. Si autem ex veneni assumptione non accidat principaliter, nisi casus virtutis & sudor frigidus & syncope: tunc scias, quòd venenum illud fuit de genere seu specie subalterna venenorum interficientium à qualitate occulta seu proprietate seu forma specifica seu tota substantia, vt est napellus & aliud sibi cõsimile: & tale venenum cæteris est deterius, præsertim propter causam quam prædixi in primo cap. cum posui differentiam inter venenum & mortiferam medicinam. Et sicut dixi significari venenorum species, scilicet subalternas: ita consimiliter significari possunt species specialissimæ venenorũ cognoscendo particulares effectus earum, qui in sequentibus tractatibus noti fient. Significãtur etiam aliquando per odores in venenatorum vomitibus comprehensos, sicut cum sumitur opium vel aliud aliquod venenum cõprehensibile per odorem. Significatur etiam aliquando per sapores quos venenati in eorum venenatione percipere potuerunt: sicut cum sumitur arsenicum quod in principio gustui dulcedinem, in fine verò amaritudinem repræsentat: & sic pariformiter intellige de aliis, quorum proprij & particulares effectus & signa in sequentibus tractatibus describentur.

De signis assumptionis Veneni in generali. Cap. IIII.

SIgna declarantia aliquem assumpsisse venenum principaliter sunt duplicia: quædam nanque sunt cõmunia, quædam verò propria. Signa communia sunt duplicia: quædam enim significant venenum interius approximatum siue oretenus assumptum, vtputa comestum, vel potatum, vel deglutitum. Quædam verò significant venenum exterius approximatum, vtputa per morsum serpentis alicuius, aut per visum, vt dicitur de basilisco visu hominem interficiẽte, aut per auditum, vt dicitur de regulo, qui species ponitur basilisci sibilatione sua hominem audientem interficiẽte: aut per odoratum, vt dicitur

de quadam ſpecie mali fungi odoratu hominem interimentis: aut tactu, vt dicitur de piſce torpedine tactu hominem ſtupefaciente & interimente. Et ſicut narratur de milite, cuius manus & totum corpus ex tactu lanceæ fuerunt mortificata: aut proiectione veneni, vt dicitur de botrace ſeu bufone exufflando venenum interimente. Signa verò propria ſunt totuplicia, quotuplicia ſunt venena, de quibus in ſequentibus libris particulariter pertractabo, quæ equidem ſigna particularia venena deſignant. Signa communia demonſtrantia aliquem venenum interius ſeu oretenus aſſumpſiſſe principaliter ſunt hæc: videlicet, quod vt plurimum ferè ſtatim poſt comeſtionem vel potationem vel tranſglutionem, ſequitur anguſtia, ſeu aliqua ſtomachi paſsio & vomitus, vel ad ipſum inclinatio & præcipuè inconſueta. In proceſſu verò ſequuntur accidentia venenorum iuxta naturas eorum tactas in duobus capitulis immediatè præcedentibus in generali, in ſpeciali verò tactas infrà, præcipuè in ſecundo, tertio & quarto libris. Attamen poſsibile eſt aliquando venenum oretenus aſſumptum tardare effectus & accidentia ſua: in quo quidem caſu venenũ fuiſſe aſſumptum difficile cognoſcetur, niſi poſtquàm effectus & accidentia ſuperuenerint. Signa verò cõmunia declarantia venenum fuiſſe exterius approximatum ſunt, quòd poſt morſuram alicuius animalis venenoſi aut viſum aut auditum aut tactum aut odoratum alicuius rei venenoſæ, ſequũtur aliqua venenorum accidentia & aliqua cordis paſsio, de quibus inferius pręſertim in ſexto, ſeptimo & octauo libris pertractabo. Signa autem propria in generali particularium venenorum interius ſeu exterius approximatorum habentur ex ſpecialibus & proprijs ſignis cuiuslibet veneni in ſpeciali. Si nanq; venenatus patiatur propria arſenici accidentia, ſignificatur quòd venenum præaſſumptum, fuit arſenicum. Si verò patiatur opij propria accidentia, ſignificatur venenum præaſſumptum fuiſſe opium, & ſic de alijs. Si autem contingat venenatum venenum euomere, tunc ipſum cognoſci particulariter poterit per viſum ex colore & modo ſubſtantiæ, aut per odoratum ex odore ſuo, aut per guſtum ex ſapore ſuo, aut per alia propria & particularia ſigna. Hæc autem nota ſunt in noticia venenorum & accidentium eorum experto & ſcienti eorum propria & particularia ſigna, de quibus in ſequentibus pertractabitur. Aduertendum autem, quòd poſsibile eſt abſq; vlla veneni approximatione humorem aliquem in corpore generari, & poſtea conuerti ad veneni naturam, & facere accidẽtia protinus ſimilia accidentibus prouenie͂tibus à veneno: prout deſcribunt auctores & præcipuè Galenus 6 de Interioribus cap. 4. de Menſtruis & ſpermate retentis & corruptis. Inſuper eſt poſsibile abſq; vlla approximatione veneni generari in corpore animal venenoſum obtinẽs veneni naturam: veluti pręcipuè narrat Ioannes Meſue in ſua Practica ſumma quarta de Vermibus quibuſdam habentibus aculeos penetrantibus vſq; ad vicinas cordis partes & quandoq; vſq; ad cor. Quapropter aliquando innocentes culpari poſſunt de exhibitione veneni: & ideo oportet medicum bene conſiderare, cum iudicare voluerit fuiſſe alicui venenum exhibitum.

De ſignis prognoſticantibus malum & bonum ex Venenis ac mortiferis medicinis aſſumptis in generali. Cap. V.

Signa mala indicantia & prognoſticantia mortem ei, qui venenum aſſumpſit, ſunt, vt ſtatim poſt veneni aſſumptionem & præcipuè poſt vomitus ſuperueniant accidentia valde ſæua & præcipue ſyncope & permutatio pupillæ eius & occultatio nigredinis ipſius. Et ſimiliter, vt accidat vehemens oculorum rubedo & egreſsio linguæ & caſus pulſus, & ſudor frigidus, & conſimilia. Signa verò bona prognoſticantia ſalutem ei, qui venenum aſſumpſit,

ſunt

sunt signis malis opposita: vtputa, si venenum præsertim citò post eius assumptionem euomitũ fuerit, & inchoata mala accidentia inceperint iam diminui, cum bona virtutis constantia & naturalium operationum eius perfectione.

De causa propter quam Venenum adeò naturæ contrariatur humanæ, ut in parua quantitate hominem interficiat. Cap. VI.

CAusa equidem propter quam venenum adeò naturæ contrariatur humanæ, principaliter est ipsius forma specifica siue proprietas. Et loquor hic de veneno propriè dicto, seu de mortifera medicina agente inquantum venenum & non inquantum mortifera medicina propriè dicta: quorum nempe descriptiones suprà descripsi in primo cap. Opposito nanq; prorsus modo se habet venenum cibo respectu corporis nostri. Cibus enim inquãtum cibus conuertitur in substantiam corporis tenendo vicem dissolutæ partis & assimilando se illi: venenum verò inquantum venenum, nullatenus in corporis nostri substantiam conuerti potest: quinimo ei omnino cõtrariatur, & hoc à proprietate seu forma specifica, vt prædixi. Et si obstetur de puella nutrita napello vt reges & principes cum ipsa coeuntes possent interimi: Respondeo, quòd puella illa non fuit verè nutrita napello: quia hoc prorsus naturæ napelli repugnat: sed fuit illi adeò paulatim assuefacta, quòd propter eius validam & fortissimam naturam & diuturnam consuetudinem resistebat virtuti nociuæ napelli non patiendo ab eo iuxta Hippocratis, Galeni, Auicen. & cæterorum auctorum illustrium mentes volentium, quòd ab eo quod assuetum est non fit passio: quinimo ipsa puella mediãte eius innato calore ipsum napellum ad minima diuidendo & euaporare faciendo resoluebat & cõsumebat corrumpendo eius formam substantialem, ad cuius corruptionẽ sequitur de per accidens proprietatis napelli corruptio: verùm ex continuo napelli vsu consequebatur puellę humoribus adeò corruptiua proprietas ipsam puellam ob consuetudinem diuturnam & virtutis fortitudinem nullatenus lædens, quòd ipsa anhelitu suo eius pręcipuè amplexibus & collocutionibus cõmunicato & saliua sua eius præcipuè osculis oretenus cõmunicata coeuntes cum ipsa interimebat: quemadmodum videmus, quòd aliquis qui moram contraxit in pestilentiali aere ob pestiferam qualitatem humoribus suis, aut vestibus eius impressam, alium inficit & non inficitur. Quid autem sit ista proprietas, vt præsenti cap. plenariè satisfiat, dico quòd proprietas, prout sufficit in proposito à famosis auctoribus principaliter dupliciter consideratur: vno modo, prout est principale essentiale particulare principium de per se effectiuũ operationis, respectu cuius ipsa dicitur proprietas: & isto modo ipsam considerat Auicenna in suo de Viribus cordis, tractatu primo, cap. vlti. vbi asserit, quòd proprietas in veritate non est aliud, quàm natura, vt est principium motus & quietis in rebus in quibus sunt per se, cunctarumq; actionum per se conuenientium eis & propriarum taliter postea inquiendo. In summa ergo proprietas natura est inuenta in commistis corporibus procedens in eis à superna & plenissima influẽtia propter complexionem propriam qua particularem & propriam dispositionem acquirunt. Et primo canone Fen. secunda, cap. De eo quod comeditur & bibitur, vbi dixit, quòd forma specifica est illa qua ea agens est id quod est, subdens cõsequenter parum post, quòd forma speciei, seu forma specifica, est perfectio quam acquisiuit materia secundum aptitudinem, quæ fuit ei acquisita ex complexione. Et isto modo proprietas est substantia, & est forma substantialis illius rei cuius ipsa dicitur proprietas. Et iuxta istam cõsiderationem proprietas rectè iuxta quid nominis quasi propria entitas dicitur: dicitur etiã forma specifica tota substantia, tota species & natura. Secundo modo cõside-

ratur proprietas, prout est principale instrumentale particulare principiū de per se effectiuū operationis illius respectu cuius dicitur proprietas. Et isto modo ipsam considerat Ioannes Serapionis septimo Breuiarij cap. 8, particula de Quæstione mirabili theriacę & iuuamentorum eius, & cap. 10, particula de Solutione dubitationis, quę fit propter medicinam mundificatiuam seu solutiuā. Et Galenus tertio de Simplici medicina, cap. 4 & cap. penultimo: Et secundo de Virtutibus naturalibus cap. 5: Et tertio de eisdem in pluribus cap. Et Halyabas secundo Practicæ cap. 1 & 8: Et Ioannes Mesue, in suo de Consolatione medicinarum cap. 1. Et Auenzoar primo Teisir, tractatu primo, cap. 2. Et consimiliter omnes Astrologi, & præcipuè Ptolemæus, & Haly in Centiloquio verbo nono. Et isto modo proprietas, est qualitas à stellis influxa, seu à creatore glorioso & excelso, prout Ioannes Serapionis præfatis libro, & cap. 10 expressè asserit. Et iuxta istam considerationem proprietas propriè nuncupatur dispositio insequens formā, qualitas occulta seu ignota & virtus occulta. Causa autem propter quam venenum in adeò parua quantitate hominem interficit, est, quia venenum, inquantum venenū solummodo principaliter per eius proprietatem omnino corpori nostro contrariam agit in corpus nostrū cum virtute existente in actu: cui quidem proprietati, seu occultę virtuti humana cōplexio seu calor noster innatus minimè contrariatur, & consequenter iuxta Philosophum primo de Generatione, cap. de Agere & pati, non agit in ipsum venenum de per se, inquātum venenū est, cum omnis actio proueniat ratione contrarietatis, quæ quidem contrarietas non est inter veneni proprietatem & cōplexionem humanam: quia non sunt eiusdem generis subalterni propinqui speciei specialissimæ: prout iuxta Philosophū loco præallegato requiritur ad contrarietatē veram necessariam actioni: proprietas nanq; veneni est qualitas à supercælestibus generata: humana verò complexio est qualitas elementaris, quę non minus separata sunt, quàm sint caliditas & humiditas, quæ mutuò inter se non agunt: imo in eodem subiecto se in summo gradu insimul cōpatiuntur. Quamobrem venenum humanæ cōplexionis penitus corruptiuū in valde parua quantitate hominem interimit, tum propter habere, vt prędixi, virtutem suam in actu, quæ cęteris paribus multo efficacior est virtute potentiali, vt patet de igne respectu scordeon agente, sicut & omne aliud agēs cum actuali virtute, quàmprimum obuiat passo: tum etiā propter agere absq; repassione, & cōsequenter melius, citius & fortius applicare humano corpori suum instrumentum actiuū: quę equidem melior, citior & fortior instrumenti applicatio auget proportionem agentis, & per consequens computanda est in proportione. Sed statim ex dictis duę dubitationes insurgunt: prima est, cum dictū sit ex mente Philosophi necessariā esse contrarietatem ad actionem, & humana cōplexio non sit proprietati contraria cōtrarietate, quę requiritur ad actionē: quomodo ergo proprietas veneni corrūpit complexionē humanam? Secunda dubitatio est, cum dictum sit cōplexionem humanam non esse contrariam proprietati veneni contrarietate requisita ad actionē: quomodo ergo humana cōplexio corrumpit venenum & proprietatem ipsius? Primæ dubitationi respondeo, quòd proprietas veneni corrumpit cōplexionem humanam propter ipsam esse maximè complexioni humanæ contrariam contarietate qua agunt supercælestia in ista inferiora absq; repassione & non contrarietate requisita ad actionem agentiū per complexiones elemētares, quę semper agendo repatiuntur: de qua contrarietate loquitur Philosophus loco pręallegato. Secundæ dubitationi respondeo, quòd humana cōplexio mediāte forma substantiali hominis corrumpit proprietatē veneni non de per se propter causam prædictam, sed de per accidens, Agendo nanq; in venenum, prout mistū est,

& ex

& ex elementis & elemētari complexione cōplexionatum ipsum alterat, subtiliat, euaporare facit, resoluit & consumit, siue corrumpit: ad cuius corruptionem de per accidens sequitur proprietatis ipsius veneni corruptio insequens formam substantialem eius.

De causa propter quam Venenum principalius rapit ad cor quàm ad alia membra, propter quod accidunt sincope, cordis tremor, defectus pulsus, & generaliter accidentia cardiacæ passionis. Cap. VII.

DVæ sunt principales causę, propter quas venenum principalius rapit ad cor, quàm ad alia membra. Prima quidem principalis causa est, quia venenum ex sui proprietate, qualitercunq; approximetur, principaliter petit cor & rapit ad ipsum principalius quàm ad alia membra, quēadmodum reperiuntur medicinæ appropriatæ cerebro principaliter, aliquæ stomacho, aliquę hepati, aliquę vesicę, & sic de alijs, petentes ita illa membra quibus appropriantur, quòd non principaliter alia: quare humano corpori approximatum per arterias principalius rapit ad cor, quàm ad alia membra: & ista prima causa est principalior penes me. Secunda causa est, quia de natura veneni seu proprietate, est principaliter corrumpere spiritus vitales à corde genitos, quibus tanquam suis proprijs instrumentis se & cætera membra conseruat in vita, & tanquam armis proprijs se & cętera membra tēpore opportuno defendit: quanuis etiam consequenter corrumpat humores & membra: qui equidem spiritus quibus venenum primitus obuiauit, ab ipso corrupti, & ad naturam eius conuersi saltem in parte corrumpunt alios sibi continuos, & alij alios quousq; ad cor perueniant, quorum cor sentiens nocumentum naturali appetitu appetens se in vita conseruare & tueri & principalius se, quàm alia membra, ilico ad se trahit spiritus, non à veneno corruptos, quos ad alia membra transmiserat pro eorum vitæ obseruatione atq; tutela, quinimo sanos, ad quorum retractionem sequitur de per accidens etiam spirituum à veneno corruptorum attractio. Ex quo propter nocumentum pręcipuè cordi illatum, sequūtur sincope, cordis tremor, defectus pulsus, & generaliter accidētia cardiacę passionis.

De præseruatione in generali à Venenis & à mortiferis medicinis, quæ per os communiter assumuntur: utputa de electione debita ministrorum pro præseruatione à uenenis & à mortiferis medicinis: de præcognitione eorum qui intendunt exhibere uenenum seu mortiferam medicinam: de præcognitione præsentiæ uenenorum, & de cautela ciborum & potuum & salsamentorum cognitorum excellentium qualitatum & præcipuè excellentium saporum & excellentium odorum: de cautela ciborum & potuum & salsamentorum incognitorum & excellentium qualitatum, & præcipuè excellentium saporum, & excellentium odorum extraneorum seu horribilium, & de cautela famis & sitis uehementis, & de præassumptione seu quacunq; alia præmunitione rerum à uenenorum & à mortiferarum medicinarum nocumentis præseruantium. Cap. VIII.

QVæ à venenis & à mortiferis medicinis, quæ per os communiter assumuntur, & sunt hominis principaliter præseruatiua, sunt sex. Primum est electio debita ministrorum. Secundum est præcognitio eorum, qui intendunt exhibere venenum. Tertium est præcognitio præsentiæ venenorum. Quartum est cautela ciborum & potuum & salsamentorum cognitorum, excellentium saporum & excellentium qualitatum. Quintum est cautela ciborum & potuum & salsamentorum incognitorū præcipuè excellentium & inconsuetorum saporum & qualitatum & extraneorum, seu horribilium odorū & vehementis famis & sitis. Sextum est præassumptio seu præmunitio rerum à venenorum & medicinarum mortiferarum à nocumentis pręseruantium.

Pro primo principali videlicet ad debitam ministri congruitatem vtilem & opportunam pro præseruatione à venenis & à mortiferis medicinis tria principaliter requiruntur. Primum & principalissimum est, quòd ipse sit bonus &

fidelis & virtuoſus, principaliter timens Deum, & cupiens ſuæ animæ ſoſpitatem: talis nanq; exiſtens pro certo nullatenus excogitabit de fraude veneni. Contrarius verò nempe ſuſpectandus eſt: qui nanq; non ambulat in timore Domini, nec curat de ſuæ animæ ſoſpitate, non magis quippe curabit de ſalute Domini ſui. Qui verò infidelis ſeu non de lege Domini ſui fuerit, omnino abijciendus eſt, ne ei contingat ſimile ei, quod mago à Iudæo contigit, prout Ariſtot. in libro de Secretis ſecretorum ſerioſè narrat, inſtruens Alexandrum, vt non confidat de aliquo, qui non ſit de lege ſua. Secundum, quod principaliter requiritur ad debitam miniſtri congruitatem, eſt quòd ipſe miniſter cauſam habeat optandi ſalutem domini ſui & ſperandi maiorem ſibi cōſequi vtilitatem viuente domino, quàm poſt mortem, & hoc dependet à domini poteſtate: ob huius nanq; ſecundi requiſiti defectum plurimi miniſtri & miniſtræ ſuos dominos & dominas venenarunt. Tertium, quod principaliter requiritur ad debitam miniſtri congruitatem, eſt aſsidua & ſolers miniſtri ipſius diligentia, præcipuè circa omnia vaſa conſeruationi victualium opportuna, vt bene cooperta permaneant, ne fortè inſcio miniſtro venenoſum aliquod animal ſubintraret relinquendo ibi venenum, & pręcipuè circa vaſa vinaria: quoniam animalia venenoſa maximè diligunt odorem vini: propter quod compertum eſt pluries experientia, quòd plura ex eis ſe in vaſis vinarijs ſuffocarunt, vt teſtantur auctores. Cuſtodiantur etiam diligenter veſtes, camiſiæ, ſarabulæ, lintheamina, & cęteri vſuales panni, ne ab inimicorum ſeu ſuſpectorum manibus pertractentur: quoniam reperiuntur aliquæ nefandæ venenorum ſpecies interimentes tactu, vt præſertim narratur de milite, cuius manus & totum corpus ex tactu lanceæ mortificata fuerunt. Et ideo Ariſtoteles iſtud primū principale pro pręſeruatione à venenis & à mortiferis medicinis in libro de Regimine principum, cap. de Corporis cuſtodia attentè proſpiciens, conſuluit Alexandro, vt nequaquam confidat in ſeruitijs mulieris, niſi vrgente neceſsitate illius, quæ fidelis & dilecta creditur eſſe ſibi cauendo à venenis mortiferis, cum notum ſit quanta multitudo regum & dominorum anticipantium diem mortis occubuerit potionibus venenorum: & conſimili de cauſa conſulit, vt non confidat in vno medico recolens ei puellam ab infantia veneno nutritam à regina Indorum inter alia multa xenia ſibi tranſmiſſam.

Pro ſecundo principali, videlicet ad cognoſcendum eos qui intendunt exhibere venenum, ſeu mortiferam medicinam, cōſiderari ac intueri debent vultus eorum: plurimi nanq; tales aut vultu rubent, aut pallent. Conſiderandi etiā ſunt in verbis eorum, vtputa ſi verbis vtantur amplius mellifluis conſueto, ex quibus mali effectus ſæpiſsime conſequuntur, & præcipuè ſi vnquam primitus de domino ſuo cōqueſti ſint, aut ſi prius verba prætulerint vllatenus minatoria, aut ſi querelæ prius cauſam habuerint. Cōſiderandi etiam ſunt miniſtri, præcipuè cum credentias faciunt, vt abſq; electione de re exhibenda ſumant notabilem quantitatem, & ipſam tranſglutiant, ac moram coram domini præſentia contrahant, ne fortè recedentes ſtatim euomerent, & ſic permanerent illæſi, præſertim vtendo poſtea rebus, quæ à venenorum & mortiferarum medicinarum nocumentis præſeruant & curant: ſi nanq; affuerit coloris in vultu permutatio ad rubedinem vel pallorem, aut inconſueta verbis mellifluis collocutio, aut prius prolatio minatoria, aut cauſa querelæ, aut electio rei in faciendo credentiam, aut ſumptio rei exhibendæ in minima quantitate, aut fictio tranſglutiendi citò poſtea expuēdo, aut citus ſeu ſubitus receſſus facta credentia, profectò in tali de intentione exhibendi venenum, ſeu mortiferam medicinam, meritò ſuſpicandum eſt, & præſertim ſi plura aut omnia ex prædictis

ſimul

simul affuerint, & præcipuè si talis minister fuerit & caruerit conditionibus requisitis prænarratis immediatè præcedenti parte. Verùm quia multoties vnus dominus alium dominum, inscio ministro, fraudulenter venenare intendet, non curans de morte ministri, poteritq́ esse venenum non statim interimens, nec citò faciens venire alicuius accidentia: aut erit aliquis minister tantam sagacitatem malitiæ in se habens, quòd de sua intentione exhibendi venenum, nullatenus poterit persentiri: tunc in isto casu, ac etiam in quocunq́ alio cum voluntas affuerit, fiat illud quod infrascripti docēt auctores. Euax nanq́ rex Arabum in libro de Lapidibus preciosis cap. de Lapide echites sic inquit. Inter præcipuos lapides numeratur echites: continet hic aliū pregnantis more lapillum: si quis suspectus tibi sit de fraude veneni, tuq́ probare velis sua ne sit iniqua voluntas, participes mensæ quā formidas, adhibeto pulmento posito cui sit submissus echites. *Si fraus corde subest tentans glutire nequibis.*
Si tuleris lapidem cupidè gustata uorabis. *Puniceum lapis hic memoratur habere colorem.*

Albertus verò Magnus in suo de Mineralibus libro 2. tractatu 2. scilicet, de Lapidum nominibus & virtutibus, Euax dicta confirmando cap. de Lapide echites sic ait. Echites gemmarum optima, coloris est purpurei, & vocatur à quibusdam aquileus &c. Est autem modus eius, quòd in se continet alium lapillum, qui in ipso sonat quādo manu mouetur & quassatur &c. Tradunt Chaldæi, quòd si de ministratione veneni cibus aliquis suspectus sit positus in cibo illo, prohibet ne possit glutiri cibus ille: & si lapis subtrahatur mox deglutitur &c. Aiunt etiam quidam, quòd si aliquis suspectus habetur de ministratione veneni si in cibo eius quicunq́ sit lapis immitittitur statim ad cibum strangulatur, & quando subtrahitur glutit cibum si est reus, & si est innocens glutit cibum, cui lapis immissus est.

Pro tertio principali à venenis præseruatiuo, videlicet pro cognitione præsentiæ venenorum, quæ maximè facit ad præseruationem ab eis octo principalia ponuntur ab auctoribus quibusdam ea affirmatiuè tanquàm experimento approbata ponentibus, quibusdam verò aliqualiter dubitatiué. Primum principale positum ab auctoribus ostendens veneni præsentiam est cornu serpentis ab auctoribus nominati cerastes, quod quidem cornu præsentato veneno sudare videtur: quod nempe accidit propter ipsius cornu proprietatem, propter quam, tantam conuenientiam habet cum quocunq́ veneno & præcipuè vaporoso, quòd ilico veneno ipso præsentato attrahit ad se vapores ab eo, qui ipsi cornu terso & polito existenti inhærentes ingrossantur, & faciunt quòd ipsum sudare videtur, licet non propriè sudet: quia in vero & proprio sudore resoluuntur vapores à re sudante: quod si cornu contingeret, ipsum ex sudore tali diminueretur, quod nullatenus fit: & quanto venenū est magis vaporosum, aut ex sui ipsius natura seu modo substantiæ ipsius, aut ex natura seu modo substantiæ rei, cui venenum ipsum admiscetur, tanto præfatum cornu amplius sudat: & si quæratur, vtrum præsentato aliquo lapide venenoso solo absq́ hoc, quòd cōmisceretur rei alicui vaporosæ prædictum cornu sudaret, cum lapis ille nequaquam sit ex sui natura seu modo substantiæ euaporabilis. Respondeo, quòd ego credo, nisi viderem experiētiam in oppositum, potius quòd non sudaret, quàm quòd sudaret. Si autem viderem experiētiam in oppositum dico quòd sudaret, propterea quòd præfatū cornu attraheret à præfato lapide de speciebus spiritualibus eius quas attrahendo per aerem attraheret etiam simul cum eis de vaporibus in eodem aere existentibus, qui quidem vapores facerent cornu sudare videri: & hac de causa cornu prędictum debet teneri supra sal propter salis actualem humiditatem quam aeri sibi vicino communicat propter quam aer ipse vicinus redditur vaporibus copiosior, quāuis

ſal potentialiter ſit ſiccum, ſcilicet reſpectu corporis noſtri. Qua de re, vt ex prædicto cornu maior cognitio de veneni præſentia habeatur, præcipi debet, quòd omnia quæ ſupra menſam ponuntur, in qua eſt cornu prędictum, ſaltem in principio aliquantulum maneant diſcooperta: & ſi quęratur, an cornu prędictum ex præſentia alterius cornu eiuſdem ſpeciei ſpecialiſsimæ ſudare videretur quod apparet debere cõtingere ob maiorem eorum intra ſe conuenientiam eſſentialem, quàm ſit inter aliquod venenum & cornu & ob ipſum cornu rationabiliter venenoſitate participare, propterea quia generatur ex ſuperfluitatibus groſsis & terreſtribus in ſerpentis capite aceruatis, in quo nempe capite venenum ipſius ſerpentis maximè aggregatur quia in ſaliua oris: Reſpondeo, quòd non: quia quanuis vnum cornu cum alio cornu maiorem habeat conuenientiam eſſentialem, non tamen habet maiorem conuenientiam accidentalem proprietati ſuæ, quo ad hunc effectum correſpondentem, vt patet de magnete, quæ maiorem conuenientiam eſſentialem habet cum alia magnete eiuſdem ſpeciei ſpecialiſsimę quàm habeat cum ferro: & tamen per eius proprietatem attrahit ferrum & non magnetem: & non loquor nunc de magnete quæ eſt venenum, quia ſi præfatum cornu ex præſentia alicuius lapidis venenoſi videretur ſudare etiam conſimiliter contingere deberet ex præſentia venenoſæ magnetis: ſed loquor de magnete attractiua ferri, quę non ponitur in numero venenorum. Secundum principale poſitũ ab auctoribus oſtendere præſentiam venenorũ eſt lapis praſsius dictus ab aliquibus lapis ſerpentinus, qui ponitur ab auctoribus eſſe mater ſeu domus ſiue palatium ſmaragdi, qui ideo vocatur praſsius, quia habet colorem viridem ſpiſſum ſimilem colori τοῦ πράσου, id eſt, porri, ſcilicet foliorum eius: hic nanque lapis iuxta quoſdam auctores poſitus ſupra menſam ex cuiuſcunque veneni præſentia virorem ſeu proprium colorem ſtatim amittit. Exiſtimo, ſi ita eſt, eſt propter cauſam quam prædixi de cornu ſerpentis: veneno verò ſemoto aiunt, quòd ilico redit viror ſeu proprius color. Tertium principale, quod ponitur à quibuſdam oſtendere veneni præſentiam eſt pes dexter vulturis facto ex eo candelabro, ſuper quo candela accenſa poſita ex veneni præſentia aiunt eius flãmam extingui: quod ſi verum eſt accidit ex proprietate præfati pedis conſumptiua inflammabilis humiditatis in flammæ licinio exiſtentis, aut aerem flammę candelæ circũſtantem taliter commouente, vt ipſum extinguat. Quartum principale poſitum à quibuſdam oſtendere veneni præſentiam eſt auis dicta pſittacus, id eſt, papaga, ſeu papagallus: quæ quidem auis, vt inquiũt, ex veneni præſentia vltra eius cõſuetudinem valde vociferat & exclamat: quod ſi verum eſt accidit, quia ob eius proprietatem ſentit cuiuſcunque veneni præſentiam à qua aliqualiter moleſtatur, propter quod clamat & vociferat vltra ſolitum. Quintum principale poſitum ab auctoribus oſtendere veneni præſentiam, eſt lapis, qui fit ex confectione trochiſcorum Indicorum poſita inferius in ſexto principali præſeruatiuo, auctoritate Albucaſis, quarta particula aracauij, qui lapis ligatus in brachio filo ſerico mouetur, cum venenum præſens fuerit, aut fuerit in domo, aut comeſtum fuerit. Aduerte tamen, quia cum Albucaſis non faciat mentionẽ in quo brachio lapis præfatus portari debeat, iuxta documentum Euax in libro de Lapidibus precioſis, cap. de Lapide epiſtites, debet portari in brachio ſiniſtro in qua parte cor iacet. Sextum principale poſitum ab auctoribus oſtendere veneni præſentiam eſt lapis bufonis, ſeu botracis, ſeu botti, cuius quidem lapidis ſunt duo genera: quæ ſi ambo ſimul includantur præſente veneno manum tangentis adurunt. Si verò præſentetur venenum præſente lapide ſubalbido alterius dictorum duorum generum lapis dictus efficitur varius. Septimum principale poſitum ab auctoribus oſtendere veneni præſentiam eſt

tiam, est vas factum ex electro minerali, quod vas quando venenum mitti tur in potu in ipso existenti stridet, sicut stridet nitrum quando infunditur sibi acetum. Octauum principale positum ostendere veneni præsentiam, est cuppa, seu scyphus factus de aurichalco: cui si venenum appropinquauerit, vel in mensa appositum fuerit in qua fuerit scyphus, seu cuppa prædicta, statim ipse seu ipsa incipit colorem mutare in diuersos colores, per lineas multas, vt fertur: hæc autem quatuor vltima, si vera sunt, fiunt à proprietate cuiuslibet eorũ. Primum ponitur à Gilberto Anglico septimo sui Compendij medicinæ: Et à Petro de Abano in lib. de Venenis: Et ab Alberto magno 25 de Animalibus. Secundum ponitur à Petro de Abano in libro de Venenis. Tertium ponitur à quibusdam non ita famosis. Quartum ponitur à quibusdam non ita famosis: veruntamen Rasis 2. Cotinentis, auctoritate Sarach, asserit id fieri cum psittacus venenum assumit, & non quando venenum præsentatur. Quintum ponitur ab Albucasi, quarta particula auij. Sextum ponitur ab Alberto Magno 2. de Mineralibus. Septimum ponitur ab Alberto Magno 5. de Mineralibus: & à Petro Hispano in Thesauro pauperum, & à Ioanne Gadesden secundo suæ practicæ dictæ Rosa. Octauum ponitur à Petro Hispano in Thesauro pauperum: Et à Ioanne Gadesden secundo suæ practicę dictę Rosa. Hęc autem omnia infra in sexto principali ex auctorum mentibus ostendentur.

Pro quarto principali vtili & opportuno pro præseruatione à venenis & à mortiferis medicinis, videlicet pro cautela ciborum & potuum & salsamentorum cognitorum excellentium qualitatum & præcipuè excellentium saporũ & excellentium odorum diligenter aduertendum est, vt cum habetur suspicio de veneno, non comedatur cibarium, neq; aliud salsamentum, excellentem in se continens qualitatem, & præcipuè excellentem saporem, vt puta nimis dulcem, vel nimis acrum, vel salsum, vel nimis acetosum, vel amarũ, vel alium consimilem, aut excellentem odorem, siue bonum, siue non bonum: quanuis talia cibaria, seu salsamenta cognita sint fore vtilia pura atq; sincera. Ex huiusmodi nanq; cibariorum, vel potuum seu salsamẽtorum assumptione bonorum odorum atq; saporum occultatur aliquando perceptio postea rei malum habentis odorem atq; saporem: excellens nanq; sensibile iuxta Philosophũ corrumpit sensum, & similiter etiam ex assumptione ciborum & potuum & salsamentorum malum habentium odorem siue saporem impeditur perceptio rerum venenosarum, extraneum seu malum odorem, seu saporem habentium, quæ postea sumi possunt. Oportet etenim recipiens iuxta Philosophum denudatum fore à natura recepti: quare in his talibus est habenda cautela: quapropter iuxta documentum Dioscoridis & plurium aliorum auctorum, timens sibi de veneno seu mortifera medicina, semper, antequàm aliquid prorsus assumat, diligenter cum aqua frigida optima os sibi lauet bene gargarizando & aliquid bibendo, vt denudatis optimè membris gustus ab omni re cuiuscunq; saporis assumendarum rerum sapores distinctius atq; perfectius percipere posit.

Pro quinto principali vtili & opportuno pro præseruatione à venenis & à mortiferis medicinis, videlicet pro cautela ciborum & potuum & salsamentorum incognitorum excellentium qualitatum, & præcipuè excellentium saporum, & excellentium odorum seu extraneorum & horribilium, oportet diligenter aduertere, ne vllatenus aliquid assumatur, sed primitus permittatur, quòd aliquis de eis, seu de aliquo prædictorum assumat in notabili quantitate stando per diem vel circa, & considerando bene, si aliquod malum accidens subsequatur: si nanq; aliquod malum accidens subsequatur quantumcunque remissum, consulo protinus non gustari quicquam de eis, vel de aliquo prædictorum. Sunt nanq; aliqua venena exhibita cum cibis, vel potibus, vel salsa-

mentis in adeò modica quantitate, quòd à principio accidentia eorum ferè minime possunt percipi: postea verò per continuum eorum vsum faciūt accidentia sæua & aliquoties incurabilia. Et ideo tutius est de talibus non gustare: vt plurimum etenim imo semper iuxta præsertim Rabi Moysem, in libro de Venenis, tractatu secundo, cap.1. Omnes mortiferæ medicinæ & venena quæcunque sunt excellentium seu extraneorum odorum atque saporum, quanuis aliqua reperiantur, quæ saporem in primo occursu gustui non displicibile repræsentent, sicut patet de arsenico sublimato, quod primo occursu gustui dulcedinem repræsentat, amaritudinem verò statim post: & omnino caueat à fame & siti vehementi: quælibet enim ipsarum propter voracitatem aliquando veneni perceptionem occultat, & facit venenum citius penetrare per venas & arterias præcipuè propter vacuitatem earum & propter fortem appetitum nutrimenti membrorum.

Sextum & vltimum principale præseruans hominem à venenis & à mortiferis medicinis est præassumptio, seu quæcunque alia pręmunitio rerum, quę ex sui natura, vel proprietate præseruant hominem à nocumentis eorum imprimendo talem in ipso qualitatem seu proprietatem, quòd venenum seu mortifera medicina nequaquam notabiliter saltem, aut cum difficultate lædit. Harū autem rerum taliter præseruantium aliquæ etiam sunt curantes, aliquæ verò sunt præseruantes & non curantes: sicut etiam aliquæ reperiuntur medicinæ curantes & non præseruantes, quinimo sunt lædentes, si darentur homini non venenato, prout de his omnibus infrà in præsenti cap. & in cap. immediatè sequenti, ex illustrium auctorum mentibus declarabitur: attamen vtplurimum facientia ad curationem in generali venenorum & mortiferarum medicinarū, sunt etiam facientia ad præseruationem ab eis, vt theriaca, Mithridatum & plurima alia: & ideo pro maiori complemento huius sexti principalis præseruatiui hominis à venenis & à mortiferis medicinis recursum habeas ad capitulum immediatè subsequens: quæ verò pro præseruatione à venenis & à mortiferis medicinis ab auctoribus dicuntur, statim infrà describam. Aristoteles in libro de Regimine principum, cap. de Aegritudine membrorum genitalium: Qui verò comederit nuces cum ficubus & paucis folijs rutæ venenum in ea die non nocebit ei. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Anchusa.

Anchusæ sunt duo genera, quarum vna habet folia lactucæ similia, sed acuta & aspera & nigra & spinosa, radix est ei digiti habens in gyro grossitudinē & coloris sanguinei in æstate inficiēs digitos, nascitur locis cultis folia habens in gyro super terram spansa. Alia anchusa quam multi albicidion, alij alcibiadion dicunt suprascripta paruiorem, quæ folia minora habet & asperiora superiore, virgas similes supradictæ, sed tenues super quas florem purpureum, aut phœniceū profert: radices habet rufas & oblongas: nascitur locis arenosis: virtus est radici & folijs eius vna, morsibus venenatis occurrit, si manducata fuerit & bibita, & in collo ligata vim venenorum non admittit, &c.

De Lisimation, aliàs Lisimachion. Lisimation, aliàs Lisimachion hastas habet altas maiores & tenues & fructicosas, circa quarum nodos folia minuta habet salicis similia, gustu stiptica & florem purpureū aut aurosum, nascitur in locis humectis: herba suffumigatione adhibita vim veneni longius arcet.

De Nuce viridi. Nuces siccæ duæ cum caricis, id est, ficubus siccis duabus & viginti rutæ folijs addito salis grano simul conteruntur: nullus opprimi venenis potest ea die qua quisque ieiunus acceperit.

De Ruta. Rutam venenis resistere mustelæ docent: quæ quando cum serpentibus dimicaturæ sunt cibo eius armantur. Docuit & rex Ponticus Mithridates, qui cum fratris sui vitaret insidias, rutæ folia viginti cum duabus nucibus

cibus totidemq; caricis admisto salis grano quotidie ieiunus accepit.

De Raphano.

Raphanus Græci, nos radicē vocamus, in cibo quoq; venenis resistit: nam contra venena radices, nuces, lupini, cedrum, apium prosunt, sed contra futura, non contra venena accepta: vnde apud veteres, ante alias epulas hoc solebant mensis apponere.

De Smilace aspera.

Smilax aspera, id est, rorastrum seu cinilax, folia habet periclimeno, id est, matrisylux, seu caprifolio similia, cuius virgæ sex, aut septem sunt, sicut zuræ aut bati, implicantes se vicinis arboribus aut saxis. Semen habet simile vuis, quod cum maturauerit rufum aut nigrum colorem facit cum gustu submordaci, cuius radix est dura & grossa, nascitur locis aquosis & asperis: semen eius & folia venenis occurrunt: nam si ante accipiantur venena non sinūt nocere: dicitur autem quòd si ab infante accepta fuerint, venena non sentire.

De Scorodo.

Scorodon, id est, allium, magnam habet vim: omnibus quippe pernitiosis hominum malis vehementer resistit &c.

De Serpillo.

Vt Serpilli potentiam intelligas, subdidi theriacam in templo Aesculapij ab Antiocho rege Syrię versibus dedicatam, in qua non leuem sibi meruit portionem. Est autem compositio hæc: Trifolij, opoponacis, serpilli an. ʒ. v. alias ʒ. ix. anisi, fœniculi, amili, apij seminis, an. ʒ. x. aliàs ʒ. xiij. herbi, id est, orobi farinæ ℥. i. al. ʒ. xij. hęc simul trita vino quàm potest optimo colliguntur, & in pastillos victoriari ponderis ℈. iiij. al. v. digerūtur. Ex his singulis dantur ex vino mistis cyathis tribus, id est ℥. iiij. s. hac theriaca magnus Anthiocus semper est vsus aduersus toxica & potionem malam & animalia venenata, cui quantū debuerit ex eo licet colligere: quia testimonij sui arbitrū medicinæ Deum fecerit.

De Vetonica.

Quisquis autem hanc herbam supple vetonicam, id est betonicam biberit, vim veneni non admittit.

EX ANDROMACHO.

Andromachus in libro de Theriaca. Primum & melius quod datur in potu de theriaca est ad prohibendum nocumentum medicinarum nocentium, siue interficientium propter illud quod iam bibitum est, aut propter illud de cuius potu timetur: Et ad puncturam reptilium habentiū venenum cum quantitate trium cyathorū, id est ℥. iiij. s. vini: Et ad potum quidem medicinarum interficientium, sicut opium, euphorbium, & iusquiamum, & cantharides, & reliqua huiusmodi &c. Ad omnia ista confert theriaca cum eo, quod diximus de vino &c. Et sunt iuuamenta alia magna in cōseruanda sanitate: nam cum ille qui bibit eam antecedit & bibit ex ea in sanitate sua prohibet omnes causas quæ timentur primitiuas in corporibus, quæ sunt fundamēta dolorum omnium: & qui bibit ante puncturā alicuius reptiliū, aut venena perimentia aut in corruptione aeris, aut alteratione aquæ in regionibus diuersis confert & prohibet causas vniuersas ex quibus timetur generatio ęgritudinum in corporibus &c.

Auctor præsentis operis. Recepta siue descriptio vera huius theriacæ posita est à me infra in decimo, siue vltimo cap. pręsentis primi libri. Galenus secundo Alimentorū, cap. de Nucibus. Digeritur & magis nux, id est, nux communis quàm subtilis nux, id est, auellana, & magis eustomacha, id est, bona stomacho est. Et multo magis quādo cum ficubus siccis comeditur. Scriptum est autem à multis medicis, si ambo hæc ante omnes alios cibos sumantur cum ruta, nihil magis à mortiferis medicinis pręseruari hominem. Galenus in libro

de Euchimia & cacochimia cap. de Fructibus. Quidam eorum qui scripserunt compositionem pharmacorum circa mortifera alexiterium omnium eorum esse dixerunt ficus siccas acceptas cum nucibus & ruta. Galenus nono de Simplici medicina cap. de Lemnia siue terra sigillata: Hanc enim terram, id est Lemniã, siue terram sigillatam sacerdos accipiens cum quodam locali honore non mactatis animalibus, sed de frumento & hordeo tribuendo loco illi, fert quidem ad ciuitatem: permiscens autem aqua & lutum liquidum efficiens, & hæc vehementer agitans, deinde residere permittens: primò quidem aufert aquam quæ in superficię: demum sumens quod pingue terræ & solum deserẽs quod residet petrosum & arenosum quod etiam inutile est quousque desiccetur illud pingue lutum quousque in consistentiam perueniat mollis ceræ: & huius accipiens paruas particulas sacrum superponit signum Dianæ: & dehinc rursus desiccat in vmbris quousque prorsus exiccetur: & fiat hoc quod est cognitũ omnibus medicis pharmacũ, scilicet Lemnium sigillum: sic enim, vt dixi, quidam id nominant propter impressum ei signum, sicut & propter colorem quidam Lemniam militam: habet enim colorem militę, id est, terræ rubeæ carpentariorum similem. Differt autem ab illa, eo quòd minimè contaminat sicut illa, & etiam secundum cacumẽ, quod est in Lemno, id est insula taliter nominata totum est citrinum colore: in quo neque arbor, neque planta est, neque petra, sed sola hæc terra. Tres autem ipsius reperiuntur differentiæ: vna quidem quæ dicta est sacræ terræ, quam nemo alius tangit, nisi ipse sacerdos. Secunda verò alia, aurea milita. Vtuntur autem ea carpẽtarij maximè. Tertia autem, quę est mundificatiua, qua vtuntur lauantes linthea & vestes quicunque voluerint. Ego autem postquàm legi in Dioscoride & alijs quibusdam misceri sanguinem hircinum Lemniæ terræ, & ex luto quod fit ex hac mistura ipsum sacerdotem formare ac signare quæ vocant Lemnia sigilla, seu terrã sigillatam appetij ipse inspicere proportionem mistionis &c. In tota insula Lemno versus orientalem quidem partem ipsius existit Hephœstias, versus occidentalem verò Mirena. Et quod à Poeta dicitur de Vulcano, cecidit in Lemnum, propter naturam cacuminis videtur mihi fabulari. apparet enim simile adusto secũdum colorem, propterea quòd nihil in eo oritur. Ad hoc igitur cacumen iens ipse sacerdos tempore quo ego adiui insulam, & numerum quendam frumenti immittens terræ & alia quędam faciens secundum localem reuerentiam repleuit quidem totum currum de terra. Ferens autem in ciuitatem, vt iam dixi, constituit famosa Lemnia sigilla: visum autem fuit mihi quærere, si prius vnquam hircinũ vel caprinum sanguinem huic terræ acceperunt ex narratione misceri: super qua interrogatione omnes audientes riserunt: non tales quales viri, imo & valde inter cætera periti in tota locali historia: ac etiam librum accepi à quodam ipsorum scriptum antea à quodam localium virorum, in quo docebat totũ vsum Lemniæ terrę: vnde ego etiam non pigritaui experiri hoc pharmacũ sumens viginti milia sigillorum. Vtebatur autem ipse libri conditor hoc pharmaco ad multa qui in primis immorabatur Hephœstiade: nã & in sanguinolentis vulneribus & in veteribus & in vix cicatricabilibus, necnon in morsis à serpentibus, & omnino in morsis à feris & in pernitiosis pharmacis: non tãtum in prædonando, sed & etiam superdonando. Asserebat autem & experientiã habere pharmaci, quòd puta de Lemnia ponitur vomitum prouocare, si quis adhuc existente in ventre mortifero pharmaco biberit hoc alexiterium, id est, theriacalem medicinam. Sed huius quidem & nos etiam habemus experientiam in lepore marino & in cantharidibus suspicantibus quidem hominibus se sumpsisse aliquid tale, mox autem euomentibus, eo quòd per Lemnium sigillum pharmaco nullumque symptoma patientibus, postea ex his quæ sequũtur & leporem

porem & cantharides, quanuis perhibitio periculosorum pharmacorum fuerit deprehensa. Si autem ad alia mortifera pharmaca, quæ & deleteria vocantur eandem virtutem habet, id quod per Lemnium pharmacum mihi quidem inmanifestum est. Ille autem qui de Hephœstiade asserebat morsum rabidi canis sanare id bibitum per vinum lymphatum, in vlcere autem positum per acetum acerrimum. Sed per acetum quidem, & aliarum ferarũ asserebat id morsus sanare appositis de foris herbarum frondibus quas didicimus apponi putredinibus: cõmendabat autem maximè scorodum: deinde centauream minorem, deinde verò prasum. Ego verò quando in male morigeratis & putribilibus vlceribus Lemnia vsus fui, profui nimis &c.

EX GALENO.

Galenus in libro de Theriaca ad Pamphilum principem. Si enim sicut est fama, quæ habetur à multis ad solas morsuras venenosorum & ad potiones deleteriorum pharmacorum, id est, mortiferarum medicinarum ageret hæc antidotus, supple theriaca, oporteret sicut aliquod iocale in domo conseruatam tenere eam non consumptam à tempore reuocante vtilitatem, quanto verò magis, quia cum his bonitatem habitus promittit & longitudinem vitæ & vigorationem sensuum & procurationẽ sanitatis: sed etiam vtilissimum esse puto in sanitate non auertere vsum eius eligendo magis non pati quàm liberari à molestantibus passionibus. In peregrinationibus autem quando homines habent suspicionẽ terras aliquas esse ægrotaturas, vel timentes aquarũ prauitatem ad fabæ Græcæ id est, ʒ.i. magnitudinẽ cum mellis cochleario vno, id est, aur.iiij. & aquæ calidę duobus cyathis id est ℥.iij. sumentes eam tuentur habitũ corporis, sicut armis aliquibus vtentes hoc pharmaco & permanent absq; nocumento. Doctorum verò meorum senissimus vir, vltra aliquem alium vtens experientia & epicichia mentis excellens Aemilianus Nequius dixit, quòd quandoq; Italicorũ terram pestilentia opprimens acutas mortes & corruptiones intulit. In timore autem omnibus similiter & medicis & principibus existentibus, aduenit eis cogitatio, vt vterentur theriaca, & alijs omnibus auxilijs nihil operantibus, quo facto quidam quidem ægrotantium, qui eam receperunt securi, quidam verò mortui sunt: qui verò antequam ægrotarent, acceperunt eam non solùm periculum, verumetiam experientiam passionis effugerunt: & nullum est mirabile, siquidem & mortalia pharmaca potest superare & vincere &c. In morsis igitur à vipera & serpẽte, & vniuersaliter in morsis vel percussis ab aliquo venenosorum, & ad vniuersa mortifera sufficienter valde ea quæ recens est potest iuuare: est autem recens vsq; ad annos triginta, post hoc autem tempus confert in alijs passionibus, de quibus scribemus inferius si non fuerit multorum annorũ vltra prædictos. Probatio autem operatiui pharmaci, aut non operatiui est hæc. Pharmacum subductiuum, aut vomitiuũ, aut helleborum, aut scãmoniam, aut aliquod talium pharmacorum do, tanquam debens purgare, & postea superdo de hac antidoto fabæ Græcæ magnitudinem, & non purgabitur, neq; sentiet aliquid de purgatione qui sumpsit eam: si verò purgetur, detegitur inoperabilitatem antidoti esse propter antiquitatẽ. Datur aũt ad potationem quidem mortalium pharmacorum, & ad plagationes venenosorũ, de hoc pharmaco auellanæ, id est, aur.i.ʒ.i.s. magnitudo cum vini cyathis tribus, id est ℥.iiij.s. & similiter datur eis, qui habẽt suspicionẽ pharmacationis, & illis, qui à causa immanifesta periclitantur. Hoc aũt pharmacum datur in matutinis: vniuersaliter autẽ dicendo, in quibus alia auxilia nihil prosunt, sed vincuntur ab ægritudinibus, in his hæc antidotus habita mirabiliter operatur. Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem: & in libro de Commoditatibus theriacę. Theriaca tempore non pauco eget, vt cõgrua fiat ad vsum

& digeratur bene: digeritur enim, vt plurimum duodecim annorum tempore. Qui enim fortiori voluerint ea vti, tempus quinq; vel septem annorum habente vsi sunt, & maximè in morsis à feris, & à canibus rabiosis & in pharmacis deleterijs, id est, mortiferis. Multi aũt virtutem eius iudicare volentes prędantur alicui aliquod purgatiuorum pharmacorũ, & deinde superdantes de hoc antidoto faciunt eius probationem: quę enim est vigorosa & robusta penitus non permittit fieri purgationẽ vincens sua fortitudine purgatiui pharmaci robur: si verò ita purgatus fuerit, sicut si antidotum non sumpsisset, palam est: quoniam imbecillis & debilis est non potens superare dati pharmaci virtutem. Non solùm autem ad theriorum & ad ferarum morsuras, & ad deleteria pharmaca iuuare hæc antidotus nata est: verumetiam & ad maximas alias passiones alexiterium, id est, theriacale est pharmacum: ita enim à nobis & ab vsu, qui ab experientia, inuenta est esse. Maximè autem confert, quando aliquis cum sanus est sumit frequenter de ipsa: cõsumit enim superfluas humiditates & totam egressionem à naturalitate alterat. Admirandum autem est de hac antidoto, quoniã videmus eam non solùm corpus patiens curantem, verum etiam ipsam animã pessimè dispositam à passionibus iuuare. Hydrophobiam etiam pessimam ægritudinem, id est, timorem aquæ, accidentem ex morsu canis rabidi hoc pharmacum multoties curare assueuit, & mirabiliter obsistere tantorum malorum incursui: non solùm enim corpus eis siccatur & spasmosum fit, & febre aliquando acri intus aduritur, sed etiam eis mens alienat, & pessimum eis infert symptoma: aquam enim timent, & propter nimiam siccitatem, aquæ desiderium habent, & à bibendo abstinent propter alienationem: etenim id quod potest iuuare non conspiciunt eo quòd desipiunt: fugientes enim aquam & timentes miserrima morte moriuntur male, &c. Inuenta autem est nobis antidotus ista in pestilentialibus constitutionibus sola eos qui occupantur auxiliari potens nullo alio auxilio magnitudini illius mali resistere sic potente. Quo circa consulo propter has quæ fiunt repentè circa aerem constitutiones, & propter alias nocentium causas accipere de hac antidoto frequenter etiam sanum existentem: etenim his quæ extrinsecus occurrunt resistit corpus, supple per theriacæ pręassumptæ virtutem, & cum iam patitur facilè sanatiuum inuenies. Hæc enim velut eucrasiam quandam, & sanatiuam consistentiam efficit corporibus consumens superfluas humiditates & calefaciens infrigidata membra & innatam virtutem roborans ad naturales actus exercendum bene. Cum enim natura robustè se habet, tunc absq; impedimento venter digerit cibaria & venæ sanguificant ea promptè & hepar faciliter segregat choleram & mũda cibaria assumit cor, vt animam nutrire possit, & toti corpori excreationes ipsas reddi cõmoderatè facit, & superfluitates corporis sanatiuè diaphorat. Maximè autem in itineribus consulo tibi de hac antidoto accipere, quando frigido existente aere iter agis: est enim sicut aliquod benignum indumentum viscerum multam caliditatem eis præbere potẽs. Cognoui etiam ipsam ad prudentiam animæ & acuitatem conferre: sensus enim agere promptè efficit & sincerum ostendens à vaporibus intellectũ, diligentius facit ipsum intelligere. Forte autem & vix passibile, vt ita dicam, facit corpus, vt neq; ab aliquo deleterio corrumpi possit: varia enim & tanta mistionis huius pharmaci virtus, præfatam eius vix passibilitatem efficit, & maximè inter alia mistio theriorum. Aiũt enim & Mithridatem illum generosum bellatorem theriacã quidem non accipientem: nondum enim erat inuenta, sed antidotum assumentem multæ mistionis, & ipso nomine eius vocatum: Mithridatum enim nominatur propter generatam ex eo vix passibilitatem non posse accipientem deleterium mori: quando enim bellans cum Romanis victus fuit à Pompeio, coactus fuit, dum erat in

carceribus,

carceribus, in vltimis bibere pharmacum venenosum, vt moreretur absq; ægritudine: multum autem de ipso bibens, ipse quidem non fuit mortuus, sed filię eius valde libenter volentes ei cōmori propter affectum, quem habebant ad eum citisime interfecit ipsum pharmacum: deinde verò, quia ille tardabat mori pharmaco illo, propter antidotum quam præbiberat, nihil efficere potente, vocauit quendam amicorum eius nomine Mocronum, & iussit, vt interficeret eum, quo sic fiente, & ferro opus explente pharmaci, mori eum contigit violenter. Vides ergo quomodo pharmaca, quæ de multis cōposita sunt, magnum robur habent ad vix passibilitatem faciendum, & maximè theriaca propter hoc, & propter tam magnam, vt dixi, virtutem theriorum. Accipere autem hoc pharmacum tibi consulo, cum bene digesseris, & non fueris cibarijs repletus & mensura etiam alia & alia vtens benefacies: aliquando quidem fabæ Aegyptiacæ magnitudinem cum aqua sumens, quando paucum fuerit futurum eius ad digestionem spacium: aliquando autem auellanæ magnitudinem faciens, sic bibe, quando plus ad digestionem pharmaci tempus habes. Considera autem simul & horam & regionē, in quibus debes sumere de pharmaco. Cum enim fuerit æstas, & maximè calidior facta læditur corpus: & hoc considerans mirabilissimus Hippocrates eas, quæ ante canem & post canem pharmacationes, tædiosas esse dixit: febrem enim, vt plurimū hominibus hoc tempus infert. Quo circa & illis, qui sunt in adolescenti ætate, & qui multā habent naturalem caliditatem, non in multa quantitate neq; multoties offerre hoc pharmacum consulo, sicut illis, qui iam sunt in declinatione vitæ plurimum & non rarò, & cum vino consulo assumere, vt quod marasmatur iam corporis, & quod extinguitur innati calidi reuiuiscere, & reaccendi ab eo possit. In infantibus autem omnino cauere oportet ab hoc pharmaco: maior enim est eorum virtute magnitudo pharmaci, & dissoluit faciliter corpus, & innatum spiritum citò extinguit, sicut & lucernalem flāmam oleum, cum ignis minor fuerit, extinguit.

EX ORIBASIO.

Oribasius in sua Practica lib. 5, cap. 38. Ad lapidem gagatem, qui primus in Sicilia inuentus est ex fluuij fluore reiectus, exinde nomen accepit: postea in Britannia plurimus inuentus est, similiterq; in India: est enim niger, planus, leuis: incensus serpentes fugat, dæmoniosos liberat, virginitatem deprehendit: vbi ipse lapis in domo erit, nullus maleficus præualebit: quicunq; ipsum lapidem super se habuerit nullam potionem mortiferam timebit, nec vllum periculum incurret: similiter, qui eum secum habuerit, serpens ei non nocebit. Probatus est ab Alexandro, & à multis doctissimis medicis.

Oribasius in Dynamidijs lib. primo, tractatu de Electuarijs. Electuarium validissimum & probatum, quod contra omnia maleficia datur. ℞. Nucis maioris, id est, communis mundatæ ʒ. vi, rutæ folij ʒ. iiij. salis ʒ. ij. scammoneæ ʒ. i. teres mel addens, vt electuariū fiat. Dabis exinde ieiunis ʒ. i. in illo die nullum maleficium illis nocuum est. Libro secundo, tractatu de Antidotis. Antidotum quod facit ad omnem venenatam potionem, & omnium ferarū morsum vel canis rabidi siue serpentium, & omnes corporis occupationes mundat. Si quis istam antidotum quotidie ieiunus vsitauerit, nunquam infirmabitur vsq; in diem mortis suæ, nec vllum passionis periculum incurret, si aliquod incursurus est, hanc antidotum si quis vsitat, sanitatem restaurat. Conficitur sic: Fœniculi, seminis cymini, thymi: elelisphaci, id est, saluiæ, pulegij, origani, piperis albi, cyperi, abrotani, piperis nigri, raphani, seminis petroselini, seminis chamædryos, casiæ lignee, spicæ, dauci, eupatorij, trifolij, seminis amomi, serpilli sicci, gentianæ, aristolochiæ longæ, smyrnæ, id est, myrrhæ, lauri, ve-

tonicæ, id est, betonicæ, anagalici, id est, consolidæ maioris, an. ℥. ij. rutæ agrestis seminis, erucæ seminis, acori, dragonteæ, an. ℥. i. hæc omnia puluerizabis: addes mel despumatum quod sufficit, dabis exinde febrientibus secundum valitudines cum aqua calida in modum auellanæ. Sanis autem sine febre laborantibus cum vino dabis in modum auellanæ. Ad digestionem & somnum post cœnam detur. venenatis & morsu rabidis ipsam mensuram ieiunis dabis, sine dubio curat. Tractatu de Electuarijs. Electuarium maius diaprassion, quod ad omne venenum probatum est, sanitatem facit, malignitatem de corpore aufert, &c. Qui istud electuarium vsitauerit, nihil dubitet de veneno malo & pruina mala, nec de paludibus putridis, nec de temporalibus infirmitatibus. ℞, Styracis, calamitæ, ℥. iij. spicæ nardi, ℥. iiij. calami aromatici, dauci, an. ℥. iij. casiæ fistulæ, ℥. vi. opoponacis ʒ. iij. sagapinon, id est, serapini, ℥. ij. cinnamomi, ℥. vi. xylobalsami, ℥. iij. aliàs ʒ. iij. nardostachyos, id est, spicæ nardi, ℥. v. chamædryos, ℥. iij. rhapontici ʒ. v. cardamomi, amomi, capparis, radicis orobi, an. ℥. iij. squinanthi, ℥. ij. siseleos, id est, sileris, costi, carpobalsami, an. ℥. i. anisi, ℥. vi. liquiritiæ, ℥. ij. petroselini macedonici, id est, olusatri, elenij, id est, enulæ, an. ʒ. i. aliàs ℥. i. croci, ℥. ij. piperis longi, ℥. i. piperis albi, ℥. ij. zedoar, id est, zedoariæ, ℥. vi. balsami, ℥. s. galangal, id est, galangæ, moschi, an. ʒ. iij. caryophyl. ℥. iiij. dragaganti, ʒ. iiij. xylocasiæ, id est, casiæ ligneæ, ℥. i. anacardi, ℥. ij. basiliscæ, id est, serpentariæ, dictami, an. ℥. ij. leuistici, ℥. ij. apij seminis, ℥. iij. gentianæ, ℥. i. cymini, ℥. iij. nuclei pinei, anethi seminis, an. ℥. ij. myrrhæ, thuris, castorei, an. ℥. i. lauri baccæ, ʒ. i. aliàs ℥. i. peucedani, ℥. ij. pirethri, ℥. i. pęonij, id est, pæoniæ, masculi, mandragoræ, saxiphragiæ, hyssopi, an. ℥. ij. origani, ℥. i. dracontij, pulegij, an. ℥. ij. rutæ agrestis, ℥. vi. betonicæ, ℥. iij. carui, ℥. vi. fœniculi seminis, galbani, an. ℥. ij. terebinthinæ, ℥. iij. prasij succi, lib. i. mellis, lib. iij. Succum prasij & mel in vnum miscebis, & vsque ad tertias in carbones coquantur, & postea puluerem supermittes.

EX MACRO.

Macer in libro de Simplicibus, cap. de Artemisia.

Affirmant quidam quisquis gustauerit illam,
Quòd nullo ualeat nocuo medicamine lædi,
Si musto contrita recens seruabitur herba:
Vinum prædictis reddit medicabile morbis.

De absinthio seu herba absinthij.

Obstat pestiferæ cum uino sumpta ciente.

De Ruta.

Obstat pota, id est, potata, nimis, uel cruda comesta uenenis.
Hoc Mithridates rex Ponti sæpe probauit.
Qui rutæ folijs uiginti cum sale pauco,
Et magnis nucibus binis caricisq; duabus,
Ieiunus uesci consurgens mane solebat:
Armatusq; cibo tali quascunq; ueneno,
Quilibet insidias sibi tenderet non metuebat.
Mustellæq; probant obsistere posse uenenis:
Mirifice rutam comedunt quæ primitus illam:
Cum pugnaturæ sunt cum serpentibus atris.

De Betonica.

Plinius hanc inquit, qui secum gesserit herbam:
A nullo poterit nocuo medicamine lædi.

De Fœniculo.

Cum uino cunctis obstat hæc herba uenenis.

De Alcidula, seu aizoon, id est semper uiua.

Taliter & cunctis obstat potata uenenis.

Euax in libro de Lapidibus preciosis, cap. de Adamante.

Vltima præcipuum genus India fert adamantis,
De crystallorum natum sumptumq; metallis:
Hunc ita fulgentem crystallina reddit origo,
Et ferruginei non desinit esse coloris:
Atra uenena fugat, rixas & iurgia uincit:
Clausus in argento lapis hic auróue feratur,
Cingat & hinc leuum fulgens armilla lacertum.

De Sapphiro.

Sapphiri species digitis aptißima regum,
Egregiè fulgens, puroq; simillima cælo:
Quem natura potens tanto ditauit honore,
Vt sacer & meritò, gemmarum gemma uocetur:
Nam corpus uegetum conseruat & integra membra:
Et qui portat eum, nequit ulla fraude noceri.

De Elitropia gemma.

Ex re nomen habens est elitropia gemma;
Quæ solis radijs in aqua subiecta natillo:
Sanguineum reddit mutato lumine solem:
Eclipsimq; nouam terris effundere cogit.
Deniq; post modicum uas ebullire uidebis,
Aspergitq; foras subitæ scaturiginis imbrem.
Seruat & incolumes producens tempora uitæ,
Sanguinis extinguit fluxum, pellitq; uenena.
Nec falli poterit lapidem, qui gesserit istum:
Hanc nunc Aethiopes, nunc Cyprus & Africa mittit,
Sanguinis aspersam guttis similemq; smaragdo.

De lapide Epistites.

Nascitur in bimari preciosior ære Corintho,
Dictus epistites, rutilans lapis & rubicundus.
Qui si feruenti fuerit iniectus aheno,
Ignibus exustans prius ilico sistitur unda,
Frigida post modicum lapidis uirtute futura.
Ad solem positus radios emittit & ignem,
Mirantes oculos perstringens luce coruscat:
Accensas idem compescit seditiones,
Et tutum seruat dubia sub sorte gerentem,
Pectore sed memori fixum teneamus oportet,
Qua cor parte iacet lapides hos esse gerendos.

EX KYRANDO.

Kyrandus in Chyranida, libro secundo, cap. de Vacca. Vngulæ vaccæ elixæ cum sinapi comestæ resistunt omni veneno. Libro tertio, cap. de Saro id est, stornello. Saros auis, id est, stornellus comesta, iuuat omnem qui mortiferum venenum comedit, & si prægustauerit omnino non lædetur. Ioannes Serapionis in Breuiario, libro septimo, cap. octauo, particula De modo Mithridati descriptione communi. Mithridatum prohibet omnia venena perniciosa nocere homini: & facit euadere ab omnibus speciebus veneni mortiferis. Et propter illud postquam probauit ipsum Mithridates, approbauit ipsum: ita quòd nominauit ipsum immortale. Isaac in Diætis libro secundò, cap. de Nucibus. Nuces à ieiunis cum ruta manducatæ fiunt contra venenum. Si ante cibum cum ficubus edantur cõtra rem venenosam corpus defendunt.

De Auellanis.

Auellanæ interiori cortice ablato non assæ ieiunis sumptæ fiunt contra venenum.

De Fisticis.

Fistici si cum vino cocti potui donentur, fiunt contra venenum.

Libro tertio, cap. de Endiuia.

Endiuia syluestris, frigida est in initio primi gradus, sicca in fine eiusdem. Radix eius si bibatur, fit contra venenum. Serapion in lib. de Simplicibus, cap. de Allio auctoritate Aben Mesuay. Illud quidem supple allium, est sicut theriaca ad omne genus veneni.

De lapide Albezaar, id est, bezaar, seu bezaard auctoritate propria.

Hager albeazar, id est, lapis liberans à venenis, vt theriaca. Albezaar est nomen Persicum, & est expellens nocumentum. Et hoc nomen cadit super duo: vnum quod cadit super omnem medicinam conuenientem alicui veneno, eo quòd resistit virtuti eius, & expellit nocumentum eius per proprietatem, quæ est in eo: & secundum quòd cadit super lapidem notum, qui conuenit omnibus venenis calidis & frigidis, cum tota sui substantia, & resistit eis bibitus, aut suspensus super patientem. Auctoritate Asij. Colores lapidis bezaar, sunt multi: nam ex eo est citrinus, & velut puluerulentus: Et nabati, & est ille, qui participat viriditate, & ille qui participat albedine: melior verò omnibus est citrinus, & post puluerulentus: & hic defertur ex Corascen, & ibi nominãt eum bezaar, & expositio eius est contra venenum: & minera eius est in terris Syriæ & Indiæ, & in terris orientis: & multi lapides assimilantur ei, qui non habent suam proprietatem, nec approximant ei in operationibus aliquibus: & quidam est, qui dicitur cobhori & mariã: & est lapis in quo nullus errat, sed multi errant in alio, qui dicitur chintos, aliàs chicos: & est lapis multæ humiditatis mollis tactu, mollitie sine superfluitate: & caliditas eius est sine superfluitate etiam: & proprietas eius est, quod confert venenis animalium omnium & plantarum & morsibus & puncturis venenosorum quando bibitur ex eo pondus xij granorum hordei: aut fit linimentum cum eo super locum morsus: liberat enim à morte, & expellit venenum per sudorem: & quãdo ponitur lapis in annulo, & ponitur in ore ipsius qui sumpsit venenum & sugit aliquantulum, cõfert ei: & si ponitur lapis ille super locum puncturæ & morsus animalis venenosi, quemadmodum sunt punctura scorpionis & cantharidarum malarũ, aut zambor, id est, calauron seu tafanus magnus niger murmurans volando, & est sicut vespa, cõfert iuuamentũ manifestum: & si teritur & ponitur super morsum reptilium venenosorum, attrahit venenum per sudorẽ: & si locus vbi est morsus est putrificatus, & puluerizatur ex eo lapide super locum, mundificat & curat, & quando tangitur cum hoc lapide aculeus scorpionis, prohibet potentiam ab eo pungendi: & si teritur ex eo pondus duorum, vel trium granorum hordei, & dissoluitur in aqua & ponitur in ore serpentis, suffocat eum statim & occidit. Auctor Rasis. Bezaar est lapis citrinus, mollis, non habens saporem, confert venenis: & ego vidi in ipso sufficientiam ad auferendum nocumentum bix, & est toxicum verum, id est, napellus: & erat lapis ille quem vidi vergens ad citrinitatem & albedinem habens colorem vini, & cum hoc erat lenis & splendens sicut lumen: & iam vidi in eo de sufficientia in bix, id est, napello illud quod non vidi in aliqua medicina simplici: imo etiam quod non vidi in theriacis compositis. De Terra sigillata auctoritate Pauli. Est de melioribus medicinis contra omnia venena.

EX RASI.

Rasis in Continente lib. 2. cap. 2. auctoritate Sarach: Ait Sarach, Qui timet venenum, aut morsum venenosum suspendat in collo suo smaragdum, aut πρασίτην, id est lapidem taliter nominatũ, qui dicitur esse mater seu domus seu palatium smaragdi habentem colorem foliorum porri, quod porrum dicitur

Græcè

Græcè πράσου, aut coralium, aut lapidem bezaar: & teneat in domo ſua grues & pauones & anſeres & coruos & papagallos & gallinas & muſtelas: nã iſtæ habent ſupra ſe ſignum oſtendens & declarans quando venenantur: anſeres enim quando ſumunt venenum ſignum habent, quia non poſſunt ſe mouere: & papagalli clamant, & grues lachrymantur & gallinę clamant, & muſtela vrinat multum & velociter, & pauones deplumantur.

Auctoritate Pauli: Ait Paulus. Qui ſuſpicatur & timet venenum non ſumat res dulces, neq; acetoſas: nam res venenoſæ propinantur cum ipſis, & vtatur frequenter Mithridato: quia qui vtitur eo nunquam timebit venenum, & hoc eſt certum & expertum, & vtatur frequẽter ficubus, nucibus, ruta & ſale ſimul miſtis. Doſis eius quantitas fabæ, id eſt, aur. i. quolibet die, & vtatur electuario de terra ſigillata. Auctoritate Gal. Medicina contra omnia venena. ℞. Foliorũ rutæ ſiccæ partes, xx. nucis par. ij. ſalis & ficus ſiccatæ, an. par. s. & ſumatur ieiuno ſtomacho. Alia. ℞. Baccarum lauri aur. ij. terræ ſigillatæ ſimiliter, incorporentur cum oleo. Doſis eius aur. i. cum ℥. iij. aquæ mellitæ. Auctoritate filij Patriarchæ. Signa auium & quarundam beſtiarum quando venenantur. Pauo ſi venenetur, ſaltat & clamat, aut ſi videat illud, anſer volat & fugit: mus moritur ſubito: ſmerilionus, id eſt, merulus, mutatur ad quandam rubedinem ſubtilem: coruus fit raucus: ſimia vomit & egerit: muſtela patitur horripilationem. Raſis in Almanſore libro octauo, cap. primo. Medicamen ex nucibus & ficubus quod omnes venenorum venenoſorũ animalium modos aliàs morſus nocere prohibet. ℞. Nucum à duabus corticibus excorticatarum partẽ i. ſalis grandinoſi, foliorum rutæ amborum an. ſextam vnius partis, ficuum albarum quantum ad prædictorum ſufficit cõmiſtionem, ex quibus cum commiſta fuerint nucis fiat ſimilitudo, & comedatur quibus vti incipiat quicunq;, ne veneno perimatur, timet, & ex ea ſumat etiam ante cibum ſuum: hoc nanq; eſt medicamen quod venena expellit. Theriaca de terra ſigillata quæ eſt experta: nam ſi ex ea aliquis potauerit, qui venenum ſumpſit, vomere non ceſſabit, donec totum euomat venenum. ℞. Terræ ſigillatæ baccarum lauri vtriuſq; partes æquales: terantur & cum butyro vaccino inungantur & cũ melle conficiantur & recondatur medicamen: de quo ante cibum in quo mala habetur ſuſpicio, aut poſt eum aliquid ſumatur, aut etiam cum malum ſuperuenerit accidens: nam ſi ea vtens venenum ſumpſerit ilico eum vomere faciet, quapropter donec vomitus affuerit, ipſa in potu danda erit. Mithridatum quod eſt medicamen nobile, quo ſi quis aſſiduè vtatur, cui poſtea ſpecies tribuatur pernicioſa, non ei nocebit: cum hoc quoq; cibi appetitum confortat &c. Auctor præſentis operis. Vera Mithridatis deſcriptio poſita eſt infra in decimo cap. præſentis libri. Raſis in Diuiſionibus cap. cxliij. incipiente, Confert ei, qui in potu ſumit venenum &c. Confert ei quidem, qui timet, quòd in potu ſumat venenum, aſſiduatio comedendi ficus & nuces: aut ſumat omni mane de theria[illegible]a de terra ſigillata: quoniã proprietas eius eſt facere illud: proprietas nanq; hu[illegible]ius medicinę eſt, vt cum cõtingit venenum eſſe in cibo, educat ipſum vomitu. Albucaſis tertia particula Azarauij. Antidotum quod Arabicè ſagzenea ma[illegible]or & antiqua nominatur, quę ab antiquis multum laudata & experta fuit, & dic[illegible]tur quod ſagzenea infinitis confert paſſionibus &c. & venenoſis potionibus reſiſtit, &c. ℞. Caſtorei, opij, cinnamomi boni, an. aur. i. mirrhæ rubeæ, piperis nigri & longi, coſti, galbani, an. ʒ. vi. croci chirat. vi. i. ℈. i. ſeu grana xxiiij. meu, phu, id eſt, valerianæ, aſari, dauci, id eſt, ſeminis paſtinacæ ſylueſtris, an. ʒ. ij. terantur & cum pãno ſerico triconizentur: deinde cum melle deſpumato bene cocto conficiantur: alij huic antidoto addere ſolent rob. i. muſti cocti ℥. iij. & poſtea in vaſe vitreo bene obturato recõdatur, & in horreo

per sex menses reponatur, antequam ea vtatur. Dosis est aur.i. vel s. cum aqua calida. Aliud antidotum maius athanasia &c. venenosis potionibus resistit. ℞. Costi dulcis, spicæ, seminis Macedonici, id est, speciei apij, quæ secũdum Dioscoridem vocatur hipposelinum, dauci, id est, seminis pastinacę syluestris, croci, amomi, asari. an. aur. s. cinami seni, id est, de illa contrata vocata Seni, cassiæ ligneæ, mirrhæ rubeæ, an. ʒ. i. piperis nigri gr. xl. cum melle conficiantur & vsui reseruetur. Quarta particula Azarauij. Nominatio Mithridati probati à summis medicis quod est medicamen nobile, quòd si eo assiduè quis vtatur potio mortifera non ei nocebit, appetitum efficit fortiorem &c. Hoc antidotum causa Mithridatis regis, medici composuerũt, & Mithridates vtebatur hoc ad præseruationem venenosorum.

EX ALBVCASI.

Nominatio medicinæ ex nucibus & ficubus, quæ omnes venenosorũ species, & venenosorum animalium morsus nocere prohibet. ℞. Nucum à duabus corticibus excorticatarum partem i. salis grandinosi, foliorum rutæ, amborum sextam vnius partis, ficuũ siccarum quantum ad prædictorum sufficit cõmistionem, ex quibus cum cõmista fuerint, nucis fiat similitudo & comedatur cum vino: & si vomuerit, iterum accipiat cum vino donec vomitus cesset: quia quandiu venenum in corpore fuerit, vomere non cessabit: & postquam venenum totum exierit, non vomet: sed quandiu vomuerit medicinam accipiat. Quicunq; veneno perimi timet, hanc nostram medicinam prius accipiat, & venena ei non nocebunt.

Nominatio theriacæ de terra sigillata, quæ valde est probata: nam si ex ea aliquis, qui venenum sumpsit potauerit, vomere non cessabit, donec totum euomat: & si totum euomuerit, quantum veneni habuerit, non vomet. ℞. Terræ sigillatæ, baccarum lauri, amborum partes æquales: terãtur & cum butyro vaccino inungantur, & deinde cum melle cõficiantur & recondantur: de qua ante cibum ei in quo mala habetur suspitio, aut post eum aliquid detur, aut etiam cum malum superuenerit accidens: nam si ex ea vtens venenum sumpserit, illud eum vomere faciet: quapropter donec vomitus affuerit ipsa danda erit, post hoc autem significationes quæ apparent sunt attendendæ, & ex medicinis quas diximus, cura adhibenda est, quæ ei conuenit. Theriaca mirabilis, probata morsibus serpentum & reptilium, &c. ℞. Aristolochiæ longæ, gentianæ, raphani, pyrethri purgati, baccarum lauri excorticatarum an. ℥. i. aristolochiæ rotũdæ, cędoarię, doronici, artanitæ, id est, panis porcini, balsami, ireos an. ℥. s. vnaquæq; species per se teratur & cribretur. mellis quantum sufficit. dosis ʒ. i. vel aur. i. cum aqua calida. Qui sumpserit hanc theriacam ante venenum non ei nocebit: & si non habueris doronicos, pone pro eis galangam aut costum. Confectio trochiscorum Indicorum. ℞. Pupillarum oculorum ceruorum decem, pupillarum viperarum, aut serpentum venenosorum decem, & ęqualiter põderentur, & si minus ponderẽtur, aut magis minue de pupillis, aut adde tantum carnis frõtis, quantum fuit pondus minus, & per se omnia terantur & tricocinentur, in ampulla vitrea orificium strictum habente, ponantur: deinde aceti, id est, acetositatis, pomi citri, succi radicis, an. ʒ. xx. telæ albæ aranearum & mundæ ʒ. ij. mastichis ʒ. i. tela araneæ incidatur, & mastix teratur: postea cum succo radicis & aceto pomi citri incorporetur, per duos dies & duas noctes ibi maneat: deinde suauiter coletur, & colaturã istam misce cum pupillis, os ampullæ bene obturetur, in palea sepeliatur, donec pupillæ ad similitudinem aquæ vertantur, & ita maneant, donec illa aqua tota consumatur, postea de fæce illa trochiscos forma, & pone in testa oui donec bene desiccentur: deinde perforentur, & per foramen filum sericum mittatur, & pone in pa-

sta &

sta, & coquatur in furno: & cum bene panis coctus fuerit, extrahe, & inuenies quasi lapidem durum: & liga trochiscum in brachio. Virtus huius lapidis talis est, vt si quis super se habuerit, & venenum ante illum ponatur, lapis iste mouebitur in brachio, vel etiam si venenum in domo fuerit, vel comederit, idem faciet lapis, & sic perpendi poterit, si venenum in domo fuerit. Et hoc à regibus Indiæ probatum est, & semper consueuerunt hoc facere. Terra sigillata valet his, qui biberunt medicinam venenosam. Dicitur quòd multum valet contra venena mortifera, vnde si quis suspiciosus, antequam potionem venenosam bibat, terram sigillatam biberit, statim vomitum prouocabit, & non cessabit vomere, donec totum venenum expellatur, & postea non nocebit, & plus operatur, si cum baccis lauri detur.

EX AVENZOARE.

Auenzoar in Teisir libro primo, tractatu primo. Rememorati sunt medici, quòd qui bibet ʒ.i. theriacę alfarot, id est, liberatricis, id est magnæ ante cibum, cum aqua calida omnibus decem diebus, tempore hyemis euadet nutu Dei à febribus putridis & ab epilepsia & à colica, & conseruabitur sanitas omnium membrorum. Et dicunt quòd tardat canos, & qui hoc continuauerit per annum non lędetur à morsu animalium venenosorum, neq; à veneno, neq; à medicina pestifera cum adiutorio Dei, & est necessarium ei, qui ceperit theriacam vel smaragdum, vt tardet à cibo & potu vsq; quo transeant horę septem, vel parum plus, vel minus ab ipsorum receptione, & præmonitum est de theriaca, vt non admisceatur cibo in corpore humano, intelligēdum est, si necessitas non affuerit ex causis nociuis fortibus, velut est morsus serpentis, aut potus alicuius veneni, aut potus alicuius medicinæ mortiferę: quoniam in istis & sibi similibus necessitas nos inducit ad ipsam propinandam, & causa monitionis non miscendi theriacam cum cibo est, eo quòd Deus dedit sibi virtutē expellendi nociuas causas obuiando, & ipsa recepta non est obediens membris facientibus digestionem ad recuperandam digestionem: & cum iam sit mista cibo, tunc recipit cibus dispositionem ex hoc quæ est difficilis digestionis, vnde accidit bibenti inquietudo & dolor, donec expellatur cibus, antequam corpus recipiat nutrimentum, & amittitur cibus præ dolore & angustia patiētis, sed tempore necessitatis leuiter poterit tolerare talem dolorem & inquietudinem. Et dicunt etiam, quòd comedere auellanas & nuces cum ficubus existit theriaca paruis venenis. Et allium in hoc fortius reperitur esse. Et dicunt, quòd comedere cortices citri confortat cor & omnia membra principalia: & semina eorum habent venenorum acuitatem remouere. Rabi Moyses in libro de Venenis, tractatu primo, cap. 4. Theriaca ex nucibus composita est solennis & insignis valde in proposito, propterea oportet, vt parata habeatur: nam nullum venenum operatur in eo, qui sumit eam ante cibum & componitur ex ficubus, nucibus, sale, & ruta, &c. Auicenna in suo Canone medicinæ lib. 2. cap. de Citro. Citri semen est calidum in primo, siccum in secundo: eius pondus duarum ʒ. cum vino & thile, id est, sapa, seu musto cocto, vel thure & aqua calida illinitum resistit venenis omnibus, & eius cortex est vicinus illi.

De Nuce.

Nux est cum ficubus & cum ruta medicamen omnibus venenis.

De Taraxacon.

Taraxacon, id est endiuia syluestris, seu cichorea, seu grugnum porcinum resistit venenis.

De Luto sigillato.

Lutum sigillatum, id est terra sigillata, resistit venenis & morsibus bibitum cum vino & linitum cum aceto.

De Ruta.

Ruta resistit venenis: & bibat qui sibi timet, ne in potu sumat venenum &
pungi à venenosis de semine eius pondus ℥.i. cum folijs suis cum vino: & pro-
priè si bibitur cum nuce & bolo omnibus contritis & commistis, & plurimum
ipsius sumere & de syluestri, est pernitiosum. Auicenna in lib. 4 sui Canonis
Fen. vi. cap. primo: Qui timet, quòd in potu sumat venenum, necessarium est
ei, vt ipse sit suscipiens secundum viam consuetudinis medicinas expellentes
nocumentum venenorũ sicut Mithridatum: nam eius expertum est iuuamen-
tum, & sicut confectio de bolo armeno, & similiter ficus cum folijs rutæ & nu
cibus & sale trito. Pondera verò sunt, quoniam sumuntur rutæ siccæ partes vi-
ginti nucum partes ij. & salis partes v. & ficuum siccarum partes v. & albezaar
est mirabile in expellendo nocumentum venenorum omnium, & facit fidu-
ciam eorum, & ego non verifico, an sint duæ medicinæ, an medicina vna: Et
iterum seminis napi parui pondus ℥.i.s. decoquatur cum vino decocto & ru-
ta, & sal etiam similiter.

EX AVICENNA.

Auicenna libro 5. sui Canonis, summa prima, tractatu primo, cap. primo,
scilicet de theriaca magna. Hæc theriaca, est sublimior medicinarum compo-
sitarum & melior earum propter multitudinem sui iuuamenti, &c. & illi qui
ea vtuntur in hora sanitatis non nocent venena, & non impediunt in eo nocu
menta, & fit securus ab ægritudinibus pestilentiæ.

De confectione Mithridati.

Confectio Mithridati, nobilis est confectio, quam fecit Mithridates rex, &
nominauit eam suo nomine & composuit ipsam: & ex medicinis expertis su-
per venena propriè. Fuit ergo ipsi theriaca in illo tempore: deinde postquam
accidit Andromacho illud, quod expertum fecit ipsum super iuuamẽtum car-
nium serpentum & aliorum, addidit in eo trochiscos de viperis, & alteratũ est
parum per additionem & diminutionem: fuit ergo theriaca magna in multitu
dine iuuamenti: verùm theriaca magna, est magis iuuatura ipso in re vna: & est
venenum serpentinum. In reliquis verò rebus non minuitur Mithridatũ à the-
riaca diminutione de qua sit curãdum: imo est magis additi in pluribus earum
iuuamenti & confidentioris vtilitatis. Et non prolongemus sermonem in nu-
mero illorum iuuamentorum: quoniam ipsa sunt illa prædicta, quæ sunt theria
cæ. Et fit dosis copiosior parumper. Auicenna in libro de Viribus cordis,
tractatu 2. cap. vltimo. Admodo loquamur de medicinis compositis: primum
de Mithridato & theriaca magna. Nulla enim medicinarũ cõpositarum ęqui-
paratur eis in temperando cõplexionem humanam & conferendo ei, ac lętifi-
catione cordis & ablatione tristitiæ: necnon obuiando venenis ac morbis etiã
venenosis. Et illud iuuamentum quod ei supple theriacę conuenit ex sua pro-
prietate, non inuenitur sensibiliter apprehendi, nisi in fermentata. Perficitur au
tem ipsius fermentatio secundum modernos in decem annis, secundum Gale
num autem in viginti, secũdum diuersitatem caliditatis & siccitatis regionum
& climatum. Et apud aliquos modernorũ speratur eius virtus aliàs iuuamen-
tum post sex menses: verùm neq; apud nos neq; apud Galenum demõstratio
est in hoc. In re autem fermentata, duplicatur virtus quæcunq; sit: siue calidita-
tis siue frigiditatis. Postquam tamen diligenter considerationem habuissem
computando, æstimaui caliditatem theriacæ & Mithridati. Inueni quoq; cali-
ditatem theriacæ in fine secundi: Mithridati citra aliquantulum. Homo autem
temperatæ complexionis, quando vtitur altero ipsorum tempore temperato
aut frigido quantitate etiam temperata, neq; nimis frequenter, prosunt ei ad
confortationem cordis maximo iuuamento: & conseruat sanitatem in ipso,

atq;

atq; securum facit ab incursu pestilentiarum accidentium. Et prauis humorum motibus atq; læsionibus venenorum obuiat, cunctasq; virtutes eius corroborat, & vitæ longitudinem præstat ei. Qui verò calidæ existit complexionis & in regione calida, neq; istis neq; alijs confectionibus vti debet, nisi in manifestissimis casibus & necessitatibus. Præterea ex cap. Mithridati & theriacæ, est diamuscus amarus & dulcis, sed amarus quidem est conueniens temperatam habentibus complexionem aut frigidam: dulcis verò habentibus calidam. Cæterùm diamuscus in lætificando non multo debilior est quàm theriaca: in confortatione tamen cordis est ea moderatè debilior: in confortatione cęterorum membrorum multo debilior est ipsa. Amplior verò impressio eius in corde lętificatio & viuificatio est ipsius. Insuper autem vtilitas eius, quæ in morsibus & puncturis minor est, quàm eius vtilitas in venenis exhibitis, vel ebibitis. Theriaca verò & Mithridatum ad omnia prosunt,

EX AVERROE.

Auerroes in suo Colliget libro quarto, cap. de Narratione ciborum medicinalium, qui sumuntur ex fructibus & eorum operationibus. Nuces comestę cum ficubus obstant veneno loco bezaar. Plinius Secundus de Naturali historia libro 23. cap. de Nucibus iuglandibus, id est, nucibus communibus. Nuces præsumptæ venena hebetant. In sanctuarijs Mithridatis maximi regis deuicti, Pompeius inuenit in peculiari commentario ipsius manu, cōpositionem antidoti ex duabus nucibus siccis. Item ficubus totidem & rutæ folijs viginti, simul tritis addito salis grano, & qui hoc ieiunus sumat, nullum ei venenum nociturum illo die.

Libro 24 cap. de Smilace.

Smilax quoq;, qui & nicophoros cognominatur, similitudinem hederæ habet tenuioribus folijs. Quidam duo genera Smilacis dixere, alterum immortalitati proximum in conialibus opacis candentem, arborum commantibus acinorum corybis contra venenata omnia efficacissimis, intantum, vt acinorum succo infantibus sæpe instillato, nulla postea venena nocitura sint. Alterum genus culta, amara, & nullius effectus. Illam esse smilacem priorem, cuius lignum ad aures sonare diximus.

Libro 25 cap. de Cyclamine.

Cyclamini, id est, panis porcini, seu mali terrę radix cōtra serpētes omnes. In omnibus serēda domibus, si verū est, vbi sata nihil nocere mala medicamenta.

De Betonica.

Betonicæ semen in mulso aut passu, vel farina in vini veteris cyathis quatuor vomere cogendi, atq; iterum bibere his, qui quotidie gustent eam, nulla nocitura mala medicamenta tradunt.

De Antirhino.

Antirhinum, siue perarion, siue lychnis agria, simile lino, radice nulla, flore hyacinthi, semine vitulinario. Ex hoc perunctos venustiores fieri, nec vllo malo medicamento lędi posse, si quis in brachio habeat, arbitrantur magi.

De Eupia.

Similiter Eupia perunctos, nullo malo medicamēto lędi posse tradūt magi.

De Artemisia.

Artemisiam quoq; secum habentibus, negant nocere mala medicamenta, vel bestiam vllam, ne solam quidem, bibitur & hæc ex vino. Libro 32 cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam. Mala medicamenta inferri negant posse, aut certè nocere, stella marina vulpino sanguine illita & affixa limini superiori, aut clauo ęreo ianuę. Halyabas in regali Dispositione decimo Practicæ, cap. de Theriacæ magnę vtilitatibus & probatione eius &c.

Theriaca supple magna omnes morbos, qui corpori accidunt, sanat: desiccatiua nanq;, quæ inest virtute reptilium prodest morsuris: & venosorum obuiat veneno animaliū, lętiferisq; potionibus & humorum placat corruptionē, &c. Theriacæ azere assignatio eius vtilitatis quæ & magnæ &c. Auctor presentis operis. Descriptio huius theriacæ azere posita est immediatè sequenti cap. auctoritate Halyabatis. Constantinus in Pantechni quarto Practicæ, cap. de Punctura scorpionis. Ego autem dico, si pinpinella cum vino bibatur, & cum puluere gētianę, allij, cinnamomi, & centaureæ ab omni veneno cor hominis defendit. De cauenda mortifera potione Galenus & Dioscorides præceperunt qualiter prouideatur si res venenosa timeatur. Accipiant ficus siccas cum nucibus quibus venenosa antè comesta refrēnantur, post comestionem non minus subueniunt. Similiter castaneæ cum ficubus siccis & parum rutæ faciūt. Idem faciunt auellanæ ante cibum cum pauco vini comestæ. Et similiter nuces ante cibum cum pauco vini comestæ operantur. Nuces quoq; virides cum ruta faciūt similiter. Item calamentum cum vino valet. detur theriaca maior non solùm post venenum, sed etiam ante. Quæ si non inueniatur, tribuas cōfectionem pimpinellæ in cap. Puncturæ scorpionis dictam: quia nullus est, qui eam non valeat appreciare, si in mense Septembris conficiatur: quia non solùm venenum extinguit, sed etiam dęmonium ab homine expellit, vt in quorundam codicibus huius artis doctorum inuenitur. Constantinus in Viatico libro septimo, cap. De cauenda mortifera potione. Galenus confectionem dicit, quæ à mortalibus custodit cibis: quam Nicomedem regem dicit accipere solitum cum suspitionem haberet. ℞. Baccarum lauri, terræ sigillatæ, an. ʒ. iij. fac puluerem temperans cum oleo, & da ʒ. ij. cum iij ℥. mellicrati. Hanc si ante venenosa dederis permanens in stomacho venenū expellet cum vomitu. Rufus & Andromachus & Galenus concordes dicunt, quòd theriaca magna ex carnibus theriæ facta non circa solos morsus theriæ, vel serpentum iam factos adiuuat, vel circa venenosa ebibita, sed etiam prius accepta ab his adhuc accipiendis defendit. Antidotarium vniuersale. Mithridatum minus optimū. &c. omnia venena potatum excludit: morsus venenatorum animaliū impositum potēter emendat, & ad omnes distemperatos morbos quadrifaria virtute succurrit. Nam qui hoc vsus fuerit, nunquam à veneno interimi poterit.

EX ALBERTO MAGNO.

Albertus Magnus in suo de Mineralibus libro secundo, tractatu secundo, cap. de Lapide nusæ, id est, lapide botracis. Sunt etiā qui dicunt lapidem quendam nusæ vocatum esse de genere lapidum bufonis, id est botracis seu botti, & in multis inuenitur bufonibus: & sunt duo genera, vnum subalbidum, sicut si lac intrauerit in sanguinem & vicerit eum: & ideo sanguinis vias obscuras in eo dicunt apparere: & alterum nigrum, & aliquando pingitur in eis bufo sparsis pedibus antè & pòst: dicunt etiam quòd si ambo simul includantur, præsente veneno eos adurere manum tangentis, probationem autem huius lapidis esse dicunt, quòd exhibitus bufoni viuo, bufo eleuatur cōtra eum ore si potest, dicitur etiam, quòd præsente veneno varius efficitur, qui subalbidus est.

De Lapide carbunculo.

Carbunculus, qui Græcè antrax, à non multis rubinus vocatur, lapis perlucidissimus est & solidissimus, habens se ad alios lapides, sicut aurum ad cętera metalla. hic solus omnium aliorum lapidum virtutes habere dicitur, specialis tamen effectus eius est venenum aereum & vaporosum fugare, & quando verè bonus est, lucet in tenebris, sicut carbo. Libro quinto, cap. nono, scilicet de Natura & proprietatibus electri. Multi antiquorū non modò inter media, sed inter metalla posuerunt electrum, quod Arabes tincar vocant, id est, boracem:

quidam autem ipsum capistrum auri vocant: habet autem colorem magis ex auro & argento, & ideo etiam duo sunt genera huius metalli: est enim artificiale quod ex argento & auro simul mistis confectum est: aliud autem est minerale, quod antiqui omni metallo melius esse dixerunt: nescio quare, nisi quia sibi hunc effectum attribuunt, quòd stridorem emittit vas effectum ex tali electro quando venenum est mistum in potu, quod in vas mittitur sicut stridet nitrum, quando infunditur sibi acetum, cum autem colorem habeat argenti & auri mistum proculdubio proprietatem habet vtriusq; & naturam. Albertus Magnus 25 de Animalibus, cap. de Ceraste. Cornua cerastis sunt, quæ dicunt præsente veneno sudare, & ideo ferri ad mensas nobilium, & fieri inde manubria cultellorum, quæ infixa mensis nobilium prodant præsens venenum, sed hoc non satis probatum est. Petrus Hispanus in Thesauro pauperum, cap. de Anthrace & veneno. Gentianæ radices in dolio vini positæ præseruant bibentes ab omni veneno, certum est, hoc ego. Item de Aurichalco fiat scyphus. Si enim venenum appropinquauerit, vel in mensa appositum fuerit, statim scyphus seu cuppa incipit colorem mutare in diuersos colores per lineas multas, & sic deprehenditur omne venenũ. Idem dicit Isidorus, & quidam philosophus, qui fuit mirabilis curator & perscrutator naturarum rerum, fieri in vase facto de electro minerali: quia in aspectu & tactu venenum stridet, & in varios colores naturalem colorem mutat statim. Gilbertus Anglicus in suo Compendio medicinæ libro septimo, cap. de Cura veneni per os assumpti. Oportet autem suspicantem & timentem non tradere obliuioni, vt ante vsum cibariorum vtatur rebus veneno resistentibus & discernentibus id ante se positis, vt sunt lapides preciosi excellentis virtutis, & cornu serpentis quod sudat in aduentu veneni: caueat ne accipiat contraria, aut dissimilia in cibis diuersorum saporum, & vitet abominabilia & fœtentia, & si consuetus est ante cibum potare aquam frigidam contrarios sapores discernet melius: castaneæ cum ficubus siccis & ruta, & auellanæ ante cibum & nuces virides cum ruta, & calamentho cum vino præseruant à veneno: similiter confectio q;. ℞. Baccarum lauri, terræ sigillatę ʒ. iij. da cum ʒ. iij mellicrati in modum auellanæ.

EX GVLIELMO DE PLACENTIA.

Gulielmus de Placentia in sua Practica, libro tertio, parte secũda, cap. 1. Omnes conueniunt in hoc, quòd vsus medicinarum contra venenum defendunt hominem, ne ei venenosa noceant, vel impediunt, vt parum noceant, & specialiter vsus theriacæ maioris, quę fit de viperis, vnde quando aliquis suspicãs vel timens de veneno, sumpserit omni hebdomada bis vel ter, aut semel ad minus ʒ. s. theriacæ de viperis cum ℥. iij. vini calidi in hyeme, vel vini lymphati in vere & autumno, vel aquæ frigidæ in ęstate, non incurret ægritudinem pestilentialem, neq; nocebunt ei venena si Deus voluerit. Ioannes Gadesden, in Rosa. lib. ij. cap. vltimo, scilicet de veneno, particula de Cura veneni. Qui timet sibi de intoxicatione, fiat sic. Accipiatur radix millefolij, & bene conteratur & remoliatur in lacte, vel in vino, vel modicum decoquatur. In crastino ieiuno stomacho in mane potet de eo, timens sibi de veneno per totum annum non timebit, tamẽ melius est multoties accipere de herba tota cum radice desiccata: fiat puluis quo vtatur in vino, vel in lacte & optimè pręseruat. Item radix gentianæ in dolio vino potata, pręseruat bibentes ab omni veneno: & ipsa gentiana similiter comesta. Item grana iuniperi sumpta, sunt medicina contra venena, cui non est par, & morsum serpentis curant. Item pimpinella cum vino bibita, & cum puluere gentianæ, & allij, & cinnamomi, & centaureę ab omni veneno cor hominis defendit, vnde nullus est, qui non valeat istam medicinam appretiare, si in mense Septembris cõficiatur, quia non solùm ve-

nenum extinguit, sed etiam dæmonem ab homine expellit, vt dicit Constantinus quarto Practicæ suæ in fine. Item de orichalco fiat scyphus: si ei venenũ appropinquauerit in mensa, statim incipiet mutari in diuersos colores per lineas multas, & sic deprehenditur venenũ. Et secundum Isaac & Albertũ idem fit de electro minerali: quia in aspectu & tactu veneni sudat, & in varios colores colorẽ naturalem mutat statim. Modus meus est dare puluerem talem ad prȩseruandum, sicut firmiter dedi. ℞. Pimpinellȩ, radicũ tormentillȩ, cinnamomi, an. ʒ. s. ligni aloes, macis, an. ʒ. i. granorum iuniperi, ʒ. ij. fiat puluis. Et si nõ sit multum delicatus ponatur gentianæ ʒ. i. & tunc valet contra omne venenum prȩseruando & curando, & hoc in principio: & detur cum decoctione boraginis, & voco eum puluerẽ iuniperinum. Et post detur diamargariton, vel lȩtitia Galeni & sic prȩseruatur optimé. Vt ergo ab intoxicatione quis securetur ieiuno stomacho, quolibet die semen fœniculi comedat, & nutriatur cum ficubus siccis & nucibus auellanis, fisticis, vuis pasis, sisamo, iuribus gallinæ, & annualis agni & hæduli, piscibus grossis & rebus calidis vnctuosis. Vel chelidoniam secum habeat & aliquando sic comedat de ipsa, & succum hauriat, tũc enim citius venenũ de manu caderet, quàm ipse de ipso accipere posset. Item hoc medicamen est optimum contra venenum futurum, & iam acceptum. ℞. calamenthi, auellanarum, nucis communis, rutæ, aristolochiæ, baccarum lauri, menthæ, gentianæ, granorum iuniperi, boli, terræ sigillatæ, an. confice cum prunis: & da cochlear vnum. Item vt venenum tibi non noceat succum fœniculi, aut raphani, aut rutæ, aut absinthij ieiuno stomacho bibe. Similiter pimpinella bibita ab omnibus venenis cor hominis optimè defendit. Similiter facit tormentilla, scilicet radix eius comesta vel puluerizata & bibita, & accipe quantum vis de ea.

EX PETRO DE ABANO.

Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. 4. Oportet suspicantem, vel timentem venenosam qualitatẽ vel cibum, vt vtatur regimine duplici: primum est defensio cum cautela: secundum est destructio assumpti veneni cum virtute: defensio verò cum cautela est, vt ante comestionem in sua mensa coram suis ferculis & potibus sint res discernentes & significantes fore venenũ si fuerit. Et harum vna est cornu serpentis, quod sudat in aduẽtu therij & napelli & fellis leopardi, & non in aliorum venenorum aduentu. Est & aliud quod est lapis quidam nomine prasius, qui est mater & palatium smaragdi, quia in ipso inuenitur. Est autem viridis habens viriditatem spissam sicut prasum. Inuenitur autem cum rubeis guttis, & aliquando cum albis. Expertum est, quòd conseruat & præseruat reges à venenis. Nam si lapis iste sit in mensa in qua venenum ponatur ad præsentiam veneni virorem statim amittit, & ipso ablato virorreuenit. Aliud est, quod etiam scriptum est in libro regum Persarum, quòd si sculpseris in lapide hæmatitis hominem genu flexum cinctum serpente, cuius caput teneat dextra manus, & caudam sinistra, posuerisq; lapidem hunc in annulo aureo, & sub lapide posueris radicem serpẽtariæ, tecumq; portaueris huc lapidem in annulo aureo ab omni veneno prȩseruat, quẽdoq; quidem prȩparari feci ad prædictum vsum. Smaragdus etiã optima, quam busto intuetur, expertũ est, quòd ipsius oculi crepant ad præsentiam ipsius, si teneatur in mensa venena debilitat: & si teneatur in ore venenum virtutem interficiendi dimittit: & si detur trita in potu post venenũ peroptimè à morte liberat, & sit eius quãtitas ℈. ij. & ego quandoq; sum expertus, & Auenzoar hoc inuenit. Comedat etiam semper ante cibum castaneas cum ficubus siccis, aut rutam cum auellanis, aut nuces virides cum ruta, aut siccas nuces cum siccis ficubus aut calamenthum recens, vel siccum in fritellis, aut radicem dictami tritam & cum vino potatam. Præcaueat autem ab omni veneno bibisse cyathum

vnum

vnum vini puri optimi ieiunum in quo tempore musti in vna mẽsura sufficienti duo serpentes viui fuerint suffocati. Præseruat etiam (quod est expertũ) vt omni mane accipiat ʒ.ij. de theriaca quæ dicitur de terra sigillata. Fiat autem sic. ℞. Baccarum lauri ʒ.iiij. terræ sigillatæ ʒ.i. terantur, & cum melle despumato quantum sufficit conficiatur, & reponatur in vase vitri, & sumatur ex ea in vice ʒ.ij.

De cura in generali Venenorum ac mortiferarum medicinarum, præcipuè ore tenus assumptorum. Cap. IX.

QVoniam multoties contingit aliquem venenum assumere & ignorari veneni speciem, & consimiliter dico de mortifera medicina, iccirco necessarium ac opportunum fore mihi videtur scire ea, quæ ab illustrissimis viris & à famosis auctoribus medicinæ posita sunt principaliter non à qualitate manifesta, sed à proprietate hominem in generali curare ab omni veneno & ab omni mortifera medicina. Primitus quidem summopere procurandum est, quòd venenum assumptum, seu mortifera medicina à corpore expellatur per vomitum & per secessum, prout melius expelli potest. Secũdario verò succurrendum est accidentibus, prout infra scripti docẽt auctores, non solùm autem cum à proprietate agentibus, verumetiam & cum agentibus à qualitate, scilicet manifesta opposita qualitati in corpus inductæ à veneno, seu à mortifera medicina, seu ab accidentibus alicuius eorum. Dato nanque quòd ignoretur species veneni, seu mortiferę medicinę, saltem ex accidentibus poterit cognosci genus, vt ex tertio principali cap. notum est. Aduertendum autem, quòd vt prædixi in sexto principali cap. immediatè præcedentis plurima prẹseruantia à venenis & à mortiferis medicinis sunt etiã curantia, & consequenter huic cap. congruentia, & ideo multa ibidem dicta huic cap. inserentur. quæ igitur ab auctoribus huic cap. congruentia dicta sunt, seriosè statim infra describam.

Aristoteles in lib. de Regimine principum, cap. de Aegritudine membrorum genitalium. Qui verò comederit nuces cum ficubus & paucis folijs rutæ venenum in eadem die non nocebit ei. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Arbore pini. Pix quoque ex earum pinguioribus lignis colligitur, cuius est probabilis, splendens, lenis, & munda: curat venena.

De axungia omni. Adeps leoninus, dicitur venenis esse contrarius. Omnis verò adeps sine sale recens malaxat atque dulcorat pinguedinis causa, obtundit etiam venena, eius denique viscellum non solùm his, qui cantharides biberunt, iuuat, verum etiam à quolibet veneno.

De Agrimonia, seu eupatorio.

Agrimonia herba est omnibus nota, & diuretica valde, quæ viridis trita & potata ad serpentium morsum, canis, hominisque rabidi, & cõtra venena facit.

De Agarico.

Agaricus cum aqua potatus, omnibus venenis contrarius probatur.

De Aristolochia.

Sunt Aristolochiæ tria genera, rotunda, longa & clematitis. Longa verò aristolochia masculus est. Illa quẹ dicitur clematitis habet radicem oblongam, & tenuẽ, corium habentem, grossum & odoratum, morsibus venenatis & potionibus venenatis cum vino data ʒ.i. medetur & interposita id præstat. Ad vsum tamen medicinę aptior est rotunda, gustu amara: hẹc enim in emplastris missa caua vulnera replet, facit etiam ad viperarum morsum, & ad alia venena extrinsecus.

De Aniso.

Anisum venenis occurrit.

De Abrotano.

Abrotanum bibitum morsibus serpentium & venenis medicatur.

De Apio.

Apium, siue vt alij selinon, omnibus est notum: eius genera sunt duo, vnum ortinum & aliud agreste, elixatura ortini radicis bibita venenis occurrit: apiũ agreste tanta facere potest quanta & aliud.

De Aparine.

Aparine Græcè philanthropos, Latinè purpurea vel lapago dicitur: succus huius herbæ cauliũ & seminis eius, morsum mitigat viperæ & phalangij, cum vino bibitus, & venenis occurrit.

De Anchusa.

Anchusæ duo sunt genera, quarum vna habet folia lactucæ similia, sed acuta & aspera & nigra & spinosa: radix est ei digiti habẽs in gyro grossitudinem & coloris sanguinei in æstate inficiens digitos: nascitur locis cultis folia habens in gyro super terram spansa. Alia anchusa, quam multi alcibiadion dicũt, suprascripta paruior est, quæ folia minora habet & asperiora superiore, virgas similes supradictæ, sed tenues: super quas florem purpureum aut phœniceum profert: radices habet rufas & oblongas, nascitur locis arenosis, virtus est radici & folijs eius vna: morsibus venenatis occurrit. Si manducata fuerit & bibita, & in collo ligata, vim venenorum non admittit.

De Althea.

Althea siue molochis agria, id est, malua agrestis, id est, malua viscus digestoriam & attenuatoriam, seu subtiliatiuam, & diaphoreticam, id est, resolutiuam habet virtutem. Elixatura seminis cõtra omnia venena cum posca, id est, aceto aquæ misto bibita opitulatur.

De Chamæmelo.

Anthemidis tria sunt genera in flore distantiam habentia. Ea verò quæ est albi coloris & leucanthemon vel chrysanthemon vocatur, ad venenum cum chamædaphne & chamædry & chamæpity æquis ponderibus trita & mollissimè cribrata & ieiuno bibita cũ vino optimo cochlearia quinq; facit mirifice.

De Cinamomo.

Cinamomum venenatis morsibus occurrit vel veneno potio.

De Cerebello leporis & alijs partibus eius.

Coagulum leporis venenis bibitum subuenit.

De Cyclamino.

Cyclamini radix cum vino bibita venenis contraria est.

De Cymino agresti.

Cyminum agreste nascitur multum in Chalcedonia, semen ipsum bibitum cum aceto venenis occurrit.

De Calamentho.

Calamenthum quod multi pulegium agreste vocant, eius species tres sunt, est enim syluestris cum folijs ocymo similibus atq; subalbidis & ramis geniculatis, vel angulosis cum flore purpureo, folia eius odore pulegio similia sunt, forma tamen maiora. Item secunda species appellatur agreste pulegium quam specialiter Latini nepitam vocant. Tertia species est similis menthæ agresti cum folijs oblongis, cuius virga & rami maiores sunt, sed virtute inferiores: virtus tamen omnium calida & sicca nimis est & viscida, id est, mordicatura partem habens extenuatoriam: radix autem inutilis est, nascitur in campis apertis & locis aquosis, bibita & imposita morsibus venenatis occurrit: venenis potestatem amputat.

De Cham

De Chamæleonte albo.

Elixatura chamæleontis albi maximè prodest, venenis occurrit.

De Nuce communi.

Nux communis à ieiunis comesta venenis contraria est.

De Castoreo.

Castoreum cum vino bibitum potiones venenatas non sinit nocere.

De Coagulo omni.

Coagulum omne tamen plus omnibus leporinum triobolo vno, id est, pondere xxxvi. granorum hordei cum vino acceptus morsibus venenatis occurrit, coagulus agninus, vitulinus & caprinus vnam omnes habẽt virtutem cum vino bibiti, venenum excludunt.

De Conyza, id est, pulicaria.

Conyza, id est, pulicaria, alia est maior atq; odoris grauis: alia parua, & odoris iocundi. Inter has alia est media grauabilis odoris, radix est illi inutilis. Omnis frutex cum folijs suis fumigatione adhibitus & superpositus, venena longius arcet.

De Dauco, id est, baucia, seu pastinaca syluestri.

Daucus seu pastinaca syluestris. Semina omnium cum vino bibita contra venena & morsum serpentium faciunt.

De Quercu.

Quercus est stiptica, semen eius sumptum venenis occurrit. Elixatura eius & corium cum lacte bubulo contra venena vtiliter adhibetur. Balani, id est, glandes etiam, quos Sardi castaneas, aut lepomata, aut Iouis balanum, stiptici sunt, caro etiam ipsorum venenis occurrit.

De Erysimo.

Erysimon, quam alij erucã Gorgonam dicunt, Arabes budheregi, nascitur in ciuitate & in muris & in hortis, folia habet erucæ agresti similia: & virga ipsius similis est erucæ, in summitate florem nigellæ habens, cum ramis in longitudine porrectis, in quibus ferè semen est simile cardamomo, igneum gustu atq; ex parte grauabile, quod bibitum venenis contrarium est, nascitur verno tempore.

De Elaphobosco.

Elaphoboscos herba est, quam alij elaphion, alij elaphon, dicunt Latini ceruiocellum, id est, ceruariam, virgã habet fœniculo aut rosmarino similem, quæ virga nodis est plena, & folia eius duobus digitis sunt lata & oblonga, sicut terebinthi, aspera & fragilia. virga prædicta multos ex se emittit ramulos, in quibus capita aliàs, capitella sunt anetho similia, radix est illi duobus digitis longa & lata & alba & odorata apta escis. virga prædicta à multis comeditur, hanc herbam cum cerui cnmederint cornua deponere dicuntur, quare ipsa cornua venenis occurrunt, semen eius cum vino bibitum serpentium vexationes curat.

De Fico.

Cinis autem exustorum ramorum veneno tentatis, aliàs tempestatis potui datur, caduci autem fructus, quos Græci olipicos, aliàs olimptos appellant cocti venena ad superficiem corporis euocant.

De Galbano.

Galbanum cum vino & myrrha bibitum venenis occurrit.

De Hierabotane, id est, verbenaca.

Hierabotane, id est, verbenaca, quàm multi peristereon dicunt, species habet duas: vna est supina & altera recta, radix & folia morsibus venenatis occurrit imposita, tota herba ad omnia venena potui datur.

De Gisamia.

Gisamia eligenda est alba valde, & leuis, & linguæ adhærens, leuis & spargens se super chartam, fragilis, quam multi collyrion dicunt: duo sunt genera eius vnum quod prædictum est, alterum quod dicitur aster placodes, id est, stella lata vel plana, & est taliter quod est laminosum: ambæ verò virtutis sunt stipticæ, omnibus venenis acceptæ cum vino occurrunt.

De Eryngio.

Eryngium, aut nux agrestis, herba est spinosa, radix est illi longa & lata, nigra de foris ac de intus alba, aromate plena, morsibus venenatis & potionibus occurrit cum vino bibita, & melius id aget, si addatur seminis pastinacæ ʒ.i.

De Lysimachia.

Lysimachia hastas habet altas maiores & tenues & fructicosas, circa quarũ nodos folia minuta habet salicis similia, gustu stiptica & florem purpureũ aut aurosum: nascitur in locis humectis, herba suffumigatione adhibita vim veneni longius arcet.

De Leuce.

Leucæ duo sunt genera, vna est montana & alia ortina. Semen eius bibitum venenis occurrit.

De Lotio seu vrina.

Vrina venenis bibitis prodest.

De Lacte.

Lac recens contrarium est venenis acceptis & calorem habentibus.

De Lasere, id est, assa.

Laser, id est, assa lacrima est plantæ, quæ silphium appellatur. In omnibus medicinis vsui succus necessarius est venenis acceptis & morsibus cãcri facit.

De Lemnia sphragide, id est, terra sigillata.

Lemniæ sphragidi, virtus est contra venena potens, quia stiptica est: cum vino bibita accepta venena vomitibus prouocat, cõtra omnes venenosas maritimas incursiones occurrit. Lemnia verò datur veneni potu vexatis.

De lapide Gagate.

Gagati virtus est malatica & diaphoretica, venena excludit, accẽsus in aqua ardet, solum oleo extinguitur.

De Lixiuio.

Lixiuium est ad vsum medicinæ efficacissimum ex cinere quercus, proficua ijs quibus venenata aliqua res impressit, bibita enim statim salutem affert.

De Malua.

Cum radicibus cocta malua in iuscello, aliàs in iusculo potionibus venenosis subuenit.

De Mandragora.

Mandragora alia, quæ morion dicitur, nascitur locis vmbrosis & in speluncis: folia habet similia supra scriptæ supple mandragoræ communi, alba hasta est ei, & longa duobus palmis, album colorem subtus radicem eius habens: & radix eius alba est, & mollis longa duobus palmis, in grossitudine digiti maioris: ista vt dicitur bibita, aut cum polenta comesta, aut cum obsonio, id est, salsamento, vel sapore cocta, amentes facit homines, & somnũ facit horis tribus aut quatuor, hanc in oriente medici, chirurgici dant ad bibendum sicut superiorem, & antipharmacum esse idem venenis contrarium putant.

De Milto, id est, magra.

Miltus, aliàs multa, id est, magra, seu terra siue lutum carpentariorum, bona, spissa & grauis & colorem integrum habens sine lapide & humectosa in tritura cum ouo accepta, succurrit veneni potu vexatis.

De Nuce

De Nuce viridi.

Nuces siccæ duæ cum caricis duabus & viginti rutæ folijs addito salis grano simul conteruntur, nullus opprimi venenis potest ea die qua quisque ieiunus acceperit.

De Pice liquida.

Pix liquida colligitur ex lignis pinguibus, sed illa melior est quæ est lucida, lenis, & munda, bibita venenis occurrit.

De Paliuro.

Paliurus ab alijs acus palearis, ab alijs cicer domesticũ vocatur, id est, arbor spinosa, cuius fructus rubens est, & est iocũdus ac suauis in cibo, virtus est radicibus & folijs eius stiptica: huius elixatura bibita venenis acceptis occurrit.

De Pentaphyllo.

Pentaphyllon, id est, quinque folium: succus radicis eius mollis acceptus potionibus venenatis occurrit.

De Praso.

Prasum aut filo flores venena bibentibus subuenit.

De Ruta.

Rutæ duo sunt genera, agrestis & montuosa: sed montuosa viscidior est ortina. Comesta eius folia cum nucibus regalibus, id est, communibus, omnibus venenis occurrunt: morsibus venenatis opitulantur. Rutam venenis resistere mustelæ docent, quæ quando cum serpentibus dimicaturæ sunt cibo eius armantur. Docuit & rex Ponticus Mithridates, qui cum fratris sui vitaret insidias, rutæ folia viginti cum duabus nucibus totidemque caricis, id est, ficubus siccis admisto salis grano quotidie ieiunus accepit.

De radice Rapæ.

Semen rapæ antidotis & theriacis miscetur: venenosis potionibus occurrit, contra serpentis morsum & toxica datur semen ex vino bibendum.

De Raphano.

Raphanum Græci, nos radicẽ vocamus, in cibo quoque venenis resistit: nam contra venena radices, nuces, lupini, cedrum, apium prosunt, sed contra futura, non contra venena accepta: vnde apud veteres, ante alias epulas hoc solebant mensis apponere. Eius radix cum oxymelle accepta, vomitum mouet. Est aliud genus raphani, quod multi armoratiam dicunt, folia habet similia lapsanæ, radix eius longa est & tenera. Quidam succum eius ex vino datum contra venena vtilem crediderunt, eadem in semine vis est, si cum melle sumatur.

De Schœno, siue squinantho. Iuncus odoratus nascitur in partibus Libyæ: huius elixatura aduersus venena facit.

De Scorpiode.

Scorpiodes, id est, scorpios herba est: florem & semen habet similia caudæ scorpionis. Cataplasmate adhibito percussum scorpionis mitigat & venenis obsistit.

De Silphio.

Silphium radix est omnibus nota: cuius succus laser, id est, assa nominatur, bibita venenis occurrit.

De Scorodo.

Scorodon magnam habet vim: omnibus quippe pernitiosis hominum malis vehementer resistit. Aliud scorodon nascitur locis montuosis & in syluis: folia habens similia chamædry, sed maiora & non sic diuisa: virga est illi quadra in qua florem rufum profert: virtus est illi thermãtica, id est calida & diuretica, bibita viridis & sicca cum vino morsibus & omnibus generibus veneni occurrit, succus eius bibitus omnia suprascripta facere potest.

De Sulfure.

Sulfur eligendum est viuum & colore limpidum & resplendens & perlucidum, venenis cum vino bibitum resistit.

De Serpyllo.

Vt Serpylli potentiam intelligas, subdidi theriacam in templo Aesculapij ab Antiocho rege Syriç versibus dedicatam, in qua non leuem sibi meruit portionem. Est autem cõpositio hęc: Trifolij, opoponacis, serpylli, an. ʒ. v. aliàs ʒ. ix. anisi, fœniculi, amyli, apij seminis, an. ʒ. x. aliàs ʒ. xij. erui, id est, orobi farinæ ℥. i. al. ʒ xij. hęc simul trita vino quàm potest optimo colliguntur, & in pastillos victoriati ponderis ℈. iiij. al. v. digerũtur. Ex his singulis dantur ex vino mistis cyathis tribus, id est ℥. iiij. s. hac theriaca magnus Antiochus semper est vsus aduersus toxica & potionem malam & animalia venenata, cui quantũ debuerit ex eo licet colligere: quòd testimonium sui arbitrium, aliàs arbitrum medicinæ Deum fecerit.

De Tribulo.

Tribuli genera sunt duo: siccus & humidus, terreni verò semen ʒ. ij. bibitum & impositum morsibus venenatis occurrit: dato veneno contrarium est vim eius vincendo.

De Tripolio.

Tripolion, id est, turbith, radix acceptis venenis occurrit.

De Trifolio.

Trifolij genera sunt quatuor. Omnis frutex cum folijs & radice fomentis adhibita venenis faciunt: semen illius in emplastris mittitur, & radix in antidotis: vtraq; tamen aduersus venena serpentium faciunt.

De Vetonica, id est betonica.

Quisquis autem hanc herbam supple betonicam biberit, vim veneni non admittit. Accepta venena ʒ. iij. in cyathis vini quatuor id est, ℥. vi. potatæ per vomitum excludunt.

De Vino.

Gypsata vina accepta venenis omnibus contraria sunt.

De Smyrnio.

Smyrniõ nascitur in mõte Amano: virgas habet similes apio, & ramulos plurimos, & folia similia ei lata & super terrã spãsa &c. radix eius venenis occurrit.

EX ANDROMACHO.

Andromachus in libro de Theriaca. Primum & melius quod datur in potu de theriaca est ad prohibendum nocumentum medicinarum nocentium, siue interficientium propter id quod iam bibitum est, aut propter id de cuius potu timetur, & ad puncturam reptilium habentium venenũ cum quantitate trium cyathorum vini, id est ℥. iiij. s. & ad corruptionem vel alterationem accidentẽ corporibus, quæ est sicut venenum pernitiosum in qualitate sua. Et ratio propter quam facta est theriaca est, quòd medici primi viderũt multitudinem nocumentorum & magnitudinem iuuamenti, quod ex ea est in corporibus ex potu venenorum pernitiosorum, & ex punctura reptilium habentium venena. Composuerũt ergo theriacam propter causam hanc, & non propter aliam, & ipsi quidem non inuenerunt in primis artem theriacæ, nisi propter destructionem venenorum & medicinarum pernitiosarum: destructio nanque illorum fit tribus modis: modus primus est quoniã theriaca exugat & exiccat ista venena: & secũdus est, quia ista mundat & pręterire facit & euacuat ista venena ex mẽbris, scilicet ex instrumẽtis & vijs expulsionis corporis: & tertius est, quia confortat principalia membra, & adiuuat ea ad expellendum illud quod accidit eis ex venenis pernitiosis, & ex medicinis & reptilibus.

EX GALENO

Galenus in libro de Simplici medicina, lib. 6. cap. de Balsameleo, id est, balsamo. Balsameleum, id est, oleum balsami, id est, verum & perfectũ balsamum vtile est multis passionibus: propinatum enim cum lacte muliebri, eis qui venena sumpserunt maximum fit remedium. Libro nono, cap. de Lemnia siue terra sigillata. Librum accepi scriptum antea à quodam localium virorum, in quo docebat totum vsum Lemniæ terræ, id est terræ sigillatæ: vnde ego etiam non cessaui experiri hoc pharmacum: vtebatur autem ipse libri conditor hoc pharmaco ad multa, & omnino in morsis à feris & in perniciosis pharmacis nõ tantum in prædonando, sed etiam in superdonando. Asserebat autem & experientiam habere pharmaci, quod, puta de Lemnia, ponitur vomitũ prouocare, si quis adhuc existente in võtre mortifero pharmaco biberit hoc alexiteriũ, sed huius quidem, & nos etiam habemus experientiam in lepore marino & in cantharidibus &c. Libro 10, cap. de Lacte. Sic deniq; videntur mihi medici contra perniciosa pharmaca, quæ per corrosionem interimunt suasi fuisse propinare lac. Galenus in libro de Simplicibus ad Paternianum: Agaricum vires habet acriter relaxantes & venenosis morsibus & potibus resistentes, sic & ventrem purgat aliquatenus & choleram & phlegma deponit: ideo neq; dolorem neq; vomitum facit. Aristolochia rotunda ad viperarum morsus, & ad alia venena intrinsecus facit. Bacca lauri in potu data quibus venenata aliqua res per cibum oppressit liberat. Peristereon ad omnia venena potui data optimè facit: hæc enim & columbina & berbena dicitur. Sion nascitur in Africa & in Iudæa: optimum tamen habetur Arabicũ. & huius ipsius quod est recentissimum & plures & breues calamos habet, & si scinditur rubicundus intus apparet, redolens suauiter si fricetur inter manus & gustu linguã submordens quod vires habet acriter relaxantes: propriè quidem vesicam petit & vrinam prouocat, ponitur & in antidota quę aduersus venena faciunt. Smyrnium est simile apio, sed folia habet latiora & subaurosa & quasi pinguia & fortiori redolentia cum acrimonia, ramulum & capitellum, prout anethũ semen rotundum nigrum ferè gustu mirastrum radicem succosam, mollem, lenem, odore suaui cortice nigro intus viride, aut exalbidum, & ad gustum fauces mordentem. vires autem habet acres, & sudorem suscitantes: vnde & tussientibus & suspiriosis & toxicosis prodest. Galenus septimo Alimentorum, cap. de Nucibus. Digeritur autem & magis nux, id est, nux cõmunis, quàm subtilis nux, id est, auellana, & magis eustomachon, id est bona stomacho est, & multo magis quando cum ficubus siccis comeditur. scriptum est autem à multis medicis, si ambo hæc ante omnes alios cibos sumantur cum ruta, nihil magis à mortiferis medicinis lædi hominem. Galenus in libro de Euchymia & cacochymia, cap. de Fructibus. Quidam eorum qui scripserunt compositionem pharmacorum circa mortiferia alexiterium omnium eorum esse dixerunt ficus siccas acceptas cum nucibus & ruta. Galenus in lib. de Theriaca ad Pamphilum principem. Si enim, sicut est fama, quę habetur à multis ad solas morsuras venenosorũ & ad potiones deleteriorum pharmacorum ageret hęc antidotus, supple theriaca oporteret, sicut aliquod iocale in domo conseruatam tenere eam, non consumptam à tempore reuocante vtilitatem: quanto verò magis, quia cum his bonitatem habitus promittit, &c. Et nullum est mirabile, si quidem & mortalia pharmaca potest superare & vincere vniuersaliter in morsis, vel percussis ab aliquo venenosorum, & ad vniuersa mortifera sufficienter valde, ea quæ recens est, potest iuuare: est autem recens vsq; ad annos triginta, datur aũt ad potationem quidem mortalium pharmacorum, & ad plagationes venenosorum de hoc pharmaco auellanæ magnitudo, id est, aur. i, id est ʒ. i, s, cũ vini cya-

this tribus, id est ℥.iiij.s. Et similiter datur eis, qui habent suspicionem pharmacationis, & illis qui à causa immanifesta periclitantur. Hoc autem pharmacum datur in matutinis. vniuersaliter autem dicẽdo, in quibus alia auxilia nihil prosunt, sed vincuntur ab ægritudinibus, in his hac antidotus habita mirabiliter operatur. Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem, & in libro de Cõmoditatibus theriacę. Theriaca tempore non pauco eget, vt cõgrua fiat ad vsum & digeratur bene: digeritur enim vt plurimum duodecim annorũ tempore. Qui enim fortiori voluerint ea vti tempus quinq; vel septem annorum habente vsi sunt, & maximè in morsis à feris & à canibus rabiosis, & in pharmacis deleterijs. Non solùm autem ad theriorum & ad ferarum morsuras, & ad deleteria pharmaca iuuare hęc antidotus nata est, verumetiam & ad maximas alias passiones. Alexiteriũ est pharmacum: ita enim à nobis & ab vsu, qui in experientia inuentum est esse. Fortè autem & vixpaßsibile, vt ita dicam, facit corpus, vt neq; ab aliquo deleterio corrumpi poßsit, varia enim & tanta mistionis huius pharmaci virtus præfatam eius vixpaßsibilitatem efficit, & maximè inter alia mistio theriorum. Aiunt enim & Mithridatem illum generosum bellatorem, theriacam quidem non accipientem (nondum enim erat inuenta) sed antidotum assumentem multæ mistionis, & ipso nomine eius vocatã, Mithridatum enim nominatur, propter generatam ex eo vixpaßsibilitatem, nõ posse accipientem deleterium, id est, venenosum, seu mortale pharmacum, mori, &c. Galenus in libro de Experimentis, cap. de Medicinis handaran, aliàs beraz scitile. Medicinæ andaran, aliàs beraz scitile sunt tres, quas probauimus sæpe, & veras inuenimus. Prima valet contra medicinas mortiferas, & est nimis experta. ℞. Laureolæ, luti sigillati, nucis, auellanæ, phu, meu, apij, cinamomi, an. ʒ.i. rutæ, xylobalsami, carpobalsami, an. ʒ.ij. confice cum melle & detur ʒ.i.s & forti ʒ.ij. De Medicinis Zenonis de Athenis, qui fuit vir experimentator ex magnis medicis. Medicamen xviij. quod dicitur electuarium luti: & est vltimum contra venena. ℞. Luti sigillati, anisi, salis Indici, agarici, an. ʒ.ij. rhabarbari, auellanarum, radicum pæoniæ, an. aur. iij. puluerizentur & conficiantur cum melle, & detur quasi auellana. Galenus in libro de Facilè acquisibilibus ad solutionem. cap. vlti. Sanguis anatis contrariatur omnibus venenis & mortiferis. Hoc idem faciunt carnes gallinæ nouiter occisæ, si cataplasmentur: obsistunt enim omnibus venenosis, & curãt, præter aspidem. Aliud, rutam da cum vino bibere. Aliud, cerebrum gallinæ bibitum iuuat.

EX ORIBASIO.

Oribasius in sua Practica lib. ij. cap. 27, scilicet ad maleficium datum, id est, venenum. Ad maleficium datum, id est venenum, curabuntur sic. Mulsam calidam cum oleo accipiãt, & pennis oleo intinctis vomitum prouocabis: postea absinthium calidum bibant, postea pulmentum salsum & capita porrorũ cum sale plurimo accipiant. Item semen aut folia cannabis teres, addes succi mororum rubi, cadum vnum, id est ℥.iij. dabis eis bibere: si mora non est, lac caprinum mox mulctum mittes, omnia mala expellit. Item de succo bryoniæ, id est, vitis albæ, supple radicis eius, cadum s. id est ℥.i.s. bibant, maximum remedium est. Si quis venenum sumpserit dictami succum cum vino bibat. Item aristolochiam rotundam tritam cum vino bibat. Item atramentum spissum bibat. Item ad venenum discutiendum, vulgaginem, id est, asarum, polypodium, caryophyllum, spicam: hæc omnia teres cum vini sextario, id est, lib.i.s. ad vnam potionem bibant cadum, id est, ℥.iij. in loco calido, per dies septem similiter faciant. Postea vnges omne corpus ex hoc vnguento, quod ℞ cannabis interuscum, bulbi interuscum, resinam de lentisco, id est, terebinthinam,

medullam

medullam ceruinam, adipem anserinum, cerę quantum sufficit, cõfice & vtere. Item potio draconteum, lysimachiam, mentam, an. teres cum vino, bibant, & super stomachum mittes radices caulis fluminalis coctas & tritas omnia venena euomunt. Item dracõtij radicem tritam cum vino tepefacto bibant. Libro 5. cap. 38. Ad lapidem gagatem, qui primus in Sicilia inuentus est, &c. Quicunq; ipsum lapidem super se habuerit, nullam potionẽ mortiferam timebit, nec vllum periculum incurret: probatus est ab Alexandro, & à multis doctissimis medicis. Oribasius in Dynamidijs, libro primo, tractatu de Electuarijs. Electuarium validissimum & probatum, quod contra omnia maleficia, id est, venena datur. ℞. Nucis maioris mũdatæ ʒ. vi. rutæ folij, ʒ. iiij. salis, ʒ. ij. scammoneæ ʒ. i. in illo die nullum maleficium illis nocuum est. Libro ij. tractatu de Potionibus. Potio vtilis ad carbunculum, quem clauum vocant, & ad omnem venenatam potionem probatissima. ℞. Cichoream (aliàs zidoar, id est, zedoariam) cum aqua tritam bibant: vtile & validissimum adiutorium est.

Tractatu de Antidotis. Antidotum genera valdè optimum, quod contra omnes malas potiones vel venenatas facit, ad morsum rabidarum ferarum, ter aut quater in mense dabis, aut cum necesse est, &c. ℞. Coccognidij, seminis mezereon, carui, cinnamomi, petroselini, leuistici, anisi, dauci, irodis, nigellæ, folij, casiæ, iris ilyrice, cardamomi, aloes, zingiberis, piperis, saxiphragiæ, piperis albi, chamæleæ, id est, mezereon, spicæ, castorei, amomi, euphorbij, an. ℥. i. agarici, costi, croci, pulegij, ellebori nigri, mastichis, myrrhæ, opij, an. ℥. s. diagridij ℥. ij. mellis quod sufficit, dabis exinde in modum auellanæ. Antidotũ Musa, quod serpentium morsum & venenatam potionem ex maleficio datam extergit, &c. ℞. Piperis grana 50, hyoscyami, myrrhæ, thuris, opij, croci, an. ℥. i. s. sulfuris, aristolochiæ longæ, costi, euphorbij, an. ℥. s. mel quod sufficit, conficies: dabis exinde cum aqua calida in modum auellanę. Antidotum Sotira, quod interpretatur saluatio, totius corporis omnia quæ intrinsecus constituta sunt purgat: venenum & serpentiũ morsum, vel canis rabidi mire discutit, non cum sola mulsa detur, sed moribus antidoti accipiatur, &c. Si quis frequenter cum mulsa vsitauerit, nunquam infirmabitur: istud antidotum iuxta vires dabis debilibus in modum auellanæ. ℞. Apij seminis ʒ. xx. petroselini, opij, castorei, costi, myrrhæ, croci, an. ʒ. xviij. piperis communis, ʒ. x. anisi squinanthi, sinoni, id est, petroselini agrestis, cinamomi, spicæ, piperis albi, an. ʒ. xij. asari, crocomagmatis, sileris, cassiæ, styracis, an. ʒ. vi. amonij, ʒ. iiij. piperis longi, ℈. ij. mel despumatum quod sufficit: conficies & vteris suprascripta mensura.

Antidotum quod facit ad omnem venenatam potionem & omnium ferarum morsum, vel canis rabidi siue serpentium, & omnes corporis occupationes mundat: si quis istud antidotum, quotidie ieiunus vsitauerit, nunquam infirmabitur vsq; in die mortis suæ, nec vllum passionis periculum incurret, si aliquod incursurus est: hoc antidotum si quis vsitat sanitatem restaurat, conficitur sic: fœniculi seminis, cymini, thymi, saluiæ, pulegij, origani, piperis albi, cyperi, abrotani, piperis nigri, raphani, seminis petroselini, seminis chamædryos, casiæ, spicæ, dauci, eupatorij, trifolij, seminis amomi, serpylli sicci, gentianæ, aristolochiæ longæ, myrrhę, lauri, vetonicæ, id est, betonicæ, consolidæ maioris, an. ℥. ij. rutæ agrestis seminis, erucæ seminis, acori, dracontij, an. ℥. i. hæc omnia puluerizabis: addes mel despumatum quod sufficit, dabis exinde febrientibus secundum valitudines cum aqua calida in modum auellanę: sanis aut sine febre laborantibus cum vino dabis in modum auellanæ, ad digestionem & somnum post cœnam detur, venenatis & morsu rabidis ipsam mensuram ieiunis dabis, sine dubio curat. Antidotum athanasia, quod facit ad venena omnium serpentium & cõtra morsum &c. Illis qui venena acceperunt cum melle

& oleo in modum auellanæ dabis:& illis qui à ſerpentibus percuſsi fuerint per tres vices cum omni fiducia dabis,&c. ℞.Myrrhæ troglodytidis,id eſt, myrrhæ minutæ optimæ,ſpicæ nardi.petroſelini,piperis albi,aſari,enulę, mandragoræ,corticis folij,piperis longi,caſtorei,an.ʒ.ij.opij,croci,an.ʒ iiij.dauci,galłæ,ſtyracis,calaminthæ,hyoſcyami,cinamomi,caſsiæ fiſtulę,ſquinanthi,an,℥.i. acori,meu,an.ʒ.ij.apij ſeminis,ſileris montani,phu,id eſt,valerianę,an.ʒ.i.mel quod ſufficit conficies & vteris. Antidotum Panchreſtum,quod neceſſariũ eſt ad omnem ægritudinem &c. dabis ad morſum ſerpentis cum melle, & de iſto antidoto in plaga pones,ad venenum mirabiliter prodeſt. ℞.Calami aromatici,myrrhæ, an.ʒ.vij.coſti,ʒ.v.caſtorei,ʒ.iij.ſiſeleos,id eſt,ſileris montani ʒ. xij.cardamomi ʒ.vi.opij thebaici ʒ.iij.croci ʒ.xv.zingiberis ʒ. iiij. euphorbij, ameos,pyrethri,ſpicę nardi,dauci cretici,rutæ agreſtis,ſeminis caſsię,roſarum ſiccarum,fœniculi ſeminis an.ʒ iiij petroſelini ʒ.v.opobalſami ʒ.vij.ſagapeni, ʒ.v.meu,piperis albi,an.ʒ.iij.mel quod ſufficit conficies & vteris. Antidotum philoanthropos facit ad morſum ſerpentis,& ad eos,qui venenum biberũt, & ad omnem infirmitatem,&c. ℞.Petroſelini,iunci,radicis ſquinanthi,euphorbij,aſari,ſpicæ,an.℥.i.ſalis ammoniaci,croci,an.ʒ vi coſti,℥.i.cinamomi.℥.iij. piperis albi,caryophylli,an.℥.i.piperis longi,piperis nigri, ſagapeni,aniſi,an.℥.s. aloes,ʒ.vi.folij,ʒ.iij.diagridij,℥.iij.mel quod ſufficit. Tractatu de Electuarijs. Electuarium maius diapraſsion,quod ad omne venenum probatum eſt, ſanitatem facit,malignitatem de corpore aufert,&c.qui iſtud electuarium vſitauerit,nihil dubitet de veneno malo & pruina mala, nec de paludibus putridis, nec de temporalibus infirmitatibus. ℞.Styracis,calamitæ,℥.iij.ſpicæ nardi,℥. iiij.calami aromatici,dauci,an.℥.iij.caſsiæ fiſtulę,℥.vi.opoponacis, ʒ.iij.ſagapeni ℥.ij.cinnamomi ℥.vi.xylobalſami ʒ.iij.ſpicæ nardi ℥.v.chamędryos ℥.iij.rhapontici ʒ.v. cardamomi, amomi, capparis, radicis orobi an. ℥.iij. ſquinanthi, ℥.ij. ſiſeleos, id eſt, ſileris, coſti,carpobalſami,an.℥.i.aniſi,℥.vi.liquiritiæ,℥.ij.petroſelini Macedonici,id eſt,oluſatri,elenij an.ʒ.i.croci ℥.ij.piperis lõgi ℥.i.piperis albi,℥.ij.zedoariæ,℥.vi.balſami,℥.s.galangæ,moſchi,an.ʒ.iij. caryophyllorũ, ℥.iiij.dragacanthi ʒ.iiij.xylocaſsię ℥.i.anacardi ℥.ij.baſilicę,id eſt,ſerpentariæ,dictami an.℥.ij.leuiſtici,℥.ij.apij ſeminis,℥.iij.gentianæ,℥.i.cimini,℥.iij.nuclei pini,anethi ſeminis,an.℥.ij.myrrhæ,thuris,caſtorei,an.℥.i.lauri baccæ, ʒ.i. peucedani ℥.ij.pirethri ℥.i.pæoniæ maſculi,mandragoræ, ſaxiphragiæ, hyſſopi, an ℥. ij.origani ℥.i,dracontij,pulegij an.℥.ij.rutæ agreſtis ℥.vi. vetonicæ ℥.iij. carui, ℥ vi.fœniculi ſeminis,galbani,an.℥.ij. terbenthinæ ℥.iij.praſij ſucci lib.i. mellis lib.iij.ſuccum praſij & mel in vnum miſcebis,& vſq; ad tertias in carbones coquantur,& poſtea puluerem ſupermittes. Electuarium validiſsimum & probatum quod contra omnia maleficia datur. ℞.Nucis maioris mundatæ,ʒ.vi. rutæ folij,ʒ.iiij.ſalis,ʒ.ij.ſcammoneæ,ʒ.i.in illo die nullum maleficium illis nocuum eſt. Excerpta ex libro 10 Oribaſij,cap.Contra toxicum potatum. Adiuuantur qui biberint roſa pota,aut oleo irino, coguntúrq; frequenter reijcere,aluúmq; acri clyſteri ſæpius declucere,poſt potum dare antidotum Mithridatum,vt conuenit aut Adrianum.

EX MACERE.

Macer in libro de Simplicibus, cap.de Artemiſia.

Affirmant quidam quiſquis guſtauerit illam,
Quòd nullo ualeat nocuo medicamine lædi,
Si muſto contrita recens ſeruabitur herba:
Vinum prædictis reddit medicabile morbis.

De Abrotano.

Serpentes nidore fugat, bibitumq; uenena illorum extinguit.

De Absinthio, seu herba absinthij.

Obstat pestiferæ cum uino sumpta ciente.
Sicq; uenenatis occurrit morsibus hausta.

De Ruta.

Obstat pota nimis, uel cruda comesta uenenis.
Hoc Mithridates rex Ponti sæpe probauit.
Qui rutæ folijs uiginti cum sale pauco,
Et magnis nucibus binis caricisq; duabus,
Ieiunus uesci consurgens mane solebat:
Armatusq; cibo tali quocunq; ueneno,
Quilibet insidias sibi tenderet non metuebat.
Mustellæq; probant obsistere posse uenenis:
Mirifice rutam comedunt quæ primitus illam:
Cum pugnaturæ sunt cum serpentibus acris.

De Aristolochia.

Aristolochiæ species tres dicimus esse,
Pestiferos morsus cum uino sumpta rotunda:
Curat & assumptis, prodest sic hausta uenenis,
Omnia longa potest, quæ dixi posse rotundam:
Longa tamen uires habet illa debiliores,
Inde quidam si defuerit quandoq; rotunda:
Par pondus longè ponatur dimidiumq;.

De Iride.

Maior uis huius est in radicibus herbæ,
Tormina commistio bibitus sedabit aceto:
Hocq; modo sumptis dicunt prodesse uenenis.

De Althea.

Cum posca potata (supple radix althææ) potest obstare uenenis.

De Vetonica.

Cum uino sumptis obstat potata uenenis:
Præcipuè semen, quòd si desit, datur herba.
Plinius hanc, inquit, qui secum gesserit herbam:
A nullo poterit nocuo medicamine lædi.

De Nepita.

Serpentum morsus superaddita trita nocere
Non sinit, & pellit cum uino sumpta uenena.

De Fœniculo.

Cum uino cunctis obstat hæc herba uenenis.

De Acedula, id est, semperuiua, seu aizoon.

Taliter & cunctis obstat potata uenenis.

De Verbena, seu berbena, seu peristereon.

Occurrit cunctis cum uino sumpta uenenis.

De Zedoar, seu zedoaria.

Apprime sumptis zedoar obstare uenenis,
Affirmant, & reptilium morsus leuat haustum.

EX KYRANDO.

Kyrandus in Chyranida libro secundo, cap. 1, scilicet de Capra & hœdo. Stercus capræ cum melle solutum & liquefactum, & emplastratum eos, qui à serpentibus & venenatis morsi sunt, sanat, & omne venenum astringit.

De Vacca.

Vngulæ vaccæ elixę, & cum sinapi comestę resistunt omni veneno.

De Oue & ariete.

Pulmo aũt agni siccus & tritus in potu datus, eos qui sunt veneno læsi, sanat.

De Nisa, id est, anate fluuiali, siue palustri.

Anatis sanguis calidus aut siccus cum vino bibitus, saluat hominem ab omni veneno, & sanitatem & robur ac bonam habitudinem præstat.

De Pelargo, id est, ciconia.

Echimum aũt quod est in ventre eius inuentum, laua in vino, & sicca in vmbra facq́; puluerem de eo. Si quis ergo venenum mortiferum acceperit ex eo, rade, & da bibere cum vino misto cum aqua marina & bene erit sibi.

De Tasiano.

Sanguis autem eius antidotum est contra venenum.

De Ahohanos, id est aue, quę dicitur alba frons: nam tota nigra est, & solummodo frontem habet albam, & inuenitur in fluminibus & stagnis. Comesta verò auis medicina est contra venenum.

De Saro, id est, stornello.

Saros auis, id est, stornellus comesta iuuat omnem qui mortiferum venenum comedit.

De Triglia, id est barbone seu rossolo.

Ius ipsius supple trigliæ, seu barboni, seu rossoli bibitum, iuuat eos qui biberunt nociuos potus. Geber in libro de Floribus naturarum. Accipe sperma hominis & da illi cui datum est menstruum, & cui malæ herbæ datæ fuerint & sanabitur.

EX SERAPIONE.

Ioannes Serapionis in Breuiario, libro septimo cap. 8, particula de hora seu tempore administrandi theriacam magnam. Iuuenescit quidem hęc medicina supple theriaca magna post duodecim annos. Quidam autem volunt administrare ipsam, dum est propinqui tẽporis fortis. Administrant ergo eam in quinto anno & in anno octauo. Et plurimum illius apparet puncturam animalium habentium venenum & potum medicinarum fortium interficientium: malitia enim accidens ex istis, indiget medicinis fortibus. Iam ergo feci vos scire horam administrandi eam: apud morsum viperarum & serpẽtium & morsum canis rabiosi & reliquorum animalium habentium venena, & apud potum venenorum administra hanc medicinam quando est propinqui temporis, & in reliquis vermibus & reptilibus quando est antiqua: quoniam non indigent hac virtute tota: & hæc quidem medicina est recens vsq; ad decem annos, & antiqua ad complemẽtum viginti annorum: post hoc autem tempus, aut nihil penitus agit, aut debilem agit operationem. Particula de iuuamentis theriacę & quantitate sumenda ex ea. Primum iuuamentum theriacæ & nobilius eorum, est iuuamentum quod facit ad medicinas pernitiosas & percussionem habentium venena: & oportet quod sit quantitas eius quod datur in potu illis ex ea: sicut quantitas auellanæ, id est, aur. i. cum ℥. iiij. s. vini: & significo per medicinas fortes opium hyosciamum & albenzi, id est speciem hyoscyami & cantharides & reliqua similia illis: & significo per habentia venena viperas & serpentes, in quorum capitibus est quod est simile duobus cornibus & facientes sitim: & sunt illa in quibus sunt vestigia nigra & scorpiones & dracones & serpentes, qui dicuntur serpentes aquosi & sicci & quercini, scilicet qui habitant in radicibus quercus: & est eis odor fœtidus & faciẽtes fluere sanguinem & rutela &c. & est ei iuuamentum magnum in conseruatione sanitatis: quod est, quia quando bibitur abscindit quod incipit ex ęgritudinibus sicut mordicatio reptilium venenosorum & potus veneni interficientis & corruptio aeris & aquæ &c. Particula de modo confectionis Mithridati ex descriptione Galeni. Mithridates fecit medicinam vnam sperans, quòd sit conferens omnibus venenis pernitiosis & non permiscuit aliquid ex carne viperarum: & pro-

pter

pter illud facta est theriaca iuuatiua valde ad mordicationem viperarum supra iuuamentum mithridati: veruntamen in ægritudinibus alijs non abbreuiatur mithridatum à theriaca, imò est in quibusdam rebus magis vltimum, quàm ipsa.

De modo Mithridati descriptione communi.

Mithridatum prohibet omnia venena pernitiosa nocere homini, & facit euadere ab omnibus speciebus veneni mortiferis, & propter illud postquàm probauit ipsum Mithridates, approbauit ipsum ita, quod nominauit ipsum immortale.

De confectione Diasulfuris.

Confectio diasulfuris confert morsui reptilium, & resoluit venena mortifera &c. ℞. Sulfuris citrini, seminis hyoscyami albi, cordumeni, styracis, myrrhæ, omnium an. ʒ. ix. rutæ, costi, amborum an. ʒ. x. opij, croci, amborum an. ʒ. ij. casiæ ligneæ, ʒ. vij. vel ʒ. xij. piperis albi ʒ. xxij. terantur & cribrentur & conficiantur cum melle, & administretur post sex menses.

De confectione Luti lacunæ.

Confectio luti lacunę liberans ex venenis perniciosis & à mordicatione reptilium malorum sanat: cuius permistio, ℞. Luti de lacuna & archeutidis, hoc est, granorum iuniperi vel cedri, omnium an. aur. ij. coaguli gazelis aur. viij. coaguli leporis, aur. iiij. gentianæ, baccarum lauri, aristolochiæ rotundæ, seminis rutæ syluestris, myrrhæ, omnium an. aur. i. terantur & cribellentur & conficiantur cum melle despumato, & detur: potio eius sit quantitas fabæ vnius pondus, id est ʒ. i. cum eò quod conuenit ex potibus. Cap. 36, siue penultimo, scilicet de Medicinis vomitiuis. Aliud quod facit vomere choleram, & euacuat illos, qui in potu sumpserunt venenum. ℞. Salis Indi, carabæ, baurach, an par. i, sinapis par. s. terantur & dentur in potu cum aqua mellis & euomant, & est iuuatiuum valde.

EX ISAACO.

Isaac in dictis lib. ij. cap. de Sesamo. Antiquorũ quidam dicunt contra venenum sesamũ esse, idq; nõ impossibile ego etiam dico: sua enim viscositate atq; vnctuositate poros corporis omnes oppilat, nec ad cor penetrare permittit.

De Glandibus.

Porrò earum superficies multũ est stiptica: vnde valet ad sanguinis fluxum, maximè mulierum: apozima quidem eius conuenit intestinorum vulneribus: est etiam contra venenum.

De Pomis citrinis, id est citris.

Cortex pomi citrini, id est citri, cum vino propinatus mortiferum potenter destruit venenum: semen autem calidum est & siccum in secundo gustu, suauisq; odoris donatiuum est, & contra venenum si cum vino propinetur.

De Nucibus.

Nuces à ieiunis cum ruta manducatę fiunt contra venenum: si quando cibum sumentes cum ficubus edant, contra rem venenosam corpus defendunt.

De Auellanis.

Auellanę interiori cortice ablato nõ assę ieiunis sumptę fiunt cõtra venenũ.

De Fisticis.

Fistici si cum vino cocti potui donentur, fiunt contra venenum.

Libro 3, cap. de Endiuia.

Endiuia syluestris frigida est initio primi gustus, sicca in fine eiusdem: radix eius si bibatur fit contra venenum.

De Fœniculo.

Radix fœniculi cum succo & semine potata valet contra icteritiam: est

etiam contra venenum.

De Cepis, allijs & porris.

Si post comestionem eorum, supple alliorum, vinum forte bibitum fuerit contra morsus serpentium valet: prosunt etiam eis qui veneno sunt infecti & fri gidas paßiones habentibus sicut theriaca magna.

De Aceto.

Acetum fit & contra venenosa & mortem inferentia, sicut est opiũ, hyoscyamum, euphorbium & similia.

De natura Butyri.

Butyrum cum melle potatum fit contra venenum. Serapion in libro de Simplicibus, parte secunda, cap. de Citro auctoritate Aben Mesuay. Grana eius sunt de numero medicinarum conferentium venenis quando ex eis sumitur aureus i. cum aqua tepida.

De Agarico auctoritate Aben Mesuay.

De proprietate eius est laxare phlegma, & est contrarium venenis, & dosis eius, est an. ʒ. i. vsque ad ij. Auctoritate Abix. Agaricum purgat choleram & phlegma simul, & est contrarium medicinis mortiferis quando bibitur aut miscetur cum aliquibus medicinis.

De Gentiana.

Abix. In gentiana est proprietas quæ confert morsui canis rabidi, & quę est contraria venenis mortiferis & aufert nocumentum eorum.

De Mumia.

Mumia sepulchrorum est aloes & myrrha, & quod admiscetur eis ex humoribus corporis humani. Rasis. Dantur in potu ad venena grana ij. cum decoctione tribulorum marinorum & foliorum aniuden, id est, silfij, cuius lacrimum est assa.

De Sagapeno.

Armasios est contrarium venenis mortiferis, & operatio eius in hoc potior est operatione galbani.

De Raphano.

Aseros in libro de Agricultura. Semen eius confert venenis, sicut theriaca.

De allio Aben Mesuay.

Illud quidem est sicut theriaca ad omne genus veneni.

De lapide Smaragdo.

Natura Smaragdi est frigida & sicca: & quando sumitur in potu confert venenis mortiferis: Qui ergo dederit in potu de limatura eius pondus viij. granorum illi qui sumpsit venenum antequàm fecerit in eo impreßionẽ, nec excoriabitur & est euasio sua.

De lapide Albezaar.

Lapis Albezaar, aliàs hager albezaar, id est, lapis liberans à venenis vt theriaca. Albezaar est nomen Persicum, & est expellens nocumentum: & hoc nomen cadit super duo, vnum quod cadit super omnem medicinam conuenientem alicui veneno, eo quòd resistit virtuti eius, & expellit nocumentum eius per proprietatem quæ est in eo. Et secundum quod cadit super lapidem notum, qui conuenit omnibus venenis calidis & frigidis cum tota sui substantia & resistit eis bibitus aut suspensus super patientem. Asius. Colores lapidis bezaar sunt multi: nam ex eo est citrinus, & velut puluerulentus: & nabati, & est ille qui participat viriditate, & ille qui participat albedine: melior verò omnibus est citrinus, & pòst puluerulentus: & hic defertur ex Corascen: & ibi nominant eum bezaar: & expositio eius est contra venenum: & minera eius est in terris Syriæ & Indiæ, & in terris orientis: & multi lapides assimilantur

ſimilantur ei, qui non habent ſuam proprietatem, nec approximant ei in operationibus aliquibus. Et quidam eſt qui dicitur cobhori & mariam: & eſt lapis in quo nullus errat: ſed multi errant in aliquo, qui dicitur chindos (aliàs chicos) & eſt lapis multæ humiditatis, mollis tactu, ſuperfluitate: & caliditas eius eſt ſine ſuperfluitate etiam. Et proprietas eius eſt, quòd confert venenis animalium omnium & plantarum & morſibus & puncturis venenoſorum quando bibitur ex eo pondus duodecim granorum hordei: aut fit linimentum cum eo ſuper locum morſus. Liberat enim à morte & expellit venenum per ſudorem. Et quando ponitur lapis in annulo & ponitur in ore ipſius qui ſumpſit venenum & ſugit aliquantulum confert ei. Et ſi ponitur lapis ille ſuper locum puncturæ & morſus animalis venenoſi, quemadmodum ſunt puncturæ ſcorpionis, aut cantharidarum malarum, aut zambor confert iuuamentum maximum: & ſi teritur & ponitur ſuper morſum reptilium venenoſorum, attrahit venenum per ſudorem &c. Raſis. Bezaar eſt lapis citrinus mollis non habens ſaporem, confert venenis. Et ego vidi in ipſo ſufficientiam ad auferendum nocumentum bix: & eſt toxicum verum.

De terra Sigillata.

Paulus. Eſt de melioribus medicinis contra omnia venena.

EX RASI.

Raſis ſecundo Continentis. cap. ſecundo, ſcilicet de venenis auctoritate Hippocratis: Ait Hippocrates in ſexto Epidimiorum. Lac eſt valde bonum contra venena quæ interimunt cum frigiditate. Et vinum eſt valde vtile contra venenum quod extrahit corpus à ſua æqualitate & perimit. Et acetum eſt mirabilis iuuamenti contra venenum occidens ſua groſsitie & ſtrangulatione, ſicut fungi & dactyli acerbi: & vix vincunt medicinas malas & humores prauos.

Auctoritate Pauli: Ait Paulus: Qui ſuſpicatur & timet venenum vtatur frequenter mithridato: quia qui vtitur eo, nunquam timebit venenum: & hoc eſt certum & expertum: & vtatur frequenter ficubus, nucibus, ruta & ſale ſimul miſtis. Doſis eius quantitas fabe quolibet die & vtatur electuario de terra ſigillata, & qui ſumpſerit venenum & ignorat quale fuerit illud ſtatim prouocet vomitum cum butyro & aqua calida antequàm venenum extendatur per corpus, vel cum aqua decoctionis ſeminis vrticę cum butyro: & poſtea bibat lac: quoniam rumpit acuitatem veneni, ſed butyrum eſt valde melius, & poſtquam fuerit mundificatus per vomitum, cliſterizetur, & iterum ſumat lac: quia mutat complexionem veneni, & ſi poſtea remanſerint aliqua de accidentibus veneni, da ſibi aliquam de theriacis conuenientibus.

Auctoritate Philareti parui: Ait Philaretus paruus: Qui ſumpſerit venenũ & ignorat quale ſit illud, prouocet vomitum cum aqua & oleo: & det ſibi cibaria nauſeatiua & iterum prouocet vomitum: nam venenum aut egredietur per vomitum aut frangetur malitia eius: & ſi poſt vomitum ſenſerit inflammationem ventris da ei bibere aquam niuis & oleum roſaceum cum aqua frigida, & poſtea prouoca vomitum, & da ei theriacam de terra ſigillata & baccas lauri, quoniam faciũt vomere venenum: & prohibe quòd non dormiat, & fricetur manus & pedes: & quando videbuntur tibi accidentia veneni fore remiſſa & venenum deſcendiſſe ad inferiora, clyſteriza clyſteri acuto.

Auctoritate Chuzi. Chuzi dixit, quòd giduat, id eſt, coral, aliàs corat, id eſt planta fontis, ſeu ſenecio, oritur iuxta napellum, & valet contra morſum therij, & omnes mortiferas potiones quãtum theriaca de therijs, & ſcias quòd deſtruit operationem napelli.

Auctoritate Ruffi, Ait Ruffus. Aqua calida iuuat ſi in ea patiens, ſupple

ex veneno, vel morsu venenoso balneetur & fel bouinum inunctum, & similiter sisymbrium est emplastratum, & ameos sumptum cum vino & semen lilij & lilium emplastratum cum aceto iuuat: & cancri fluuiales cocti cum lacte & vino comesti iuuant: serapinum semen rutæ, sauina, mel dissolutum cum oleo rosaceo, fistici cum vino, piper, rubea tinctoris, panis porcinus cum vino, euphorbium, mentastrum & sua decoctio, cordumenum, abrotanum, artemisia cum vino, pix, vel asphaltum cum castoreo & vino. Decoctio maluæ hortulanæ valet contra mortifera acuta. Acetum valet contra venenum calidum, si bibatur cum niue calidum vel frigidum: & similiter valet cõtra omne narcoticum. Et asphodeli ʒ.iij. idem operantur si sumantur, & folia asphodeli emplastrata cum vino valent.

Auctoritate filij Mesuay. Ait filius Mesuay: Medicinæ bibitæ contra venena: darsinum vel cinnamomum ʒ.ij, vel medulla leporis cum aceto vini aut castorei aur.i. cum ℥.ij. butyri, aristolochiæ longæ, abrotani, mentastri fluuialis, an. aur. i. Vrina hominis sumpta iuuat.

Auctoritate Abdæ: Ait Abda: Stercus galli potatum statim destruit operationem veneni: & similiter iuuat succus tribuli marini potatus. Et medicinæ simplices contra venenum sunt: semen pastinacæ, spica Romana, castoreum, frondes cannę, succus marrubij, si sumantur ex qualibet earum ʒ.ij.s. cum aquę decoctionis anethi, aut cum vino odorifero cocto.

Auctoritate Galeni, Medicina contra omnia venena. ℞. Foliorum rutæ siccę per viginti nucis partes, ij. salis & ficus siccatę, an. par. v. & sumatur ieiuno stomacho. Aliud. ℞. Baccarum laur aur. ij. terræ sigillatæ, similiter emplastrentur cum oleo. dosis eius aur. i. cum ℥. iij. aquæ mellitæ. Ait Galenus in theriaca Cæsaris: vinum in quo ponuntur theri bibitum iuuat contra omne venenum omnium venenosorum, sed plus iuuatiua eo, est theriaca. Ait Galenus: Membrum mustellæ tenens locum in ea, sicut stomachus in homine, opponitur omni veneno. Ait Galenus, Omnes medicinę simplices contra venena debent bulliri in ℥. iiij. s. aceti, & sumantur.

Auctoritate propria: Agaricus iuuat contra venenum frigidum. Acetum calefactum & roratum & sparsum supra membrum venenatum iuuat. Flos & fructus asphodeli cum vino potatũ sibi iuuat: & similiter pirethrũ & radix serpilli potata cum vino ʒ.i. & post hoc immediatè comedat auellanas & bibat vinum. Medicina alia ad hoc. ℞. Herbę quæ dicitur morsus scorpionis aur. iij. alliorum excorticatorum aur. iiij. assæ fœtidæ, origani syluestris seminis, aur. i. informentur cum melle. dosis eius ʒ. ij. cum oleo aut sapa veteri, id est vino musto decocto quousque solùm tertia pars remanserit.

Auctoritate filij Patriarchæ. Ne permittas toxicatum & quem aliquod reptile momordit dormire. Confortetur calor naturalis cum vino: quoniam est valde conueniens eis. Et similiter iuuant altit. id est, assa & alia.

Auctoritate Dioscoridis & Mesue: Dixerunt Dioscorrdes & Mesue, quòd grana citri sumpta cum aqua tepida & vino, valent contra omne venenũ: dosis aur. ij. & similiter si terantur & vngatur locus.

Auctoritate Othoroschi & Bedigorij: Ait Othoroscus & Bedigorius: Stercus hominis sumptum vel vnctum habet à proprietate operationem contra venenum.

Auctoritate Dioscoridis: Qui biberit medicinam venenosam & cadunt pili totius corporis: cura est sumere aquam cum oleo & prouocare vomitum, & accipere lac & succum maluę cum melle calefacto.

Auctoritate Bedigorij: Ait Bedigorius, panis porcinus habet à proprietate, quod opponitur omnibus venenis reptilium.

Rasis

Rasis in Continente, libro 21. cap. de Pane porcino. Panis porcinus seu cyclamen vel malum terrę, confert de sui proprietate venenis & morsui reptiliū.

De Citro auctoritate filij Mesuay. Grana eius, supple, citri sunt calida & sicca in tertio, & valent contra venenum, & ponūtur in numero medicinarum non cibi, & laxant ventrem: & de proprietate granorum est habere aspectum contra venenum.

De Stercore humano. Et de proprietate eius, supple, stercoris humani est valere contra venenum omnium reptilium & medicinas mortiferas.

De Asadarach.

Asadarach, id est secundum Auicennam Azedarach, vt dixit Bedagorius: de proprietate eius est cōferre venenis. Eius folia valent cōtra venenū bibitū.

De Astergar.

Astergar, id est, secūdum Auicēn. dixit astergar chuz. Eius folia valent contra venenū. Ait Bedagorius de proprietate eius est, quod valet cōtra venenū.

De Vrina puerorum.

Dixi, Vrina puerorum bibita confert morsui viperarum & medicinis mortiferis. Libro 22. cap. de Balaustia & granato. Liber de medicina antiqua. Granatum incidit acceptum venenum & abstergit stomachum.

De Roba, quæ est auellana Indi.

In libro Baelba de Venenis dixit, quòd cortex ipsius superior, si teritur & datur in potu ad modum lenticulæ & imponitur orificio partis in qua fuerit morsus, & datur in potu in quantitate aurei ponderis vnius cum succo herbæ appellatæ hab, id est abs, id est casialinea, valet ad omnia venena.

De Melle.

Aqua mellis cocti valet ad vomitum & ad potum veneni.

De Radice.

De Filaha fastix dixit. Radix prohibet morsum furunculorum, id est, reptilium, & semen eius confert venenis & furunculis ad modum theriacæ.

De Fat, seu Phyak.

Fat, & dicitur etiam phyak, est medicamen delatum de regione Turcorum, dixit Chuzi: confert nocumento nucis methel, venenis & morsui reptilium, mitigat dolorem vehementem, si bibitur cum aqua frigida. Libro 23, cap. de arbore Berberis. Semen eius bibitum valet ad morsum furunculorum, & folia & radix ipsius sunt stiptica: & si bibitur ipsorū decoctio, constipat ventrem, prouocat vrinam, confert venenis mortiferis & morsui furunculorum.

De Sulfure.

Dixit Oribasius: est calidū tenue attractiuū ideo opponitur pluribus venenis.

De Cappare.

Dico, quòd potest fieri cum succo capparum clistere ad sciaticam, & conuenire morsui canis rabidi & potui veneni.

De Butyro.

Butyrum non coctum, recens valet loco olei in curandis medicinis mortiferis. Bymasui dixit: Butyrum coctum cum proprietate ipsius maiori confert venenis mortiferis. Dixit Fabri Indus, Lac theriaca est de venenis.

De Mumia.

Dixit Salmuya: conferunt ad venena gornua ij. i. ʒ. s. cum decoctione ciceris imperatoris, & engeden, id est, silfij, id est, plantæ, cuius gummi est assa.

Rasis in Almansore libro octauo, cap. 1. Si quandoq; contingat venenum sumere, oportet vt ea hora qua mutationem & æstuationem sentire ceperit, aqua tepida & oleum sisaminum ei in potu tribuantur: de quibus tantum sumat, donec venter repleatur: deinde vt vomat persuadendum: Si autem vo-

mitum tardari & pigritari conspexeris, in aqua coque anethum, cui in prædicta aqua mel & baurach & salem admisce: cumq; eum multoties vomere feceris, attende an in inferioribus ventris æstuationem sentiat: quòd si ita fuerit, collyrium ano suppone, aut cum clysteri ventrem solue. In stomacho autem, si prædicta senserit accidentia, medicamen est ei tribuendum: quod cum biberit, soluatur: est etiam melius, vt vtrunq; simul perficias: & si post hoc æger, ab omnibus quæ sentiebat quieuerit, vtile erit: si autem non, considera quæ accidentia ipsum concomitentur, videlicet si est stimulatio & incisio, & in aliquo loco ventris corrosio: aut si est feruor, & sudor, & faciei rubor, & venarum tumor atq; angustia, & sitis & fetor oris, ac oculorum citrinitas, aut congelatio & eleuzez, & stupor atq; subet: aut si nullum prædictorum in ipso apparet, ipse tamen deteriorari incipit, cui etiam sincopis, & suæ virtutis dissolutio frequenter accidunt: accidentia nanq; quæ prius nominauimus, venenorū calidorum & corrosiuorum sunt. Secunda autem quæ modò retulimus, sunt accidentia venenorum, quæ cum tota sua substantia hominum complexionibus contraria inueniuntur. Quòd si prima inueneris accidentia, lac & butyrum & oleum amygdalarum ad potandum ægro tribue: quem etiam confectiones ex saccharo calidas & subtiliatiuas cum oleo amygdalarum dulcium sumere facias. Hoc nanq; veneni acuitatem frangit, & eius reprimit mordicationem. Secunda autem cum intellexeris accidentia, aquam cum niue & sauich cum aqua & niue & saccharo atq; aquam rosatā ad bibendum tribue, trochiscos quoq; de camphura eum sumere facias, oleumq; roseum infrigidatum vt bibat suade. Præterea attende in quo loco corporis vehementiorem sentiat inflammationem, cui ex lenticula aquæ in niue infrigidata emplastrum superpone, quo tandiu mutando renouabis, donec locus ex frigoris nimietate stupidus fiat: deinde psilium atq; lac vaccarum, de quo butyrum extractum fuerit, necnon frigidorum fructuum succum ei tribue: in quo si repletionis apparuerint signa, ipsum flebotoma: ventrem quoq; si strictus fuerit cum medicina solue, deinde ciba eum cum extinctione & infrigidatione. Tertias autem significationes si conspexeris, allia & sinapi, & ex medicamine de assa ægro tribue: vinumq; vetus & forte ac purum eum potare facias: ipsum tamen dormire non permittas, sed fac eum sitire, eiusq; corpus frica atq; caput & pectus cum panno calefacto calefacias. Significationes autem quartæ cum apparuerint, cito succurre: hæ enim significationes venenorum omnibus sunt deteriores, vtpote necem velocius inferentes. Theriacam ergo de viperis, aut mithridatum statim ei tribuas, vinumq; ei ad potandum da, & ex rebus odoriferis ei adhibitis atq; succo carnis ipsum conforta: eum quoq; in loco ventoso ac frigido sedere facias, quem subtilissimis camisis in aqua rosata sandalum habente rubeum infusis vestire debes, locumq;, qui est in ore stomachi ipsius fricare conuenit: eum quoq; aliquibus horis sternutare & vomere facias. Hic verò si multum debilis extiterit, in ipsius os ventum suffla, aut flabellando intrare coge: cui si frequenter acciderit sincopis quæ fortis existat, & occultetur pupilla, pulsus quoq; atq; anhelitus ad vltimum perueniant debilitatis, & superuenerit sudor paruus & frigidus proculdubio moritur. Descriptio medicaminis de assa, quę ad frigida venena facit, & ad ictus scorpionis & rutelæ morsus, necnon ægritudinibus frigidis confert. ℞. Foliorum rutæ siccæ, costi, mentastri sicci, pyrethri, cordumeni, omnium partes æquales, assæ quantum est omnium pars quarta, mellis quod sufficit. dosis eius quæ in potu sumitur à magnitudine incipiens auellanę vsq; ad nucis protenditur magnitudinem. Medicamen ex nucibus & ficubus quod omnes venenorum & venenosorū animalium modos, vel morsus nocere prohibet. ℞. Nucum à duabus corticibus excorticatarum partem vnam,

vnam, salis grandinosi, foliorum rutæ, amborũ an. sextam vnius partis: ficuum albarum quantum ad prędictorum sufficit cõmistionem, ex quibus cum commista fuerint, nucis fiat similitudo, & comedatur, quibus vti incipiat quicunq; ne veneno perimatur timet, & ex ea sumat etiam ante cibum suum. Hoc nanq; est medicamen quod venena expellit. Theriaca de terra sigillata quæ est experta. Nam si ex ea aliquis potauerit, qui venenum sumpsit, vomere non cessabit, donec totum euomat venenum. ℞. Terræ sigillatæ, baccarũ lauri vtriusq; partes ęquales, terantur & cum butyro vaccino inungantur, & cum melle conficiantur & recondatur medicamen, de quo ante cibum in quo mala habetur suspicio, aut post eum aliquid sumatur, aut etiã cum malum superuenerit accidens: nam si ea vtens venenũ sumpserit, ilico eum vomere faciet, quapropter donec vomitus affuerit ipsa in potu danda erit. Post hoc autẽ significationes quæ apparẽt sunt attendendæ, & ex medicinis quas diximus cura adhibenda.

Rasis in Diuisionibus, cap. cxliij. incipiente, Cõfert ei qui in potu &c. Confert ei qui in potu sumpsit venenum vniuersaliter, vt detur ei in potu aqua calida & oleum aliquod, vt euomat vice vna post aliam cum vtrisq;, deinde bibat lac & oleum amygdalarum, & butyrum propriè: illud enim sedat malitiam veneni, & consideretur post illud quæ accidentia eueniunt in corpore. Quòd si accidant febris & rubedo faciei, & malus odor oris, & fœtor eius, & citrinitas coloris & oculorum, dentur in potu res infrigidantes & extinguentes: & si apparent pigritia & somnus, & congelatio, & stupor, dentur in potu res calidæ sicut medicamen de assa & ei simili. Et confert ei quidem qui timet quòd in potu sumat venenum assiduatio comedendi ficus & nuces: aut sumat omni mane de theriaca de terra sigillata: quoniam proprietas eius est facere illud. Proprietas nanq; huius medicinæ est, vt cum contingit venenum esse in cibo, educit ipsum cum vomitu. Et quando accidit ex potu veneni sincopes cui subueniri potest, & debilitas, & dissolutio virtutis: tunc ipsum est ex venenis malis contrarijs complexioni cordis à tota substantia. Et quandoq; parum cõfert in eo cura, nisi sumatur bezaar resistens ei. Et ego quidem iam vidi, quòd resistit napello qui est ex venenis pessimis, & quandoq; confert ei diamuscum recens & theriaca dyacines, aliàs dyagines, id est de viperis, licet non viderim ei in expulsione napelli magnum iuuamentum. In punctura verò viperæ est mirabile valde.

Rasis in libro de Proprietatibus animalium: cap. de Proprietatibus auis alkakam, aliàs alkaram. Si sumatur corium citrinum iecoris, id est hepatis eius, & siccetur & puluerizetur & bibatur cum rob vel cum vino, valet contra omnia venena.

Rasis in libro de Experimentis. Oleum de auellanis extrahitur, sicut oleum amygdalarum, & est temperatum & subtile, valet contra venenum & morsum reptilium. Oleum benedictum, id est, oleum de lateribus, valet sicut oleum balsami, &c. valet frigidis venenis.

EX ALBVCASI.

Albucasis tertia particula Azarauij. Antidotũ quòd Arabicè sagzenea maior & antiqua nominatur: quæ ab antiquis multum laudata & experta fuit. Et dicitur quòd sagzenea infinitis confert passionibus &c. & venenosis potionibus resistit, &c. ℞. Castorei, opij, cinnamomi boni an. aur. i. myrrhæ rubeæ, piperis nigri & longi, costi, galbani, an. ʒ. vi. croci, siliquas vi. id est, ℈. i. seu grana xxiiij. meu, phu, id est valerianæ asari, dauci, id est, seminis pastinacæ syluestris, an. ʒ. ij. terantur & cum panno sericino triturentur, deinde cum melle despumato & bene cocto conficiantur. Alij huic antidoto addere solent rob musti cocti ℥. iij. & post in vase vitreo bene obturato recõdatur: & in horreo per

sex menses reponatur, antequàm ea vtatur: dosis est aur. i. vel s. cũ aqua calida.

Antidotum muguet, id est, adiutorium, in quo concordati sunt omnes philosophi, præsertim Indi & Romani, quòd istud antidotum præualet omnibus passionibus, plusquàm alia medicina opitulatur. ℞. Opij castorei, an. aur. xxiiij. euphorbij, spicæ, cinamomi, cardamomi, croci, piperis albi, pyrethri, seminis iusquiami albi, ellebori albi, an. aur. xxij. & sunt omnes species vndecim sigillatim omnes species terantur, & cum panno sericino triconizentur, cum melle conficiantur in olla vitrea reponatur, &c. morsibus scorpionis cum aqua distemperetur assæ fœtidæ &c. dosis maior est ad plus aur. i.

Antidotum athanasia minor, valet epaticis &c. venenum reptilium excutit. ℞. Storacis liquidæ & calamitæ, croci, myrrhæ, costi, spicæ, meu, xyllobalsami, opij, cassiæ ligneæ, an. ʒ. iiij. succi eupatorij ʒ. viij. ircos ʒ. xij. summa medicinarum est xij. conficiantur cum melle per sex menses recondatur: dosis eius est ʒ. s. omni nocte.

Aliud antidotum maius athanasia &c. venenosis potionibus resistit. ℞. Costi dulcis, spicæ, seminis Macedonici, id est, speciei apij, quæ secundum Dioscoridem vocatur hipposelinum, dauci, id est, seminis pastinacæ syluestris, croci, amomi, asari an. aur. i. cinami seni, id est, cinami de regione Seni, cassiæ ligneæ, myrrhæ rubeæ, an. ʒ. i. piperis nigri grana quadraginta cum melle conficiatur & vsui reseruetur.

Antidotum dabit diasulfur, quod antiqui composuerunt, valet morsibus reptilium & serpentium & venenosis potionibus &c. ℞. Myrrhæ rubeæ, seminis iusquiami albi, cordumeni, thuris masculi an. ʒ. xij. opij, thebaici, croci an. ʒ. x. sulfuris citrini, piperis albi an. ʒ. vi. aristolochiæ longę, piperis longi, costi Indi, euphorbij, corticum mandragoræ an. ʒ. iij. mellis quod sufficit: dosis in modum auellanæ cum aqua tepida.

Antidotum Galeni quod conficitur cum sanguine subscripto, valet mortiferis potionibus & febribus quartanis, & morbis frigidis. ℞. Sanguinis anseris, succi radicis andacochæ, scordei, cassiæ ligneæ an. quintam partem aur. i. sanguinis anatis domesticę, sanguinis hœdi, balsami, baccarum lauri, seminis rapi agrestis an. tertiam partem aur. i. almea, id est, fistulæ pastoris, malorum granatorum, spicæ, mirrhæ an. aur. xi. cinamomi aur. vi. rosarum siccarum, cassiæ lignęę an. aur. viij. squinanthi, olibani, costi, petroselini, amomi, piperis albi an. aur. iiij. piperis longi aur. i. s. croci aur. xij. acori, rhabarbari, myrrhę, pulegij, cimini, fœniculi, spongię quę reperitur super lapides, rutę, dauci, ammoniaci, an. aur. ij. anisi, assari, timi, ameos an. aur. i. phu, id est valerianę aur. ij. mellis quantum sufficit.

Albucasis quarta particula Azarauij. Prędixi in prologo huius particulæ artem theriacę, quę nominatur alfarot, id est, theriacę magnę: postea correxi eam secundum descriptionem diuersorum voluminum: quia est nobilior cęteris theriacis, & melior alijs confectionibus. Dixit Hunayn filius Isaac: hęc medicina, supple, theriaca magna nominata fuit theriaca duabus de causis. Prima est, quia potenter subuenit morsui animalium venenosorum: quę Gręcè dicuntur θηρία. Et secunda est, quia confert omnibus medicinis venenosis: & istę medicinę dicuntur Gręcè ca. Vnde hęc duo addita fuerunt, & nominauerunt theriacam, & fuit appellata ab eis alfarot: quia medicinę theriacarum in ea adduntur; sicut ait Hunaym. Et post decem vel sex menses securius administratur: quoniam tunc completur temperamentum eius & fermentatio. Et ad minus post sex menses administrari potest. Et completur eius virtus vsque ad triginta annos: & tunc operationes eius fortiores sunt, sed postea debilitantur. Et cùm ad sexaginta annos peruenerit, operationes eius omnino deficiũt,

& nihil

& nihil operantur, & si operantur, est parum. Et infra hos terminos est virtus inter debilitatem & fortitudinem, secundum quòd prolongantur vel approximantur ad triginta annos. Et inquit quidam, quòd administrant eam quando est recens venenis viperarum.

Theriaca esdræ valet omnibus, quibus & theriaca maior. ℞. dracanthi, seminis papaueris, piperis nigri an. aur. xxx. olibani, seminis iusquiami an. aur. xxviij. balsami aur. xxiiij. succi artemisiæ, radicis seraiæ, id est, seridis: cuius duo sunt genera, quorum vnum est cicorea an. aur. xx. ireos aur. xv. foliorum, aliàs florum pomi citri aur. xij. amomi, myrrhæ rubeæ, spicæ, folij, laccæ purgatæ, memitæ, gari, crithami, costi amari, gentianæ, squinanthi an. aur. xij. casiæ ligneę, rosarum siccarum, trochiscorum, andaracaron an. aur. ix. florum squinanthi, succi hypocistidos an. aur. viij. piretri, croci, cinamomi, id est fœniculi, bdelij, sulfuris viui, antimonij, boli asiatici, asari, cordumeni, euphorbij, spicæ celticæ, opij, florum vitis, florum chododaphnes, id est, oleandri, anisi, an. aur. vi. florum marrubij aur. iiij. rutæ, aur. i. Quæ terenda sunt terantur: & quę in vino aut vino cocto, aut in melle infundi debent infundantur, & post cum melle omnia conficiantur in vase bene obturando reponatur.

Trochisci andaracaron, qui recipiuntur in theriaca esdræ. ℞. Camomillæ albæ & rubeæ, sumach, myrrhæ, anisi, asari, vsneę, calami aromatici, xyllobalsami an. par. i. cum vino aut vino cocto conficiantur: & per tres dies agitentur antequàm desiccentur: & si nimis siccantur etiam tribus diebus cum vino rorentur, deinde formentur trochisci, & ad vmbram siccentur.

Nominatio mithridati probati à summis medicis, quod est medicamen nobile, quòd si eo assiduè quis vtatur, potio mortifera non ei nocebit: appetitum efficit fortiorem, &c. Hoc antidotum causa Mithridati regis medici composuerunt, & Mithridates vtebatur hoc ad pręseruationem venenosorum.

Nominatio medicinæ conferentis omnibus venenis. ℞. Radicum & florum aniuden, id est plantæ silfij, cuius gummi est assa an. ʒ. i. sceha armeni, id est santonici, id est herbæ lumbricorum, quę est species absinthij ʒ. ij. mellis quòd sufficit bibatur cum succo pomorum.

Alia medicina. ℞. Cinamomi, medullæ leporis an. ʒ. ij. seminis naporum domesticorum & agrestium, castorei an. aur. i. conficiatur cum tribus ℥. butyri recentis & potui propinetur.

Nominatio medicinæ ex nucibus & ficubus, quæ omnes venenorum species & venenosorum animalium morsus nocere prohibet. ℞. Nucum à duabus corticibus excorticatarum par. i. salis grandinosi, foliorum rutę, amborum sextam vnius partis, ficuum siccarum quantum ad prędictorum sufficit cōmistionem, ex quibus cum commista fuerint, nucis fiat similitudo, & comedatur cum vino: & si vomuerit, iterum accipiat cum vino donec vomitus cesset, quia quandiu venenum in corpore fuerit, vomere non cessabit: & postquam venenum totum exierit, non vomet, sed quandiu vomuerit medicinam accipiat. Quicunq; veneno perimi timet, hanc nostram medicinam prius accipiat & venena non ei nocebunt.

Nominatio theriacæ de terra sigillata, quæ valde est probata: nam si ex ea aliquis qui venenum sumpsit potauerit, vomere non cessabit, donec totū euomat, & si totum euomerit, quantum veneni habuerit non vomet. ℞. Terræ sigillatę, baccarum lauri: amborum partes ęquales terantur, & cum butyro vaccino, inungantur & deinde cum melle conficiantur & recondatur: de qua ante cibum ei in quo mala habetur suspitio, aut post eum aliquid detur, aut etiam cum malum superuenerit accidens: nam si ex ea vtens venenum sumpserit, ilico eum vomere faciet, quapropter donec vomitus affuerit ipsa danda erit.

Post hoc autem significationes quæ apparent sunt attendendæ, & ex medicinis quas diximus cura adhibenda est quæ ei conuenit.

Medicina Almansoris de assa fœtida, quæ ad frigida venena facit &c. Cuius descriptio posita est superius auctoritate Rasis in Almansore lib. 8. cap. 1.

Albucasis medicina composita valde venenis probata. ℞. Aristolochiæ, thymi, mentastri fluuialis an. par. i. agarici par. s. cum vino cocto detur & post caricas siccas comedat.

Theriaca de assa fœtida omnibus venenis frigidis & febribus quartanis valet. ℞. Assæ fœtidæ, piperis nigri, foliorum siccorum rutæ, myrrhæ an. partes æquales. Assa fœtida prius in succo porrorum distẽperetur, & post cum melle conficiatur.

Theriaca exercitualis. ℞. Corticum radicum capparis, radicis colocynthidis, absinthij, aristolochię rotundę, herbę quę vocatur lingua Chaldęa, hazez, id est, hepatica seu lichen, seridis, id est, cicoreæ, ex his omnibus bene puluerizatis ʒ. ij. tribuantur.

Alia theriaca exercitualis. ℞. Seridis agrestis, foliorum pomorum acetosorum, coriandri sicci, partes ęquales: dosis de puluere istorum quantum tres digiti capiunt, conuenienter omnibus venenis frigidis datur.

Theriaca de libro Pauli quam composuit Armenis melior omnibus theriacis, potionibus venenosis, & mortiferis, & morsibus viperarum cum vino, aut cum melle decoctionis gentianæ detur, &c. Et est probata ab antiquis. ℞. Leucopiperis, id est, piperis albi, sem. iusquiami albi an. ʒ. xx. opij ʒ. x. croci ʒ. v. euphorbij, ameos, pyretri, castorei, folij, dauci, rutę, rosarũ rubearum siccarũ, seminis raphani, costi, rhabarbari, storacis, myrrhæ rubeæ, anisi, carui, casiæ lignee, fœniculi, cecilij, id est, cecidos, id est gallæ, cordumeni, acaie, baccarum lauri an. ʒ. i. spicę, seminis apij hortensis & montani, balsami, olei rosati, ciperi an. ʒ. ij. mellis quod sufficit.

Theriaca Ioannis Damasceni morsibus reptilium, serpẽtum & scorpionum & mortiferis potionibus subuenit. ℞. Gentianę, baccarum lauri, myrrhæ, aristolochiæ longę an. par. i. costi amari, aristolochię rotundæ, rutæ an. par. s. mellis quòd sufficit: & erit maioris efficaciæ si addatur croci, spicæ an. quarta pars: & si volueris eam denigrare, mitte ameos assum, & non oportebit crocũ neq; spicam ponere: dosis ʒ. i. aut aur. i. cum calida.

Theriaca cuiusdam Hispani morsibus serpẽtum & scorpionum & omnium reptilium venenosorum, & potionibus mortiferis & ventositatibus matricis optimè auxiliatur &c. ℞. Spicæ, cinami seni, aristolochię longę & rotundę, camedreos, gentianę, corticum radicum capparis, raphani, baccarum lauri an. ʒ. x. galbani boni, myrrhæ an. ʒ. xv. seminis cannabis, zedoarię, doronici an ʒ. iij. vnaquęq; species per se teratur: & puluis prius cum ʒ. x. balsami, inter manus fricetur, postea cum melle conficiatur, sub hordeo per sex menses reponatur: dosis in modum auellanæ cum tepida & morsu reptilium superponitur: si intoxicatis detur toxicum non eis nocebit.

Nominatio medicinę morsibus serpentum & scorpionum & quibus data fuerunt venena &c. auxiliatur, & est valde probata. ℞. Cinamomi, casiæ lignee, piperis longi, costi, castorei, galbani, spicę, opij an. part. i. cinani par. iij. gummi in vino cocto infundatur, aliæ species terantur, postea cum melle conficiantur: dosis in modum auellanę, aut parum plus, aut parum minus secundum virtutem patientis.

Alia nominatio medicinæ Digad medici de sulfure omnibus venenis venenosorum animalium & mortiferis potionibus: Et sicut aqua ignem extinguit, sic & hęc medicina omnia venena mortifera fugat, &c. ℞. Leucopiperis, id est

id eſt piperis albi, melanopiperis, id eſt piperis nigri an.aur. viij. ſeminis iuſquiami albi, cordumeni, myrrhę, olibani an.aur.x.ſulfuris viui aur.vi.mellis deſpumati, quod ſufficit: doſis in modum auellanę ſecundum naturam patientis. Alia Galeni, morſibus ſerpentum & ſcorpionũ, & mortiferis potionibus confert. ℞. Piperis ʒ.x.macropiperis, id eſt piperis longi ʒ.v.ſpicæ ʒ.ij. ariſtolochiæ, gubeiræ, id eſt meſpili, radicum, pulegij an.ʒ.i. componatur cum ſyrupo de xilocarattis, id eſt carnub, ſeu carobijs cum melle facto, ponatur ad ſolem per quadraginta dies ſemel in die cum ſpatula agitetur: & ſi nimis deſiccetur, de ſupradicto ſyrupo addatur: poſtea formentur pillulę in modum ſtercoris caprę, vel ouis, & bene ſiccentur: doſis pillula i.cum calida.

Theriaca morſibus ſerpentum & ſcorpionum & canis rabidi, & venenis mortiferis, & tenaſmonem patientibus: doſis aur.i.vel s.cum calida. ℞. Balſami, ariſtolochiæ, corticum radicum, capparis, harmel, id eſt, vnius ſpeciei rutę, gentianę an.aur.iij, baccarum lauri, ſeſami, myrrhæ rubeę, ſtoracis, leucopiperis, id eſt piperis albi: macropiperis, id eſt piperis longi xxxiij. cinami, ſpicę, croci an.aur.ij.mel quod ſufficit quanto veterior, tanto melior.

Alia theriaca Andromachi: Galenus ait, quòd multum proficit morſibus viperæ & reptilium cum vino, & mortiferis potionibus: ante cibum accepta valde operatur &c. ℞. Spicæ, caſtorei, opij, ſucci mandragoræ, an.aur.ij.myrrhę, fæcis, vel ſtoracis, balſami, cinami, coſti, piperis albi, galbani an.aur. i. ſuch, id eſt galliæ, dauci, croci, amomi, caſsię lignee an.aur.i.s.mel quod ſufficit.

Theriaca de alijs omnibus morſibus reptilium & omnibus venenis. ℞. Aliorum purgatorum, & ponantur in olla orificium amplum habente, & ſuperfunde mellis par.i.butyri vaccini, par.s. & non apponas de liquore niſi tantum quòd alia bene infundi poſsint: poſt ad ſolem per quadraginta dies ponantur, & bis aut ter de tertio & in tertium moueantur, & ſi fiat ſine butyro, maioris efficacię erit: doſis eſt ad libitum.

Alia theriaca completa morſibus ſerpentum, viperarum, ſcorpionis, canis rabidi, & mortiferis potionibus &c. ſubuenit, ſecurè datur, & perfectè probata eſt. R. Coſti, caſsię lignee, xyllobalſami, gentianę, ariſtolochię longæ an. par.i.myrrhę, ſeminis paſtinacę agreſtis, aniſi, ameos, pulegij montani, aſari, pyrethri an.par.s.ſpicę gar.maſticis, piperis, rutę, croci an.quartam partẽ.mellis quod ſufficit, & antequam vtatur inueteretur: doſis ʒ.ij.vel iij.cum vino vel cum aqua decoctionis fœniculi, aut cum calida, & citò ſupradictis ſubuenit.

Theriaca mirabilis probata morſibus ſerpentum & reptilium, ſumma medicina exiſtit &c. Et hęc theriaca pro maiori vbicunq; volueris dari poterit, & Ioannes ea vtebatur. R. Ariſtolochię longę, gentianę, raphani, pyrethri purgati, baccarũ lauri excorticatarũ an.℥.i.ariſtolochię rotundę, zedoarię, doronici, artanitę, balſami, ireos an.℥.s.vnaquęq; ſpecies per ſe teratur & tricocinetur, mellis quantum ſufficit: doſis ʒ.i.vel aur.i.cum calida: Qui ſumpſerit hanc theriacam ante venenum, non ei nocebit. Et ſi non habueris doronicos, pone pro eis galangam, aut coſtum.

Theriaca de bolo valet mortiferis venenis & morſibus reptilium & venenoſorum animalium: & eſt mirabilis & probata. R. Terrę ſigillatę, boli, baccarum lauri an.ʒ.i.coaguli gazelis ʒ.viij.coaguli leporis ʒ.iiij.gentianę, ariſtolochiæ rotundę, rutę, myrrhæ, foliorum lauri an.ʒ.i.mellis quod ſufficit: doſis in modum fabę cum calida. Alij huic antidoto addunt dauci, aſari, ſampſuchi, petroſelini an.ʒ.i.puluis iſtarum cum balſamo fricetur, & cum ſupradicto melle miſceatur: ſed ſupradicta medicina ſine additione eſt vſitata. Medicina Idica his qui biberunt venenum mortiferum. R. Nucis vomicæ, ſtercoris bouini recentis, omnia ſimul miſce cum frigida & potui detur.

Theriaca Idica, quæ fuit inuenta in scrinio regis Indiæ: omnia venena, tam animalium quàm hominum & venenosorum ciborum potenter fugat. ℞. Seraiæ, id est seridis, id est cicoreæ, fœnugræci an. lib. s. succi seraiæ, succi erucæ, succi rutę, succi thimi, succi radicis, succi corticum radicum, capparis an. lib. s. coræ, id est arboris stipticę: vnde fit acacia lib. s. omnes succi cum corę ad ignē ponantur & coquantur vsq; ad medietatem: deinde sumantur assæ fœtidæ, galbani boni an. aur. ij. draganti, olibani, mastichis, costi marini an. aur. i. s. piperis aur. iij. allij masculi aur. v. origani agrestis, origani hortensis an. aur. ij. origani ruffi, origani lapidei, epitimi quercini, origani minuta folia habentis, an aur. ij. s. carniat, id est aquæ origani fluuialis, aur. s. & carniat pomorum & foliorum siccorum, & foliorum basilisci æstiui an. aur. ij. carniat lapideæ, id est speciei origani lapidei, quæ assimilatur maioranæ aur. iij. (& istæ tres species sunt mentastrum montanum, hortulanum, & agreste) galangæ, piperis longi, cimini, seminis apij an. aur. ij. myrrhæ aur. iij. vnaquæq; species per se teratur, & gummi in aceto infundatur, & cum supradictis succis cum melle iterum coctis conficiatur, per vnum mensem in horreo reponatur: dosis forti viro aur. ij. puero aur. i. cum succo basiliconis, aut cum ydromelle distemperetur, & potui propinetur, morsui reptilium epitimetur.

Alia theriaca morsibus reptilium, & omnibus valet, quibus & supradicta. ℞. Aristolochiæ longæ, iridis iliricæ, radicis saliuncæ, pyrethri, dauci, ellebori nigri, cimini, nitri, foliorum gembut, id est, arboris carubiæ, seu xillocarattæ, staphisagriæ, baccarum lauri, fœnigræci, coaguli leporis, cinamomi, cancri fluuialis, galbani, opij, casiæ ligneæ, carpobalsami, seminis andacochæ, seminis napi, corticis dulb, id est platani, id est arboris producentis valineam, seminis tamarisci, nucis recentis cypresi, an. partes æquales, conficiantur cum melle & succo capparis: dosis in modum auellanæ cum vino cocto limphato.

Alia medicina valens his, qui biberunt venenum mortiferum, & morsibus serpentum, & viperarum, & omni veneno venenosorum animalium. ℞. Opij, myrrhæ, an. drach. i. piperis drach. i. s. aristolochiæ longæ & rotundæ an. drac. iij. seminis karmel, id est, speciei rutæ, cymini, nigellæ an. drach. vnam gentianæ drach. iij. rutæ drach. vnam conficiantur cum melle & succo erucæ: dosis aur. i. cum vino cocto.

Nominatio theriacæ diatessaron, quæ puncturis scorpionum & pernitiosis venenis aliorum venenosorum animalium confert, & maiori theriacæ in bonitate similatur. ℞. Gentianæ, aristolochiæ, baccarum lauri, myrrhæ, omnium partes æquales. Hæc cum melle confecta reponantur, & ex hac medicina cum necessitate fuerit in potu ab vno aur. vsq; ad ij. s. cum ℥. i. veteris vini sumatur: Virtutes huius theriacę sunt nouem: prima quia puncturas serpentium curat: secunda morsibus scorpionis opitulatur &c. His qui biberint vel comederint cibaria venenosa: dosis in modum auellanæ aur. i. cum aqua frigida.

Theriaca sceum, id est nigella omnibus passionibus in traneis & venenis mortiferis potenter subuenit: dixerunt philosophi, quòd theriacæ maiori vicinatur. ℞. Piperis nigri ℥. iij. opij ℥. v. rosarum siccarum, ireos, seminis napi, liquiritiæ purgatæ, agarici, cinamomi an. ℥. iiij. galbani costi dulcis, & amari, seu copiperis, id est piperis albi, casiæ ligneæ, myrrhæ, spicæ, florum squinanthi, olibani masculi, piperis longi, prasij Macedonici, id est olusatri, seu hipposelini (quòd est vna species apij) terebenthinæ, opopanacis folij, mentastri Romani ʒʒ. pentaphylli, saliuncæ, stœchados Arabicæ, galangæ, seminis pastinacæ agrestis, centaureæ, polij montani, betonicæ, gentianę, succi mororum agrestiū, calchanti, assij, carpobalsami, fœniculi, seminis apij, raued, psilij,

acori,

acari,acaciæ,aristolochiæ rotundæ,picis marinæ,succi hyeca, id est berbenæ, balsami an. ℥.s.trochiscorum scilliticorum ℥.ij.trochiscorũ de vipera ℥.i.sceum id est nigelgellæ,lib.v.species terãtur:gummæ in vino soluantur: & post conficiantur,vt theriaca maior per sex menses reponatur:ad plurima valet,quibus theriaca maior:quia recipit sceum in magna quantitate.Zaraui dixit,quòd tantum de sceum debet recipere, quantum omnes species: & dixit plus morbis frigidis conferre.

Theriaca Ysaac leuis,& cito adiuuans. R.Colocynthidis,baccarum lauri, gentianæ an.par.i.prasij par.s.mellis quod sufficit:dosis ʒ.i.aut ij.

Alia theriaca,quam omnes Philosophi Romani,Indi & Fericim cõmendauerunt,morsui serpentum & scorpionum,& canis rabiosi, & veneno mortifero &c. R.Balsami,aristolochię,gentianæ,piperis an.ʒ.ij.galbani,storacis liquidæ,myrrhæ rubeæ, baccarum lauri an. ℥.i. mellis quod sufficit: hęc theriaca quanto vetustior,tanto melior.

Alia theriaca leuis Maedati Arabici,dicta sancta medicina,cuius virtus theriacę maiori vicinatur. R.Aristolochię longę & rotundę,gentianę,baccarum lauri,galbani optimi,trochisco, de vipera an.mellis quod sufficit:dosis in modum fabę cum vino veteri,aut cum vino cocto, & quanto magis inueteratur, tanto melior efficitur.Eandem efficaciam habet quam & theriaca maior, sicut diximus.Recepta trochiscorum de vipera,& trochiscorum squiliticorum posita est in cap.immediatè sequenti: ideo illuc recurre pro complemento noticię istius theriacę,& tertię pręcedentis.

Albucasis theriaca de tribus speciebus multum experta, omnibus venenis & morbis de frigida causa. R.Absinthij,seminis coriandri sicci,sceum, id est nigellę an.part.i.mellis quod sufficit: dosis ʒ.i.aut aur.i. Terra sigillata valet his qui biberunt medicinam venenosam: dicitur quòd multum valet contra venena mortifera:vnde si quis suspitiosus antequam potionem venenosam bibat terram sigillatam biberit, vomitum prouocabit, & non cessabit vomere, donec totum venenum expelletur,& postea non nocebit, & plus operatur si cum bacchis lauri detur. Sceha armenum, id est, santonicum, seu herba lumbri eorum (quę est species absinthij) anchusa,angaricus,semẽ pastinacę,mentastrum montanum & aquaticum,semen erucę,semẽ harmel, id est vnius speciei rutę saliunca,cinamomum, aristolochia longa, semen rutę agrestis, prasium,& succus eius,semen naporum,assa fœtida,arantij acetum, id est acetositas,& pomi citri,nasturtium,semen bedaruzi,id est ozimi fluuialis. Radix aniuden,id est silfij plantę, cuius gummi est assa: opopanacum, succus bacharę montanę,id est asari montani,& radix eius, semen castaram, id est betonicę: oleum commune,& decoctio maluchię,id est maluę.Bothor marien, id est panis porcinus.Basilicon maius, Mandragora cum melle, decoctio fœniculi, semen rutę domesticę,galbanũ,coagulum leporis,nigella, decoctio polij montani,siseleos,ireos,folium,& succus pentaphylli, summitates caulium, farinę, horobi ʒ.x.cum vino venenum mortiferum expellunt.

Albucasis septima particula Azarauij. Vomitus choleram nigram excutit,& venenum sumptum eijcit. R.Salis Indi,elaterij,id est succi cucumeris agrestis,seu asinini,baurach an. sinapis par.s.fac puluerem: totum cum ydromelle bibat.

Albucasis nona particula Azarauij.Electuarium Cęsaris venenis & morsibus reptilium subuenit &c. R.Castorei, succi liquiritiæ,casię lignee, costi amari,melanopiperis,macropiperis,storacis,opij,spicæ an.ʒ.iij.opopanacis ʒ.i.moschi,dauich ij.id est quartam partem ʒ.vnius zedoariæ, doronici, margaritarum an.ʒ.s.myrrhę ʒ.viij.mellis quod sufficit:dosis in modum ciceris.

Albucasis decimatertia particula Azarauij. Secaniabin Dioscoridis quando bibitur, humores laxat &c. & valet morsui viperæ. Et ad eos qui opium biberunt, & ad medicinam mortiferam &c. ℞. Aceti lib. v. salis marini. M. ij. mellis & aquæ an. M. x. Et per decem vndas bulliant, & postea infrigidentur, & vsui reseruentur. Rob de pomo citrino valens venenis mortiferis bibitis &c. ℞. Pomi citri acetositatem, succus ex eo prematur & coquatur, donec quarta vel quinta pars remaneat secundum arbitrium tuum, deinde administretur: sed si volueris cum melle & saccharo facere, de semicocto facias, sed in eadem quantitate mel aut saccharum sit, & fiat rob in modum syrupi.

Albucasis decimaseptima particula Azarauij. Trochisci frigidi stringentes, valent ad eos quos medicinæ venenosæ vulnerauerunt, & excoriauerunt stomachum. ℞. Antheræ, id est fructus rosæ existentis rubei in autumno continentis rosæ semina, balaustiæ, spodij, an. part. i. margaritarum, asari an. par. s. seminis coriandri, costi an. part. i. terantur, & cum aqua citoniorum, aut cum aqua pomorum, aut cum aqua granatorum, aut cum aqua myrti conficiantur, & fiant trochisci ad pondus vnius aurei: dosis trochiscus vnus cum aliqua aquarum constrictiuarum.

Albucasis vigesimaquarta particula Azarauij. Modus ceronei ad plebem, & est fortè ad venenum extrahendum, & prohibet illud penetrare, & ad remotas partes extendere. ℞. Nitri, sinapis, fabæ kali, id est planæ in littoribus maris nascentis similis vermiculari, ex qua combusta fit cinis, ex quo fit vitrum salis armoniaci: fiat ex toto linimentum cum aceto forti, & ex eo liniatur.

Albucasis vigesimaquinta particula Azarauij. Oleum de auellanis mediocre est & subtile, valet venenis & puncturis animalium, & extractio eius est, sicut olei de nucibus. Oleum de lateribus, & est probatum, quod dicitur Petroleum, & est dictum oleum benedictum: virtutes huius olei sunt, sicut virtutes olei nast: nisi quia acutius est & subtilius, & melius corpora penetrat, & magis valet passionibus frigidis & phlegmaticis: & eius subtilitas tanta est, quòd si palma inungatur, eam penetrat &c. Et omnibus venenis frigidis & puncturis scorpionum, & bibentibus opium, & iusquiamum, & his similia valet: & eius virtutes sunt innumerabiles, & melius est odoriferum & rubeum & subtile. Et quando ponitur in capite stili, & igni apponitur, cito accenditur. Et quando plagella filtri aqua infusa accipitur, & ex eo inungatur & accendatur, si flammam emiserit erit bonum, & non sophisticatum, & est probatio eius, & operatio eius hæc est, vt accipias olei veteris ad libitum. Et accipe tegulas rubeas nouas in aqua coctas in modum ℥. i. vel ij. incende ignem super eas donec rubescant, & accipe vnam & vnam, & intinge in oleo, donec omnes in eo extinguas: postea tere eas grossè, & imple ex eis ollas distillationis, & ollæ vitreatæ sint, & sint ignem patientes, argillatæ sint cum luto sapientiæ: deinde mox fiat furnus tantæ capacitatis, vt duas ollas vel tres, vel quatuor, vel quinque capiat, secundum quòd ex eo facere volueris, sed furnus assimiletur furno aquæ distillationis rosarum, nisi quia ollæ istæ in furno intus pendere debet, & nulla differentia inter eas & ignem sit: deinde pone capita super ollas alias, & argilla scissuras coopertorij cum luto sapientiæ, & dimitte desiccari: deinde ignem suauiter sub ollis accende. Et quando ollæ calidæ fuerint, maiorem ignem fac: & sic facias, donec aquam sub ollis distillare videris. Et accipe aquam illam & repone & iterum ignem accende, donec videas oleum rubeum distillare. Et caue ne ignis oleum accendat, quia postea ignis extingui non posset, & semper ignem fac, donec nihil distilletur, sed permitte furnum infrigidari, & post trahe fæces ab ollis, & alias tegulas pone prædicto modo præparatas, sed caue ne ollæ sint fractæ. Et si fuerint fractæ pone in ampullam vitream,

lam vitream, & os eius claude cum luto & pilis, aut cum cera, ne virtus eius minuatur: & administretur in omnibus paßionibus frigidis, quas diximus.

Hoc oleum est de secretis phisicæ occultæ: quia nos scriptum non habemus, nec inuenimus, sed auditu percepimus. Similem modum faciendi oleum de lateribus ponit Albucasis 28 particula Azarauij, cap. de Modo faciendi oleum de lateribus.

Modus olei Ioannis Damasceni &c. valet venenis mortiferis quando bibitur, vel super locum puncturæ illinitur: & est probatum, & fuit compositum cum modis sapientiæ.

℞. Pulpæ colocynthidis ℥.xx. aloes succotrini ℥.x. scillæ ℥.v. gentianæ, prasij, catapuciæ maioris, baccarum lauri an. ℥.v. amomi, piperis, spicæ, xylobalsami, gar, cinamomi, piperis longi, aristolochiæ longæ & rotundę, caßiæ ligneæ, polij montani, floris squinanthi & radicis eius, seminis iusquiami ℥ß. an. drag. iiij. omnia terantur, & in olla ponantur, & desuper proijciatur aquæ lib. ij. olei costi, & olei radicis, id est, raphani domestici, olei sisami an. lib. i. Et coquatur donec consumatur aqua, & oleum remaneat: deinde coletur, & ad ollam reducatur & coquatur, donec humiditas quæ remansit, consumetur, & in eo distemperetur croci aur. iiij. & administretur: dosis aur. ij. cum aqua decoctionis epithymi.

EX AVENZOARE.

Auenzoar primo Teysir, tractatu primo de Theriaca & modo assumendi eam. Rememorati sunt medici, quòd qui bibit drag i. theriacæ alfarot, id est liberatricis, id est theriacæ magnæ ante cibum cum aqua calida omnibus decem diebus tempore hyemis, euadet nutu Dei à febribus putridis, & ab epilepsia, & à cholica, & conseruabitur sanitas omnium membrorum, & dicunt quòd tardat canos: & qui hoc continuauerit per annum, non lædetur à morsu animalium venenosorum, neque à veneno, neque à medicina pestifera cum adiutorio Dei, & qui bibit theriacam, securus est à nocumento potus aquæ malæ: & si aliquis fluxum magnum patiatur causa alicuius medicinæ acutæ, vel ex aliquo humore venenoso, seu malo, curatur ex eo: & qui habuerit prędictum fluxum, si acceperit pondus nouem granorum hordei, & smaragdo trita & subtiliter cribellata, cum aqua calida, ieiuno stomacho, curabitur ex eo. Et est necessarium ei, qui acceperit theriacam vel smaragdum, vt tardet à cibo & potu, vsquequo transeant horæ septem, vel parum plus, vel minus ab ipsorum receptione: & pręmonitum est de theriaca, vt non admisceatur cibo in corpore humano. Intelligendum est si neceßitas non affuerit ex causis nociuis fortibus, velut est morsus serpentis, aut potus alicuius veneni, aut potus alicuius medicinę mortiferę: quoniam in istis & sibi similibus, neceßitas nos inducit ad ipsam propinandam: & causa monitionis non miscendi theriacam cum cibo est, eo quòd Deus dedit sibi virtutem expellendi nociuas causas obuiando, & ipsa accepta non est obediens membris facientibus digestionem ad recuperandam digestionem, & cum iam sit mista cibo, tunc recipit cibus dispositionem ex hoc, quæ est difficilis digestionis: vnde accidit bibenti inquietudo & dolor, donec expellatur cibus, antequàm corpus recipiat nutrimentum, & amittitur cibus prę dolore & angustia patientis, sed tempore neceßitatis leuiter poterit tolerare talem dolorem & inquietudinem. Et dicunt etiam, quòd comedere auellanas & nuces cum ficubus, existit theriaca paruis venenis, & allium in hoc fortius reperitur esse.

Et dicunt, quòd comedere cortices citri confortat cor, & omnia membra principalia, & semina eorũ habent venenorum acuitatem remouere. Et dicũt

iterum, quòd sumere cortices paruarum limaciarum in potu, & in cibo paruis confert venenis.

Tractatu 13, cap. de Icteritia citrina. Et fit etiam icteritia ex potu alicuius rei malitiosæ, sicut accidit Azir filio Haly, qui erat Comestabilis Regis, qui misit pro me, vt ad eum in Sibiliam ire deberem, & inueni glaucum eum in corpore toto, sicut corticem citri, & amiserat appetitum comedendi ex toto: & considerando cum omni solicitudine super negocio, graue mihi valde videbatur inuestigare & certificare me de causa huius ęgritudinis, & hac de causa non audebam ei curam adhibere: & considerando præcedentia infirmantis, non videbam quòd ex ipsis istud accidens habere debuisset, eo quòd in eodem instanti in quo habuit icteritiam, habuit similiter & casum appetitus: & cogitaui quòd comedit vel bibit rem venenosam: de natura cuius erat conuertere complexionem corporis totius in choleram: & dixi, quòd hæc conuersio erat ex proprietate rei dictę, & non ex sua cõplexione. Quare conuersus ad eum confidens totaliter in eum, rogaui, vt non timeret, cum ei minimè plus nocumenti inferrem, quàm illud quod habere videbatur: dedi ergo ei ad bibendum pondus trium granorum hordei de bezaaro cum ℥. v. aquę cucurbitę, ad reprimendum furiositatem illius caliditatis acquisitæ, & bezaard ad expellendum venenum, & sic posui complexionem cucurbitæ frigidam contra complexionem calidam patientis: & proprietatem bezaard contra qualitatem & proprietatẽ veneni, & sic inde perfectè fuit liberatus: vnde ex hac cura fui mirabiliter commendatus: & qui viderunt & audierunt, venena pro nihilo reputabant, faciendo illud. Libro secundo tractatu primo, cap. de Excoriatione intestinorum. Excoriantur aliquando intestina, aut ab humoribus acutis mordicãtibus ipsa, aut ex veneno ebibito acuto, quòd si à principio huius passionis sciueris eam esse ex veneno certissimè, tunc dare debes infirmo ex optimo smaragdo pondus vi. granorum hordei optimè trito, distemperato cum aqua ab bibendum, & videbis in opere huius & in effectu mirabilem rem accidere, & euenire illi qui sumpserit ipsum: quoniam incontinenti post assumptionem huius, incipit habere angustiam cordis, & videtur ei quòd omnia membra eius erradicentur adinuicem: & si post hæc sudauerit infirmus dormiendo, pro constanti habeas quòd erit liberatus omnino, & fac quòd ille qui sumpserit smaragdum, abstineat à cibo omnino vsq; ad decem horas, vel saltem vsq; ad octo, & expertum est, quòd suspensio smaragdi in dysenteria & in hæmorrhoidibus existit mirabilis efficaciæ & iuuamenti. Cum autem liberatus fui, & euasi à manibus Haly & suorum hominum, rediens Sibiliam, vidi in via quandam herbam, quam putaui esse adion syluestre, & non dubitabam: & accepto de illo comedi modicum, & inde babui dysenteriam magnam cum dolore ventris, & cum perueni Sibiliam, adhuc durauit dysenteria: tunc suspendi super vẽtrem meum smaragdum vnum, & aliud posui in ore absq; trituratione, & liberatus fui incontinenti. Rabi Moyses 21 particula, suorum Aphorismorum auctoritate Galeni in expositione eius in sexto Epidimiarum. Lac & vinum bulita acetum & sal sunt vtilia veneno, vel ei quod concreatur in corpore veneno simili. Auctoritate propria: Hoc quod dixit debet intelligi, quòd quodlibet istorum est vtile veneno & quod componitur ex eisdem iuxta statum veneni cuiuslibet. Auctoritate Galeni, secundo Miemir, id est decem tractatuum. Darsini, id est cinamomum, est medicina multum subtiliatiua &c. & adaptat medicinas mortiferas & animalium venena: & post hanc in bonitate est selica, id est casia lignea bona: & post selicam, omnis species aromatica quemadmodum spica, squinanthum, calamus aromaticus & meu. Auctoritate Galeni in particula eius, de Theriaca ad Cæsarem. Sumitur ex theriaca ad curationem

nem venenorum, quantitas auellanæ vnius mista, cum vino quãtitate cochlea rium trium, & in ęgritudinibus alijs theriacæ quãtitas & fluentium miscendorum & ad inuicem est diuersa: & hæc medicina bona est, tam pestibus corporis quàm animæ. Aphorismo vltimo auctoritate Compluti: Dixit Complutus in introductorio suo, quòd selica, id est cassia lignea expellit venenum scorpionum & aliorum animaliũ, & est bona his bonitate cognita. Particula 22. suorum Aphorismorum auctoritate Compluti. Succus frondium arboris mali acetosi, remouet malitias veneni mortiferi & pũctionem omnium animalium venenosorum. Rabi Moyses in libro de Venenis, tractatu 1, cap. 3, videlicet de Medicinis simplicibus & vsu earum conferentibus morsuris omnium venenosorum. Referã meliores ex simplicibus medicinis apud nos repertis & maioris iuuamenti in proposito: quarum quidem experientia est à pluribus approbata. Ex his ergo est semen pomi citri: ipsum enim resistit efficaciter omnibus venenis humanum corpus necantibus, siue offendat corpus prędictum ex morsura animalis venenosi, aut quia per os interius assumatur, est autẽ modus propinationis ipsius, vt ex eo trito à cortice suo mundato sumantur ʒ. ij. cum vino vel aqua frigida, neq; est differentia, siue fuerit semen pomi citri dulcis, vel etiam acetosi. Ex his etiam est smaragdus ex quo eligatur ille, qui vehementis fuerit nitoris & diafonitatis, & sumatur ex eo bene trito pondus nouem granorum hordei cum aqua frigida, vel cum vino: deinde inquit Auenzoar indubitanter expertum esse, de obuiatione & resistentia ipsius, omnibus venenis pellendo cum vomitu, sicut facit terra sigillata: vnde ponitur vice ipsius in compositione theriacæ cum non reperitur. Et Galenus quidem fecit rememorationem lapidis bezaar animalis, & est seminis glandi in figura, & color eius est valde viridis: efficitur autem vel generatur, paulatim ingrossando vel inspissando, & ob hoc reperitur in eo cortex super corticem: ferunt autem quidam, quòd generatur in angulis oculorum quorundam arietum, versus orientem existentium: alij autẽ dixerunt, quòd in saculo seu bursa fellis prædictorum animalium generatur, quod quidem dicimus esse verum. Verum bezaar minerale, est lapis in regione Aegypti in rupibus eius repertus plurium & diuersorum colorum, de quo priores in libris suis asserunt multa mira, nihil tamen ex eis est per experientiam approbatum: Ego autem pluries expertus sum omnes species lapidum in mineris & saxis apud nos repertorum in morsibus scorpionum, & nihil penitus profuerunt. Quod verò de bezaar animalis est relatum, est per experientiam pluries approbatum. Modus autem propinationis & præparationis ipsius est, quòd sekel, id est, hexagium vnum ex eo, cum sufficienti oleo dissolutum liquefiat in patella & coquatur, donec octaua pars ipsius sit cõsumpta, & sorbeat totum ille qui morsus fuerit: & si ex eodem idem morsuram linierit curabitur, & euadet auxilio Dei. Harũ autem trium medicinarum est experimentum veraciter approbatum, in omnibus venenis tam animalium quàm vegetabilium, quàm etiam mineraliũ: & sunt istę semen pomi citri, smaragdus & bezaar animalis. Et retulerunt certificatum esse experimentum oculata fide cuiusdam herbæ repertæ circa domum sanctam Hierusalem, & quidam dicunt quòd sit tormentilla. Sumat ergo patiens ex ea trita ab vna ʒ. vsq; ad iij. cum vino vel aqua frigida, & liberabitur, seu euadet: non tamen attingit in hoc virtutem, seu potentiam smaragdi, nec potentiam bezaar animalis: pro quanto decet, vt quilibet potens hæc habere teneat & habeat ea parata secum cõtinuo. Retulit tamen mihi quidam cognitor herbarum, quòd radix prædicta esset radix coronę regię, id est meliloti. Rursus si sumatur à medietate vnius ʒ. vsq; ad sekel, id est, hexagium vnum de quocũq; coagulo cum aceto, & maximè leporis liberabit quidem à venenis animalium & volatilium

& vegetabilium. Ex conferentibus etiam ad hoc est, vt sumatur medietas sekel, vnius spicæ Romanæ cum vino distemperatę. Quod est etiam valde vtile ad hoc, est, si medietas vnius sekel sumatur ex electo balsamo cum lacte protinus mulso. Item ʒ.vi.xylobalsami coquantur in lib.s.aquæ, donec tertia pars eius sit consumpta, & actu calida in potu offeratur. Concordati sunt etiā omnes medici super allijs, quòd loco theriacæ maioris offeratur ad resistendum omnibus venenis frigidis. Conferunt etiam & protegunt à venenis calidis. Modus autem præparationis est, quòd ex dentibus eorum excoriatis, siue ab eorum corticibus extractis & quassatis, siue contritis offeratur ad glutiendum ab vno sekel vsq; ad ij. Item sumatur ex zinzibere condito ʒ.ij.radicis mandragoræ tritæ & cribellatæ, cum ʒ.i.mellis incorporatæ. Item propinentur ij.sekel, id est exagia ex puluere darseni & cinamomi electi cum frigida. Item propinetur sekel i. ex costo amaro puluerizato cum vino. Hoc etiam vno & eodem pondere offeratur aristolochia longa per se vel agaricus. Item offerantur ʒ.ij.cum vino & aceto, radicis iris, id est ireos, aut pulueris seminis apij cum vino. Aut propinentur ʒ.iiij.cum vino vel aqua cimini, vel anisi, aut offeratur decoctio cancrorum fluuialium. Hæ autem omnes quantitates relatæ offerendę sunt eis, qui sunt assueti accipere eas, seu dispositi ad assumptionem earundem, sicut habens viginti annos, vel plus. In habentibus autem à decem annis vsq; ad viginti, sunt verè mensurandæ prædictæ quantitates, secundum numerum annorum ipsorum: vnde quanto anni ipsorum amplius minuentur, tanto etiam quantitates prędictarum medicinarū amplius minuātur.

EX MOSE.

Rabi Moyses in libro de Venenis, tractatu primo, cap.4, videlicet de theriacis & medicinis compositis conferentibus & liberantibus à venenis. Melior autem ex istis & efficacior est theriaca magna. Ex qua offeratur à quarta parte vnius ʒ.vsq; ad sekel, id est exagium vnum. Et post ipsam est mithridatū ex quo offerendum est à quarta parte vnius sekel, vsq; ad sekel i. Et post hoc est theriaca diatessaron, quæ ex quatuor medicinis componitur: potest autem dari ex ea an.ʒ.i.vsq; ad ʒ.iiij. cuius compositio est, vt sumatur ęquis ponderibus ex myrrha, ex baccis lauri, aristolochia longa, & gentiana: quibus conuenienter tritis incorporētur, cum triplicato pondere omnium earum mellis despumati. Quælibet autem ex prædictis medicinis in theriaca existens, est conferens & liberans ab omnibus venenis, & pro quanto sic prædicta conferunt: theriaca tamen fuit prima, quam priores composuerunt contra omnia venena in generali. Ex conuenientibus etiam est theriaca ex assa fœtida, cuius rememorationem facit Rasis, asserens eam conferre vel prodesse cōtra omnia venena, propter quod decet, quod in promptu habeatur: cuius compositio hęc est.

℞. Foliorum rutæ siccæ, mentastri sicci, costi menthæ, piperis nigri, & pyrethri an.ʒ.i. assæ fœtidę ʒ.i.s. liquefacta assa fœtida in vino, & cribratis reliquis incorporentur omnia simul cum melle despumato & inspissato, & sumatur ex ea in regionibus calidis ab vna ʒ.vsq; ad ij. sed in regionibus frigidis a.ʒ ij.vsq; ad iiij. Theriaca etiam ex nucibus composita, est solennis & insignis valde in proposito, propterea oportet vt parata habeatur: nam nullum venenum operatur in eo, qui sumit eam ante cibum. Et componitur ex nucibus ficubus sale & ruta. Et Galenus quidem metitus est quantitatem cuiuslibet ex prædictis, dicens, quòd sumatur foliorum rutæ pars vna, nucleorum nucum & ficuum siccarum an.par.ij. salis pars decima, in alia pars quinta: quibus conuenienter tritis incorporentur simul. Rasis tamen decreuit, quòd sumatur nucis siccæ à cortice suo mundatæ pars i. salis grosi, & foliorum rutæ siccæ, an. sexta pars vnius partis, caricarum albarum, ad quantitatem qua posint omnia simul in-

corporari,

corporari, & fiant inde partes ad quantitatem nucis valde paruę: ex quibus sumatur vna tempore opportuno. Inquit, Compilator. Ego quidem collegi ex dictis antiquorum & posteriorum huius medicinas compositas generaliter prædictis venenis conferentes, quæ quidem faciliores sunt & tutiores, magisq; conferentes: quarum efficacia magna est effectu subtili approbata: vnde propinentur ex eis quæ magis placebunt ministranti. Omnes autem theriacæ prædictæ cum vino vel decoctione anethi, vt prędixi, sunt sumendæ, & doses earum inter maiores & minores medię existentes, variandę sunt penes ętatem patientis intensionem vel remissionem accidentiũ, & penes regiones & tempora anni. Nam tempore & regione frigidis possunt patientes sumere fortes medicinas, non autem in calidis. Cap. 6. Qui morsus fuerit ab animali aliquo venenoso, aut etiam venenũ in potu assumpserit, vtatur micis panis cum oleo & butyro &c. Auctor pręsentis operis. Residuum pręfati cap. positum est infrà in tertio cap. quinti libri: & ideo pro eo illuc recurre.

Tractatu secundo, cap. secundo: De regimine eius qui sumpsit venenũ, vel timet assumpsisse in generali. Oportet ergo, vt qui cibum sumpsit de veneno infectum, aut qui credit eum assumpsisse, procuret primo & celeriter vomitũ & reiectionem cibi sumpti, sumendo in potu tepidam aquam decoctionis anethi, cum magna quantitate olei, vt mundificetur stomachus eius: Quo facto bibat consequenter multum lac recenter mulsum, & postea vomat seu reijciat ipsum: deinde moretur aliquantulum, & post sumat butyrum, & reijciat ipsum consequenter. Fertur etiam, quòd in stercoribus pullorum gallinaceorum sit proprietas magna prouocãdi reiectionem veneni sumpti per vomitum, propter quod decet quòd ℥.ij. ex eis cum aqua calida sumantur, & consequenter vomitus prouocetur. Et sciendum, quòd sæpe olea & pinguedines & axungiæ tollunt & superant malitiam & inimicitiam veneni assumpti, & cum hoc etiam interponunt se inter membra & venenum assumptum. Post hæc autem omnia sumat ex cibis simplicibus, vel compositis protegentibus & liberantibus à venenis. Sumat ergo immediatè quæcunq; prius inuenerit ex prędictis. Et postquàm exierit venenum à stomacho per aliquas horas inducantur, sicut dictum fuit in tractatu eorum, qui mordentur à venenosis ad cibos, quorum relatio facta est ex sexto cap. primi libri: & breuiter regatur regimine supradicto, & prohibeatur ei somnus, donec cibus eius sit digestus. Et si tunc eius operationes saluæ & laudabiles videantur dormire & quiescere permittatur, & cibis memoratis duobus vel tribus diebus nutriatur. Et post hoc detur ei aliqua ex medicinis theriacalibus, seu liberantibus simplicibus vel compositis, secundum quòd magis videbitur expedire, quæ cum ab eius stomacho exierit cum pullis gallinaceis nutriatur, donec ad pristinam redierit sanitatem. Et si post hęc omnia contingant patienti symptomata, sicut dolores & torsiones in stomacho & ventre, vomitus & fluxus ventris: tunc quidem erunt necessarij multi canones in curatione & regimine accidentium prędictorum: de quibus tractare minimè intendimus in hoc libro. Cap. 3, videlicet, de Medicinis simplicibus & compositis conferentibus ei, qui sumpsit aliquod venenosum in generali. Medicinæ quidem protegentes & facientes euadere à venenis quibuscunq; tam simplices quàm compositæ dicuntur theriacales & bezaarticæ. Bezaart enim nomen est Persicum, & constat quòd pręstantior inter has medicinas omnes compositas liberantes ab omnibus venenis necantibus est theriaca magna electa, & post ipsam mithridatum, & post ipsam diatessaron. Ex simplicibus verò melior est smaragdus, ipse enim est insignis theriaca contra omne venenum, tam per os assumptum, quàm cuiuslibet animalis venenosi. Habet etiam proprietatem confortandi cor, & hominem si solum ore te-

neatur. Et appensum super stomachum exterius confortat, & confert dolori ipsius, sicut asseruit Auenzoar. Hic autem potior fuit inter omnes experimentatores, ipse enim & diutius & diligentius alijs in certificatione experimentorum laborauit. Et potuit hoc adipisci, quia multum diues fuit, & quia præ omnibus alijs huius artis certam habuit veritatem: vnde retulerunt mihi omnes familiares scholares & socij eius, quòd nusquam fuit vnquam sine instrumento, seu vase argenteo electum smaragdum & magnam theriacam electam continente, & hoc: quia ipse sibi timebat plurimum de venenis. Ex his autem simplicibus post smaragdum est bezaar animalis. Et post ipsum semẽ pomi citri, quorum omnium iam præmisimus relationem, & doses & vsum eorundem. Ex his autem simplicibus quæ cõmuniter reperiuntur sunt, vt quicunq; sumpserit venenum ignotum, sumat ʒ.ij. tribuli cum vino, aut sechel, id est, exagiũ vnum cum vino ex semine rutæ domesticæ vel agrestis. Aut buliatur ℥.i. alicuius, seu cuiuscunq; ex speciebus mentastri recentis in libra s. vini, & sumatur in potu, aut sumantur ʒ.iij. ex eodem mentastro sicco & puluerizato cum vino. Omne etiam coagulum & signanter leporis est de conferentibus in proposito. Sumatur ergo ex aliquo eorum an. ʒ.s. vsque ad ʒ.i.s. cum aliquantulo seu modico aceti: nam quodlibet ex eis contrariatur & resistit cuilibet veneno. Et hæc quidem omnia sunt in proposito perutilia, possuntq; ferè vbique de facili reperiri.

EX AVICENNA.

Auicenna in libro de Viribus cordis, tractatu secundo, cap. tertio, scilicet de Medicinis simplicibus cordialibus. Agaricus calidus est in primo, siccus in secundo. Inest autem ei proprietas theriacalis contra omne venenum: & propterea quia eius caliditati cõmista est subtilitas, aperitiuus est & laxatiuus, humoris turbidi, propter quæ omnia inest ei proprietas confortandi cor & lætificandi. Citri cortex, est ex lætificantibus theriacalibus, cuius proprietatẽ caliditas quidem adiuuat, est enim calidus & siccus in tertio, cui appropinquatur folium & flos eius suntq; subtiliores eo, eius autem acetositas est ex confortantibus cor calidè complexionis, & est ex conferentibus cardiacę calidę: prę ter hoc etiam est theriacalitas in ea: vnde confert morsui reptilium, & serpentis, & est frigida & sicca in tertio, semen autem eius est theriaca conferens venenis: videtur etiam quòd sit ex confortantibus cor præbendo soliditatẽ substantiæ spiritus, est enim frigidæ & siccæ complexionis in tertio, nec elongatur ab intellectu, quin sit ex illuminantibus ipsum. Camphora frigida est & sicca in tertio: est etiam theriaca, & propriè contra venena calida. Doronicũ est theriaca cunctis venenis lætificans & confortans, reprimitur autem eius excessus caliditatis cum cõmistione syrupi macianorum, sed in cardiaca valdè calida cõmiscetur modicũ camphoræ, propter quod remanet proprietas eius & reprimitur caliditas. Endiuia syluestris sicca est in primo gradu, inest aũt ei proprietas theriacalis, & ingreditur medicationem cordis potata & emplastrata. Sticados Arabicum vehementer confert in venenis potionum & morsuum, & ad confortandum cor, & roborandum memoriam. Terra sigillata temperatæ complexionis est, in caliditate & frigiditate conformis humanæ complexioni, nisi quia eius siccitas maior est humiditate eius: habet etiam proprietatem mirabilem lętificandi & confortandi cor, cum theriacitate manifesta, propterea cunctis obuiat venenis, ita quòd siue bibatur ante venenũ, aut post naturam sustinet, & fortificat ad expellendum ipsum: videtur etiam quòd insit ei proprietas illuminandi & temperandi spiritus. Cap. vltimo, scilicet, de Medicinis compositis cordialibus, scilicet, de Theriaca magna & mithridato. Amodo loquamur de medicinis compositis: primum de mithridato

& theriaca magna. Nulla enim medicinarum compositarum æquiparatur eis in temperando complexionem humanam & conferendo ei, ac lætificatione cordis & ablatione tristitiæ, necnon obuiando venenis, ac morbis etiam venenosis, & illud iuuamentum, quod ei supple theriacæ conuenit ex sua proprietate non inuenitur sensibiliter apprehendi, nisi in fermentata: perficitur autem ipsius fermentatio secundum Modernos in decem annis, secundum Galenum autem in viginti: secundum diuersitatem caliditatis & siccitatis regionum & climatum, & apud aliquos Modernorum speratur eius virtus alias iuuamentum post sex menses, verùm neq; apud nos, neq; apud Galenū demonstratio est in hoc. In re autem fermentata duplicatur virtus, quæcunq; sit, siue caliditatis, siue frigiditatis. Postquàm tamen diligentem considerationem habuissem cōputando ęstimaui caliditatem theriacæ & mithridati. Inueni quoq; caliditatem theriacæ in fine secundi, Mithridati citra aliquantulum. Homo autem temperatæ complexionis, quando vtitur altero ipsorum tempore temperato aut frigido quantitate etiam temperata, neq; nimis frequenter prosunt ei ad confortationem cordis maximo iuuamento, & cōseruat sanitatem in ipso, atq; securum facit ab incursu pestilentiarum accidentium, & prauis humorum motibus atq; læsionibus venenorum obuiat, cunctasq; virtutes eius corroborat, & vitæ longitudinem præstat ei: qui verò calidę existit complexionis, & in regione calida, neq; istis neq; alijs confectionibus vti debet, nisi in manifestissimis casibus & necessitatibus, Pręterea ex cap. Mithridati & theriacę est dia muscus amarus & dulcis: sed amarus quidem est conueniens temperatam habentibus complexionem aut frigidam, dulcis verò habentibus calidam. Cęterùm diamuscus in lętificando non multum debilior est theriaca, in confortatione verò cordis est ea moderatè debilior, in confortatione membrorū multo debilior est ipsa. Amplior verò impressio eius in corde lætificatio & viuificatio est ipsius; insuper autem vtilitas eius, quæ in morsibus & puncturis minor est, quàm eius vtilitas in venenis exhibitis, vel ebibitis. Theriaca verò & mithridatum ad omnia prosunt. Descriptio diamusci dulcis & amari posita à Ioanne Mesue in suo Antidotario, summa prima, distinctione prima, hæc est. Confectio de moscho dulcis, cuius permistio. ℞. Croci, doronici, zedoariæ, ligni aloes, macis, an. ʒ. ij. albarum margaritarum, setæ crudę adustę, karabę, coralij rubei an. ʒ. ij. s. gallę, ozymi citrati, id est, caryophyllati an. ʒ. i. s. behen albi & rubei folij spicę car. an ʒ. i. ʒʒ. cubebę, piperis longi an. ʒ. i. s. moschi ʒ. i. par. ij. confice cum melle crudo, quod sit quadruplum ponderis omnium, & pone in vase vitreo. dosis sit an. ʒ. i. vsq; ad ij. Si autem hanc confectionem amaram facere volueris valentior ea efficitur, ad ea quę diximus &c. & propriè si addantur in permistione eius absinthij & rosarum an. ʒ. iij. aloes optimi abluti ʒ. iiij. castorei keisim, id est leuistici an ʒ. i. cinamomi ʒ. ij. s.

Auicenna in suo Canone medicinę, libro secundo, tractatu secundo, cap. de Aniso. Anisum expellit nocumentum venenorum & venenosorum.

De Scilla.

Scilla est theriaca venenosis.

De Coagulo.

Coagula omnia sunt bezaard & conferunt hyoscyamo nigro, & magis iuuatiua ad illud sunt coagula hœdi & muli, & ceruorum, & vituli, & agni: & sanāt à venenis & morsuris omnibus tres anolosat, id est, pondus duodecim granorum hordei, sitq; potio ipsorum decem karates, id est quadraginta grana hordei cum linimento.

De Adruma.

Adruma, id est cyclamen, siue panis porcinus, confert venenis omnibus & propriè morsioni.

De Aniuden.

Aniuden, id est silphium, cuius gummi est assa est bezaar venenis.

De Azedarach, aliàs azedarch.

Azedarach, aliàs azedarch, id est arboris cuiusdam magnę succus extremitatum cum melle resistit venenis omnibus. Et eius fructus interficit fortasse.

De Ireos.

Ireos quando bibitur cum aceto confert venenis omnibus.

De Citro.

Citri semen est calidum in primo, siccum in secundo. Eius pondus ij.ʒ. cum vino & thile, id est, sapa seu musto cocto, aliàs thure, & aqua calida, illinitum resistit venenis omnibus, & propriè veneno scorpionis bibitum aut linitum, & eius cortex est vicinus illi. Coagulum leporis cum aceto est theriaca & bezaar venenis.

De Balsamo.

Balsamus resistit venenis.

De Cæpa.

Cępa quę comeditur expellit nocumentum ventositatis venenorum. Et dixerunt quidam, quòd ipsa generat in stomacho humorem plurimum humidum frangentem nocumentum venenorum.

De Buzeiden.

Buzeiden, id est species satyrionis quę dicitur palma Christi, cōfert venenis.

De Auellana.

Auellana confert venenis & morsibus.

De Glande.

Glans confert venenis venenosorum. Et caro quidem castaneę est bona venenis.

De Vrina hominis.

Quę ex ea antiqua est confert venenis omnibus.

De Cæpe azir.

Cępę azir, est similis cępę muris, id est scillę in virtute & sapore suo, & administratur loco eius, sed est debilior eo: confert venenis & puncturę scorpionis & rutelę bibitum, & more emplastri superpositū, cum miscetur cū ficubus.

De Napello Moysi.

Napellus Moysi, inquit Ioannes, est herba nascens cum napello, & quandocunq; ei appropinquat non crescit arbor eius, & est maior theriaca napello. Napellus verò Moysi est animal, & similatur muri, & moratur in radice napelli, sicut mus. Est theriaca omni veneno & viperę.

De Nuce.

Nux est cum ficubus & cum ruta medicamen omnibus venenis.

De Zedoaria.

Zedoaria est theriaca venenorum omnium, viperæ, napelli & aliorum.

De Dirungi.

Dirungi, id est, doronicum est herba lignea radicalis, cuius quantitas est nodus pollicis, vsq; ad extremum manus, & minus habens quod est interius album, & quod est exterius cineritium declinans ad duritiem & grauitatē: confert venenis & puncturę vermium venenosorum, & scorpioni & rutelę, bibita & emplastro facto ex ea cum ficubus.

De Butyro.

Butyrum resistit venenis.

De Oleo.

Cum oleo & aqua calida fit nausea, & rumpit virtutem venenorum.

De Aristolochia.

Quidam aūt dixerunt, cum ex longa, supple aristolochia bibuntur ʒ.ij. cū vino, aut fit ex ea emplastrū, cōfert puncturę vermiū venenosorū & venenis.

De Lycio.

Lycij fructus confert perniciosis.

De Hasech.

Hasech, id est tribulus marinus duę ʒ. fructus syluestris morsui viperę, & ij. ʒ. eius cum vino venenis pernitiosis conferunt.

De Taraxacon.

Taraxacon, id est, endiuia syluestris, seu cicorea, seu grugnum porcinum resistit venenis.

De Luto sigillato.

Lutum sigillatum, id est terra sigillata resistit venenis & morsibus, bibitum cũ vino & linitum cum aceto, & quod ex eo purũ est cum bibitur nõ cessat facere nauseam, & facit venenũ vomitu exire, & propriè cũ ante ipsum bibitur.

De Apio.

Apij decoctione cum lentibus fit vomitus post potum veneni & simurion, alias semurion, id est vna species apij sic nominata, & etiam nominata smirinon est ex eis magis conueniens.

De Saliua.

Saliua resistit venenis.

De Lacte.

Lac confert potui medicinarum mortalium: & ei qui in potu sumpsit omnes medicinas corrosiuas putrefactiuas.

De Carne.

Caro danulæ exsiccata cum vino in potu accepta confert venenis.

De Musco.

Muscus est theriaca venenorum & propriè napelli.

De Mumia.

Mumia confert ad venena duo grana cum decoctione hasech, id est tribuli marini & alaniuden, id est silfij, cuius gummi est assa.

De Serapino.

Serapinum in vino datur ad potandum, ad puncturam vermium venenosorum, & ad omnia venena mortifera, & eius operatio fortior est operatione galbani, & quandoq; confert delinitum in omnibus illis.

De Ruta.

Ruta resistit venenis, & bibat qui sibi timet, ne in potu sumat venena, & pungi à venenosis, de semine eius, pondus ʒ.i. cum folijs suis cum vino: & propriè si bibitur cum nuce & bolo, omnibus contritis & cõmistis, & plurimum ipsius sumere, & de syluestri est perniciosum.

De Testudine marina.

Testudo quæ marina est, cum coagulo est bona vermium morsui venenosorum, & ei qui bibit lacticinium.

De Butyro.

Butyrum non recens est theriaca venenis in potu sumptis.

De Pisce.

Ius omnis piscis confert in venenis bibitis & puncturis.

De Calamentho.

Calamenthum quando præmittitur & bibitur cum vino, expellit venena mortifera.

De Fach.

Fach est medicina turchia, confert omnibus venenis.

De Facaileso.

Facailesus dicitur, quòd est species bucor marien, id est panis porcini, & est genus, id est species artanitę, bibitur cũ vino ad medicinas mortiferas & venena.

De Galbano.

Galbanum est theriaca venenis quę imbibunt sagittas, quando bibitur cum

vino & venenis serpentum, & ipsum quidem cum omni veneno resistat, minus tamen resistit resistentia serapini.

De Abrotano.

Abrotanum quando bibitur cum vino confert venenis.

De Scecha.

Scecha, id est absinthium, cuius duæ sunt species: eius oleum cõfert venenis.

De Pomis.

Poma conferunt venenis, & similiter succus & folia eorum.

De Aceto.

Acetum quando bibitur calefactum post medicinas mortales confert.

De Agarico.

Quando ex agarico in potu datur cum vino vsque ad aureum, est magis iuuatiuum ad illud, id est ad venena.

De Lauro.

Laurus omnino est theriaca venenis bibitis omnibus.

Auicenna in suo Canone Medicinæ lib. 4. fen. sexta, tractatu primo, cap. de Canone curationis eius, qui in potu sumpsit venenum. Oportet vt non moretur, imò properet, cum sentit ipsum, antequam virtus eius perambulet in corpore & bibat aquam tepidam & oleum sisaminum, aut oleum de oliuis, vt euomat & perueniat in hoc ad vltimum quantum potest, & melius quidem est, vt sit in eo virtus aluminis & baurach, & quando admiscentur cum oleo lycium & adeps anseris, & diligitur, vt sit illud quod ipse bibit ad vomẽdum propter hoc, & alia aqua plurima & cibi plurimi, ipsi enim licet non euomantur, tamen frangunt venenum quandoq; & superãt ipsum, & cum vomuerit quod ei possibile est, postea bibat lac plurimum: quoniam ipsum frangit nocumentum veneni, & non est malum si euomat ipsum iterum, & bibat decoctionem seminis vrticæ cum butyro cocto ad expellendum venenum vomendo & solutionem faciendo, deinde bibat lac, & butyrum crudum est melius lacte. Et iterum decoctionem seminis lini, & similiter vinum dulce cum adipe anseris liquefacto, & similiter aquam cineris lignorum vitis, & oportet, vt sequantur vomitũ clysteria, & propriè quando sentitur descensus lęsionis ad inferiora. Si autem fuerit comestio, supra illud vtatur, eo quòd facit vomere, & soluit, & non dimittat tunc potus lactis. Et si necessarium fuerit, vt in potu tribuas ei, verbi gratia, theriacam de terra sigillata fac. Ipsa enim adiuuat corpus ad expellendum venenum & propriè cum in potu datur ei in principio rei, ipsa enim facit euomere venenum, sicut est: cuius descriptio est baccarum lauri aur. ij. terræ sigillatę aur. ij. & ireos cõficiantur cum oleo oliuæ: & sit dosis eius auellana vna, id est aur. i. Et iterum: Carpobalsami, ysopi siccæ, seminis napis syluestris, piperis albi & nigri, piperis longi, acori, anisi, petroselini, asari, cymini, carmeni, & seminis iusquiami albi, omnium an. aur. iiij. spicæ, floris squinanthi, amborum an. aur. v. casiæ ʒ. xviij. amomi, croci amborum an. aur. vi. conficiantur cum melle, & detur in potu, quantum est faba Romana. Et sumere terram sigillatam, sicut ipsamet est, cum vino facit illud. Et æstimauerunt quidam, quòd cum in potu sumitur stercus galli in dispositione facit emouere venenum. Et ex eis quæ in potu dantur, iterum sunt succus prasi: & folia cannæ & celtica, & semen bauciæ castoreum, auellanæ & ficus & ruta. Et de his quæ in hoc cap. laudata sunt, est, vt in potu detur galbani fœtidi pondus ʒ. iiij. & myrrhę ʒ. i. cum vino dulci. Et quando post vomitum accidit inflammatio vehemens: tunc da in potu aquam niuis, & oleum rosatum infrigidatum & vomat cum hoc. Et oportet, vt non dormiat omnino, & non dimittat seipsum taliter vt dormiat, imo oportet, vt euigilare ipsum faciant, & rideant & clamẽt in circuitu eius. Cumq; ma-

nifestatur

nifestatur ei forma & cognoscitur venenum, curetur omne venenum cum eo, quod dicitur in suo cap. & hæc quidem manifestatio fit secundum duos modos: quorum vnus est, vt cognoscatur cuius generis sit venenum. Et secũdus, vt sciatur, cuius speciei ipsum sit. Exemplum primi est, vt sciatur quòd ipsum est ex incisiuis acutis: quare curet ipsum cum eis, quæ sunt sicut lac & butyrum crudum & pheludes, id est, vt credo pulmentum currens factum cum oleo amygdalino, aut butyro cocto, & cum omni quod frangit acuitatem, aut sciatur quod est ex inflãmantibus: quare infrigidetur cum camphora & aqua coriandri, & quæ sunt similia illis, & omnia illa sint infrigidata cum niue, & emplastrentur membra eius principalia cum eis, quæ sunt sicut altahaleb, id est, lenticula aquæ & alia. Et renouetur super eum infrigidatio omni hora. Et ex eis, quæ conferunt huic valde, est lac vaccinum, de quo extractum est butyrum infrigidatum. Et si indiget flobotomia flobotemetur. Aut sciatur, quòd ipsum est ex stupefacientibus. Quare administrentur ea, quæ sunt sicut theriaca & medicamen de assa fœtida in vino puro, & similiter alia. Aut sciatur, quòd ipsum est contrarium per substantiam: quare curetur cum mithridato & theriaca & medicamine moschi & bezaar, & vtatur carne & vino, & administretur ægro odor aromatum. Et euentetur locus ad quem vadit causa morandi, & induatur vestibus aromatizatis, & sternutet & fricetur os stomachi eius, & sufffletur in os ipsius, & tundantur capilli eius. Cum autem cognoscitur species veneni, curetur cum eo, quod est ipsi propriũ, de his quæ dicemus. Et ad summum ex medicinis, quæ bibuntur causa venenorum. Aut quæritur confractio acuitatis veneni, aut resolutio substantiæ eius, sicut ex lacte & bezaar. Aut quæritur oppositio qualitatis eius, sicut potare allium in vino ad illum quem pupugit scorpio.

De medicinis cõmunibus ad venena. Sunt medicinæ quæ contrariæ sunt veneno, quare non permittunt ipsum peruenire ad cor. Et sunt sicut theriaca, & mithridatum & albezaar, & quæ sunt experta & terra sigillata & theriaca facta ex eis, & theriaca diatessaron. Et dixerũt quidam, quòd flos oleandri & folia eius liberant à veneno. Et dicitur quòd granis iuniperi in hac re nõ est par. ℞. Aniudeni, id est, silfij, & radicis eius an. ʒ. i. sceha armeni, id est santonici, seu herbæ lumbricorum, quæ est species absinthij ʒ. ij. conficiantur cum melle & dentur in potu cum aqua malorum. Et medicamen factum ex eo est vltimum. Et radix buthor marien quando potatur cum vino & calamentho iterum, & semen napi. Et iterum agarici ʒ. ij. cum vino, & capilli veneris, & malua, & semen eius, & folia eius iterum, & cinamomum & medulla leporis cum ℥. ij. aceti de vino. Aut castorei aur. i. cum ℥. ij. olei oliuę & abrotanum. Et iterùm sumatur aqua al.hasce, id est thymi expressa & detur in potu. Et semen baucię, id est pastinacæ & propriè cretensis, id est syluestris, & assa & decoctio polipodij, & decoctio siseleos, & semen arboris serapini mirabile est.

Compositum. ℞. Seminis serapini syluestris & castorei & foliorum arundinis omnium an. par. i. pulpæ coloquintidæ triplum omnium, detur in potu ex eo auellana magna. i. aur. i. Et res quarum operationes proportionantur cum proprietatibus in eis sunt, illud quod dixerunt, quòd caro donulæ syluestris mundificata salita est de fortioribus medicinis ad expellenda venena.

Auicenna in suo Canone medicinæ lib. v. summa prima, tractatu I. cap. I. scilicet, de theriaca supple magna. Hæc theriaca magna est sublimior medicinarum compositarum, & melior earum propter multitudinem sui iuuamenti, & propriè in venenis quæ sunt in puncturis, sicut serpentum & scorpionis & canis rabiosi, & venenis ebibitis interficientibus, & ad ægritudines phlegmaticas & melancholicas &c. Et non efficit has operationes, nisi propter proprie-

tatem formæ eius sequentem complexionem simplicium ipsius, ita vt confortet spiritum, & calorem innatum. Quare iuuatur natura per illud super contrarietatem facientem frigida & calida, & vincit virtutes earum. Et melior descriptionum huius medicinę est descriptio radicalis Andromachi. Et iam nisi sunt plures medicorum, sicut Galenus & alij, vt adderent & minuerent in ea, non propter necessitatem facientem necessarium illud eis, neq; propter aliquid forte vocans eos ad illud, sed quærentes, vt rememorarentur, & vt remaneret ab eis in ipsa vestigium, sicut remansit Andromacho. Et meum quidem cõsilium est, vt non moueant aliquid quod experimentum iuuatiuum inuenit. Fortasse enim illa complexio, cum illo pondere, est significans illud, cuius iuuamentum inuenit experimentum, & quòd quando ipsa mouetur à suo põdere non consequitur illam proprietatem. Et theriacæ quidem insunt, infantia, pubertas, & adolescentia, & senectus, & mors, & fit infans post sex menses: deinde incipit in pubertate & augmento vsq; ad tempus in quo stat post decem annos in regionibus calidis, & viginti annos in regionibus frigidis, deinde stat aut decem annis, aut viginti, deinde declinat, aut post viginti annos, aut post quadraginta, deinde expoliatur virtute theriacæ, aut post triginta annos, aut post quadraginta, & fit vna confectionũ declinata à gradu theriacæ. Et oportet, vt detur in potu morso, de illa quæ est recens & fortis, & reliqui quibus in potu datur de illa, quæ est debilior, & fortasse est necesse, vt in potu detur morso de recenti ex medio aureo, vsq; ad aur.i. Et ex eis quibus distinguitur inter illam quæ est recens & fortis, & inter antiquam, debilem & malam: de experimẽtis quidem est, vt in potu sumat homo catharticum, & consideretur tunc si soluerit, cum sumet in potu theriacam, tunc si retinet eam est bona recens, & si non est mala: & de experimentis est illud quod dixit Galenus: quoniam oportet, vt capiatur gallus syluestris: quoniam ipse est siccioris complexionis, quàm ille qui nutritur in domibus, & ęstimo illum esse fasianũ masculum, & mittatur super ipsum animal venenosum, deinde detur ei theriaca: si ergo vixerit, tunc theriaca est bona. Et iterum experitur in illo, qui in potu sumit opium & hyoscyamum nigrum & alia. In napello autem iuuamentum theriacæ est paruum, & quantitas eius, vt expellat mortem more est parua. Et forsitan medicamen de moscho, sicut existimant quidam, est magis iuuatiuum in eo quàm omnia. Et illis, qui theriaca vtuntur in hora sanitatis non nocent venena, & non impediunt in eo nocumenta, & fit securus ab ægritudinibus pestilentiæ.

De confectione Mithridati.

Confectio mithridati nobilis est confectio, quam fecit Mithridates rex & nominauit eam suo nomine & cõposuit ipsam, & est de medicinis expertis super venena propriè, & super ægritudines alias, vt esset aggregatiuũ iuuamenti venenorum diuersorum, & ægritudinum diuersarum. Fuit ergo ipsa theriaca in illo tempore, deinde postquàm accidit Andromacho illud, quod expertum fecit ipsum super iuuamentum carnium serpentum, & aliorum, addidit in eo trochiscos de viperis, & alteratum est parum per additionem & diminutionẽ. Fuit ergo theriaca magna in multitudine iuuamenti: verùm theriaca magna est magis iuuatiua ipso in re vna, & est venenum serpentium. In reliquis verò rebus non minuitur mithridatum à theriaca diminutione, de qua sit curãdum, imo est magis additi in pluribus earum iuuamenti, & confidentioris vtilitatis, & non prolongemus sermonem in numero illorum iuuamentorum: quoniam ipsa sunt illa prędicta quæ sunt theriacæ. Et sit dosis copiosior parumper.

De Sotera liberante magna.

Sotera liberans magna, est aggregatiua iuuamenti &c. Et cõfert ad venena ex mor

ex morsibus & ebibita. ℞. Myrrhæ, casiæ, squinanthi an. ʒ.i.s. castorei, petroselini, & est semen apij syluestris & montani, amborum an. aur. xv. seminis apij ℥.ij. siseleos aur. i. costi amari, cinamomi, trochiscorum alandarman, styracis liquidæ, asari an. aur. vi. anisi aur. x. amomi, croci an. aur. iiij. opij aur. x. aggrega has medicinas tritas & tricocinatas & confice cum melle despumato, & repone in vase & vtere post sex menses. Ars trochiscorum alandarman administratorum in sotera liberante magna. ℞. Amomi darscesahan, id est arboris granati syluestris, cuius fructus dicitur bel, secundum aliquos berberis, costi amari, calami aromatici, caryophyllorum, piperis albi, ameos an. aur. iij. cinamomi, mastichis, croci, an. aur. vi. phu, id est valerianæ aur. i. spicæ aromaticæ, id est spicæ nardi, folij Indi an. aur. vij. myrrhæ aur. vi. aggrega has medicinas tritas & tricocinatas, & cõfice cum vino claro aut alio, & fac trochiscos paruos ponderantes aur. i. & exicca in vmbra & vtere.

De confectione Hermetis: cuius hæc est permistio. ℞. Origani, asari, acori, cordumeni, sem. rutę, euphorbij, phu, hyssopi siccę an. ℥. i. aristolochię longę, radicis cyclaminis an. ℥. ij. ameos, caryoph. an. ℥. ij. gẽtianæ romanæ ℥. vi. hascę, id est thymi, seminis apij an. ℥. ij. centaureæ minoris ℥. viij. casiæ, costi amari, myrrhæ an. ℥. iij. spicæ aromaticæ, sceba montani, id est santonici, quę est herba lumbricorum, & est species albissimi petroselini an. ℥. ij. poly prasij an. ℥. vi. chamępityos, chamædryos, scorodi an. ℥. viij. aggrega has medicinas tritas & cribellatas & cõfice cũ melle despumato & repone in vase & bibatur in diebus Veris.

Confectio Hermetis descriptione alia. ℞. Origani, asari, cordumeni, seminis rutæ, euphorbij, phu, hyssopi siccæ an. ℥. i. ameos caryophyllorũ an. ℥. ij. gentianæ ℥. vi. hascę, seminis apij an. ℥. ij. centaureæ minoris ℥. viij. casiæ, costi, aristolochiæ longæ an. ℥. iij. myrrhæ, spicæ, calamenthi montani, petroselini an. ℥. ij. prasij polij an. ℥. iij. chamępityos, scorodi an. ʒ. iij. mellis quantum sufficit, cuius dosis sit ʒ. ij. aut aur. i. in hora Veris. Cõfert ad venena mortalia, quando in potu sumitur cum aqua gentianæ.

De Diasulphur. Fortasse hæc medicina æquatur theriacę, & liberatur ex nocumento medicinarum perimentium: cuius hæc est permistio. ℞. Sulfuris, citrini seminis, hyoscyami albi, cordumeni, styracis, myrrhæ an. ʒ. viij. rutæ, costi an. ʒ. x. opij, croci an. ʒ. ij. casiæ ʒ. xij. leucopiperis, id est piperis albi ʒ. xxij. tere medicinas, & confice cum melle & vtere post sex menses.

De confectione quæ pertinet ad Arstomachis.

Confectio quæ pertinet ad arstomachis, mirabilis ad venena ebibita & ex percussione euenientia: cuius permistio. ℞. Neriden, id est spicæ celticæ, seu Romanæ, costi, asari, galbani, castorei, opij, melanopiperis, macropiperis, styracis an. ℥. i. mellis kist, id est lib. ij. s. tere medicinas siccas, & cribella, galbanum verò decoque cum melle, donec liquescat, & cum liquescit tunc cola ipsum, & funde super ipsum medicinas, & pone in vase vitri, aut vase argenti, & de ea da in potu quantũ faba Aegyptiaca, id est ℈. ij. & secundum aliquos ʒ. i. s. & aquam mellis quantitate duorum cadorum, id est ℥. vi. & distilla super ipsam digitis tuis de oleo sesamino guttas tres.

Tractatu sexto, scilicet de Syrupis.

Syrupus de agresta faciens ad caliditatem stomachi, & solutionem ventris cholericam, & dolores caliditatis & venena, & abscindit sitim &c. Cuius permistio, sumatur succus agrestæ, decoquatur donec remaneat medietas, & coletur, & dimittatur in nocte: deinde reducatur ad vas, & proijciantur super ipsum drachmæ duæ caryophyllorum, & decoquatur donec auferatur ab eo odor, & ingrossetur & coletur, & administretur: si autem volueris ipsum dulcorare, proijce super ipsum sacharum post decoctionem

cum lento igne, donec ingrossetur secundum quantitatem subtilitatis succi, & inspissa ipsum & vtere.

Tractatu octauo, scilicet de Trochiscis. Consecutum est ex magnificatione antiquorum medicorum, quòd nominauerunt trochiscos, stellæ alamirda canedi, scilicet trochiscos stellæ, qui non permittunt vitam recedere, & isti quidem trochisci conueniunt stomacho, recipientes superfluitates expulsas ex reliquis membris &c. & ad venena ex percussione & ebibita cum aqua rutæ &c. Quorum hæc est permistio. ℞. Myrrhæ, castorei, spicæ, cassiæ, terræ sigillatæ, corticis mandragoræ an. ʒ. v. papaueris albi ʒ. vi. dauci, anisi, siseleos, seminis iusquiami albi, storacis liquidæ, seminis apij an. ʒ. viij. infunde gummas in vino odorifero & tere medicinas, & confice cum eo & fac trochiscos ponderantes ʒ. s. & exsiccentur in vmbra.

EX AVERROE.

Auerroes quinto Coliget. cap. de Narratione ciborum medicinalium, qui sumuntur ex fructibus & eorum operationibus. Nuces comestæ cum ficubus obstant veneno loco bezaar.

De Narratione medicinarum absoluta, & earum operationibus. Balsamus calidus est, & siccus in secundo gradu, & oleum suum est multum subtile, nec habet multum calorem, & eius proprietas est, quia est magna theriaca venenis: & dosis eius est à tertia par. ʒ. vsq; ad vnam.

De Narratione particularium operationum medicinarum simplicium, quę à Galeno testificatæ non sunt. Lapis bezaard, est valde manifesti iuuamenti omnibus speciebus venenorũ, & propriè morsui scorpionis: & eius dosis est quarta pars aurei vnius. Lapis de zaduarga (aliàs zaduargar) confert omni fluxui sanguinis vndecunq; procedat, & quandocunq; propinatur ad bibendum venenatis, antequam veniat venenũ ad cor, liberat: & eius dosis est exagium vnum. Smaragdus valet contra omnia venena, & specialiter contra venenum serpentum: & dosis eius est pondus nouem granorum hordei, tritum super lapidem, & mistum cum lacte amygdalarum, & aqua violarum, & modico aceti, & scias quòd illis qui bibertnt superuenient in principio multa mala accidentia, & non minora accidentibus veneni, sed postea saluabuntur subitò, taliter quòd non remanebit in eis aliqua debilitas, nec aliqua discrasia, & abscindit fluxum antiquum, cuius causa occulta est, & non facit tunc tam fortia accidentia, sicut facit venenatis, & etiam suspensus supra stomachum valet.

In libro de Theriaca. Non est dubium, quòd theriaca prodest contra venenum &c. Et prima causa propter quam inuenta fuit theriaca, fuit, vt curarẽtur per ipsam nocumenta venenorum, quæ sunt in animalibus, sicut in lacerta vel cane rabido, & venenorũ quę inuenta sunt in plantis, sed non confert ei, quod dicitur bix, siue napellus. Theriaca videtur mihi, quòd curet venena curatione perfecta, & curet etiam ægritudines similes venenis.

EX PLINIO.

Plinius Secundus, de Naturali historia libro 20, cap. de Rapo domestico. Semen illinitum & potatum in vino contra serpentes & toxica salutare esse proditur, à multis verò antidoti vim habere in vino & oleo.

De Naporum differentijs. Naporum duas differentias in medicina Græci seruant angulosis foliorum caulibus florentis vnum, quod bunian vocãt, alterum genus buniada appellant, raphano & rapo simile, seminis præclari contra venena, ob id in antidotis vtuntur illo.

De Lactuca sponte nascente siue syluestri. Lactucæ sponte nascentis, primum est genus eius, quam caprinam vocant. Alterum genus est, quod Græci vocant esopon. Tertium genus isatin vocãt. Quartò infectores lanarum vtuntur. Similis

tur. Similis est lapatho syluestri folijs, nisi quòd plura habet & nigriora: cōmunia autem sponte nascentibus candor, caulis interdum cubitali longitudine, & ipso & folijs scabritia. Ex his rotunda folia & breuia habentem, sunt qui hieraciam vocent. Succus omnibus candidus viribus, quibus papauer similis, carpitur per messes inciso caule, conditur fictili nouo ad multa præclarus. Serpentium ictus medetur in vino potus. Et folia tyrsiꝗ triti ex aceto bibuntur, vulneri illiniuntur, maximè contra scorpionū ictus: verum contra phalangia, commisto vino ex aceto. Alijs quoque venenis resistunt, exceptis quę strangulando necant.

De Ruta.

Ruta inter prima immiscetur antidotis: Quæcūꝗ autem ruta, aut per se, aut in antidoto valet folijs tritis & pro vino sumptis.

De Mentastro syluestri. Aduersus omnia venena seruantur folia arida ad farinæ modum.

De Marrubio.

Huius folia semenꝗ contrita prosunt contra serpentes: item contra venena inter pauca potens.

De Serpillo.

Serpillum à serpendo, putant dictum, contra marinorum venena præcipuè valet.

De Trifolio.

Trifolium scio credi præualere contra serpentium & scorpionum ictus, ex vino aut posca, seminis granis viginti, potis, vel folijs, & tota herba decocta, serpentesꝗ nunquam in trifolio aspici. Præterea celebratis auctoribus contra omnia venena pro antidoto sufficere xxv. grana eius, quod minianthes ex eo appellauimus tradi.

De Abrotano.

Abrotanum duorum traditur generum, campestre & mōtanum, serpentes fugat. Contra ictus eorum bibitur cum vino, illiniturꝗ efficacissimum contra ea quorum veneno tremores & frigus accidunt, vt scorpionum & phalangiorum, & contra venena alia potata.

De Eryngio.

Est & clara in primis aculeatarum eryngion, contra serpentes & venenata omnia nascens. Aduersus ictus morsusꝗ radix eius bibitur drachmę pondere in vino, aut si plerunꝗ tales iniurias comitatur & febris, ex aqua. Illinitur plagis. peculiariter efficax contra toxica & aconita. Efficaciorem Heraclides medicus in iure anseris decoctam arbitratur. Apollodorus aduersus toxica cum rana decoquit: cæteri in aqua ipsa.

De Asphodelo.

Asphodelumꝗ de clarissimis herbarum, quam heroion aliqui appellant. Hesiodus in syluis nasci dixit. Dionysius marem ac fœminam esse. Nicander contra serpentes & scorpiones vel caulem, vel semen, vel bulbos dedit in vino tribus drachmis. Datur & contra venenata marina.

De malis Citreis.

Citria mala contra venenum in vino bibuntur, vel ipsa, vel semen.

De Caprifico.

Cauliculi & folia admisto eruo, contra marinorū venena prosunt. Adijciūt & vinum. Herba quoꝗ quam Græci erincon vocāt, folijs suis resistit venenis.

Libro 24. cap. de Galbano.

Aduersatur & venenis maximè toxicis cum myrrha & in vino.

De Stirace, id est, storace.

Stirax aduersatur venenis, quæ frigore nocent, ideo & cicutæ.

De Cachrys.

Cachrys multa genera habet, vt diximus, sed hæc, quæ ex rore supradicto nascitur si fricetur resinosa est, aduersať venenis & venenatis pręter anguibus.

De Aro & dracontio. Laudauit Cleophantus pro antidoto cōtra venena.

Libro 25. cap. de Hyoſcyamo.

Herculi quoq; eam aſcribunt, quæ Apollinaris apud Arabes altercum, ſiue altercangenum, apud Græcos verò hyoſcyamos appellatur: plura eius genera, vnum nigro ſemine, folijs penè purpureis, ſpinoſum. Talis naſcitur in Galatia. Vulgare autem candidius eſt & fruticoſius, altius papauere. Tertij ſemen irianis ſemini ſimile, & omnia inſaniam gignentia, capitisq; vertigines. Quartum genus molle, lanuginoſum, pinguius cęteris, candidi ſeminis, in maritimis naſcens, hoc recepere medici. Item ruffi ſeminis. Nonnunquam autem candidum ruffeſcit, ſi non ematuruit, improbaturq; & alioquin nullum, niſi cum inaruerit, legitur. Natura vini: ideoq; mentem caput infeſtans. Vſus ſeminis & per ſe & ſucco expreſſo. Exprimitur ſeparatim, & caulibus folijsq; vtuntur, & radice, temeraria in totum, vt arbitror, medicina. Quippe etiam folijs conſtat mentem corrumpi, ſi plura quàm quatuor bibantur. Etiam antiqui in vino febrem depelli arbitrantur. Et oleum fit ex ſemine, vt diximus, quod ipſum auribus infuſum tentat mentem. Mireq;, vt contra venenum remedia prodidere, vt qui id bibiſſent, & ipſum pro remedijs, adeò nullo omnia experiendi fine, vt cogerentur etiam venena prodeſſe.

De Periſtereo.

Periſtereon vocatur caule alto, foliato cacumine in alios caules reſpargens, columbis admodum familiaris: vnde & nomen Potu, omnia mala medicamenta exigit per aluum.

De Ariſtolochia.

Poto veneno ariſtolochia ſubuenit eadem menſura qua contra ſerpentes.

Libro 27. cap. de Epipacti, ſeu elleborine.

Epipactis ab alijs elleborine vocatur, parua herba, exiguis folijs, iocinoris vitijs vtiliſsima, & contra venena pota.

De Leuce.

Leuce mercuriali ſimilis, nomen ex cauſa accepit, per medium folium candida linea tranſcurrente: quare meſeleucon quidam vocant. Fortaſsis eadem ſit, quæ leucos appellatur: contra omnia venena marina efficax.

Libro 28. cap. de Remedijs ad morſus beſtiarum, & ad venena.

Aſinino lacte poto venena reſtringuntur. Lacte equino venena leporis marini & toxica expugnantur. Sic quoq; lacte bubulo cuncta venena expugnari tradunt. Contra ſanguiſugas potas butyrũ remedio eſt cum aceto ferro calefacto, quod & per ſe prodeſt contra venena: nam ſi oleum non ſit, eius vicem repræſentat. Omnia Seſami iure poto venena ſupradicta expugnari putant, priuatim verò aconita & cicutas. Itemq; vitulino ſæuo. Sanguis caprinus decoctus cum medulla contra toxica venena ſumitur, hœdinus contra reliqua. Leporis coagulum contra venena additur antidotis.

Libro 29. cap. de Remedijs ex cane.

Sanguine canino cõtra toxica nihil præſtantius putatur, vomitiones quoq; hoc animal monſtraſſe videtur.

De Remedijs aduerſus ſerpentium ictus.

Cimicum animalis fœtidiſsimi & dictu quoq; faſtidiendi natura contra ſerpentium morſus, & præcipuè aſpidum valere dicitur: item contra venena omnia, argumento quo dicunt gallinas quo die id ederint non interfici ab aſpide.

De Medicinis ex melle.

Mel potum remedium in vino eſt vitiorum, quæ cibo piſcium gignuntur.

De Remedijs aduerſus omnia mala medicamenta & venena.

Sanguis anſerinus contra lepores marinos, valet cum olei æqua potione. Item contra medicamenta mala, omnia aſſumatur cum lemnia rubea, id eſt terra ſigillata, & ſpinæ albæ ſucco, formenturq; paſtilli, qui in cyathis aquæ ternis bibantur. Item muſtellæ catulus, vt ſuprà diximus, præparatus. Coagulum

quoq;

quoq; agninum aduerſus omnia mala medicamenta pollet. Item ſanguis anatum põticarum: itaq; & ſpiſſatur & ſeruatur, vinoq; diluitur. Simili modo contra venena omnia ciconiarum ventricula, ſuale coagulum. Caulis ius ex carne arietum priuatim aduerſus cantharides. Item la[illegible]ium candidum, præſertim qui in cibis bupreſtim aut aconitum biberint. Columbarum ſylueſtriũ fimum priuatim contra argenti viui potum. Contra toxica, muſtela vulgaris inueterata binis drachmis potata.

Libro 32. cap. de Medicinis ex caſtore. Vrina quoq; fibri reſiſtit venenis, & ob id in antidota additur, aſſeruatur autem optimè in ſua veſica, vt aliqui exiſtimant. De Medicinis ex teſtitudinibus terreſtribus. Terreſtrium carnes contra venena ſalutares produntur plurimæ in Aphrica, hæ ibi amputato capite pedibusq; pro antidoto dari dicuntur, & iure in cibo ſumptæ.

De Medicinis contra venenata ex animalibus quibuſdam.

Contra ea auxiliatur, vt diximus, mulus. Eiuſdem recentis è capite cinis contra omnia venenata, priuatim contra fungos. Mala medicamenta inferri negãt poſſe, aut certè nocere, ſtella marina vulpino ſanguine illita, & affixa limini ſuperiori, aut clauo æreo ianuę. In ſumma cõtra omnia venena, vel potu, vel ictu, vel morſu noxia, ſuccus earum è iure decoctarum efficaciſsimus habetur.

De remedijs è Ranis marinis & rubetis contra venena.

Ranarum marinarum ex vino & aceto decoctarum ſuccus contra venena bibitur, & contra ranæ rubetæ venenum, &c. Iecur ranę geminum eſſe dicunt, abijciq; formicis oportere: eam partem quam appetant, contra omnia venena eſſe pro antidoto. De Cancris contra venena.

Cancri fluuiales triti potiq; recentes ex aqua ſeu cinere aſſeruato, contra venena omnia proſunt. De Purpura.

Purpuræ quoq; contra venena proſunt.

Libro 35. cap. de Coloribus natiuis & fictitijs.

Palmã terrę Lemniæ dabant. In medicina pręclara res habetur, bibitur & contra venena & ſerpentiũ ictus, terreſtriumq;, omnibus ideo antidotis familiaris.

EX MESVE.

Ioannes Meſue in ſuo Antidotario diſtinct. 1. Theriaca diateſſaron confert morſui ſcorpionis & potui veneni: cuius hæc permiſtio. ℞. Gentianæ, baccarum lauri, myrrhæ, ariſtolochiæ rotundæ an. cõfice cum melle deſpumato: doſis eius ab aur. s. vſq; ad aur. i.

Confectio de Aſſa, quæ confert morſibus venenoſis &c. ℞. Aſſæ, piperis, myrrhæ, foliorum rutæ ſiccorum an ʒ. iiij. confice cum melle, & eſt doſis eius an. ʒ. i. vſq; ad aur. i. & propriè venenoſis cum vino calido. Diſtinctio. ſexta. Syrupus de agreſta confert vomitui &c. & valet cõtra venena, & modus operationis eius eſt, ſicut ſyrupus de acetoſitate citri, & quidam cõdiunt cum gar.

EX HALYABA.

Halyabas in Regali diſpoſitione, 4. Practicę. cap. De cõmuni earum medicina, qui poculum biberint mortiferum. Dico, cum ſenſerit homo ſe venenum bibiſſe, aut potum mortalem, accelerandum illi, cum aqua calida bibenda in multa quantitate cum vaccarum butyro, aut ſiſami oleo, vel oliuæ oleo, inducatq; digitos ori, & pennam ſeſami oleo intinctam euomatq;, & ſtudeat ſtomachum purgare & oleo, aliàs omnino mundare ab omnibus, quæ in eo ſunt. Iterumq; aquam bibat calidam & oleum, vomitumq; prouocet, donec ſtomachum intelligat optimè purgatum, nec aliquid in eo fuiſſe, dehinc attende: & ſi in ſtomacho & inteſtinis ardorem, puncturam, incendium, ſitim, anguſtiam, oriſq; ſiccitatem habuerit, quod illi propinatum fuit, calidum erit: ideo propinare illi expedit oleum roſeum violatumq;, cum aqua roſarum & ſemi-

nis pſyllij, ac ſeminis citoniorũ, & ſeminis lini, lac quoqꝫ recẽs & hordei, aquã cum amygdalarum oleo dulcium, ius gallinarum ſaginatarum cum eſpidabago: ſorbitionem quoqꝫ quæ fit de amylo, ſaccharo, & amygdalarum oleo, & iura etiam gallinarum pinguium, cum eſpidabago, & alia his ſimilia: ſugat autem granata & poma, citoniaqꝫ & perſica comedat & pruna, cucumeris & citruli medullam, portulacam, lactucam, taraxacon, id eſt cichoriam, ſeu endiuiam ſyluestrem, ſacculo quoqꝫ quem cum ſandalo condes albo, & camphora & aqua roſata pectus patientis cataplaſma, & hepar cum panno lineo ſandalis & aqua roſata infuſo, & clyſtere adhibe puncturas mitigans, vt clyſtere quod fit cum hordei aqua & violarum ſiccarum ſebeſten, & iuiubarum, amygdalarum oleo & roſarum tepidum, & his ſimilibus: cum autem in corpore ſuo ſentit homo grauitatem & dormitionem, coagulationem vel congelationem, aut grauitatem in manibus & pedibus & lingua: ſciendum eſt poculum quod bibit frigidum fuiſſe: huic allium dandum eſt, & cępa & ruta, propinãda eſt theriaca, diateſſaron aut mithridatum cum pigani, id eſt rutæ aqua, & ſi nihil horum præſto eſt, hoc propina medicamen. Aſsignatio eius myrrhæ optimæ, coſti, foliorum rutæ, fautenegi, id eſt origani ſylueſtris, piperis, pyrethri, cardamomi, æquales partes, heltiri, id eſt, aſſæ quantum & reliquorum, ſimul tere diligenter & diſtempera cum melle, porriges ʒ.i. vſqꝫ hexagium, aut hoc propina medicamen. Aſsignatio eius myrrhæ optimæ ʒ.i.s. galbani ʒ.ij. tere myrrham & galbanum, & cum modico emolli vino & propina. Aut porrige potum pigani, id eſt rutæ, foliorum nucis, & ficus, & ſalis factum. Aut cataplaſma cũ aqua in qua rutam, origanum, cinnamumqꝫ decoxeris, corpuſqꝫ fortiter frica donec rubeat, ius eſpidabagi ſorbeat, cum columbarum pullis pinguibus, factũ cum ruta, cinnamo, galanga, pipere, cymino, oleo loto: clyſtere illi ſuppone mellis nitri, garri, & ſequebenegi, id eſt ſerapini, & olei oliuarum, & olei ieſemini in aqua tepida percuſsi. Quòd ſi homo ſentit marcorem & animi caſum defectumqꝫ virtutis, intelligendum quòd bibit venenum corporis ſubſtantiæ eius contrarium, & eſt reliquis peius venenis & citius perdens: ideoqꝫ poſt vomitum ſtatim theriacam oportet dari magnam, aut mithridatũ, aut theriacos trochiſcos, & ſi nihil inuenit, myrrhæ optimæ ʒ.i. propinet querſenæ, id eſt orobi ʒ.ij. cum vino ribano, aut ſume terram ſigillatam, ſcium armenicum, id eſt, ſantonicum armenicum, quæ eſt ſpecies abſinthij, & eſt herba lumbricorum, agaricum, origanum montanum, caſtoreum, ſemen hæderę, ſpicam celticam, abſinthij ſuccum, & propina de medicaminibus his ſimplicibus, aut ſimilibus hexagium i. cum vino ribano, & comedat poſtea auellanas, ficus ſiccas, ſedabum, id eſt rutam, bibatqꝫ aquam heſqui, id eſt, haſech, id eſt, tribuli marini triti expreſſam, ſumatqꝫ de hoc medicamine. Aſsignatio eius: Sume eggi, id eſt acori ʒ.i. ſihi, id eſt ſantonici armenici ʒ.ij. tere diligenter & cum melle diſtempera. Propina quoqꝫ pomorum aquam belſetorum, & vinum vetus. Odoret ſandalum, aquam roſatam, camphoram, ſitqꝫ implicitum quid illis. Vel euaporetur cum xyloaloe, id eſt ligno aloes, & ambra. Pectus eius & ſtomachi os fricetur, donec rubeant: paſcantur turdis & trochiſculis, qui fiunt de gallinarũ carnibus cum oleo loto, ſuperinfuſis modico vino ribano & aqua roſata, & crudo xyloaloes vaporetur diligenter trito. Et ſciendum, quoniam cum ei qui venenum bibit, icteritia fit, hepati eius nocuit cum defectu cordis. Cum verò ſpaſmus, cerebrum lædit: ideoqꝫ quod membrum cõfortet, propinandum eſt, cui incommodum accidit, & hoc vt ſanetur agas.

Halyabas in regali Diſpoſitione, decimo Practicæ, cap. de Theriacę magnę vtilitatibus, & probatione eius & quantũ porrigendum ſit. Theriaca, ſupple, magna, omnes morbos qui corpori accidunt ſanat, deſiccatiua nanqꝫ ineſt virtute,

tute,

tute, reptilium prodest morsuris, & venenosorum obuiat veneno animalium, letiferisq; potionibus, & humorum placat corruptionem &c. Qui autem biberit venenum, aut medicamē letale, hexagium seminis de ea bibat, vsq; hexapium cum vini vncia. Nonnunquam autem quem pupugerit serpens &c. aut qui letale biberit poculum, ab vno hexagio bibat, vsq; ad duos, iuxta eorum, quæ accidunt, virtutem &c.

De Theriacæ Azeræ asignatione.

Theriacę Azerę, id est Esdræ asignatio eius vtilitatis, quæ & magnę: Sume amomi, myrrhæ mundæ, spicæ Indicæ, sadegi Indici, id est, folij Indi, laccæ optime purgatæ, memitæ, car. darsusel, id est piperis longi, cimoleæ, costi, myrti, amaraci, id est achauen, id est cotulæ fœtidæ, gentianæ, cuiusq; hexagia xij. adecari, id est squinanthi, florum hypocistidos, succi macali, id est bdellij, glauci, cuiusq; hexagia viij. seminis caulis, seminis fœniculi, id est anisi, anethi seminis, quebenomelech, id est almelichi, id est orobi, asari, cardamomi, euphorbij, opij, nardi, adra, id est spicæ nardi, florum vitis, florū redodafin, id est oleandri, cuiusq; vi. zafrani xxxvi. petroselini, & est semē apij mōtani, dauci, & est semē pastinacæ agrestis, epithymi cretici, spicæ celticæ cuiusq; iij. quetirę, id est dragacanthi, seminis papaueris albi, piperis nigri, cuiusq; xxx. ireos radicis, xv. thuris albi xxiij. iusquiami seminis xxviij. casiæ ligneæ, rosæ rubeæ optimè purgatæ, trochiscorum derizon, cuiusq; viij. seminis rutæ, succi exancanton, id est lycij, citri granorū, sumaqui, id est sumach suis granis purgati, cuiusq; ij. olei balsami xxiiij. florum muran, id est iuniperi, hexagium, & seminis abrotani, succi xx. citri foliorum xiij. medicamina hæc trita & cribrata aduna, gūmas autem & succos vino infunde claro bonæ substantiæ, aut decocto vuæ passæ cum melle: & cum despumato tempera melle, triplum addens mellis. Et vase condens, cum opus fuerit, sicut magna vteris theriaca.

Trochiscorum de Rizon, qui in theriaca Azeræ ponūtur, asignatio. ℞. Babunegi, id est camomillæ albæ & rubeæ, myrrhæ mundæ, anisi, asari, asenæ, id est vineæ, calami aromatici, xylobalsami, partes æquales, tere & cribra omnia, ac cribrata misces cum vino optimo & claro atq; aromatico. Excipe cum decocto vuæ passæ, aut melle, & tribus continuis permitte diebus, simul commouēs, ac aliquid horū addens vinorū, iuxta quòd opus videris, & hexagij facies trochiscos ac in vmbra siccabis & vase cōdes vitreo cum opus fuerit fruiturus.

De Mithridati asignatione.

Mithridati nobilis asignatio &c. venenorum nocumenta propellit: multisq; & pluribus quibus theriaca magna prodest &c.

De Electuarij Tarurumni, aliàs tazurummi, confectione.

Electuarij tarurumni, aliàs tazurumni, confectio vtilis letalibus venenis, tam bibitis, quàm ab animali iniectis & reptilium percusioni. Sume terræ Græcæ, id est, terræ sigillatæ, baccarum lauri, friagi, cuiusq; ʒ. ij. capræ agrestis, coaguli viij. coaguli leporis iiij. gentianæ Græcę, tharagni, aliàs tartagnij, id est myrrhæ mundæ, aristolochiæ rotundæ, briaxi, rutę seminis, meu, frondium lauri: cuiusq; ʒ. i. trita & cribrata medicamina, hæc aduna cum mellis despumati triplo, misce, & in modum fabæ dabitur.

De Pilulis.

Pilulæ fucani dolori vtiles ventris & malæ digestioni medicaminibus mortiferis & reptilium percusioni, matricem cōponunt, & conceptum fieri adiuuant, granorum berberis, radicum bambacis, aristolochiæ longæ, carui, piperis nigri & longi, myrrhæ, spicæ, æqualia sumens pondera, tere, & cribrata distempera cum aqua calida rosarum, pilulasq; in vmbra sicca, & ʒ. dabis ij. cum aqua calida.

De Vomitus medicaminum aſsignatione.

Medicaminis aſsignatio, quod per vomitum choleram educit nigram & bibitum venenum. Sume ſalis Indici, ſucci cucumeris agreſtis, bauraci, id eſt baurach cuiuſq; partem, ſinapis ſeminis partem: medicamina hæc trita adunabis, & cribrata cum mellis aqua propinabis, ac anethi.

De Trochiſcis.

Trochiſcorum quaquebi aſsignatio vtilium veneno potato, & reptilium morſui ac percuſsioni. Sume caſtorei, myrrhæ mundæ, ſelichæ, id eſt caſsiæ ligneæ, terrę ſigillatę, corticis mandragorę, cuiuſq; ℥. iiij. zafrani, opij, cuiuſq; hexagia vi. dauci, aniſi, ſeminis apij, ſiſelei, id eſt ſiſeleos, hyoſcyami albi, murrhę fluxę, id eſt ſtyracis liquidę, cuiuſq; viij. opium, myrrham funde in vino tibano, aut communi, & ſimul medicamina diſtempera trochiſcoſq; medij hexagij trochiſca, & in vmbra ſiccatis vtere poſt ſex menſes.

De Syrupis & Robis.

Robi citrorum aſsignatio vtilis veneno ſi bibatur &c. Sume acerbum citri acidi, & eius exprimēs ſuccum cola, & in lebete miſſum mundo, lento coques igne, donec ad quartum deficiat, depoſitoq; & colato vteris.

EX CONSTANTINO.

Conſtantinus in Pantechni, tertio Practicæ, cap. 7. Quædam medicinę venenatos liberant, vt de compoſitis theriaca & Mithridatum: & de ſimplicibus, vt caſtoreum & allium & pimpinella. Quarto Practicæ, cap. de Punctura ſcorpionis. Ego autem dico, ſi pimpinella cum vino bibatur, & cum puluere gentianæ, alij cinamomi & centaureę, ab omni veneno cor hominis defendit.

De cauenda mortifera potione. Galenus & Dioſcorides pręceperūt, qualiter prouideatur ſi res venenoſa timeatur. Accipiant ficus ſiccas cum nucibus quibus venenoſa ante comeſta refręnātur, poſt comeſtionem non minus ſubueniunt. Similiter caſtaneę cum ficubus ſiccis & parum rutę faciunt. Idem faciunt auellanę ante cibum cum pauco vino comeſtæ. Et ſimiliter nuces ante cibum cum pauco vino comeſtę operantur. Nuces quoq; virides cum ruta faciunt ſimiliter; item calamenthum cum vino valet. Detur theriaca maior non ſolùm poſt venenum, ſed etiam ante, quę ſi non inueniatur tribuas confectionem pimpinellæ in cap. Puncturę ſcorpionis dictam: quia nullus eam valet appretiare, ſi in menſe Septembris conficiatur: quia non ſolùm venenum extinguit, ſed etiam dæmonium ab homine expellit, vt in quorundam codicibus huius artis doctorum inuenitur.

Decimo Practicę cap. de Theriacis & alijs antidotis. Theriaca probata contra venenum & morſum ſerpentis ſcorpionis, reptilium & contra omnia reptilia & mortifera & ſtupefacientia & infrigidantia &c. ℞. Ariſtolochię vtriuſq;, gentianę, coſti, dampnidij, id eſt baccarum lauri an. ℥. x. myrrhę, chamędryos, cardamomi, capparis, cyperi, rheubarbari an. ℥. v. carpobalſami, xylobalſami, zedoarię, betonicę an. ℥. iij. balſami ℥. i. aliàs ℥. i. fricentur cum eo ſpecies prius, quàm temperentur, & da. ℥. i. vel hexagium i. Antidotum contra venenum & rigorem febrium. ℞. Ariſtolochię longę ℥. vi. piperis ℥. iiij. aliàs ℥. i. opij ℥. i. pyrethri ℥. vi. da in modum lupini, id eſt hexagijs. Antidotū de aſſa ad idem. ℞. Aſſæ, piperis, rutę, myrrhę, ęqualia pondera, ad ſcorpiones da cum vino.

Aliud de Cimolea contra venenum & morſum reptilium. ℞. Cimoleæ, gummę, diaconidos, id eſt cuiuſdam ſpeciei cypreſsi an. ℥. x. aliàs iiij. coaguli capreoli ℥. ij. (aliàs xij.) coaguli leporis ℥. i. gentianę, dampnidij, id eſt baccarum lauri, ariſtolochię longę, rutę ſylueſtris an. hexagiū i. da in modum fabæ.

Antidotum de terra ſigillata contra omnia venena. ℞. Terrę ſigillatę, dampnidij an. ℥. ij. veſicę hirci ℥. i. veſicę leporis ℥. vij. gētianę, ariſtolochię rotundę, ſinapis,

sinapis, myrrhę, foliorum lauri an.ʒ.i. confice, da.ʒ.iiij. cum frigida. Antidotum sigillatum contra omnia venena. ℞. Terræ sigillatę, dampnidij an.ʒ. vij. gentianę, aristolochię rotundę, sinapis, menthę, foliorum lauri an.ʒ.i. mellis quod sufficit da.ʒ.iiij. cum aqua.

Constantinus in Viatico, libro 7, cap. de Cauenda mortifera potione. Accipiantur ficus siccę cum nucibus, quibus venenosa ante comesta confutantur, post comestionem non minus subueniunt: similiter castaneæ cum ficubus siccis & parum rutæ faciunt. Idem auellanę ante cibum comestę cum pauco vino. Nuces quoq; virides cum ruta faciunt similiter. Calamenthum idem valet cum vino. Galenus confectionem dicit, quę à mortalibus custodit cibis, quam Nicomedem regem dicit accipere solitum cum suspicionem haberet. ℞. Baccarum lauri, terrę sigillatę an.ʒ.iij. fac puluerem temperans cum oleo & da.ʒ.ij. cum tribus ℥. mellicrati. Hanc si ante venenosa dederis permanens in stomacho venenũ expellit cum vomitu, quam si quis negligat & periculum hoc incidat, oportet in venenis expellendis laborare, antequam dominentur in corpore, expellantur autem vel cum vomitu, vel cum egestionibus, vomitus autem incitetur cum oleo, & aqua calida, vel aqua calida, melle & oleo. Aqua de anetho idem facit. Egestibilia cum clysteri, vt mundificentur intestina de rebus illis venenosis. deinde detur lac post mundificationes certas, vel serũ: nutriatur cũ rebus calidis & vnctuosis, sicut ficubus siccis, nucibus, auellanis, fisticis, vuis passis, sesamo, iuribus gallinæ, annualis agni hœduli, & piscibus petrosis, si inferiora ventris ardeant, vt purgetur vel clysterizetur, gallina crassa coquatur, quousq; in decoctione deficiat, ius autem illud bibat, balsamũ cum lacte mulieris multum valet arsuræ, vel dolori ventris ex rebus venenosis. Rufus & Andromachus & Galenus concordes dicunt, quòd theriaca magna ex carnibus viperę facta non circa solos morsus therij, vel serpentum iam factos adiuuat, vel circa venenosa ebibita, sed etiam prius accepta ab his adhuc accipiendis defendit.

EX ANTIDOTARIO VNIVERSALI.

Antidotarium vniuersale. Antidotum Athanasia, magnum etenim mirabile est, &c. His qui venena acceperunt cum melle & oleo, & à serpentibus morsis cum decoctione aristolochiæ, liberationem præstat. ℞. Cinnamomi, casiæ fistulæ, amborum ʒ.xviij. & ℈.ij. croci, squinanthi, styracis, calamitæ, phu, id est valerianę, sileris, hyoscyami, apij, dauci, anisi, opij, omnium x.ʒ.ix. & ℈.i. spicæ, folij, castorei, myrrhæ, troglodytidis, terræ sigillatæ, asari, acori, mandragoræ, corticispropoleos, baccarum lauri, meu, leucopiperis, macropiperis, petroselini, omnium xiiij.ʒ.iij. mellis quod sufficit. dosis eius ʒ.iij.

Antidotum Alexandri &c. & vsus sum eo ad venenum, & omnia vitia stomachi &c. ℞. Helenij ℥. iiij. fœniculi ℥.iij. sileris, sinoni, id est petroselini agrestis ʒʒ.an.℥.ij. piperis, erucæ seminis an.℥.s. mellis quod sufficit. Climax hermaica, quæ dicitur diæta, vel theriaca, quæ collecta est apud Heliopolim in ara Solis scripta, non literis, sed figuris: constat autem ex speciebus sexaginta, & ideo climax appellata est, quia drachmatim ab vna drachma ad xv. ascendit: ita tamen, vt per singulos gradus quaternæ species componantur &c. Ad eos qui venena biberint, vel ab aliquo terreno, vel marino animali, fuerint morsi, potata, & vulneribus superposita, omni cum celeritate succurrit ex quotidiano tertiano, seu quartano typo laborantibus cum apozimate pigani, id est rutæ, vel calamenthi bibita opitulatur, & aliud adhuc mirabilius operatur: quia si potata fuerit infectiones aeris mali, odores, & diuersarum aquarum potationes corporibus aliquid nociuum facere non perualent. ℞. Opoponacis, castorei, myrrhæ, thuris, omnium iiij.an.ʒ.i. euphorbij, croci, laseris, id est assæ,

balſami, omnium iiij. ʒ. ij. hyſſopi, abſinthij, petroſelini Macedonici, ſeminis ſinapis omnium iiij. ʒ. iij. pyrethri, ariſtolochiæ, gentianæ, praſij omnium iiij. ʒ. iiij. centaureæ, melanopiperis, aniſi, ſiſelei, id eſt ſileris montani, omnium iiij. ʒ. v. chamomillæ, ireos, chamędryos, ſimphiti, id eſt conſolidę omnium iiij. ʒ. vi. ſcillę aſſæ, citri foliorum, aliàs caryophyllorum, baccarum lauri, ſeminis ſalicis omniũ iiij. ʒ. vij. anchuſæ, id eſt lactucæ aſini, radicis origani, thymi, ſilphij omnium iiij. ʒ. viij. cinnamomi, ſpicæ, caſsiæ fiſtulæ, amomi omnium iiij. ʒ. ix. frondium lauri, coccognidij, carpocareos, id eſt carpobalſami, id eſt ſeminis balſami, cymini omnium iiij. ʒ. x. lithargyrij, aluminis ſciſsi, balauſti, ſeminis hyoſcyami omnium iiij. ʒ. xi. aluminis rotundi, id eſt zucharini, granorum vuarũ, amyli, cyperi omnium iiij. ʒ. xij. terebenthinę, mali citri, ſeminis rutæ, marathri, id eſt fœniculi omnium iiij. ʒ. xiij. iringi radicis, pęonię, rubi radicis, agni caſti, omnium iiij. ʒ. xiiij. helenij, agrimonię, millefolij, arthemiſię omnium iiij. an ʒ. xv. mellis quod ſufficit: cauendum eſt autem, ne ſpecies pro ſpeciebus mutentur, aut ei aliquid augeatur vel minuatur. Climation, quam valere multis rebus experimentatum eſt &c. Contra venena quidem & morſum reptiliũ quadrupedumq; animalium, ita expertum eſt, vt hora illa qua accipitur & ſuperponitur plagis ab omni dolore & tumore patientes liberat. ℞. Libani, praſij, centaurę, ſtœcados, lauri Alexandrinę, cucumeris agreſtis radicis, iunci floris, ſeminis porri canini omnium ix. ʒ. ſingulas, coſti, croci, betonicę, eryngij, radicis helenij, vngulę equi, id eſt farfarellę, melanopiperis, vrticę ſeminis omniũ viij. ʒ. ij. ſpicæ, ſcillæ aſſę, chamędryos, apij ſeminis, ſeſeleos, anethi, ameos, fœniculi omnium viij. ʒ. iij. zedoarię, bractei, id eſt ſauinæ, polij, agrimonię, pęoniæ, ſaxiphragiæ, fœnugræci omnium vij. ʒ. iiij. galangæ ʒʒ. myrrhæ, daphnæ, id eſt Alexandrinæ aut Ideæ, aut danaen, id eſt, vt credo herbæ vocatæ dainea, coche, id eſt granæ, qua tingitur ſcarlatum, gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, rutæ, dictami omnium ix. ʒ. x. mellis quod ſufficit, detur in modum auellanę cum tepida. Limperion quod facit contra malum medicamen aſſumptum & ſerpentum morſum &c. ℞. Myrrhæ, troglodytidis ʒ. vij. s. nardi, id eſt ſpicæ nardi ʒ. v. s. caſsiæ ʒ. iiij. aloes hepatici, roſæ, rapæ ſeminis an. ʒ. iij. ſquinãthi, thuris an. ʒ. ij. leucopiperis, id eſt piperis albi, macropiperis, id eſt piperis longi an. ʒ. i. mellis quod ſufficit, datur in modum auellanæ cum tepida. Mithridatum magnum faciens ad omnes paſsiones virorum ac mulierũ &c. venena omnia reprimit, venenatos morſus, ſeu rabidi canis, vel cuiuſcunq; reptilis impoſitũ, ſiue bibitũ cum admiratione magna emendat &c. ad omnes incertas paſsiones & euaticas, ſiue ad omnes morbos, qui noticiæ medicorum occulti ſunt, mirabile eſt. Mithridatum minus optimum &c. omnia venena potatum excludit, morſus venenatorum animalium impoſitos potenter emendat, & ad omnes diſtemperatos morbos quadrifaria virtute ſuccurrit: nam qui hoc vſus fuerit, nunquam à veneno interimi poterit. Palladium gerontis &c. Ad morſum ſerpentis, vel cuiuslibet reptilis, & contra omnia mortalia medicamina cum decoctione gentianæ potatum, & in eod[e]m loco illinitum ſalutare eſt. ℞. Opij thebaici, dragacanthi, piperis albi, papaueris ſeminis omnium iiij. ʒ. iij. fæcis balſami ʒ. iiij. ſtyracis, caſsię, roſarum, libanotidos omnium iiij. ʒ. iij. nardi ʒ. ij. s. coſti, myrrhæ, troglodytidis, bdellij, iridis, aſari, pentaphylli, id eſt quinq; folij, amomi omnium vij. ʒ. ij. ſquinanthi, caſsiæ an. ʒ. ij. croci, pyrethri, roriſmarini, aniſi, fœniculi, ameos, cardomi, euphorbij omnium viij. ʒ. i. rutæ foliorum, ocimi ſeminis, ſulfuris viui, omnium trium ʒ. iij. mellis quod ſufficit, datur in modum auellanæ cum tepida. Puluis adcepladeus, quo Conſtantinus Imperator vtebatur: vnde incolumis vſq; ad vitæ ſuæ terminũ permanſit &c. Contra venenum cuiuslibet reptilis ſerpentis, ſiue ſcorpionis cum vino veteri propinatus

pinatus

pinatus ſubuenit. ℞. Folij optimi, ſpicæ, caſsiæ fiſtulæ, macis, aliàs magrę, id ſinopidis, ſeu terræ rubeæ carpentariorum, maſtichis, dragacanthi, myrrhę, aluminis, ſanguinis draconis, aloes hepatici, ariſtolochiæ longæ & rotundę, iris Illyricæ, liquiritiæ, peucedani, cyperi, enulæ, betonicæ, faſſei Gallici, id eſt ſpicæ celticæ, ſaluiæ, abſinthij, phu, centaureæ, eupatorij, hyſſopi, melliloti, anagalidis, id eſt morſus gallinæ, & in Marchia vocatur centũdum, gentianæ, petroſelini Macedonici, id eſt oluſatri, & eſt vna ſpecies apij, platocymini, id eſt ſileris montani, cardamomi, amomi, carpobalſami, omnium xxxiij. ʒ. viij. omnia in ſubtiliſsimum puluerem redigantur, & vſui reſeruentur. Cumq́ opus fuerit ex eis ʒ. ij. patiens ieiunus accipiat. Theriaca magna &c. maximè contra omnia venenoſa & ſerpentium morſus & omnium reptilium valet. Theriaca diateſſaron, quæ præcellit theriacas &c. morſis à rabioſis vrſis & canibus, vel à quibuslibet alijs venenatis animalibus, & venena bibentibus, vel fungos malos comedentibus optimè facit. ℞. Myrrhæ, ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, baccarum lauri excoriatarum omnium iiij. lib. i. Alij addunt fœnugræci, nigellæ, zedoariæ ℥. iiij. dictami, chamædrei, rutæ an. ℥. ij. mellis quod ſufficit: datur in modum auellanæ contra venenata animalia, & malos fungos cum mulſa & morſibus, vt emplaſtrum impoſita.

Trochiſcus Ptolemæi habens virtutem vt theriaca &c. Ad omnia venena venenatorum animalium optime facit. ℞. Orobi farinæ ʒ. xx. bruſci radicum ʒ. xv. rutæ agreſtis ʒ. xij. trifolij acuti ſeminis ʒ. ix. croci, ſerapini, myrrhę, laſaris, id eſt aſſæ, cymini Thebaici, ſerpylli, erucæ radicis omnium vij. ʒ. vi. opij, papaueris amborum ʒ. ij. vini Aminei quod ſufficit, hæc omnia tere, & in puluerem redacta cum vino trochiſcum informa & vtere. Vetonicæ, id eſt betonicæ accepta venena ʒ. ij. in vini cyathis iiij. id eſt ℥. vi. potatę per vomitum excludunt. Hiera memphitum &c. datur his, qui venenum mortale acceperunt &c. datio eius erit ʒ. i. vel ij. ℞. Agarici, ammoniaci, thymiamatis, folij, ſcillę aſſæ, diagridij, ſpicæ omnium vij. ʒ. aloes, thymi comarum, caſsiæ, chamædrei, hyperici, bdellij, praſij omnium vij. ℥. i. cinnamomi, opoponacis, caſtorei, ariſtolochiæ longę, piperis nigri & longi & albi, croci, ſerapini, petroſelini omnium x. ʒ. v. colocynthidis interioris ʒ. xx. elaterij xij. abſinthij, myrrhæ, troglodytidis an. ʒ. xij. euphorbij, polij, coccognidij, id eſt ſeminis mezereon an. ʒ. xvi. epithymi, dragacanthi an. ʒ. vij, hellebori nigri ʒ. i. centaureæ ʒ. x. polypodij ʒ. xx. mellis quod ſufficit.

EX NICOLAO.

Nicolaus in Antidotario. Eſdra dicitur: quia Eſdra propheta eam compoſuit &c. valet ad ſciſſuras labiorum, ſi ex ea fuerint inuncta, & contra morſus venenoſos animalium ſerpentium, & aliorum prodeſt toxicatis hominibus & morſui rabidi canis, ſi trium vel quatuor annorum fuerit confecta cum vino bibita, & ſuper vulnus inuncta prodeſt cum ſucco menthæ. ℞. Aliptę moſchatæ, myrrhæ, ſacchari, foliorum rutæ, apij, ſeminis chamędryos, fœnugræci an. ʒ. i. ℈. i. granum, id eſt limaturę heboris, rutę, ſaluię, golonæ, id eſt origani, bauſtiæ an. ʒ. i. gra. vij. s. cinamomi, caryophyllorum, xyloaloes, ſpicæ, zedoariæ, laccę, roſarum, capparis, pulegij, abrotani, piperis nigri, petroſelini, dactylorum oſsium an. ℈. ij. s. caryophyllorum iiij. galangę ʒʒ. croci hortenſis, anacardi, lithodęmonis, id eſt lapidis dęmonis, id eſt lapidis gagatis, mandragorę, acori, pæonię, hyſſopi, thymi, roris Syriaci, id eſt ſumach, dauci, baſiliconis, fœniculi, altheę, olei oliuarum, vini veteris optimi an. ʒ. s. ℈. s. & gra. i. balſami, croci Orientalis folij, coſti, gallię moſchatę, calami aromatici, caſsię fiſtulę, myrobalani nardi, id eſt ſpicæ nardi, xylobalſami, celticę, id eſt ſpicæ celticę, dracanthi, coralli albi & rubei, confitę rubeæ, id eſt laudani, caſtorei, bdellij,

galbani,opopanacis,asphalti,terebenthinæ,mastichis,theriacæ Adriani,splenis pultri,id est pulli equi (verùm iuxta Platearium splen pultri est quædam superfluitas expulsa mediante sternutatione per nares à pullo equi cito post eius natiuitatem,quam nisi citò accipiatur,mater statim absorbet: & illa ad solem desiccatur,& postea reseruatur) ventris merguli,rheupontici,aristolochię longæ,asari,meu,hermodactyli,pyrethri,gentianæ,peucedani,epithymi,violæ,arthemisiæ,laureolæ,menthæ,malabatri,id est folij Indi, foliorum citri,pentaphylli,carpobalsami,amomi,anisi,carui,apij,papaueris seminis, rutæ ortensis,seminis ocimi, baccarum lauri, sanguinis draconis, lapidis agapis, lapidis magnetis,ossis de corde cerui,petrolei,mucelei,id est olei muscelini,id est olei de ben an.℥.i.& tertiam partē camphoræ,ambræ, macis margaritarum perforatarum & non perforatarum,blattę bisantiæ, acatiæ, betonicæ, caballi marini,id est pisciculi cuiusdam marini habentis caput & pedes ferè ad formam equi, qui prius ad solem exiccatur, & postea vsui reseruatur,sambaci, id est iesmini,styracis,calamitæ, serapini,sulfuris viui,ammoniaci,antimonij, hypocistidos, lycij, squinanthi, herbæ Syriacæ, id est herbæ maluæ, vel floris eius, floris oleandri,phu, id est valerianæ, marrubij, sulfurtæ, id est dentis equini, & secundum aliquos andacochæ,id est speciei trifolij, absinthij Alexandriæ, id est agni casti,euphorbij,cardami, id est nasturtij acuti,ameos,git,id est speciem nigellæ,leuistici,citri seminis, leucopiperis, id est piperis albi, macropiperis,id est piperis longi,nigellæ,vzifur, id est cinabrij, corticum nerij, id est oleandri,succi caulis agrestis,aquæ vitis an.℈.s.gr.ij.lithargyrij,miadi,opij,iunci radicum,calaminthę,hyoscyami an. gra. vij.mellis quod sufficit, detur cum vino calido in modum auellanæ,id est aur.i.in sero.

Theriacæ Adriani, id est Adriani descriptio. ℞. Opij Thebaici ʒ.iij.casiæ ligneæ, hyoscyami an.ʒ.ij.& ℈.ij.s.euphorbij,leucopiperis, id est piperis albi ʒ.ij.& gra.vi.seseleos, apij seminis an.ʒ.i.& ℈.s.& gra.ij.folij origani, dracanthi an.ʒ.i.opobalsami, id est balsami, macis, styracis, calamitæ ʒʒ. xylobalsami,cyperi,carpobalsami,petroselini Macedonici an.ʒ.i.minus gra.vi. fœniculi ℈.ij.& gra.viij. aliàs ij. cinnamomi,spicæ, costi, croci, calami aromatici, reupontici,pyrethri,acori, dauci Cretici, id est seminis pastinacæ ortensis, & secundum aliquos pastinacæ syluestris, anisi an.ʒ.s.& gra.vi. castorei ʒ.i.s.serapini,myrrhæ, rosæ,cardamoni,amomi,seminis rutæ agrestis,ameos an.℈.i.gr. iiij. casiæ fistulæ ℈.ij.Alij addunt saluiæ ℥.ij.mellis quod sufficit.

Electuarium ad dolorem hepatis & stomachi &c.& contra venenū. ℞.Myrrhæ ʒ.vij.cymini ʒ.iiij.s.leucopiperis ʒ.ij.thuris,costi an.ʒ.i.s.mellis despumati quod sufficit:detur in sero in modum castaneæ cum vino calido.

Mithridatū, id est mater omnium antidotorum siue à Mithridate rege dictum &c.præcipuè datur contra venenum,præcipuè distemperatum cum succo menthæ potetur. Theriaca magna Galeni præcipuè contra omnia venena & morsus serpentium & reptilium valet &c. Theriaca diatessaron.Theriaca dicitur domina medicinarum, de quatuor rebus dicitur,de quibus antiquitus conficiebatur,sed alij philosophi cętera addiderunt: valet propriè toxicatis hominibus & morsis à canibus rabiosis & ab alijs venenosis animalibus: datur cum succo menthę ad bibendum &c. ℞. Myrrhæ, aristolochiæ rotundæ, gentianæ, baccarum lauri excorticatarum an. ℥.i.℈.ij.minus gra. xij.fœnugræci, nigellæ, zedoariæ an. ʒ.ij.℈. ij.dictami,chamædryos, rutæ an.ʒ.ij.℈. ij.gra.viij.gummi,hederæ,calaminthæ,chalcanthi vsti an.drach.i.ossis de corde cerui, mumiæ, esdrę magnę,antipharmaci, id est vincetoxici an. ʒ.i.cornu cerui vsti ʒ. iij. mellis despumati quod sufficit, datur in modum auellanę, id est extra i.

EX PLATEARIO.

Platearius in circa instans de Simplicibus.cap.de Allio. Allium habet virtutem consumendi & dissoluendi & expellendi venenum contra morsus venenatorum animalium. Allia accipe & tere & cataplasmentur: succus etiam intrinsecus receptus expellit venenum: vnde theriaca dicitur rusticorum.

De Aristolochia.

Contra venenum & contra morsus venenatorum animalium, datur puluis eius, supple, aristolochiæ cum succo menthæ.

De Ruta.

Contra venenum bibitum ruta bibitur &c.

De Sponsa solis, siue cichoreo.

Sponsa solis frigida est & humida in secundo gradu: eadem dicitur cichoreum, intubus, heliotropium siue solsequium. Herba comesta valet contra venenum si sit ex morsu, trita vulneri imponatur.

EX RAINALDO.

Rainaldus de Villanoua, in libro de Distillatione sanguinis humani. Extrahe ex sanguine humano elementa, vt scis, & custodi quodlibet elementum ex parte ab aere. Aqua valet omnibus ægritudinibus tam calidis quàm frigidis generaliter, eo quòd est occultę naturę: maximè valet patientibus vitium in spiritualibus, venenum à corde declinat: arterias humectat & dilatat, contenta in pulmone sine molestia dissoluit, & ipsum vlceratum non obstante commotione consolidat sanguinem, mundificat, purgat choleram, & contenta in spiritualibus & ea mundata pręseruat à corruptione. Fluxus ventris à tota specie curat: apostema etiam in lateribus mirè sanat, potata ter à languente fit bona spes salutis de eo. De igne verò est mirabile: quia valet ad omnia, sicut oleum seu aer, & quòd plus est, facit de sene iuuenem, & de mortuo viuum: hoc intelligo, quòd si hora mortis detur de hoc igne tantum quantum grani tritici distemperatum cum vino, ad hoc vt guttur transeat, reuiuificat ipsum & ingreditur cor & calefacit, & subitò expellit prauos humores & annihilat, & deponit venenum & viuificat calorem hepatis naturalem: & visum fuit miraculum de hoc igne apud dominum comitem Fauiensem, qui quasi mortuus iacuit: & statim postquam hanc medicinam sumpsit, confitebatur omne delictum suum cum multa contritione, & post horam expirauit, & apudque plures alios sum expertus: & si senex vtatur de hoc igne in valde modica quantitate cum aqua auri tollit à se ægritudinem senectutis, ita quòd cor iuuenile possidebit: & ideo vocatur hic ignis elixir vitę, & si senex vtatur isto igne in modica quantitate subleuat senectutem exhilarando cor. Et scias quòd sanguis, à quo debes extrahere quatuor elemēta, debet esse sanguis hominis sani ætatis infrà viginti & octo annos non putrefactus. Scias etiam, quòd si elementa secundariò sublimata fuerint, meliora erunt, & si tertiò fuerint distillata, optima erunt: quia homo viuere poterit vsque ad periodum vltimum suæ vitæ absque infirmitate aliqua, si ipso vtatur omni die vel altero ipsorum.

EX ALBERTO MAGNO.

Albertus Magnus in libro de Animalibus. libro 22, tractatu secundo, cap. 4, scilicet de animalibus quadrupedibus incipientibus à litera c. Dicunt autem, quòd abortiuum cerui intra vterum maternum occisi multum valet contra venenum. Albertus Magnus in libro de Mineralibus, libro secundo, tractatu 2, scilicet de Lapidum nominibus & virtutibus. Adamas lapis, est durissimus, parum crystallo obscurior, coloris tamen lucidi fulgentis &c. Hic lapis quando magneti superponitur, ligat magnetem, & non permittit eum

ferrum trahere, maior autem virtus eius est in auro vel argēto vel chalybe. Dicuntque magistri, quòd lacerto sinistro alligatus valet contra hostes & insaniam & indomitas bestias & feros homines, & contra iniurias & rixas & contra venena & incursus phantasmatum & incuborum & succuborum. Agathes, seu achates lapis est &c. quartum genus Indicum & varium, quasi sanguineis guttis sit respersum, visum fouet, & valet contra sitim & venenum: cum autem accenditur odoriferum est valde. Amandinus gemma est coloris varij: dicit autem Euates, quod venenum omne aut extinguit aut reprimit &c. Carbunculus, qui Gręcè anthrax, à non multis rubinus vocatur, lapis perlucidissimus est & solidissimus, habens se ad alios lapides, sicut aurum ad cætera metalla. Hic solus, omnium aliorum lapidum virtutes habere dicitur. Specialis tamen effectus eius, est venenum aereum & vaporosum fugare: & quando verè bonus est, lucet in tenebris sicut carbo. Diamon fertur quidam lapis dęmonis vocari bicolor, vt arcus dæmonis, qui iris vocatur. Et conferre hunc dicunt febricitantibus & venenosa pellere, & tutum viatorem reddere. Est autem diamon dictus, quod Græcè intellectum vel stellam claram scintillantem sonat. Heliotropia, aliàs helitropia, est lapis viridis ferè smaragdo similis, respersus sanguineis guttis &c. dicitur autem reddere hominem bonæ famæ & incolumē & longæ vitæ, & contra fluxum sanguinis & venena valere. Hyacinthorum duo sunt genera, aquaticus, videlicet, & sapphirinus. Aquaticus autem est flauus albescens, ac si peruium aquæ de sub flauo perspicuo erumpat & superare contendat, & hic est vilior, & inuenitur in isto genere rubeus aquescēs in quo etiam superat peruietas aquæ. Sapphirinus autem est flauus valde perlucidus, quasi nihil habens aqueitatis: & hic est melior &c. In ligaturis autem physicis est vsus eius, quòd collo suspensus vel digito gestatus tutum reddit peregrinum & gratum hostibus, & est cōtra pestiferas regiones. Et expertū est quòd somnum prouocat propter suam frigidam complexionem. Sapphirinus tamē hoc specialiter habere dicitur, quòd est virtus eius contra toxicum. Aiunt etiā quòd confert diuitias & naturale ingenium bonum & læticiam. In epistola Aesculapij cuiusdam philosophi ad Octauianum Augustum fertur, quòd aliquod venenum est tantæ frigiditatis quòd cor hominis illo veneno interempti conseruat ab igne, & si cor ad ignem ponatur tandiu, quòd in lapide oppressi conuertatur lapis ille, vocatur pyrophilus ab igne, vocatur etiam humanus à materia. Pretiosus autem esse dicitur: eo quòd victores facit reges & à veneno conseruat &c. In colore autem rubet hic lapis candorem habens admistum.

EX GILBERTO ANGLICO.

Gilbertus Anglicus in suo Compendio medicinæ lib. 7. cap. de Cura veneni assumpti per os. Septem autem sunt herbæ, quæ dicuntur æquipollere theriacę, scilicet herba perforata, id est hypericon, seu herba sancti Ioannis, vincetoxicum, id est antipharmacum, enula, raphanus, dictamus, aristolochia longa & rotunda, & lactucella: similiter cornu ceruinum combustum, venenum destruit. Lac autem asinę multum valet contra venenum. Similiter os de corde cerui, similiter testiculi vrsini & arietini comesti &c. Petrus Hispanus in Thesauro pauperum, cap. de Anthrace & veneno. Testa oui plena de succo acrimonię data potui, statim tollit omne venenum: hoc ego, & cum mira facilitate morsus serpentum & aliorum animalium venenosorum sanat. expertum. Item succus vel herba cocta, vel radix vel puluis tormentillę potatus, statim facit exire omne venenum: certum est & expertum.

EX IO. GADESDEN.

Ioannes Gadesden in Rosario libro ij. cap. vlti. particula de Cura veneni.

Grana

Grana iuniperi, sunt medicina contra venena, cui non est par, & morsum serpentis curant. Item succus vel herba vel radix tormentillæ vel puluis eius potatus, facit exire venenũ quodcunq; in tantum quòd datus canibus curat morsus animalium venenosorum. Idem facit pimpinella, quę habet florem rubeũ, & crescit inter blada. Item testa oui plena succo agrimoniæ data potui, statim expellit venenum per os potenter: & cum multa facilitate morsus serpẽtum & aliorum animalium venenosorum curat. Modus meus est dare puluerem talem ad pręseruandum, sicut firmiter dedi. ℞. Pimpinellæ, radicum tormentillæ, cinnamomi an. ʒ.s. ligni aloes, macis an. ʒ.i. granorum iuniperi ʒ.ij. fiat puluis. Et si non sit multum delicatus ponatur gentianæ ʒ.i. & tunc valet contra omne venenũ pręseruando & curando & hoc in principio, & detur cum decoctione boraginis, & voco eum puluerem iuniperinũ, & post detur diamargariton vel lętitia Galeni: & sic pręseruatur optime. Postquàm aliquis assumpsit venenum omni verecundia postposita, statim euomat quantum poterit cum oleo cõmuni antiquo, vel cũ oleo de nucibus: quod speciale est, sicut nuces sunt. Aut accipiat butyrum & lac & oleum multum, si vult leuiter euomere, & euomat cum penna vel cum digitis positis in gutture, vel cum succo mediani corticis sambuci, vel cum succo raphani vel sic. ℞. Baccas lauri, ireos, terram sigillatam, si inueniatur an. & confice cum oleo, & da potui, & faciet euomere venenum cum impetu. Et dato quòd non vomerit adhuc motus ille laboriosus trahet venenum de corde. Si venenum descenderit quod scitur: quia non eructuat neq; abominatur, & per torsiones & puncturas in fundo stomachi & intestinis, fiãt tunc clysteria fortia attrahentia deorsum: & ponantur ibi hieralogodion, & hiera Ruffini, & ruta & oleum laurinum, calendula, agrimonia, dictamus, serpyllum & centaurea, quia ista seorsum & coniunctim valent contra venena. Et sumat patiens bolum Armenicum, & fricetur totũ corpus: & caueat sibi à somno omnino quantum poterit. Et si consideret quòd venenum sit frigidum, sumat allia: quia sunt theriaca rusticorum, & sumat vinũ odoriferum, clarum, lucidum, subtile, aliqualiter declinans ad citrinitatẽ vel rubedinem mediocrem, seu aliqualiter antiquum non tamen nimis. Et si venenum sit calidum sumat coriandrum & caphuram, vel si fuerit de illis quę interficiũt à tota specie sumat theriacam. Cura veneni, vt dictum est, est dare ad potandum aquam tepidam, & oleum vsq; ad repletionem vel aquam decoctionis anethi cum melle, nitro vel sale, vel decoctionem butyri cum sale vel semine pastinacæ, & hoc vice post vicem vomere, & vẽtrem cum clysteri soluere est medicina. Item stercus galli cum velocitate prouocat vomitum: detur ergo cum vrina seruata per aliquot dies & est certissimum: & mundificato stomacho per dies tres detur theriaca magna cum decoctione rutæ, castorei, saluiæ ad pondus ʒ ij. bis vel ter in die & in lecto bene coopertus iaceat, & tunc sudet: & vtatur diæta tenui faciente ad consumptionem veneni. Et est regula, quòd in prima die veneni somnus est prohibendus: quia venenum in somno plus penetrat. Quarta autem die particularibus conuenientibus extrahatur parum de sanguine, & alio die fiat balneum, vt exeant superfluitates ad exteriora: vnde si patiens iaceat inuolutus in corio taurino, recenti, calido optimè valet, & attrahit venenum ad exteriora: & ista est quasi cura generalis, tamen specialior quàm prima. Adhuc notandum quòd istæ septem herbæ dicuntur valere, herba perforata, vincetoxicũ, enula, raphanus, dictamus, cornu cerui cõbustum, aristolochia longa & rotunda. item succus buglossæ clarificatus, pellit omne venenum à corde.

EX PETRO APONENSE.

Petrus Aponensis in suo tractatu de Venenis, cap. 4. Si dubitatum fuerit

de veneno, cuius fuerit speciei: tunc statim butyrum cum aqua calida simul dissolutum bibatur & cogatur euomere, & post vomitum cum butyro iterum vomere cogatur & aqua mellis: & mundificato stomacho statim theriaca magna exhibeatur cum decoctione vini in quo bullitæ sint radices dictami, & sit theriaca ʒ.ij. & in vinum ℥.ij. & non comedat vsque ad septem horas: & tunc nutriatur rebus vnctuosis & ficubus & vuis passis & auellanis & iure gallinæ pinguissimæ vel agni annualis vel hœdi. Si verò adhuc morsus vel dolor sentitur clystere initiatur factum cum aqua mellis dissoluta cum adipe anatis vel gallinæ, & proiecto clysteri iterum clysterizetur cum lacte ouino calido, quo proiecto cibetur iure supradicto. Si verò adhuc morsus vel dolor in stomacho vel intestinis remanserit, tunc modicum balsami dissoluti in huius lactis recentis cyatho vno detur in potu: hæc enim liberant venenatos si cito exhibentur. Septem sunt herbæ quarum cuilibet natura vniuersalis, cuius interest speciem cuiuslibet planetæ sigillare & specifica virtute dotare non à complexione elementari, quia calida vel frigida, vel quia sicca vel humida: sed quia talis à natura vel stella mediante sic dotata, donauit virtutem liberandi à venenosis cibis & potibus & letali veneno & venenoso vulnere siue morsu. Prima istarum est hypericon, quæ alio nomine dicitur herba perforata, secunda est vincetoxicũ, tertia enula, quarta raphanus, quinta dictamus, sexta aristolochia longa & rotunda, septima lactucella, quarum vnaquæque dicitur æquipollere theriacæ, ita vt vulneribus venenosis succus alicuius prædictarum datus in potu vulnera veneno infecta purget & sanet: & per istum modum omnes antiqui talia curabant vulnera antequam theriacę haberent noticiam. Morsus verò ab animalibus venenosis curat quælibet prędictarum theriacæ more, loco superposita: venena verò bibita curat puluis factus ex qualibet prædictarum & datus in potu cum vino vel aqua mellita: & lac asinæ comestum prohibet virtutẽ profundandi veneni, ita quòd in quocunque prandio vel cœna asininum lac fuerit bibitum vel comestum, nullum præter napellum possit nocere venenum.

Guilielmus de Varignana in sua Practica, sermone quarto, tractatu 2, cap. 1, scilicet de Cura cuiuslibet veneni assumpti in vniuersali. Grana lauri sunt theriaca omnibus venenis bibitis & omnia cerebella comesta omnibus venenis conferunt.

De quid nominis Theriacæ & Mithridati, & de ueris descriptionibus theriacæ & mithridati, & de uerificationibus dictarum descriptionum, & de modis construendi theriacam & mithridatum, & de modis conseruandi, & de erroribus qui in earum constructionibus communiter committuntur, & de modis quibus theriaca & mithridatum contra uenena conferunt, & de causis propter quas theriaca & mithridatũ exhibentur in modica quantitate, & de causis propter quas theriaca & mithridatum nociua sunt infantibus, senibus uerò utilia, & de quid nominis bezaar & quantitate eius. Cap. X.

QVoniam Theriaca & Mithridatum sunt de nobilioribus & excellentioribus & vtilioribus medicinis compositis quæ vnquam inuentæ fuerint, reperiaturque non parua diuersitas inter famosos auctores in descriptionibus prędictarum: perquisiui solerti studio ac solenni diligentia omnes famosos ac illustres auctores ipsas describentes, vt inuenire possem veram descriptionem theriacæ Andromachi: quam pręeligendam Auicẽna pręsertim consulit, & veram Mithridati descriptionem qua vsus est rex Mithridates. Quas equidem, vt reor, inuentas indubiè inserui in pręsenti cap. ostendens errores, qui in earum compositionibns communiter cõmittuntur, vt ipsis debito modo constructis, ineffabiles earum laudes ab auctoribus positę effectibus comprobẽtur. Quid nominis theriacæ & mithridati. Dico igitur quòd theriaca potest primo modo dici, quasi therij caro, quoniam in ipsa ponitur caro therij, id est serpentis fœminę taliter nominati, quę etiam vipera & echidna ab auctoribus

ribus nũcupatur, propter quam pręcipuè carnem theriaca ponitur valere contra venena, pręsertim animalium venenosorum: secũdo modo potest dici theriaca à tyros Gręcè, Latinè fortis: est nanq; fortis & validissima medicina pręsertim contra venena. Tertio modo potest dici tyriaca iuxta Albucasim, quarta particula Azarauij, cap. 5, auctoritate Vnaym filij Isaac à tyria & ca: tyria enim Gręcè secundum ipsum dicuntur, quęcunq; potenter subueniunt potioni animalium venenosorum, ca verò Gręcè dicuntur, quęcunq; conferentia medicinis venenosis: vnde tyriaca idem est quod potenter subueniens potioni animalium venenosorum & conferens medicinis venenosis. Quarto modo potest dici theriaca iuxta Haliabatem decimo Practicę, cap. de Theriacę vtilitatibus & probatione eius à trahendo. Trahit etenim theriaca ad se venena. Theriaca tamen prius dicitur primo modo: quia illo modo secernitur ab omni alia medicina siue simplici siue composita. Non sic verò alijs tribus modis, imo quolibet aliorum trium modorũ possunt plurimę alię medicinę, tam simplices quàm compositę nominari theriaca, & sic de facto ab auctoribus nominantur. Mithridatum autem à Mithridate rege dicitur, qui ipsum construi primò fecit & primitus eo ad euitandum venenorum insidias vsus est.

Descriptio vera theriacę Andromaahi.

Descriptio vera theriacæ Andromachi est hæc. ℞. Trochiscorum scillæ, aur. xlviij. trochiscorum viperę, trochisc. adaracaron, piperis nigri, opij an. aur. xxiiij. cinnamomi, rosarum, seminis napi syluestris rotundi, scorodi, radicis lilij cœlestis, id est ireos, agarici, succi liquiritiæ, olei balsami an. aur. xij. myrrhę, croci, zingiberis, reubarbari, quinq; folij radicis, calamenthi montani, prasij, petroselini, id est seminis eius, stœcados, costi, piperis albi, macropiperis, pulegij Indi, thuris masculi, floris squinanthi, gummi albotin, id est gummi arboris, grani viridis seu terebenthinę, casię lignęę nigrę, spicę nardi, polij an. aur. vi. styracis liquidę, seminis apij, siseleos, ameos, chamędryos, chamępityos, succi hypocistidos, spicę celticę, seu Romanę, folij Indi, gentianæ, seminis fœniculi, terræ sigillatæ, colcotar, id est vnius speciei vitrioli mineralis adusti, amomi, acori, nasturtij albi, carpobalsami, hyperici, valerianę, gummi Arabici, cordumeni, anisi, acatiæ, dauci, id est seminis pastinacæ syluestris, bdellij subalbidi an. aur. iiij. bezaard, id est galbani, asphalti, opopanacis, centaureæ minoris, aristolochiæ rotundæ, castorei, serapini an. aur. ij. mellis lib. x. vini odoriferi antiqui, id est vini odoriferi cocti, seu careni trium annorum vel circa, kistit ij. id est lib. iij. liquefiant quæ de eis liquescunt & infundantur quæ infunduntur, & terantur sicca & cribellentur & conficiantur cum melle. Et ponantur in vase vitreato, aut aliquo de infra scribendis in modo conseruandi theriacam: & non impleatur vas vt respiret medicina. Et omnes medicinę pręter mel & vinum sunt lxiiij. medicinę.

ARS trochiscorum scilliticorum ingredientium theriacam. Oportet vt eligatur de scillis humidis, illa quę est grauis, & non sit magna, id est non sit magna neq; parua, sed mediocris, & line eam cum fermento, id est pasta fermentata & assa eam in olla donec coquatur, aut in furno iam calefacto, & extracto cinere eius, aut in patella, super quem coquitur panis. Cum ergo extrahitur inde, sumantur exterius eius lenę, & teratur optimè & misceatur cum eo farina erui, id est orobi recẽs secundum virtutem scillę & exitus eius. Andromachus verò miscebat cum vna parte scillę duas partes farinę, & alij, equali mensura. Cum ergo permista est scilla cum farina erui, id est orobi: tunc fac ex ea trochiscos subtiles, & inunge manus tuas cum facis illos trochiscos de viperis oleo rosaceo & exicca eos, & cõserua sicut cõseruas trochiscos de viperis. Medici autem in tempore Auicennæ accipiebant scillæ partes duas & farinę par-

tem vnam. Vera autem deſcriptio trochiſcorum ſcillæ conſilio Auicennę, vt prædixi, eligenda, hæc eſt. ℞. Scillæ ſupradicto modo præparatæ par. i. farinę orobi par. ij. fiant trochiſci modo prædicto.

ARS trochiſcorum de viperis ſeu de therijs ingredientium theriacam. Capiantur viperæ cum eſt finis Veris & incipit æſtas: & ſi fuerit ver hyemale dimittantur vſq; quo conſequantur principia æſtus: & viperæ quidem ſunt ſerpentes habentes capita plana, quę ſunt lata propriè apud propinquitatē colli minuti ſubtilis valde quorum caudę ſunt curtę ſtrepitum facientes & ſonitum in inceſſu: & iſtis quidem trochiſcis non conueniunt omnes viperæ, imò flauę & de flauis fœminæ, & earum ſignum eſt, quòd maſculi in omni latere habent dentem vnum: & fœminę plures vno, id eſt duos: & oportet, vt alienentur cornutę & variæ & aſpides decliues ad albedinem & non capiantur ex piſcinis & litoribus fluuiorum & aquarum & marium, neq; petroſæ: quoniam in eis ſunt quercinæ facientes ſitim, imò capiãtur in loco longinquo ab humoroſitate & non capiantur illæ quæ ſunt debilis motus imò eligantur illæ quę ſunt velocis motus habentes caput eleuatum, & oportet vt non morentur cum capiuntur ſi poſsibile eſt, & abijciantur à parte capitis eius quatuor digiti: & ſimiliter à parte caudæ ipſius & ani eius. Quòd ſi cucurrerit ex ea ſanguis plurimus & fuerit motus eius in illa diſpoſitione plurimus & mors ipſius tarda, tunc erit electa, & ſi fuerit parui motus & pauci ſanguinis & velocis mortis, tunc erit mala: & de ſignis eius iterum eſt, vt ſit motus eius velox & aſpectus eius aſpectus audaciæ & pręſumptionis & ſit egreſsio fęcis eius ex poſtremo caudę ipſius: cumq; mortua eſt, extrahantur viſcera eius & propriè fel ipſius & abluatur cum aqua & ſale ablutione exquiſitiſsimè facta, deinde decoquatur in aqua & ſale, & ſi cum ea fuerit anethum non erit malum in eo decoctione diſcoquente cum qua leuis fiat collectio eius carnis ab oſſe ipſius. Mundificetur ergo caro ab oſſe & proijciatur in mortario & teratur bene & pręcipiatur illi, qui facit illud, vt odoret oleum balſami & inungat ipſum ſuper digitos: cum ergo contrita eſt, miſceatur cum tortellis, & non eligatur ſuper deſcriptionē Andromachi: deinde fiant ex ea trochiſci minuti, ſubtiles & exiccentur in vmbra, & reponãtur in repoſitorio: & oportet, vt non cadat ſuper eos radius ſolis omnino neq; ante exiccationem neq; poſt ipſam: ſol nanq; deſtruit & ſpoliat eos à virtute appropriata carnibus viperarum interficiente venena, quę ſunt ex morſione, rebibita. Vera igitur deſcriptio trochiſcorum de viperis ſeu de therijs ſecundum Andromachum conſilio Auicen. pręeligenda eſt hæc. ℞. Carnis viperarum fœminarum prædicto modo præparatarum competenter expreſſarum à iure ſuo & poſtea optimè in mortario trituratarum partem aliquã: panis albi parum fermentati cum modico ſalis bene cocti & exiccati nequaquam aduſti facti de flore farinę frumenti optimi ſubtiliter puluerizati quantum ſufficit ad trochiſcorũ formationem: qui equidem fiant modo pręſcripto.

DESCRIPTIO trochiſcorum andaracaron ingredientium theriacam. ℞. Corticum radicis darſeſahan, id eſt aſpalij, id eſt arboris granati ſylueſtris, cuius fructus dicitur bel, id eſt ſecundum aliquos berberi, calami aromatici, coſti, xylobalſami, aſari, polij, amomi, maſtichis, floris catulę albę, id eſt cotulæ fœtidę, valerianę omnium an. aur. vi. floris ſquinanthi, raued ſeni, id eſt reu de contrata ſeu prouincia ſeni, xylocaſsię, cinamomi an. aur. xx. ſpicæ Indicæ, folij an. aur. xvi. myrrhæ aur. xxiiij. croci orientalis aur. xij. terantur omnia & cribellentur, & cum vino redolente conficiantur, ex quibus informētur trochiſci & ſiccentur in vmbra. Verificatio deſcriptionis ſupraſcriptæ theriacę. Pro verificatione ſupraſcriptę deſcriptionis theriacę, aduertendum quòd pręfatę theriacę deſcriptio, quę eſt vera & radicalis Andromachi, eſt prima theriacę

deſcriptio

descriptio posita ab Auicenna quinto Canone, cap. de Theriaca, vno tantùm excepto, videlicet quòd vbi in suprascripta theriacę descriptione ponitur pentaphyllon, id est radix pentaphyllon, in dicta theriacæ prima descriptione Auicennę ponitur centaurea, quod equidem existimo fuisse factũ, aut vitio translatoris, aut primi scriptoris, quod nempe patet: quia postea in dicta Auicennę descriptione theriacæ ponitur centaurea minor: & vbi in Auicẽnæ descriptione prædicta ponitur centaurea in descriptione theriacæ posita à Galeno in libro suo de Theriaca ad Pamphilum principem, & in alio suo libro de Theriaca ad Pisonem, ponitur radix pentaphyllon: & similiter ponitur ab Oribasio primo suarum Dynamidiarum, cap. de Confectione theriacæ valde probatæ, quæ recipit carnes viperæ: Et similiter à Rasi octauo Almansoris, cap. de Morsibus viperarum: Et ab Haliabate 10 Practicæ, cap. de Assignatione theriacæ Galeni ad Andromacho sumpta: & similiter à Cõstantino in Pantechni 10 Practicę cap. de Cõfectione theriacę Andromachi: Ab Andromacho verò in suo lib. de Theriaca: & à Ioãne Serapionis, septimo Breuiarij, cap. 8, in Descriptione alta, cõpleta, & nobili theriacę: & Albucasi quarta particula Azarauij, cap. 1, scilicet de Theriaca maiori. Et à Constantino in Pantechni 10. Practicę, cap. de Theriaca & eius inuentoribus ponitur pentaphyllon: Et à nullo prefatorũ auctorum ponitur in prędicta theriacæ descriptione centaurea, nisi semel propè cõplementum descriptionis, sicut ponitur in pręscripta theriaca descriptione: quare ex pręfatorum illustriũ auctorũ mẽtibus liquidè constare potest, quòd in prima descriptione theriacę posita ab Auicẽna loco pręallegato error extitit in ponendo centauream: quinimo, vt posui, poni debet radix pẽtaphyllon.

Verificatio artis seu descriptionis trochiscorum scilliticorum theriacam ingredientium. Pro verificatione præscriptę artis seu descriptionis trochiscorũ scilliticorum theriacam ingredientium, aduertendum primò, quòd præfata descriptio est posita ab Auicenna quinto Canone, cap. de Arte trochiscorum scilliticorum: aduertendum secundò, quòd vera & radicalis descriptio trochiscorum scilliticorum secundum Andromachum, prout patet in suo lib. de Theriaca, & prout asserit esse Auicenna loco præallegato, est illa quæ recipit vnam partem scillæ & duas partes farinę orobi, & istam descriptionẽ pro constructione theriacæ consulo fiendam esse, pręsertim iuxta consilium Auicennę, vt suprà dixi. Galenus attamẽ in suo libro de Theriaca ad Pamphilum principem, cap. de Constructione paniculorum scilliticorũ, dicit de interiori parte scillę debere accipi ℥. centum, & de farina orobi ℥. xl. & permisceri simul & fieri trochiscos. In libro verò suo de Theriaca ad Pisonem, cap. de Cõstructione paniculorum scilliticorum, dicit debere accipi partes interiores scillę recentis non valde magnę assatæ in furno, vel in ollis in quibus panes coquuntur, & de farina orobi optima recenti: sicut asserit Democratem velle quod æquale, magnum verò diem velle accipi, medietatem & quintam partem. Andromachum autem dicit velle accipi duas quintas partes, sed dicit quòd id quod est ęquale est optimum. Rasis autem octauo Almansoris, cap. de Morsibus viperarum dicit pro constructione trochiscorum scilliticorum debere accipi de interiori parte scillę assatę modo prędicto, & quantum est medietas eius de farina orobi trita & cum subtilissimo panno cribellata: & postea debere teri & misceri, & aliquoties ex vino donec fuerit bene mista imbibi & formari trochiscos modo prędicto. Albucasis verò quarta particula Azarauij, cap. de Nominatione trochiscorum scilliticorum, dicit debere accipi de scilla assata modo prędicto, & de farina orobi quantum est medietas eius, & ex vino donec bene sint mista imbibi. Verificatio artis seu descriptionis trochiscorum, de viperis seu de therijs theriacam ingredientium.

PRO verificatione artis seu descriptionis trochiscorum, de viperis, seu de

therijs theriacam ingredientium: aduertendum primò quòd præfata ars siue descriptio prædictorum trochiscorum est posita ab Auicēna quinto Canone, cap. de Arte trochiscorum de viperis, & est vera descriptio eorundem posita ab Andromacho in suo lib. de Theriaca. Aduertendum secundò, quòd vltra prædicta signa posita ab Auicenna loco preallegato ostendentia viperam seu therion conuenientem constructioni trochiscorum, de viperis seu therijs prędictorum theriacam ingredientium, prout asserunt Andromachus, Galenus & alij præclarissimi auctores, est aliud signum, videlicet quòd vipera habeat oculos rubeos: quoniam illud significat vehementiam caliditatis naturalis in ea & sanitatem corporis eius. Aduertendum tertiò, quòd vipera iuxta præfatos auctores antequam coquatur modo prædicto debet excoriari seu expoliari à pelle sua, siue à spolio suo: propterea quia in ipsa pelle seu spolio coadunantur superfluitates grossæ, quæ à vipera resolui non possunt. Et debet etiam proijci zirbus & pinguedo eius vltra omnia alia eius membra interiora, propterea quia ipse est velociter alterabilis & corruptibilis: quia nutritur nutrimento superfluo & immundo, & debet decoqui cum igne de carbonibus fortibus, quia cum illis fit decoctio magis vniformis quàm cum flamma, & debet decoqui in aqua dulci optima cum modico salis puri & anetho seu ramis eius, vt resoluatur ab ea venenum quod in ipsa remansit & confortetur seu vigoretur virtus eius resolutiua & mundificatiua. Aduertendum quartò, quòd iuxta famosos auctores, quando caro viperæ accipitur seu pōderatur pro trochiscis ex ipsa fiendis, ipsa debet prius competenter exprimi à iure. Aduertendum quintò, quòd panis conueniens constructioni prædictorum trochiscorum de viperis seu therijs iuxta prędictos auctores debet esse panis de simila, id est de flore farinæ frumenti optimi, & debet esse parum fermentatus cum modico salis & albus & bene coctus & exiccatus & nequaquam adustus. Aduertendum sextò, quòd Andromachus, prout patet in suo libro de Theriaca non posuit determinatam panis mensuram ad construendum dictos trochiscos de viperis, sed ipse præfato eius libro & etiam Galenus in eius theriacę præallegatis libris, & auctores alij preallegati volunt, quòd de pane prędicto ponatur quantitas conueniens seu sufficiens, seu moderata ad formationem dictorum trochiscorum. Magnus autem & Democrates, prout Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem asserit: Et Haliabas in Regali dispositione, decimo Practicę, cap. de Assignatione trochiscorū theriacę: Et Constantinus in Pantechni decimo Practicæ, cap. de Trochiscis theriacæ, volunt quòd quantitas panis sit ęqualis quantitati carnium. Rasis verò octauo Almansoris, cap. de Morsibus viperarum: Et Albucasis quarta particula Azarauij, cap. 2, scilicet de Nominatione trochiscorum de viperis, volunt quòd quantitas panis sit quarta pars quantitatis carnis. Ego autem laudo iuxta consilium Auicennæ, quòd pręfati trochisci fiant, prout dixi Andromachum voluisse.

PRO verificatione descriptionis trochiscorum andaracaron theriacam ingredientium. Aduertendum primò, quòd prædicta descriptio punctualiter ponitur à Rasi octauo Almansoris, cap. de Morsibus viperarum, quam credo esse radicalem descriptionem Andromachi, quanuis aliqualiter differat à descriptione prędictorum trochiscorum posita in eius libro de Theriaca, quod existimo fuisse factum vitio scribentium. Differt autem suprascripta dictorū trochiscorum descriptio, ab illa Rasis solùm in isto: quia vbi ego dixi in dicta descriptione corticis radicis darsesahan seu aspalij in descriptione Rasis dicitur darsesahan, sed debet sic intelligi: quia Galenus in supradictis suis duobus libris de Theriaca in descriptione trochiscorum andaracaron in loco darsesahan ponit corticis radicis aspalij, id est darsesahan. Ioannes verò Serapionis septimo Breuiarij, cap. 8, in descriptione trochiscorum prædictorum: Et Auicenna

cenna

cenna in prima sui descriptione præfatorum trochiscorum: Et Andromachus in suo libro de Theriaca in descriptione dictorum trochiscorum ponunt loco darsesahan corticum radicum darsesahan. Quare considerans quòd dicti cortices efficaciores sunt ligno dicti arboris posui, vt præscripsi. Aduertendum secundò quòd viso quòd auctores omnes præallegati discordant in describendo prefatos trochiscos andaracaron, minus tamen discordant à supradicta descriptione Rasis: idcirco ipsam prælegi, cõsiderata præsertim Rasis auctoritate. Aduertendum tertiò, quòd vbi in præfata descriptione trochiscorũ andaracaron ponitur à Rasi loco præallegato floris cotulæ albæ, à Gale. in lib. de Theriaca ad Pamphilum principẽ ponitur amaraci, quod idem est quod achauen. Ab Andromacho verò in lib. de Theriaca ponitur alachoen alba, id est achauen alba. Ab Albucasi aũt 4. particula Azarauij in nominatione trochiscorum andaracaron ponitur floris cotulę, id est vchuen albæ. Ab Auicen. verò 5. Canone in prima descriptione trochiscorũ andaracaron ponitur emerukię & est alachoen alba. In secũda eorũ descriptione ponitur achoen: in tertia aũt descriptione eorũdem ponitur amaraci, & est alachoen alba. Ab Halyabate verò in Regali dispositione, 10 Practicæ in assignatione prædictorũ trochiscorum vocatorũ ab ipso trochisci diacoralli ponitur achauen albæ. Ex quibus omnibus intuẽti ex prefatorũ auctorũ mentibus liquidè patere potest, quòd in prędictis trochiscis andaracarõ ponitur flos cotulæ albæ, & quòd cotula alba idẽ est quod amaracum & achauẽ seu vchuen seu alachoen & emerukię Et quòd cotula non differt ab achauen, vt Simon Genuẽsis asseruit in Synonimis redarguẽs Constantinũ, putans quòd achauen sit matricaria & non cotula. Pro cuius equidem veritatis clariori noticia aduertendum est, quòd Dioscorid. in suo de Simplicibus cap. de Parthenion seu leucathemon aut maracho, id est achauen dicit, quòd ipsum habet folia coriandro similia, & flores in circuitu albos, & in medio est mellinum cum odore brumoso, & gustu amaro, virtus est illi calida, bibitum cum oxymelle phlegma & cholerã, sicut epithymũ deponit &c. Ex quo Simon Genuensis motus est ad dicendum, quòd parthenion seu amaracum seu achauen non est cotula: quia dicit cotulam non habere folia coriandro similia, cõcludens tamen quòd est matricaria. Galenus verò sexto de Simplici medicina cap. 28, determinans de amaraco dicit, quòd ipsum est virtus calefactiuæ & incisiuæ & omnium rheumatum siccatiuæ &c. Cap. verò 88. determinans de buphthalmo seu oculo bouino, id est cotula dicit, quòd ipsum nominatum est ita à floribus, qui videntur secundum figuram similari oculo bouis, secundum colorem verò simile est anthemidi, id est camomillæ: maius autem multo eis, id est floribus camomillæ est & acrius, & ob hoc magis diaphoreticum, vt & sanet durities admistum ceroto. Et hoc vltimũ Galeni cap. concordat cum cap. Dioscoridis de parthenion, quanuis Dioscorides adhuc alias sibi ascribat virtutes. Serapio autem in suo de Simplicibus, cap. de bihar, id est cotula, auctoritate Galeni concordat in omnibus huic vltimo Gale. cap. auctoritate verò Dioscoridis etiam concordat eius præfato cap. nisi quòd vbi Dioscorides dicit folia habet coriandro similia: Serapio auctoritate eius dicit stipitem habet mollem vel leuem, & folia similia folijs marathri, id est fœniculi. Rasis verò 21. Continentis, cap. 1, determinans de cotula maiori auctoritate Dioscoridis, dicit id quod dicit Dioscorides, cap. de Parthenion, auctoritate autem Galeni dicit id quod Galenus asserit, cap. de Amaraco, & dicit quòd est calida in tertio, & sicca in secundo. Et cap. 2. dicit, quòd de natura cotulæ, id est cotulæ albæ minoris est incidere & subtiliare humores grossos, & quòd succus eius assumptus cum vino prouocat menstrua &c. Et subdit. & hæc cotula quæ est alba est calida in tertio, & sicca in secundo: cotula verò maior &

rubea incidit & subtiliat chymos &c. Auicen. autem secundo Canone, cap. de Vchuen, id est achauen seu amaraco dicit, Ex ea alia est alba & alia est citrina, sed alba est fortior, & est virgæ minutæ, super quam sunt flores alba habentes folia similes floribus maro acuti odoris & saporis, & est calida in tertio, sicca in secundo, & in reliquis virtutibus concordat cum Dioscoride, cap. de Parthenion, & cum Gale. cap. de Bupthalmo seu oculo bouino. Cap. verò de Bihar dicit: Bihar est illa, quæ nominatur keusen, scilicet oculus vaccæ: Rosa eius est citrini coloris rubea in medio grosior rosa camomillæ, calida est in secundo, sicca in primo. Halyabas verò in Regali dispositione, secũdo Practicæ, cap. de Floribus dicit, quòd flos achuane, id est achauen, est calidus & siccus in secundo gradu fortisq; dissolutionis, & assimilatur suis habitudinibus camomillæ, nisi quòd fortius est actione, prodest asthmati & melãcholiæ &c. Cõstantinus aũt in Pantechni, secundo Practicæ cap. de Floribus dicit achauen, id est cotula fœtida, calida est & sicca in secundo gradu, & breuiter in eius virtutibus concordat cum Dioscoride, cap. de Parthenion, & cũ Gale. cap. de Buphthalmo seu oculo bouino. Ex quibus omnibus liquidè constare potest primò quòd ad minus duplex est cotula: quædam enim est alba habens flores albos in circuitu & interius citrinum siue mellinum, & hæc propriè est illa quę dicitur fœtida ab ore fœtido: quia hæc habet flores albos in circuitu & interius citrinum siue mellinum, & habet flores magnos ad similitudinẽ oculi vaccæ vel bouis, quanuis de huiusmodi specie fortè posset dici, secundum opinionem Simonis Genuensis esse matricariam quæ posset dici cotula non fœtida, & est satis verisimile: quia matricaria folia habet satis similia folijs coriandri, sicut dicit Dioscorides parthenion habere, & etiam quia auctores prædicti de matricaria sub proprio vocabulo nullam faciunt mentionem, cum tamen ipsa sit communis, & notabilis herba: quidam tamen dicunt ipsam esse speciem arthemisiæ, vt etiam ego credo, quędam verò est cotula citrina, & hæc habet flores in circuitu citrinos & in eorum medio sunt rubei. Secũdariò ex prædictis liquidè constare potest, quòd in trochiscis suprascriptis andaracaron ingreditur cotula fœtida, id est flos eius: quia eius flos in circuitu est albior flore matricariæ, & est etiam maior ipsa, propter quod magis assimilatur oculo bouis vel vaccę: & propter hanc causam, vt ęstimo, diutissimo tẽpore consuetũ est hîc Venetijs per omnes apothecarios poni in præfatis trochiscis flores cotulæ fœtidæ.

MODVS construendi theriacam. Pro modo debitè construendi theriacam aduertendum primò, quòd quodlibet ingrediens theriacam debet esse perfectum & optimum in sua specie: propter cuius equidem confirmationem Galenus in suo libro de Theriaca ad Pisonem, sic inquit. Consulo igitur, vt singulum eorum quæ in theriacę constructionem ponuntur, diligenter prius examinetur, & ita construas pharmacum: malitia enim alicuius vnius ex eis, corrumpit frequenter omnia. Aduertendum secundò quòd ad melius cõstruendum theriacam, bonum est ipsam construere cum eisdem omnino ponderibus quæ præmisi in præscripta constructione theriacę. Quod nempe auctoritate approbo & ratione: auctoritate quidem, quia auctoritate Auicen. quinto Canone summa prima, tractatu primo, cap. 1, scilicet de theriaca taliter inquientis: Et meum quidem consilium est, vt non moueant aliquid quod experimentum iuuatiuum inuenit. Fortasse enim illa cõplexio cum illo pondere est significans illud cuius iuuamentum inuenit experimentũ, & quòd quando ipsa mouetur à suo põdere non consequitur illam proprietatem, ratione verò sic, quia in magna valde quantitate ponẽdo mensurã mellis non maior est proportionabiliter illa quam prædixi in vera & radicali Andromachi descriptione, theriaca non posset bene debito construi artificio. In parua verò quantitate theriacæ

riacæ virtus quæ longo tempore indiget antequam debitè fermentetur, non ęquè bene cõſeruari poſſet: & ſi ratio iſta non ſufficit, ſupple, poteſt auctoritas Auicen. prædicta. Aduertendum tertiò, quòd mel ponendum in cõſtructione theriacæ non debet decoqui, ſed tantùm ad ignem poni, quouſq; eleuauerit ſpumam, & tunc ilico ſine mora colari: aliter etenim non conſtrui theriaca poſſet cum quantitate ſola mellis in ipſius deſcriptione præmiſſa. Aduertendum quartò, quòd vinum odoriferum antiquum in theriaca ponendum, debet eſſe vinum dulce coctum, id eſt muſtum ex vuis electis albis factum coctum vſq; ad conſumptionem vnius tertiæ partis eius vel plus, quouſq; habeat præfati mellis colati cõſiſtentiam, & debet eſſe trium annorum vel circa, quod equidem vult expreſſe Albucaſis quarta particula Azarauij, cap. 1. inquiens debere ſumi carenum vetus de tribus annis: & Halyabas decimo Practicæ, cap. de Theriacæ magnæ confectione, aſſerens debere poni vinum decoctum vetus odoris iocundi & ſaporis dulcis: Et Conſtantinus in Pantechni decimo practicæ, cap. de Theriaca magna & ipſius inuentoribus, aſſerens debere in theriaca poni ſapam, & ratione probatur: quia tale vinum coctum habet ferè mellis liquidi conſiſtentiam coadiuuantem mel ad receptionem ſpecierum theriacam ingredientium quæ reſpectu mellis ſolius ſunt nimiæ quantitatis, vt in quinto errore, qui in theriacæ conſtructione cõmuniter committitur infra patebit. Aduertendum quintò quòd melius tempus conſtruendi theriacam, eſt tempus veris & tempus æſtatis, quod probatur: quia theriaca iuxta mẽtes auctorum ſex menſibus permanet, antequam perfectiſsimè commiſceatur, quod equidem Albucaſis quarta particula Azarauij, poſt deſcriptionem theriacæ & omnium trochiſcorum ipſam ingrediẽtium, expreſsè innuit dicens, quòd poſt ſex menſes completur temperamentum theriacę, & fermentatio & ad minus poſt ſex menſes adminiſtrari poteſt: & quia, vt in præcedenti octauo & nono cap. ex auctorum mentibus patet, theriaca non verè ſeu propriè fermentatur, niſi poſt quintum vel ſeptimum annum: idcirco Albucaſis loco præallegato per temperamentum & fermentationem theriacæ intellexit perfectam ipſius cõmiſtionem. Probatur etiam quòd non fiat theriacæ perfecta cõmiſtio niſi poſt ſextum menſem ex omnium auctorum mentibus volentium concorditer quòd theriaca ipſa non debet vllatenus adminiſtrari, niſi poſt ſextum menſem. Clarum eſt autem quòd theriaca præfato veris, vel æſtatis tempore conſtructa ob aeris caliditatem atq; temperiem ſex futuris menſibus conſecuturam melius & perfectius cõmiſcebitur, non ſic autem autumnali vel hyemali tempore propter frigus aeris conſecuturum glacians ſeu conſtringens mel taliter quòd non poteſt fieri ita bona theriacæ commiſtio. Aduertendum ſextò, quòd modus perfectus conſtruendi theriacam eſt iſte: Accipiatur opium & manibus in minutiſsimas ſeparetur partes & ponatur in vaſe vitreo ſeu vitreato, vel argenteo, ſeu argentato vel aureo ſeu aurato, vel ſtagneo ſeu ſtagnato bene cooperto cum modico vini theriacam ingredientis tanto vt liquefieri poſsit. Accipiatur etiam ſcorodon, & in aliquo ex prędictis vaſis vel marmoreo bene polito perfectè piſtetur, & cum modico vini theriacam ingredientis perfectè cõmiſceatur, & optimè cooperiatur. Accipiatur etiam ſuccus liquiritiæ & hypociſtidos, & acatia, & ſubtiliſsimè incidantur, & poſtea in aliquo ex ſupradictis vaſis bene cooperto infuſo modico vini theriacam ingrediẽtis tanto, vt liquefieri poſsint, bene cõmiſceantur. Accipiatur etiam myrrha & olibanum & gummi Arabicum trita, & bdellium & galbanum & opopanacum & ſerapinum ſubtiliter inciſa, & omnia inſimul in aliquo ex præfatis vaſis bene obturato ponantur cum tanto vini theriacam ingredientis quod diſſolui poſsint. Accipiantur etiam ſtyrax liquida & gummi albotin,

ſeu terebinthina & cum modico vini theriacam ingredientis optimè commiſceantur, vt bene liquefieri & diſſolui poſsint, & ſimiliter ponantur in aliquo ex prædictis vaſis perfectè obturato. Accipiantur etiam terra ſigillata & colcotar aduſtum, & ſubtiliſsimè terantur, & poſtea ſuper lapide bene polito perfectè macinentur cum modico vini præſcripti. Accipiatur etiam aſphaltum & bene teratur: & poſtea ſimiliter cum modico vini ſupradicti ſuper lapide bene polito optimè macinetur, & poſtea inſimul cum terra ſigillata & colcotar aduſto conſimiliter macinatis ponatur in aliquo ex prædictis vaſis bene poſtea obturato. Accipiatur etiam agaricus, & infundatur in modico prędicti vini in aliquo ex prædictis vaſis, ne ipſe non infuſus, dum tereretur, pro parte reſolueretur in fumum. Accipiatur etiam crocus & ſuper charta modicum calefiat, vt teri competenter poſsit, & poſtea in aliquo ex prædictis vaſis optimè obturato cum modico præfati vini infuſus ponatur, vt melius diſſolui, & conſequenter melius colorare poſsit. Hæc autem omnia prædicta taliter infuſa in prædictis vaſis permaneant optimè obturata tribus diebus & tribus noctibus. Cæteræ verò ſpecies theriacam ingredientes ſimul cum ſupradictis croco & agarico infuſis ſubtiliſsimè puluerizentur, & per ſpiſſum tamiſium tranſmittantur, poſtmodum vero melli colato theriacam ingredienti poſito in aliquo ex ſupraſcriptis vaſis tepido paulatim paulatim imponantur ſpecies prædictæ ſubtiliſsimè puluerizatæ, ſemper optimè permiſcendo: poſtea verò conſimiliter paulatim ſuperponatur opium optimè manibus liquefactum, & ſi expedit, bene piſtatum & conquaſſatum ſemper optimè commiſcendo, poſtea conſimiliter ſuperponatur allium bene piſtatum & diſſolutum ſemper optimè commiſcendo, poſtea ſimiliter ſuperponantur ſuccus liquiritiæ, hypociſtidos & acatia, optimè, vt dixi, de opio liquefacta & diſſoluta ſemper in omni paulatina eorum ſuperpoſitione optimè commiſcendo. Poſtea verò ſtyrax liquida & terebinthina optimè liquefacta, paulatine ſuperponantur, ſemper optimè commiſcendo. Poſtea conſimiliter paulatine ſuperponantur terra ſigillata & colcotar aduſtum & aſphaltum bene diſſoluta continuè optimè commiſcendo: poſtmodum accipiantur omnes gummæ, videlicet myrrha, olibanum, gummi Arabicum, bdellium, galbanum, opopanacum & ſerapinum: & vt melius diſſoluantur, calefiant aliqualiter ſuper ignem ipſas bene commiſcendo, & ſtatim cum calefactæ fuerint eas per petiam lineam mundam colando & exprimendo, ita quòd nihil ex eis remaneat, niſi ſuperfluum gummis ipſis commiſtum. Et ſic colatæ paulatine paulatine ſuperponantur ſemper optimè commiſcendo, vltimò verò balſamum conſimiliter paulatine ſuperaddatur ſemper optimè commiſcendo. Aduertendum ſeptimò, quòd vas in quo theriaca conſtruitur debet eſſe capax ferè dupli eius quod ipſa eſt: quoniam aliter non poſſet bene fieri ipſius perfecta cōmiſtio. Opportunum eſt enim, vt prædixi, quòd in conſtruendo theriacam ipſa perſæpe fortiter & optimè commiſceatur.

MODVS conſeruandi theriacam. Modus autem conſeruandi theriacam, eſt iſte: primo nanque die poſt conſtructionem eius, dimittenda eſt in vaſe, in quo ipſa conſtructa fuit cooperta, cum panno lineo raro: poſtea verò aut dimittenda eſt in vaſe in quo ipſa conſtructa fuit congruo, vt ſupra dixi, habente coopertorium ipſum vas bene obturans atque ſigillans, aut in alio vaſe conſimili, videlicet aureo, vel aurato, argenteo vel argentato, ſtagneo vel ſtagnato, vitreo vel vitreato vel marmoreo, ſeu de alabaſtro bene polito habente coopertorium os ipſius perfectè obturans atque ſigillans, factum ex materia conſimili ipſius vaſis, aut alicuius alterius vaſis ex prænarratis. Et debet eſſe tantæ capacitatis quòd ad minus tertia ipſius pars

permaneat

permaneat vacua, vt ipsa theriaca debitè permisceri & bullire posit. Et non debet esse vas de ære neque de plumbo: quoniam quodlibet prædictorum continet veneni naturam, quam consequenter theriacæ diu in ipso permanenti & bullienti aliqualiter communicare posset. Nec debet esse de ferro: quoniam pars vasis, quæ vacua remaneret, posset fieri æruginosa, & illa ærugo, propter permistionem theriacæ opportunam, & ipsius theriacæ ebullitionem cõmunicare posset ipsi theriacæ aliquid de venenosa natura sua. Nec debet esse de orichalco: quoniam ipsum principaliter fit ex ære. Nec debet esse de cupro: quoniam ipsum fit ex parte æris. Nec debet esse de peltro: quoniam ipsum componitur ex parte plumbi. Nec debet esse de ligno: quoniam ex diuturna theriacæ in ipso mora & ebullitione exiccaretur de melle & vino theriacam ingredientibus propter insensibilem eorum subtilium partiũ transpirationem per ipsius ligni porositates, propter quod ipsa non bene conseruaretur. Posset tamen esse vas de ære purissimo, & de orichalco purissimo optimè auratis siue argentatis siue stagnatis. Et similiter posset esse de ferro stagnato perfectè. Et generaliter vas præfatum debet esse de materia nulla tenus transpirante, neque potente communicare contento aliquam malam vllatenus qualitatem. Et primo mense omni die bis, videlicet manè & sero per mediam horam, vel circa theriaca ipsa est fortiter agitanda & commiscenda, & semper postea suo coopertorio obturanda ac sigillanda. Secundo autem mense omni capite quatuor dierum semel theriaca ipsa est per mediam horam similiter bene agitanda & commiscenda. Tertio verò mense omni capite septem dierum semel ipsa, est consimiliter commiscenda. Quarto autem mense omni capite decem dierum, semel similiter per mediam horam est permiscenda. Quinto verò mense consimiliter in quindecim dierum capite est commiscenda. In capite autem sexti mensis similiter semel per mediam horam est permiscenda. Postmodum verò tanquam perfectè cõmista dimittenda est optimè obturata, aliquando tamẽ in temporis processu, cum opportunum videretur præcipuè propter ebullitionem ipsius tempore caumatis factam, non inconuenit ipsam aliqualiter permiscere.

ERRORES qui in theriacę constructione communiter committuntur.

Errores qui in theriacæ constructione communiter committuntur, sunt septem: quorum equidem primus est, quòd trochisci de viperis, qui communiter in theriaca ponuntur, non continent in se carnes viperarum, quæ sunt ferè basis in vigore theriacæ, vnde ipsa theriaca secũdum vnum modum quid nominis, nomen assumpsit.

Secundus error est, quòd in theriaca non communiter ponitur balsamum, sed loco eius ponitur oleum balsaminum artificialiter factum ex multis: de quo Andromachus, Galenus, & cæteri famosissimi auctores minimè intellexerunt: & licet Andromachus, & Auicenna, & Ioannes Serapionis in eorum theriacæ descriptionibus ponant oleum balsami, ipsi non intelligunt de illo oleo balsamino, sed de vero & purissimo balsamo: prout clarissimè patet per Galenum, Albucasim, Rasim & alios auctores ponentes in theriacæ descriptionibus balsamum, & non oleum balsaminum neque oleum balsami. Si tamen in theriacæ constructione propter penuriam veri & perfecti balsami, quod est lacrimum arboris eius, poneretur loco eius oleum, in quo positi essent palmites arboris balsami recenter abscisi in principio veris pistati prius in pila, siue in mortario lapideo, postea verò renouati, quod oleum postmodum staret ad solem quadraginta diebus, vel bulliret ad ignem in duplici vase, prout ponit Ioannes Mesue in suo Antidotario, Tractatu de Oleis, non esset nimis inconueniens. Tertius error est, quòd in

theriaca non ponitur cõmuniter gummi albotin, id est terebinthina, imo loco eius ponitur resina laricis, quę equidem non modicum differt à theriaca. Et in huiusmodi quidem falsę terebinthinę vsu non solùm in cõstructione theriacę: quinimo & in quocunq; alio terebinthinę vsu, medici non tantùm ignari, imo valentissimi ac famosissimi cõmuniter errant, ponentes resinam laricis pro terebinthina, non aduertentes bene quę à famosis auctoribus pro noticia quidditatis terebenthinæ scribũtur: prout liquidè ac diffusè patet in tractatu quem feci de Virtutibus resinarum, & præcipuè terebinthinæ, & de cõmuni errore circa ipsam: prout etenim clarissimè ex illustrium auctorum mentibus cõstat. Terebinthina, est resina terebinthi, seu arboris grani viridis: quæ quidem arbor Arabicè dicitur Boton propriè, & aliquando licet impropriè dicitur botin & aliquando albotin, & aliquando botanus. Et hæc quidem arbor, est species lentisci, iuxta præcipuè Albucasim 12 particula Azarauij, cap. 1, quæ nempe arbor circa ramos in paruis racemis producit pro eius fructu grana viridia, quæ cum maturescunt rubefiunt, in fine ad nigredinem tendentia, dulcedine aliquali ac stiptica virtute participantia, ex quibus sicut ex oliuis exprimitur oleum, quod omnium membrorum & præcipuè stomachi est valde confortatiuum, quod quàmpluries sum expertus. Arbor autem laricis ex qua antiqua existente perforata propè finem trunci parum supra suarum radicum initium emanat resina: qua quanuis falsè medici, vt prædixi, cõmuniter pro terebinthina vtuntur, nullum fructum prorsus profert, nec grana viridia, nec aliquid aliud: prout clarissimè sciui ab illis, qui circa nemora talium arborum vitam ducunt, & resinam ipsius laricis faciunt, & ipsam huc Venetias ad vendendum portant. Quartus error est quòd in theriaca non cõmuniter ponitur terra sigillata, sed loco eius cõmuniter ponitur ab illis, qui moderno tempore melius ipsam construunt, bolus Armenus, quem primò subtiliter puluerizant, postea optimè cum aqua permiscent, deinde residere permitttunt, postea proijciunt supernatantem aquam, & totum arenosum quod in fundo residet, medium verò postmodum aliqualiter conglutinari permittunt, quousq; sigilli impressionem suscipere possit, & tunc formellas ex eo faciunt ipsas sigillantes & in vmbra siccantes, quibus pro terra sigillata vtuntur. Clarum est autem per omnes auctores describentes terram sigillatam, quòd ipsa multum differt à bolo Armeno præparato modo præscripto. Quo circa in theriacæ constructione ponenda est vera terra sigillata: quam equidem Galenus nono, de Simplici medicina, cap. de Lemnia terra, siue terra sigillata, asserit inueniri in Lemno insula propè Hephœstiadem ciuitatem vnam existẽtem præfatæ insulæ versus orientalem partem in cacumine cuiusdam montis simili adusto secundum colorem, in quo nihil prorsus oritur, versus occidentalem verò partem eiusdem insulæ Lemni, est alia ciuitas, quę Mirena dicitur. Quam nempe terram sigillatam Galenus dicit præparari in prædicta Hephœstiade ciuitate modo, quo de bolo Armeno præscripsi. Quintus error, qui in theriacæ constructione cõmittitur, est quod in ipsa theriacæ constructione communiter ponitur multo plus mellis quàm debeat poni: quoniam cõmuniter pro duabus, vel ad plus pro tribus vncijs specierum ponitur vna libra mellis, & tamen secundum veram theriacæ descriptionem pro qualibet libra mellis deberent poni specierum theriacam ingredientium ℥. vij. extra iiij. ʒ. i. ℈. s. gra. ij. & tertia pars vnius gra. & quinta pars vnius tertij vnius grani: vt clarissimè patere potest cuilibet bene calculanti nominando species & omnia theriacam ingredientia pręter mel & vinũ. Sextus error est, quòd in theriacę constructione cõmuniter ponitur vinũ odoriferũ crudum: cum tamen, vt suprà dixi, in quarto aduertendo pro modo construendi theriacam vinum prędictum ex mente auctorum debet esse vinum co-

ctum

ctum, odoriferum, dulce, trium annorum, vel circa, propter rationem quam ibi prædixi. Septimus & vltimus error, qui in theriacæ conſtructione cōmuniter hîc præcipuè Venetijs cōmittitur, eſt quòd cōmuniter conficitur in vna vice multo maior theriacæ quantitas quàm fieri debeat, ſecundum veram & radicalem theriacæ Andromachi deſcriptionem, quod præſertim Auicen. quinto Canone, ſumma prima, tractatu 1, cap. 1, ſcilicet de Theriaca, expreſsè vituperat conſulens, quòd non moueatur aliquid quod experimētum iuuatiuum inuenit: fortaſſe enim illa complexio cum illo pondere eſt ſignificans illud, cuius iuuamentum inuenit experimentum, & quòd quando ipſa mouetur à ſuo pondere, non conſequitur illam proprietatem.

DESCRIPTIO vera Mithridati. Deſcriptio vera Mithridati quod rex Mithridates conſtrui primo fecit, & quo ipſe ad euitandum venenorum inſidias primitus vſus eſt, eſt hæc. ℞. Myrrhæ, croci, agarici, zingiberis, cinnamomi, dracanthi, id eſt vitrioli, ſeu cezi, ſeu chalchanti, quę idem ſunt an. ʒ. x. ſpicę, olibani, alſeis, & eſt naſturtium Babylonicum, ſquinanthi, xylobalſami, ſtœcados, ſiſeleos, id eſt ſileris montani, coſti, chamæpityos, galbani, nebeſet, id eſt terebinthinæ, macropiperis, id eſt piperis longi, ſucci barbæ hircinæ, id eſt, hypociſtides, caſtorei, folij Indi, ſtyracis, opopanacis an. ʒ. viij. caſsiæ, leucopiperis, id eſt piperis albi, melanopiperis, id eſt piperis nigri, hermodactylorum, polij, ſcorodon, id eſt dentium cæparum, allij ſylueſtris, dauci, id eſt ſeminis paſtinacæ ſylueſtris, meliloti, gentianæ, olei balſami, id eſt balſami, carpobalſami, id eſt ſeminis balſami, trochiſcorū cokion, bdellij an. ʒ. vij. rutæ ʒ. ij. ammoniaci, ſpicæ Romanæ, maſtichis, gummi, id eſt gummi Arabici, petroſelini, id eſt ſeminis petroſelini, cordumeni, id eſt carui agreſtis, ſeminis fœniculi an. ʒ. v. meu, aniſi, acori, ſerapini, aſari an. ʒ. iij. opij, roſarum rubearum, pulegij an. ʒ. v. phu, id eſt valerianæ, acatiæ, vmblici ſtinci, ſeminis hyperici an. ʒ. iiij. s. vini odoriferi antiqui: in quo infundantur ea quæ oportet infundi, mellis deſpumati quod ſufficit, miſceatur & ſeruetur & adminiſtretur poſt ſex menſes: & ſit doſis ſicut auellana, id eſt aur. i. cum eo quod eſt conueniens de potibus. Deſcriptio trochiſcorum cokion ingredientium Mithridatum. Trochiſcorum cokion ingredientium Mithridatum, deſcriptio hæc eſt. ℞. Paſſularum rubearum enucleatarum ʒ. iiij. glutinis albotin, id eſt terebinthinæ ʒ. xxiiij. ſquinanthi, myrrhæ an. ʒ. xij. cinamomi, bdellij ſubalbidi, blattæ biſantiæ, ſpicæ Romanæ, caſsiæ, id eſt caſsiæ ligneæ, meliloti, cyperi, baccarum lauri an. ʒ. iij. calami aromatici ʒ. viij. croci ʒ. i. bituminis Iudaici, id eſt aſphalti ʒ. ij. s. liquefienda in vino veteri ponantur, donec liquida fiant: alia autem omnia trita & cribellata cum eis coniungantur, & cum melle deſpumato, quantum ſufficit, commiſceantur, & fiant trochiſci.

VERIFICATIO deſcriptionis Mithridati ſupraſcriptæ. Pro verificatione ſupraſcriptæ deſcriptionis mithridati, aduertendum quòd præfata deſcriptio, eſt deſcriptio mithridati poſita ab Auicen. quinto Canone, ſumma prima, tractatu primo: quæ equidem cæteris mithridati deſcriptionibus ab auctoribus poſitis completior mihi videtur: verùm in præſcripta mithridati deſcriptione non ponitur poſt caſtorei melakion, ſicut ponitur ab Auicenna: & hoc ideo quia, vt æſtimo, melakion eſt nomen loci vel prouinciæ, ita vt ſit ſenſus caſtorei melakion, id eſt caſtorei de illo loco, vel de illa prouincia: quoniam Raſis 8. Almanſoris, cap. 1, & Albucaſis quarta particula Azarauij: Et Ioannes Serapionis ſeptimo Breuiarij: & Halyabas in Regali diſpoſitione, decimo Practicæ: & Cōſtantinus in Pantechni, decimo Practicæ, in eorum mithridati deſcriptionibus loco melakion nihil ponunt. Præterea Ioannes Serapionis loco prædicto in fine deſcriptionis mithridati deſcriptione cōmuni connumerans

medicinas iuxta ipsius consuetudinem non computando vinum & mel, cum quibus conficitur mithridatum dicit, quòd summa medicinarum est lvi. & si melakion esset aliqua medicina mithridatum ingrediens, præter alias positas ab Auicenna summa medicinarum esset lvij. Ex quo patet, quòd falsa est expositio translatoris Auicennæ exponentis melakion, id est opij: quoniam postea propè finem descriptionis ponitur opium: palam est namq;, quòd in vna descriptione non debet poni idem bis, sub diuerso pondere: sicut poneretur si vera esset expositio translatoris. Verificatio descriptionis trochiscorum cokion ingredientium mithridatum. Pro verificatione descriptionis trochiscorum cokion ingredientium mithridatum, aduertendum primò, quòd descriptio suprascripta præfatorum trochiscorum, est descriptio posita ab Auicenna quinto Canone loco præallegato: quam ipse ibidem asserit fuisse radicaliter sabor. Aduertendum secundò quòd prædicti trochisci cokion taliter ab Auicen. vocati à Rasi 8. Almansoris cap. 1. in descriptione mithridati, vocantur medicamen defusio: & in describendo præfatos trochiscos vocantur theriaca defusio. Ab Albucasi verò quarta particula Azarauij in descriptione mithridati similiter nominantur medicamen defusio: & in describendo ipsos trochiscos nominantur similiter theriaca defusio: à Ioãne autem Serapionis septimo Breuiarij in descriptione mithridati & in descriptione dictorum trochiscorum: Et similiter à Constantino in Pantechni, decimo Practicæ, vocantur trochisci kokion: Ab Halyabate verò in Regali dispositione decimo Practicæ, tractatu de Electuarijs in describendo mithridatum & prædictos trochiscos nominantur trochisci mefrimofersi. Et quanuis, vt prædixi, diuersimodè ab auctoribus nominentur, non attamen multũ differunt. Completior tamen eorum descriptio mihi videtur illa Auicennæ quam supra scripsi.

MODVS construendi Mithridatum: & modus ipsum conseruandi. Modus equidem construendi mithridatum, & modus ipsum conseruandi, similis est omnino modo construendi & conseruandi theriacam. Et ideo pro istorum modorum completa noticia recurre superius ad modos construendi & conseruandi theriacam: veruntamen aduertendum, quòd in constructione mithridati, non est opportunum ponere vinum coctum, vt in theriaca opportunum esse prædixi: quia in mithridati constructione ab auctoribus, præterquàm ab Halyabate non exprimitur determinata ingrediens quantitas mellis, sed dicitur quòd de ipso assumatur quantum sufficit. Halyabas autem mellis quantitatem exprimens asserit, quòd in mithridati constructione debet poni mel triplum ad species: sicut etiam ipse vult debere fieri in constructione cuiuscunq; ferè alterius electuarij. Quare cum multo maior quantitas mellis ingrediatur mithridatum quàm theriacam, non est opportunum in mithridati cõstructione poni vinum coctum: & præcipuè cum prefati famosi auctores ipsum describentes asserant debere poni in eius constructione de vino odorifero antiquo, & nullus asserat debere poni de vino cocto: vti aliquos ponere præostendi in constructione theriacæ.

ERRORES qui in mithridati constructione cõmuniter committuntur. Errores qui in mithridati constructione cõmuniter committuntur, sunt tres. Quorum equidem primus est, quod in ipso non ponitur terebinthina, sed ponitur resina laricis, quæ notabiliter differt à terebinthina: prout clarissimè preostendi in tertio errore, qui in theriacæ constructione cõmuniter perpetratur. Secundus error est, quòd in mithridati constructione communiter præcipuè hîc Venetijs, non ponitur balsamum, sed ponitur oleum balsaminum, quod maximè differt à balsamo. Et quanuis Ioannes Serapionis & Auicen. & Halyabas in mithridati descriptionibus ponant oleum balsami, ipsi tamẽ intelligunt

verum

verum balsamum, quod lacrimũ arboris balsami, prout patet per Rasim octauo Almansoris, & Albucasim, quarta particula Azarauij, & Constantinum in Pantechni decimo Practicæ, ponentes in mithridati descriptionibus opobalsamum, quod est verum balsamum: sed sicut prædixi in secundo errore, qui communiter in theriacæ constructione cõmittitur non esset nimis inconueniens, quòd propter penuriam & paucitatem veri balsami poneretur loco eius in mithridati constructione oleum balsami factum, sicuti prædixi in secundo errore, qui communiter in theriacæ constructione committitur. Tertius error qui cõmuniter in mithridati constructione committitur est, quòd in ipso ponitur plus de melle quàm debeat poni: quia, vt prædixi, Halyabas vult pro qualibet libra mellis debere poni quatuor vncias specierum, & tamen communiter non ponuntur nisi duæ, vel ad plus tres vnciæ.

MODI quibus theriaca & mithridatum contra venena conferunt. Modi positi à prænominatis famosis auctoribus de theriaca & mithridato tractantibus, quibus ipsa contra venena conferunt, sunt principaliter tres: quorũ nempe primus est, quòd ipsa attrahunt ad se venena, seu venenosa, ex quorum attractione cor & cętera membra ab ipsorum offensione tuentur. Secundus modus est, quòd ipsa, scilicet theriaca & mithridatum venena seu venenosa ab ipsis attracta resoluunt siue consumunt. Tertius verò modus est, quòd ipsa expellunt à corpore venena seu venenosa. Pro quorum equidem trium iuuandi contra venena modorum euidentia: aduertendum est, quòd ex intentione auctorum & præcipuè Ioannis Serapionis, septimo Breuiarij, cap. 8, particula de Quæstione mirabili theriacæ, & iuuamentorum eius, & cap. x. particula de Sermone facto propter solutionem, quæ fit à medicina solutiua: & Auicenna 5. Canone, cap. de Qualitate compositionis, & cap. de Theriaca, & in suo de Viribus cordis, tractatu 2. cap. vlti. & secundo Canone, tractatu primo, cap. 4. Theriaca & per cõsequens etiam similiter mithridatum triplici principali particulari instrumento sunt operatiua. Primò quidem per complexionem suam elementarem resultantem ex virtutibus simplicium ipsa componentium verè vnam, dum sunt fermentata, hoc est, dum omnia simplicia ipsa componentia sunt corrupta, & reducta ad vnicam formam & non verè vnam, dum sunt fermentata, sed vnam per aggregationem: secundò verò per qualitatem occultã, seu proprietatem in ipsa inductam ab influxu supercœlesti simul cum forma eorum substantiali: tertiò autem per aggregatum ex complexione eorum elementari, & proprietate simul: ex quibus infero, quòd theriaca & mithridatum eorum elementari complexione calida simul & eorum proprietate venena ac venenosa attrahunt & attracta corrumpunt, consumunt siue resoluunt, & eorum admirabili proprietate cor & cętera membra confortant, ex quorum confortatione sequitur venenorum, ac venenosorũ expulsio. Qualiter autem theriaca & mithridatum, cum sint calida in secundo, confortant & per consequẽs ex descriptione medicinæ confortatiuæ cõplexionem temperant clarè ostendi in quæstione mea, qua quæsiui, vtrum theriaca confortatiua cordis à proprietate sit stupefactiua: veruntamen omnis laudabilis operatio à theriaca vel mithridato procedens amplius & perfectius perficitur ab eorum proprietate quàm ab eorum elementari complexione. In attrahendo autem venena seu venenosa, & ipsa consumendo seu resoluendo eorum proprietas coadiuuatur ab eorum elementari complexione. Inde per se verò confortando, & per consequens temperando complexionem, aliqualiter impeditur. Sicut enim ex descriptionibus medicinæ confortatiuæ patet per Auicẽnam secundo Canone, tractatu 1, cap. 4, & in suo de Viribus cordis, tractatu 2, cap. 1, Medicina confortatiua, est medicina temperatiua complexionis. Complexio verò elemen-

tarijs theriacæ, & mithridati,calida est & sicca, & per consequens complexio-
nis distemperatiua:quare constat liquidè quod prædixi.

CAVSAE propter quas theriaca & mithridatum exhibentur in modica
quãtitate. Causæ propter quas theriaca & mithridatum exhibentur in modica
quantitate principaliter sunt duæ:quarum equidem prima est,quia tam theria
ca quàm mithridatum per eius admirabilem proprietatem,est de maximè læ-
tificantibus cor,propter quod si daretur in magna quantitate posset dè per ac
cidens sequi maxima spirituum resolutio,& consequẽter mors,sicut ex assum-
ptione trium aureorum croci : prout asserit Auicen. secundo Canone, cap. de
Croco:cuius maximæ lætificationis concurrit potissimè in causa theriacæ vel
mithridati receptio facta fortior à natura,prout est expreßè de mẽte Auicen,
in suo de Viribus cordis,tractatu 2,cap.vltimo : propter quam quidem rece-
ptionem fortiorem factam à natura adiuuatur & augetur agendi proportio.
Secunda verò causa quam aßignant Galenus, quinto de Simplici medicina,
cap.9,& 10.& Serapio in suo de Simplici, sermone 4, cap. de Medicina libe-
ratiua & custoditiua est, quia medicina habens virtutem alexiteriã seu alexi-
pharmacam seu bezaarticam : quemadmodum habet theriaca & mithridatũ,
est naturaliter media inter corpus patiens,& pharmacum venenosum lædens
propter virtutem à componentibus derelictam,quæ equidem medicina sicut
se habet ad corpus ita proportionabiliter se habet ad pharmacum deleterium,
seu venenosum : quare tam theriaca quàm mithridatum existens istius modi
medicina mediando ex sui natura inter corpus & pharmacum venenosum, &
per consequens participando merito aliquorum suorum componentium ve-
nenosorum aliquali venenositate lædit notabiliter, si detur in nimia quantita-
te.Et ob hanc causam theriaca & mithridatum sunt exhibenda in minori quan
titate corpori sano,seu tẽperato quàm corpori venenato : propterea quia non
reperiens venenum,nec aliquid venenositate participans consumit de iuuati-
uo,præcipuè si detur in quantitare magna, quemadmodum medicinæ laxati-
uę faciunt non reperientes humorem eis appropriatum. Et hoc operantur the
riaca & mithridatum solummodo per virtutem ab eorum cõponentibus dere
lictam,vt prędixi.Et ob istam secundam causam non solùm theriaca & mithri-
datum,sed & omnis medicina bezaartica,siue simplex,siue composita, est ex-
hibenda in modica quantitate. Et ob istam eandem causam Auerroes in suo
tractatu de Theriaca,& 5.Colliget,doctrina secunda,tractatu 1,cap.4. & Ha-
lyabas 2.Practicæ,cap.24.moti sunt ad dicendum, quòd theriaca perfectè sa-
nis summè nocet,& consimiliter intelligunt de mithridato, non aduertentes
quòd Andromachus,Galenus,Auicenna,Auenzoar, & quamplures alij illu-
stres auctores laudantes theriacę vsum,& per consequens etiam mithridati in,
regimine sanitatis ipsum vsum laudant tantummodo ratione admirabilis pro-
prietatis theriacæ, & per consequens etiam & mithridato inductæ mediante
eorum elemẽtari complexione ab influxu supercœlesti simul cum forma sub-
stantiali sua,quæ nempe proprietas multo potentior est in conseruando cor-
poris sanitatem,si theriaca vel mithridatum exhibeantur in debita quantitate,
& in debita regione,tempore,& ętate,quàm obstare poßit eorum complexio
elementaris inducta à componentibus ipsa.

CAVSAE propter quas theriaca & mithridatum nociua sunt infantibus,
senibus verò vtilia,Galenus in lib. de Theriaca ad Pisonem:& in lib. de Com-
moditatibus theriacæ,docens quando & qualiter, & quibus theriaca sit exhi-
benda,post multa sic inquit:Considera autem simul & horam & regionem in
quibus debes sumere de pharmaco,scilicet de theriaca. Cum enim fuerit æstas
& maximè calidior facta, læditur corpus. Et hoc considerans, mirabilissimus
Hippoc

Hippocrates eas quæ ante canem & post canem pharmacationes tædiosas esse dixit: febrem enim, vt plurimum hominibus hoc tempus infert. Quo circa & illis qui sunt in adolescenti ætate, & qui multam habent naturalem caliditatem non in multa quantitate neq; multoties offerre hoc pharmacum consulo, sicut illis qui iam sunt in declinatione vitæ, plurimum & non rarò, & cum vino consulo assumere, vt quod marasmatur iam corporis, & quod extinguitur innati calidi, reuiuiscere & reaccendi ab eo possit. In infantibus autem omnino cauere oportet ab hoc pharmaco: maior enim est eorum virtute magnitudo pharmaci, & dissoluit faciliter corpus, & innatum spiritū citò extinguit: sicut & lucernalem flammam oleum cum ignis minor fuerit extinguit. Ex quibus equidem Galeni verbis, & ex præassignatis duabus causis propter quas theriaca & mithridatum exhibentur in modica quantitate: & cōsiderato quòd illud quod dicitur de theriaca, potest consimiliter dici de mithridato: ego nempe elicio causas propter quas theriaca & mithridatum nociua sunt infantibus. Quarum prima est hæc, quòd theriaca & mithridatum existentia calida & sicca infantibus exhibita, eorum humidum faciliter dissolubile dissoluūt & liquefaciunt, ex cuius humidi dissolutione & liquefactione, sequitur extinctio spiritus & caloris innati: quemadmodum ex superpositione multi olei paruæ lucernali flammæ cito sequitur eius extinctio. Secunda verò causa est, quia theriaca & mithridatum, sunt de maximè lætificantibus cor, ad quorum lætificationem propter infantium spiritus esse facillimè resolubiles, ac exhalabiles, sequitur eorundem spirituum nimia resolutio ac exhalatio. Tertia autem causa est, quia theriaca & mithridatum existentia media inter corpus humanū & pharmaca venenosa ratione præsertim eorum virtutis à componentibus derelictæ fortioris existentis, quàm sit virtus infantium, ipsos notabiliter & nimium lædunt. Elicio consequēter duas causas propter quas theriaca & mithridatum senibus sunt vtilia: quarum prima est, quia ipsa eorum complexione calida existente & eorum proprietate mirabili existente confortatiua & lætificatiua, calorem senum innatum humiditatibus aquosis ac extraneis quodammodo suffocatum, ac ferè extinctum ipsius paucitate, reaccendunt, & reuiuiscere faciūt, vino optimo præcipuè sociata, non potentia ipsorum senum spirituum seu calorem innatum propter ipsius grossitiem, atq; terrestritatem dissoluere, nec liquefacere, nec exhalare facere, & per consequens lędere non potentia, eorum virtute media inter corpora, & pharmaca venenosa à componentibus derelicta. Et si ratione eiusdem virtutis aliqua lęsio sequeretur, esset iuuamentum ex proprietate præsertim consequens multo amplius nocumento præfato. Secunda verò causa est, quia theriaca & mithridatum eorum complexione calida & sicca, resoluunt, exiccant atq; consumūt ipsorum senum humiditates extraneas, & eorum proprietate confortatiua illas expellunt, videlicet ipsorum senum expulsiuam corroborando virtutem.

QVID nominis bezaar & quidditas eius. Pro notitia quid nobis bezaar, seu albezaar: quoniam de ipso in præcedentibus persæpè mentio facta fuit, est aduertendum quòd bezaar seu albezaar iuxta pręcipuè Serapionem in suo de Simplicibus, cap. de Lapide albezaar, est nomen Persicū, quòd idem est quod expellens nocumentum scilicet veneni, vel rei venenosæ. Pro notitia verò quidditatis bezaar, seu albezaar, est aduertendum quòd ipsum aliquando sumitur generaliter iuxta quid nominis: & isto modo albezaar seu bezaar, idem est quòd theriaca generaliter seu tertio modo supradicto sumpta, & hoc nempe modo omnis medicina, siue simplex, siue cōposita expellens seu remouens nocumentum veneni seu rei venenosę, aut expellere seu remouere ipsum apta nata, potest dici bezaar, seu albezaar: quanuis iuxta Auicen. secundo Canone,

tractatu 1, cap. 4, in Descriptione albezaar, nomen theriacæ dignius videatur conuenire artificialibus siue compositis, & nomen albezaar singularibus. Aliquando verò sumitur bezaar seu albezaar particulariter pro lapide quodam, qui à tota substantia seu à proprietate cõuenit pro cura omnium venenorum, tam calidorum quàm frigidorum, & resistit eis bibitus & etiam suspensus super patientem, prout aliqui asseruerunt auctores, in precedentibus 8, & 9, cap. allegatis: cuius quidem lapidis species & colores varij & mirabiles virtutes seriosè à præfatis auctoribus, de prædicto lapide albezaar tractantibus describuntur: & præcipuè à Serapione in libro de Simplicibus, cap. de Lapide albezaar. Rabi verò Moyses in libro de Venenis, tractatu 1, cap 3. de ipso lapide, quoddam speciale notandum ponit, vt patet in præcedenti 9. cap. asserens, quòd quidam est lapis albezaar animalis, similis glandi in figura, & valde viridis in colore, & generatur in bursa fellis quorundam arietum orientalium, qui contra omnia venena est per experientiam pluries approbatus. Quidam verò est lapis albezaar mineralis, plurium & diuersorum colorum, qui reperitur in regione Aegypti in rupibus eius, & istum minimè approbat. Aliquando autem sumitur bezaar particulariter pro medicina appropriata ad remouendum nocumentum alicuius particularis seu determinati veneni: & isto modo omne ferè venenum seu medicina venenosa propriũ habet albezaar, seu bezaar. Aliquando verò sumitur bezaar pro galbano, & isto modo ipsum sumpsit Auicenna quinto canone, in prima descriptione theriacæ capiens bezaar pro galbano: prout eius translator exposuit, & prout manifestè patet per Andromachum, Galenum, & cæteros famosos auctores in eorũ theriacę descriptionibus, ponentes galbanum, vbi Auicenna posuit bezaar seu bezaard.

LIBER SECVNDVS DE VENENIS AC MORTIFERIS MEDICINIS SVMptis ex mineralibus.

De Arsenici sublimati quidditate, & eius natura, & accidentibus assumptionem ipsius consequentibus, & eorum accidentium causis, & ipsius arsenici assumptionis signis, & præseruatione & cura. Cap. I.



TRIPLEX ab auctoribus ponitur esse Arsenicũ: quoddam nanq; est album, & tale est arsenicum sublimatum, quod per sublimationem artificialiter fit ex auripigmento seu arsenico citrino, & arsenico rubeo, quæ cõmuniter ex partibus orientis huc Venetias transportantur, aut ex teralto, quod est auripigmentum vilius participans de arsenico citrino & rubeo, quod communiter transportatur de partibus Alemaniæ, & ex modico baturæ æris ipsi arsenico sublimato dantis albedinem, & hoc arsenicum sublimatũ, vt plurimum ab auctoribus vocatur arsenicum absolutè. Auripigmentum autem, vt plurimum vocatur arsenicum cum additione, videlicet arsenicum citrinum: & similiter vocatur aliud, videlicet arsenicum rubeum.

NATVRA huius arsenici sublimati ex parte ipsius elementaris complexionis calida est in quarto gradu, & sicca in tertio, vel in fine secundi. Ex parte verò proprietatis est putrefactiua.

ACCIDENTIA assumptionẽ ipsius sublimati arsenici consequentia, sunt sitis, æstuatio fortis, paralysis, spasmus de inanitione & de repletione, & aliquando tussis humida, & aliquando tussis sicca, & dolor fortis, & vlcera oris, & palati, & meri, & stomachi, & intestinorum, & nisi cito succurratur, aliquando mors,

do mors. Causa sitis, & æstuationis fortis, est caliditas vehemens ipsius arsenici sublimati, & siccitas eius, ex elemētis ipsum componentibus, & sublimationis artificio acquisita. Causa paralysis de per se, est resolutio spirituum sensitiuorum & motiuorum: de per accidens verò est descensus humiditatum subtilium & aquosarum ad neruos, consequens ex earundem humiditatum liquefactione à caliditate causata. Causa spasmi de inanitione, est resolutio fortis humiditatũ, & desiccatio earum ab intensa caliditate & siccitate. Causa spasmi de repletione, est descensus humiditatum grossarum ad neruos consequens ex liquefactione earundem à forti caliditate. Causa tussis humidæ, est descēsus humiditatum ad pulmonem, factus à forti caliditate illos liquefaciēte. Causa tussis siccæ, est siccitas pulmoni & membris alijs anhelitus inducta à forti caliditate & siccitate. Causa doloris fortis, est excesiua mala complexio calida & sicca membris impressa, & vlceratio eorum. Causa vlcerum oris, palati, meri, stomachi & intestinorum, est putrefactio humiditatum eorundem membrorum causata principaliter ab arsenici præfati sublimati proprietate putrefactiua. Causa verò mortis, nisi cito succurratur, est intensa calefactio & exiccatio & fortis proprietas putrefactiua humanæ vitæ repugnans à tota specie.

SIGNA assumptionis arsenici sublimati, sunt accidentia præfata consequentia aliqua, vel plura & diligens informatio habita, præcipuè quòd assumpserit rem albam, solidam, difficilis contritionis, apparentem gustui in principio dulcis, & statim post amara, & quòd in principio euomuerit rem albam habentem saporem amarum cum aliquali in principio dulcedinis perceptione, & conclusiuè diligentissimum ab astantibus faciendo scrutinium. Isto nanque modo scrutando ego, Domino concedente, fui causa euasionis cuiusdam notabilis mercatoris de Pisauro Venetijs cōmorantis, quem postquam ferè duobus mensibus iandiu hîc vna cum tribus famosioribus medicis ciuitatis huius cum omni solertia medicaueram nullam habendo de veneno suspicionē, existimando concorditer cum præfatis tribus medicis ægritudinem suam ei naturaliter aduenisse à malis humoribus & cura nostra nihil ei proficiente, & ipso prope mortis ianuam existente, & facto à nobis quatuor vnanimiter pronostico, quòd erat protinus moriturus in breui: alijs tribus volentibus illum prorsus pro desperato dimittere, ego quia magis domesticus eius eram, in sero illos tres medicos rogaui, vt mane sequenti redirent ad eum, & postea licētiam statim acciperēt: Qui mihi consentientes, maneq; hora assignata ad ipsum redeuntes, habita primitus à vicinis informatione si viueret, inuenerunt adhuc illum deterius se habentem. Ego verò amicus eius existens, atque domesticus tristis de eius morte, post recessum illo sero aliorum trium medicorum volui à duobus suis fratribus & à diuersis alijs astantibus perquirere, quid posset esse, quòd nihil vnquam à nobis erga eum factum aliquid profuisset: fratribus autem suis mihi dicentibus, quòd pro certo credebant ipsum assumpsisse venenum ignorantibus speciem: audiens quòd sclauę in domo sua parauerant persæpe arsenicum, vt interficerent quendam martarellum, qui pluries in nocte venerat ad comedendũ columbos suos: statim suspicatus sum de arsenici sumptione: nocteq; illa cum solertia studens, inueni quòd omnia accidentia quæ illi aduenerāt, ab auctoribus euenire dicebantur ex arsenici assumptione, quæ omnia manè illo medicis illis tribus referens & eis dicens, quòd postquam videramus quòd nihil à nobis actũ vllatenus sibi profuerat, & nulla prorsus nobis eius remanserat spes salutis, mihi protinus videbatur curare eum, sicut si vidissemus eum oculata fide arsenicum assumpsisse omnibus alijs remedijs prætermissis, qui nempe subitò concorditer assenserunt. Et statim quia potens & diues erat, & adhuc est, incepimus adhibere remedia arsenico appropriata: ex

quorum exhibitione ilico recepit adeò notabile iuuamentum, quòd ante tertium diem omnes quatuor concorditer diximus ipsum euasurũ, & sic post multos dies euasit cum auxilio Dei. Hæc narraui volens per experientiã affirmare quòd accidentia suprascripta ex arsenici assumptione proueniũt, & quòd vtile est medicũ suspicari de assumptione veneni, cum videt infirmo non bene succedere, quanuis approximet remedia rationabiliter congruentia.

PRAESERVATIO autem ab arsenici sublimati assumptione completur cum remedijs prænarratis in 8. cap. primi libri, & præcauendo cum omni diligentia ab illius assumptione.

CVRA verò propria eius, qui arsenicum sublimatum assumpsit, talis est ex Rasi 2. Continentis cap. 2. Cura eius est sumere aquam decoctionis seminis lini, rizi & erucæ, & bibere lac. Contra arsenicũ prouocetur vomitus, & non permittatur dormire, & clysterizetur: sumat lac & brodia vnctuosa. Cura arsenici & calcis est cum mucillaginosis & viscosis ad prohibendum, ne fiat corrosio in interioribus corporis: sicut cum mucillagine maluæ, seminis lini, lacte & brodijs vnctuosis. Ait Simeon: Cura arsenici est prouocare vomitum multoties: & vsus cibariorum vnctuosorum & viscosorum, est cura, vt præseruetur à spasmo & euitet somnum. Rasis 8. Almansoris, cap. de Arsenico & calce, & arsenico sublimato & cursia saponis, id est lixiuia eius. His quibus in potu calx & arsenicum simul, aut arsenicum sublimatum, aut cursia saponis data fuerint, aut in cuius gutture puluis arsenici, aut calcis intrauerit, est aqua calida cum iulep multoties danda, donec ab eis quamplurimum lauetur, deinde aqua rizi, aut hordei, aut his similia, quæ intestinorum conferunt vulneribus tribuantur. Ex quibus etiam clysterizari conuenit: cum autem acciderit tussis nociua, ex rebus lenibus erit medicanda. Albucasis secunda particula Azarauij, cap. de Potu arsenici &c. Curatio, est frequentatio potus iuleb, donec abluantur intestina, postea bibat aquam decoctionis rizi & hordei, & fiat ei clystere cum aqua decoctionis rizi, & amidi, & cibetur cibis pinguibus, ne superueniat intestinorum rasura, quæ si superueniat curetur propria curatione. Auicenna quarto sui Canonis, fen sexta, capit. De eo qui in potu sumpsit calcem & arsenicum, & etiam arsenicum sublimatum. Detur in potu aqua calida cum iuleb vt euomat, aut cum oleo: deinde sumat decoctionem seminis lini, & decoctionem seminis rizi, & decoctionem erucæ, & aggregationem amborum, aut succum molochiæ, id est maluæ, cum melle, & non cesset sumere in potu lac, & mucillagines & viscosa & vnctuosa, & iura cum adipibus, & propriè cum maluis: & curetur tussis cum accidit ei cum lenitiuis, & de illis quæ dicuntur in hoc est, vt sumatur vrina asini, & fel gazeli, & detur in potu quantitas tertiæ ʒ. vnius, id est ℈. i. cum aqua calida. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Assumptione arsenici sublimati & non sublimati. Eius cura est, vt bibat butyrum cum aqua calida, in qua semina rapæ sunt cocta: & euomat, & clysterizetur: deinde cum oleo de amygdalis dulcibus omni die bis, & cibetur iure gallinæ pinguissimæ, & eius bezaar est crystallus trita subtiliter & data in potu ʒ. i. cum oleo de amygdalis dulcibus.

De Auripigmento, arsenico, citrino & rubeo. Cap. II.

AVripigmentum, vt prædixi in præcedenti cap. ab auctoribus cõmuniter nuncupatur arsenicum citrinum: & hoc & similiter arsenicum rubeum sunt, sicut ex minera terræ extrahuntur, nõ aliter artificiata, & bona ex eis communiter transportatur ex partibus orientis. Ex partibus aũt Alemaniæ communiter transportatur minerale quoddam, quod vocant Terraltum coloris

permisti

permisti ex citrino & rubeo. Et istud est species arsenici permisti ex citrino & rubeo, ex quo deteriori existente, quia vilius est, fit arsenicum sublimatum, vt supradixi, cum permistione modici batituræ æris illi dantis albedinē, & fit realgal, siue risagallum, vt infra scribam, cum permistione modici sulfuris illi dantis rubedinem aliqualem.

NATVRA auripigmenti siue arsenici citrini, & arsenici rubei, calida est in tertio & sicca in secundo. & hoc quantum est ex parte elementaris complexionis eorum. Et est putrefactiua principaliter ex parte proprietatis eorum: verùm arsenicum rubeum iuxta Rasim 20 Continentis, cap. secundo, hanc specialem proprietatem habet, quod si ponatur in aqua, vbi bibunt equi, interficit eos velociter.

ACCIDENTIA verò assumptionem cuiuslibet eorum consequentia sunt similia accidentibus consequentibus assumptionē arsenici sublimati, quæ prædixi, nisi quòd sunt remissiora. Causæ verò accidentium consequentiū assumptionem eorum, sunt etiam omnino consimiles causis accidentium consequentium assumptionem arsenici sublimati, quas prædixi.

SIGNA assumptionis eorū, sunt etiam omnino similia signis assumptionis arsenici sublimati prædictis, preterquàm quòd accidentia cōsequentia cuiuslibet eorum assumptionem sunt remissiora, & cum vomitus cito post eorum assumptionem accidit, eijcitur res citrina si fuerit præassumptnm auripigmentum seu arsenicum citrinum: Si verò præassumptum fuerit arsenicum rubeum eijcitur res rubea.

PRAESERVATIO autem & cura cuiuslibet prędictorū, est etiam omnino consimilis præseruationi & curæ assumptionis arsenici sublati.

De Realgari, id est risagallo. Cap. III.

REalgar, id est risagallum, fit ex arsenico non sublimato, & modico sulfuris dantis sibi rubedinem aliqualem. Verùm, vt plurimum fit ex specie arsenici non sublimati vilioris, quod hîc Venetijs vocatur terraltum, quod, vt supra dixi, in se continet indistinctè de arsenico citrino, & arsenico rubeo vilioribus: & transportatur cōmuniter de partibus Alemaniæ. Ex quo manifestè patet, quòd realgar species est arsenici sublimati, non differēs ab arsenico sublimato præscripto, nisi quòd in illius sublimatione admiscerur modicum battituræ æris, illi dantis albedinem, & in huius distillatione admiscetur modicum sulfuris illi dantis rubedinem aliqualem. Et ideo auctores antiqui non fecerunt de realgari mentionem reponentes ipsum sub specie arsenici sublimati, quanuis id non expresserint.

NATVRA realgaris, calida est in quarto, & sicca in tertio: est autem parumper calidius & siccius arsenico sublimato propter permistionem sulfuris, quanuis sit in valde modica quantitate: est nanq; sulfur calidum & siccum in quarto: battitura verò ęris, quæ arsenico permiscetur ante sublimationem eius quanuis consimiliter in valde modica quantitate calida est, & sicca in tertio.

ACCIDENTIA assumptionem realgaris consequentia, sunt similia accidentibus consequentibus assumptionem arsenici sublimati: verùm sitis, æstuatio, exiccatio, & consumptio humiditatum & consimilia, sunt parumper intensiora propter ipsum esse, vt prædixi, aliquantulum arsenico sublimato calidius, & siccius. Causæ accidentium assumptionem realgaris consequentium, sunt omnino consimiles causis accidentium consequentium assumptionem arsenici sublimati.

SIGNA assumptionis realgaris, sunt etiam similia signis assumptionis arsenici sublimati, preterquàm quod, cum vomitus cito post ipsius assumptionē

sequitur, eijcitur res rubedini attinens iuxta colorem ipsius realgaris.
PRAESERVATIO autem eius, & CVRA sunt etiam cōsimiles prę-
seruationi & curæ assumptionis arsenici sublimati. Quid autem de ipso in spe-
ciali asserit Petrus de Abano statim infra describam. Petrus de Abano in suo
tractatu de Venenis, cap. de Realgare propinato in potu: Ille cui datum fue-
rit realgar in potu, patietur sitim, & æstuationem & exiccationem & consum-
ptionem humiditatis: ita quòd nisi ei succurratur aut morietur, aut paralyti-
cus & contractus remanebit. Ego vidi & curaui iuuenem, cui datum fuit
cum hepate porci assato realgar tritum, & euasi mortem ab eo, sed remansit
circa omnes iuncturas quasi immobilis ex nimia siccitate: & eius cura, est vo-
mitus cum butyro & aqua calida sæpe iteratus, & clysteria cum lacte asinæ
iterata: & dare mane in potu omni die ℥.v. de lacte asinino, & cibare cum
brodijs pinguibus, & vngere totum corpus ex oleo de amygdalis dulcibus,
& sedare sitim illius cum iuleb, & eius bezaar, est oleum de nucleis pini datum
in potu statim, vel prima die ʒ.iij. vel ℥.iij.

De Argento uiuo purgato. Cap. IIII.

QVadruplex ponitur ab auctoribus fore argentum viuum: quoddam
nanque ponitur esse purgatum, & hoc taliter reperitur purgatū naturali-
ter in minera sua, quoddam autem reperitur illi consimile artificialiter factum
per ignem ex partibus lapideis minerę suę: sicut enim primum naturaliter me-
diante sulfuris virtute ignea existente purgatur, ita & secundum artificialiter
mediante ignis adustione ex lapide, seu lapideis partibus mineræ suæ extrahi-
tur: quoddam autem iuxta Dioscoridem in suo de Simplicibus, cap. de Argen
to viuo fit ex minio, & cinabrio, vbi sic inquit: Argentum viuum, quod Græcè
ὑδράργυρος appellatur, conficitur ex minio & cinabrio: vbi sic mittitur in caca-
bum testeum & ferreo cooperculo cooperitur: munitur argilla, & ponitur in
foco, & post duas horas aperitur: & quod cooperculo inhæserit hoc colligi-
tur, quia hoc est argentum viuum: inuenitur etiam in metallis cum colligitur ar
gentum: quoddam verò est argentum viuum, quod prius fuit aliquo modo
sublimatum, & postea redijt ad essentiam suam. Primum argentum viuum di-
citur ab auctoribus argentum viuum purgatum, quia taliter factum extitit na-
turaliter in minera sua. Cætera verò tria dicuntur ab auctoribus non purgata:
quia artificialiter taliter facta sunt. Verùm, vt arbitror, argentum viuum extra-
ctum per ignis adustionem ex lapide mineræ suæ ferè consimile est argento vi
uo facto iuxta modum Dioscoridis, pręcipuè si Dioscorides intellexit de cina
brio minerali, quod est lapis mineræ argenti viui habens colorem cinabrij ar-
tificialis. Constat autem principaliter argentum viuum ex duplici substantia,
vna quidem aquea, frigida & humida existente, altera verò sulfurea existente
calida & sicca: est autem in ipso dictarum duarum eius partium valde perfecta
cōmistio: & propterea ratione partium sulfurearum ignearum subtiliū facien-
tium ad omnes circumferentiæ partes euaporare partes aqueas: quarum vapo
res ratione cuiusdam viscositatis eius egredi non potentes in ipso retinentur,
ipsum instabile permanet semper, nisi extinguatur rotunditate participans.
NATVRA argēti viui diuersimode quippe ponitur ab auctoribus: quo-
rum diuersitates, vt præfata eius natura, videlicet cōplexio, & proprietas me-
lius comprehendatur sub breuitate describam. Dioscorides in lib. de Sim-
plicibus, cap. de Argento viuo, dicit, quòd virtus est illi homicidialis ponde-
re suo comedendo intestina. Galenus in suo de Simplicibus, libro nono,
cap. de Argento viuo, dicit, quòd ipsum ita interficit si bibatur, vt de foris
appositum. Serapio in suo de Simplicibus, cap. de Argento viuo, auctori-
tate

tate Albugerig, dicit quòd fumus eius est valde nociuus: nam assiduatio eius destruit neruos & inducit paralysin, & aufert sensum & motum, & corrumpit sensum & nocet auditui & visui, & facit fœtere os. Auctoritate verò Pauli dixit, quòd quidam sumpserũt argentum viuum mortificatum, & mortui sunt ex iliaca passione. Auctoritate Rasis dicit, quòd argentum viuum extinctum est adustiuum, sed sublimatum ex eo est putrefactiuum, & adurit sicut ignis.

Rasis 22. Continentis, cap. de Argento viuo auctoritate Pauli, dicit quòd ipsum habet vires interficientes si datur in potu, quoniam corrodit id quod tangit de membris. Rasis autem tertio Almansoris, dicit quòd argentum viuum quando extinguitur ardens est. Octauo verò Almansoris, cap. de His qui in potu sumpserunt argentum viuum, dicit quòd non existimat ex argento viuo, cum sanum bibitur, aliquod magnum sequi nocumentum, nisi in ventre & in intestinis dolor fortis: cum autem in aurem funditur, sęuum generat nocumentum, extinctum verò ac sublimatum propriè perniciosum est ac valde malum. Auicenna in suo Canone medicinæ, lib. 2. cap. de Argento viuo, asserit ipsum esse frigidum & humidum in secũdo gradu, & quòd vapor eius facit accipere paralysin, & tremorẽ & siccat membra. Idem autem lib. 4. fen sexta, cap. de Bibentibus argentum viuum, dicit quòd plurimum qui bibunt argentum viuum non læduntur eo: egreditur enim cum dispositione sua per inferiorem regionem: at verò ei in cuius aure infunditur argentum viuum accidit dolor vehemens & cõmistio rationis, & quandoq; perducit ad spasmũ, & sentit grauedinem vehementem illius lateris, & quandoq; perducit ad epilepsiam & apoplexiam propter lęsionẽ substantię cerebri cum frigore eius & cõmotione & permutatione ipsius: extinctum autem & sublimatum, est malum nociuum, incisiuum &c. Plinius Secundus de Naturali historia lib. 33. cap. de Argento viuo, inquit, quòd ex cuiusdam lapidis venenis vomitur liquor ęthereus argentũ viuum appellatus, qui venenũ hominum est, cap. verò de ὑδραργύρῳ dicit, quòd secundariò inuenitur ὑδράργυρος inuicem argenti viui paulò ante dicti, quod ex minio & cinabrio fit, quod etiã asserit esse venenum. Halyabas in Regali dispositione, 2. Practicæ, cap. de Corporibus metallicis, particula de Argento viuo, dicit, quòd argentum viuum est acutum cõburens. Quartò verò Practicę, cap. penultimo, videlicet, de Eo qui bibit argentum viuum &c. asserit quòd non est ei interficere, sed in ventre dolorem & in intestinis torsionem & molestiam facit &c. Cõstantinus in Pantechni 2. Practicæ, cap. de Virtutibus metallorum, particula de Argẽto viuo, inquit, calidum est & humidum in quarto gradu. In suo verò de Gradibus, lib. 3. cap. de Argento viuo, asserit quòd argentum viuum calidissimum est & humidissimum in quarto gradu, ideoq; pediculos necat, & omnia reptilia. Platearius incirca instans, cap. de Argento viuo, dicit ipsum esse calidum & humidum in quarto gradu. In quibusdam autem libris reperitur, quòd sit frigidum in eodem gradu. Ex effectu autem probatur esse calidum, quia dissoluit, incidit & penetrat, sed quia est actualiter valde frigidum, ab auctoribus frigidum censetur. Albertus Magnus 4. de Mineralibus, cap. de Natura argenti viui sic asserit. Est autem frigidum & humidum in gradu secundo, & propter hoc dissoluens neruos & paralyticans & perimens pediculos & lendines, & huiusmodi ex humorum putredine generata. Guilielmus de Placentia 5. suæ Chirurgiæ, cap. 11. inquit, quòd argentum viuum frigidum est & humidum multum &c. Gilbertus Anglicus 7. sui Compendij medicinæ, cap. de Cura argenti viui, dicit, quòd argentum viuum interdum accipitur interius non extinctum & non nocet.

Considerata igitur circa argenti viui naturam præfatorum celeberrimorum ac sapientum auctorũ tanta discordia difficultatem quippe in re arguente non

modicam: & attento quòd penes Galenum primo de Simplicibus, tertio, quar
to, & quinto cap. & tertio de eisdem, cap. 5. & cæteros auctores medicinas gra
duantes: Omnis medicina graduari debet penes effectum primò, & de per se
inductum, vel inducibilem in corpus humanum pro argenti viui naturæ no-
ticia: assero conclusiuè quòd argentum viuum purgatum, hoc est, taliter reper-
tum in minera sua approximatum ad intra corpus, frigidum est & humidum in
secundo gradu, quod probatur: quia effectus primò & de per se ab eo introdu
ctus, vel introducibilis, est infrigidatio & humectatio sensibiliter lædens, sed
non ægritudinaliter. Ex quo patet, quòd tale argentum viuum non est vene-
nosum, nec est medicina mortifera de per se: prout affirmant aliqui ex præfatis
auctoribus: De per accidens tamen, vtputa quia nimis diu in stomacho vel in-
testinis retineatur ob aliquam causam prohibentē eius egressum: aut receptio
fumi eius, aut illinitio ex eo nimium frequentetur: aut, quia imponitur ni-
mis prope membrum principale, sicut est cerebrum cum imponitur auri, aut
propter magnam membri cui imponitur, sicut est auris, sensibilitatem, ipsum
potest dici venenum seu medicina mortifera, vt infra in assignatione acciden-
tium apparebit. Argentum verò viuum prædictum ad extra corpus approxi-
matum, siue mediante eius fumo, siue mediante ipsius illinitione notabili, siue
mediante ipsius iniectione, præsertim in aurem, est frigidum & humidum in
tertio gradu, quod probatur: quia effectus primò, & de per se ab ipso produ-
ctus, vel producibilis, est effectus ægritudinalis: prout ex quorundam aucto-
rum mentibus patuit & patebit. Nec ista equidem inconueniunt, quemadmo-
dum non inconuenit, quòd cæpe ad extra corpori approximatum vlceret, in-
terius verò minimè. Argentum autem viuum non purgatum, hoc est, extra-
ctum per ignem de lapide mineræ, siue propter acumen ex igne adustione
ipsi acquisitum, calidum est & humidum in quarto gradu. Et tale est venenum,
seu mortifera medicina: & si dicatur, quòd sicut tali argento viuo non purga-
to, acquisita fuit per ignis adustionē acuitas & caliditas quarti gradus, ita con-
similiter debuisset acquiri siccitas, vel minui saltem humiditas: Respōdeo ne-
gando similitudinem: quia propter fortissimam permistionē subtilissimæ par-
tis sulfureæ existentis minoris quantitatis in ipso argento viuo, cũ parte aquea
existente maioris quantitatis in eo acquisita fuit per ignis adustionem in ex-
tractione præfati argenti viui humiditati partis aqueæ prædictæ maior actiui-
tas, & parti sulfureæ maior acuitas atq; caliditas absq; vlla dictarum partium di
minutione notabili, ob fortissimam earum permistionem, quod patet: quia
quotiescunq; argentum viuum per se solùm sublimatur, nunquam aliquid re-
sidet de puluere in fundo vasis, & quandò idem redit ad speciem argenti viui,
quasi nullus defectus inuenitur in pondere. Et tale argentum viuum sublima-
tum per se solùm & postea reditum ad naturam suam, dico esse consimilis na-
turæ, cuius est præfatum argentum viuum per adustionem ignis extractũ de
lapide mineræ suæ, causa prædictæ consimili. Consimilis etiã naturæ dico esse
argentum viuum ex minio, & cinabrio, secundum Dioscoridis modum factũ:
& hoc quantum ad caliditatem, quantum verò ad humiditatē, dico ipsum esse
minus humidum propter siccitatem minij, & cinabrij in parte illi cōmunica-
tam. Ex quibus nempe intelligenti, vt arbitror, constare potest auctorum con
cordia præfactorum, prima facie apparentium maximè discordare: nec vllate-
nus concordari debent auctores, vt asserit Platearius loco superius allegato.
Auctores nanq;, vt prædixi, graduant medicinas penes earum effectũ, primò
& de per se inductum, vel inducibilem in corpus humanum, & non penes ea-
rum actuales qualitates: quia si sic euphorbium & sulfur potuissent dici ab au-
ctoribus frigida: quia actualiter sunt talia. Nec etiam cōcordari debent, prout
cos

eos concordare nititur Conciliator Petrus de Abano, differentia 151. asserens, quòd argentum viuum considerata eius parte sulfurea, calidum est & siccum: quantum verò ad eius partem aquosam, quæ velut materia eius existit inducentem frigiditatis nocumenta, frigidum & humidum pronunciatur. Non enim per eum saluantur auctores, asserentes ipsum argentum viuum fore calidum & humidum in quarto gradu. Nullus autem expressè asserit ipsum esse calidum & siccum, quanuis per quosdam eius effectus, quos aliqui asseruerunt, posset argui ipsum esse tale.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem per os argenti viui purgati, sunt dolores & torsiones atque grauedo in stomacho in lateribus & in intestinis. Et si diu retinetur quòd non egrediatur per vomitum vel secessum, inducit paralysim membris quibus adhæret: & aliquando epilepsiam & apoplexiam & mortem. Accidentia autem consequentia ex fumo, & ex illinitione argenti viui, sunt paralysis vel tremor illarum partium, quibus fumus vel illinitio communicatur, & nocumentum in visu, & in auditu, & fœtor oris: Accidentia verò consequentia iniectionem argenti viui purgati in aurem, & præcipuè si diu in ipsa retinetur, sunt dolor fortis ipsius auris & totius lateris eius: & quandoque amentia & spasmus & epilepsia vel apoplexia. Causæ præfatorum accidentium consequentium assumptionem per os argenti viui purgati, sunt infrigidatio & humectatio & actualis grauedo atque ponderositas eius, ex quibus aliquando generantur vētositates, dolorem & torsionem in præfatis partibus facientes, ex quibus etiam præsertim ob diuturnam ipsius retentionem aliquando accidit paralysis illarum partium, præcipuè ob nimiam infrigidationem & humectationem earum, & etiam aliquando accidit epilepsia, vel apoplexia propter opilationem in cerebro factam à frigiditate & humiditate illius causa argenti viui prædicti communicata. Causa paralysis vel tremoris accidentis membris à fumo vel illinitione argenti viui prædicti, est infrigidatio & humectatio ab ipso in partes illas inducta, & ob hanc eādem causam accidit in visu & auditu nocumentum, & fœtor oris etiam accidit: quia propter frigiditatem & humiditatem ori cōmunicatam, accidit ipsius & partium circumstantium debilitas, & impotentia consumendi superfluitates, quæ in ore cōmuniter aggregantur. Causæ autem accidentium prouenientium ex iniectione præfati argenti viui in aurem, videlicet doloris ipsius & totius lateris eius, sunt infrigidatio & humectatio & pōderositas ipsius argēti viui auri membro valde sensibili existenti, & toti lateri eius cōmunicata, & etiam solutio continui quarundam partium auris, facta ex continua commotione ipsius argenti viui: cuius auris læsio per colligantiam cōmunicatur toti lateri eius, ex qua læsione per compassionem lęditur cerebrum cōmunicata ei frigiditate & humiditate inducta ab ipso argento viuo. Vnde sequitur amentia & etiam spasmus, id est contractio nerui versus eius originem siue principium, & etiam aliquando sequitur epilepsia vel apoplexia: prcipuè propter opilationem in cerebro seu ventriculis eius causatam, præsertim à frigidate argenti viui in aure retēti.

SIGNA assumptionis argenti viui prædicti, sunt accidentia prænarrata apparentia, & quòd fortè de ipso argento viuo mediante vomitu vel secessū aliquid egressum est, & diligēs ab astantibus informatio. Signa receptionis fumorum argenti viui vel illinitionis ex eo factæ sunt cōsimiliter accidentia prenarrata apparentia, & diligens habita à patiente, vel ab astantibus informatio, & consimilia sunt signa receptionis eius in aurem.

PRAESERVATIO verò fit præcauendo se ab ipsius argenti viui qualicunque receptione.

CVRA autem assumptionis ipsius argēti viui purgati per os & receptio-

nis eius fumi eius, & illinitionis ex eo factæ, & iniectionis seu casus eius in au-
rem, ab auctoribus non est posita contra distincta à cura argenti viui non pur
gati, id est per ignem ex lapide mineræ suæ extracti, aut extincti, aut sublimati
absq; alterius permistione, & postea redditi ad essentiã suam: quinimo, vt plu-
rimum posita est confusa simul cum cura argenti viui extincti & etiam ipsius
sublimati, quæ tamen ipsi huic cap. congruentia descripserunt, pro posse meo
distinctè, ex eorum mentibus statim infra patebunt, præmittendo quòd con-
siderato, vt suprà dixi, quòd argentum viuum purgatum, id est taliter naturali-
ter absq; artificio repertum in minera sua non est de per se venenum nec me-
dicina mortifera, licet de per accidens posit esse causis prædescriptis. Cura as-
sumptionis eius per os, est protinus cum omni solertia procurare, vt à corpore
expellatur cito mediante vomitu vel secessu: quomodo citius ac melius expel-
li posit, faciendo, si venter fuerit præcipuè constipatus, primò plura clysteria
vnum post aliud successiuè mollificantia, vtputa ex oleo dulci oliuarū solo aut
misto, cum modico pinguedinis gallinæ, aut modico butyri recentis sine sale
aut ex consimilibus, & tribuendo in potu de oleo prædicto & de brodijs gal-
linæ valde pinguibus & consimilibus: postmodum verò approximãdo, si ex-
pedit, aliquod ex clysteribus acutis, quatenus argentum viuum assumptū me-
diante vomitu vel secessu à corpore expellatur: demum accidentibus introdu
ctis subueniendo cum his, quę ab auctoribus in proprijs causis enarrãtur, cum
quibus consimiliter subuenitur accidentibus introductis ex receptione fumo
rum ipsius argenti viui, & illinitionis ex eo, prælauando optimè corpus cum
aqua calida, præcipuè decoctionis furfuris, blitis vel consimilium. Cura autem
iniectionis argenti viui præfati in aurem consimiliter perficitur cum asidua
iniectione olei dulcis oliuarum, vel amygdalarum dulcium, & asidua consi-
militer iniectione eius, fortiter saliendo super aurem in quam ingressum est, &
similiter super ipsam sternutando cum helleboro albo, aut alio simili opilatis
naribus, & super ipsam aurem iacendo decliuè vltra puluinar tenendo caput.
Et postea si expedit immittendo auri stylum plumbeum, voluendo ipsum in
circuitu eius, & postmodum extrahendo, & quod de argento viuo dicto sty-
lo inhæserit abstergendo, & postea sæpius reimponendo & reuoluẽdo, & ex-
trahendo, & abstergendo, quousq; ab aure totaliter extrahatur: accidentibus
consequentibus postmodum subueniendo cum his, quæ ab auctoribus pro-
prijs cap. referuntur. Oribasius in sua Practica, lib. 2, cap. ad eos qui ὑδράργυρον,
id est argentū viuum bibunt. Ad eos qui ὑδράργυρον, id est argentū viuum bi-
bunt, apium bibant, aut herbam crudam manducẽt, aut combustum & tritum
eis potui dabis. Rasis in Continente lib. 20. cap. 2. Quicunq; argentum vi-
uum assumpsit, cura detur in potu aqua mellis & clysterizetur cum clysteribus
lenibus, & sumat absinthium tritum cum multo vino, & syrupū acetosum cum
aqua decoctionis erucæ, & sumat parum spicæ, & castorei: & calefac stoma-
chum eius cum pãno infuso aqua calida & aceto calefactis. Rasis in Alman-
sore libro 8, cap. De his, qui in potu sumpserunt argentum viuum, aut vzifur,
aut tineat. Non quidem existimo ex argento viuo, cum sanum, id est non ex-
tinctum, neq; sublimatum bibitur, aliquod magnum sequi nocumẽtum, nisi in
ventre, & intestinis dolor fortis, quod postquã egreditur sicut est, & præcipuè
si homo, qui sumpserit ipsum, se moueat. Ego quoq; simię, quam habebam, in
potu dedi, nec ipsam vidi aliud incurrere accidens, nisi quod dixi: quod quidẽ
percepi ex hoc quòd torquebatur & vẽtrem sæpe ore mordebat, manibusq;
suis trahebat. Quidam tamen antiquorum dixerunt, quòd ex eo idem sequi-
tur quod accidit ex lithargyro, & quòd patiens ex his eisdem curãdus est me-
dicinis. Cum autem in aurem funditur, sæuum generat nocumentum. Extin-
ctum

ctum verò ac sublimatum propriè pernitiosum est, ac valde malum: cõmouetur enim ex eo fortis in ventre dolor, & punctio, ac sanguinolenta egestio. Curetur ergo, hydromel multoties tribuendo, & ex eo cum baurach clysterizando, donec venter aliquoties euacuetur. Medicinæ quoque dysenteriæ conferentes in potu dentur, sicut ficus coctæ, & semina lenia, mucilagines ac sepum hircinum. Clystere quoq; ex his & horum similibus, quæ in cap. de Dysenteria nominabimus, fiat. Ex eo autem quod in aurem funditur dolor accidit vehementissimus, & intellectus perturbatio & spasmus ac punctio cum grauedine fortissima partis in qua fusum est. Debet igitur qui hoc patitur ad partem illam inclinare caput, ac multoties alicuius rei inuisus, super vnum pedem salire. Sternutatio quoq; cum condisi ei prouocanda est, de quo aliquid in ore tenere debet. Auri verò oleum valde calidum, quod tamen tolerari queat, infundendum erit, quod cum fuerit infrigidatum eijciendum erit, & aliud loco eius inijciendum: patiens verò super ipsum latus iacere debet: caput tamen non in puluinari, sed vltra ipsum teneat. Fit etiam quandoq; radius de plumbo, qui, cum in aurem mittitur & mouetur in eius circuitu extractus, inuenitur cum argẽto viuo quod sibi adhæsit, qui postquam aspersus fuerit, atq; id quod de argento viuo sibi adhæserit ab eo fuerit separatum, iterum erit immittendus, quod etiam multoties fieri cõuenit. Et fortasse ex argenti viui ingressu in aurem non malum sequitur accidens: quoniam ilico egreditur. Quandoq; verò moratur intus & peruenit ex eo aliquid ad bucinum auris, & adhæret ibi & pessima ex ipso proueniũt accidentia. Quidam nanq; mihi retulit medicus, se vidisse quendam epilepsiam, deinde apoplexiam ex eo incurrisse. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu argenti viui. Curatio eius est cum potu lactis statim mulsi. Confert ei valde potus vini cum absinthio, vel semine apij vel mentastro montano, aut hyssopo. cap. de Linitione corporis cum argento viuo: Curatio eius est, quòd incipiat lauare locum cum aqua decoctionis seminis anethi, camomillæ & mentastri, deinde curentur pustulæ oris cum his quæ à nobis prædicta sunt. Auicenna in suo canone Medicinæ, lib. 4. fen. 6. cap. de Argento viuo: Argentum quidem viuum plurimum qui bibunt non læduntur eo: egreditur enim cum dispositione sua per inferiorem regionem, at verò ei in cuius aure funditur argentum viuum accidit dolor vehemens & cõmistio rationis, &c. De bona curatione post vomitum & ea quæ currunt cursu eius, est vt in potu detur de medicinis, quæ sunt sicut myrrhæ pondus ℥. iij. in vino. Tribuatur in potu aqua mellis vna vice post aliam. Et iterum fiat clystere cum ea cum baurach. Deinde consequenter post illud adhibeatur curatio rasuræ & clystere eius. Cum confortatione cordis iterũ cum medicinis cõmunibus. Cum autem est effusum in aurem eius, oportet tunc, vt surgat super pedem vnum & saliat super partem illam, cum iam inclinauerit caput suum, quanto plurimum possibile est ei declinare, & propriè quando suspenditur per manum quę est in latere suo ab aliqua re, & cõsimiliter quando commouetur super illam partem. Et ille qui vult colligere ipsum cum radio plumbi intromisso in aure & inuenit argẽtum viuum suspensum cum eo est errans: quoniam argentum viuũ quando est in illo loco, & qui propinquus est ei non indiget patiens, nisi vt concutiatur & saliat tantũ: & si fuerit profundius quàm in illo loco non fit iuuamentũ per illum stylum & non peruenit ad ipsum. Plinius Secundus de Naturali historia lib. 20. cap. de Sisere, quod secundum Auicennam dicitur lignum visus: Siser Heraclides contra argentum viuum dedit. Libro 22. cap. de Vrtica. Semen eius siccum contrarium esse Nicander affirmat fungis & argento viuo. Libro 23. cap. de Vino & viribus vini. Merũ quidem remedio est contra argentum viuum, contraq; omnia quæ refrigerando

nocent,&c. Libro 28,cap.de Medicinis ex lactis vſu. Datur aſininum con-
tra gypſum & ceruſſam & ſulfur & argentum viuum. Cap.de Remedijs ad
morſus beſtiarum & ad venena. His qui argentum viuum biberint, lardo lupi
remedium eſt. Libro 29.cap.de Remedijs aduerſus omnia mala medicamen
ta & venena. Columbarum ſylueſtrium fimum priuatim contra argenti viui
potum. Halyabas in Regali diſpoſitione 4.Practicę,cap.penultimo,videli-
cet de eius medicina qui argentum viuum bibit, aut cuius auri inſtillatum eſt.
Argentum quod viuum eſt quidem,non eſt eius interficere, ſed in ventre do-
lorem & in inteſtinis torſionem & moleſtiam facit, egrediturq́; cum egeſtio-
ne:quoniam celeriter decurrens & deſcendens eſt:huius medela vomitus eſt,
& vini meri potus,quo illud transferat & emittat. Quod verò auri inſtillatur,
dolorem parit,moleſtiam animi,alienationem,& ſpaſmum:grauitas valida ſen
titur in latere in quo infuſum eſt:oportet igitur eum in illud inclinari latus, &
in eo diutius ſtare ac vno ſalire pede,ſternutetq́; cum condiſi & nares opilet,
auri oleũ inſtillet calefactum plurimũ: deinde emittatur cum fuerit frigidum,
& aliud inſtilletur calidum. Inclinet autem caput in latus ægrotantis auris ma-
numq́; illi apponat,& cõmoueat fortiter.Quod ſi non exit,accipe plumbi ſty-
lum,& auri inductum cõmoue, abſtergeq́; zibacum, id eſt argentum viuum,
quod plumbo adhęſerit,& hoc vtile probatum eſt eſſe. Gilbertus Anglicus
ſeptimo ſui Compendij medicinæ,cap.de Argento viuo. Dico, quòd argen-
tum viuum non extinctum medicabitur melius per clyſtere:quoniam deſcen-
dit cum egeſtione cum diſpoſitione ſua prima. Petrus de Abano in ſuo tra-
ctatu de Venenis,cap.de Argento viuo. Eius cura eſt clyſtere cum adipe ana-
tis,aut butyro:& deinde reiteretur cum aqua mellis, & expedita conuenienti
euacuatione erit intendendum ad accidentia derelicta,quæ tria eſſe conſueue
runt:primum eſt mala complexio frigida & humida in inteſtinis:ſecũdum de-
bilitas cordis & tremor: tertium vulnera in ſtomacho & inteſtinis. Et primò
opponemus nos cum rebus calefactiuis, ſtipticis & deſiccantibus:dabimus er
go tunc myrrham & caſtoreũ decocta in vino & ſaluiam & rutam tritam cum
aqua in qua nuces cypreſsi ſunt bullitæ potui propinabimus. Et ſecundò op-
ponemus nos cum exhibitione diamargaritõ & diamuſci amari. Et tertiò op-
ponemus nos cum medicinis ſigillantibus vulnera aſſumptis per clyſtere ſi fue
rint vulnera in inteſtinis & in potu ſi fuerint in ſtomacho, & de horum ſumma
erit trifera minor,aut vinum rubeum in quo myrobalani cocti fuerint:& ſi vri-
na fuerit retenta ex potu argenti viui,tunc ponemus eum in balneo aquæ ca-
lidæ, & poſtea ſuperponemus veſicæ ſpongiam infuſam in decoctione iuni-
peri & ſeminis apij pluribus vicibus, & dabimus in potu vinum purum opti-
mum in quo bullita fuerit radix cyperi, & vngemus ſumen & teſticulos cum
oleo rutaceo,& iuniperino,& eius bezaar eſt coſtus.

De Argento uiuo non purgato, de ſublimato, de extincto &c. Cap. V.

ARgentum viuum non purgatum, vt prædixi in immediatè præcedenti
cap.triplex eſſe ponitur ab auctoribus,quorum vnum eſt illud quod per
ignem ex minera eius extrahitur.Et tale eſt argentum viuum quod extractum
eſt per ignem ſeu ignis aduſtionem ex lapide mineræ ſuæ. Argentum viuum
abſq; alterius permiſtione ſublimatum, & poſtea reditum ad naturam ſeu eſ-
ſentiam ſuam, eſt argentum viuum purgatum vel non purgatum alkimiſta-
rum artificio ſublimatum, & poſtea reditum ad eſſentiam ſuam. Argentum
viuum ſublimatum abſq; alterius permiſtione & non reditum ad eſſentiam
ſuam Argentum viuum ex cinnabari & minio extractum, eſt argẽtum viuum
factum:prout in immediatè præcedenti cap.dixi auctoritate Dioſcoridis. Ar-
gentum

gentum viuum cum aliorum permistione sublimatum, est argentum viuum insimul cum alumine & sale nitro & sale communi sublimatum, & hoc est illud quod est in communi vsu, & venale communiter reperitur.

NATVRA cuiuslibet prædictorum, vt ex quorundam auctorum mentibus patuit in præcedenti cap. calida est in quarto gradu, & consimiliter humida est in eodem gradu. Verum argentum viuum cum aliorũ permistione sublimatum minus alijs humidum est: imo secundum aliquos est valde siccum propter permistionem aluminis & salis nitri & salis communis. Et consimiliter est argentum viuum factum ex cinnabari & minio propter siccitatẽ sulfuris quod in subdupla quantitate miscetur cum argento viuo in faciendo cinnabari & etiam propter minij siccitatem. Et consimiliter est argẽtum viuum extinctum propter permistionem saliuæ vel lixiuij, vel alterius consimilis, cum quo communiter extinguitur. Et quodlibet prædictorum, est incisiuum, vlceratiuum & putrefactiuum, & etiam secundum aliquid exiccatiuum & præcipuè sublimatum cum aluminis, nitri & salis cõmunis permistione, quod equidem est cæteris magis venenosum, atq; magis pernitiosum ac magis acutum.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem cuiuslibet prædictorũ, sunt vlceratio oris & linguæ & palati & præcipuè si comestum fuerit, & vlceratio stomachi & intestinorum, & dolores fortes & torsiones eorum, & inflammatio & arsura ac sitis & aliquando egestio sanguinis & vomitus eius & syncope & mors: & omnia prædicta magis ac fortius accidunt ex assumptione argenti viui sublimati cum aliorum permistione. Causa vlcerationis præfatorum membrorum, est incisio & putrefactio inducta à quolibet prædictorum: præcipuè ob caliditatem putrefactiuam & incisiuam in ipsis existẽtem, ex eorum autem comestione magis accidit vlceratio oris & linguæ & palati: propterea quia virtus eorũ in dictis partibus ex comestione reducitur ad actum: ex eorũ verò potu magis accidit vlceratio in stomacho & intestinis: propterea quia ex potu eorum, virtus ipsorum principaliter in stomacho & intestinis ad actum reducitur, & ob hanc causam accidunt dolores fortes & torsiones in ipsis. Inflãmatio autem, arsura ac sitis accidunt ob caliditatem maximam adustiuam: vomitus verò & egestio sanguinis, accidunt propter vlcera in stomacho & in intestinis inducta. Syncope autem & mors aliquando accidunt propter nocumentum magnum cordi communicatum ab eorum præsertim venenosa caliditate spiritus præcipuè resoluente.

SIGNA assumptionis cuiuslibet prædictorum, sunt accidentia prænarrata apparentia & diligens inuestigatio facta de assumptione alicuius eorum, & vomitus vel secessus alicuius ipsorum.

PRAESERVATIO à quolibet prædictorum vltra generalia prædicta in octauo cap. primi libri, fit pręcauendo pręsertim in domo ob aliquam aliam causam ab vsu cuiuslibet prædictorum.

CVRA assumptionis cuiuslibet prædictorum est subitò procurare expulsionem eorum omni modo quo melius & habilius est possibile, mediante vomitu vel secessu cum frigidis & alterantibus sibi contrarijs subueniendo accidentibus, cum his quę ab auctoribus in proprijs capitibus enarrãtur habendo semper respectum ad adustiuam & putrefactiuam caliditatem cuiuslibet prædictorum. Cura verò receptionis fumorum alicuius pręfatorum argentorum vel illinitionis ex aliquo eorum, est subuenire accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur, præeligendo remedia frigidiora seu remissius calida, prælauãdo corpus pro illinitionis ex aliquo eorum cura cum aqua tepida decoctionis hordei, vel cõsimilium abstersiuorum frigidorum. Causa autem iniectionis alicuius eorum in aurem similis est curæ

iniectionis in aurem argenti viui purgati, quantum ad ipsius de aure expulsio-
nem, nisi quòd in aurem inijciendum est de oleo violato, vel alio in frigiditate
sibi consimili tepido, & postea eijciendum modo, quē prędixi in præcedenti
cap. subueniẽdo postea accidentibus cõsequentibus cum remedijs positis ab
auctoribus in cap. proprijs præeligendo remedia frigidiora seu remissius cali-
da. Quæ aũt ab auctoribus pro ipsorum cura dicuntur, statim infra describam.
Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Argento viuo. Argentum viuum
quod ὑδράργυρος, id est aquosum argentum appellatur, fit ex minio & cinnaba
ri &c. virtus est illi homicidialis pondere suo comedendo intestina, vnde eua-
dere poterit, qui hoc biberit lac caprinum bibendo & mouendo se. Similiter
datur & vinum addito absinthio aut sinapi aut hyssopo. Excepta ex libro 10
Oribasij, cap. de Contra argentum viuum & de compositione illius. Quod hy-
drargyron appellant Græci, nos argentum liquidum nominamus: fit ex mi-
nio &c. potui datum interficit ponderis causa. Remediabitur cum malua deco
cta per clystere iniecta. Item terram puram cum mulsa potui dabis & per ca-
tharticum ventrem purgabis. Rasis 20 Continentis, cap. 2: Argẽtum viuum
quicunq; assumpserit, patietur accidentia lithargyri. Et eius cura est eadem.
Cõtra argentum viuum prouoca vomitum: & postea bibat lac, & vinum cum
absinthio. Rasis libro 22. Continentis, cap. de Argento viuo: Argentum vi-
uum, dixit Paulus, quod habet vires interficiẽtes, si datur in potu: quoniã cor-
rodit id quod tangit de membris cum ponderositate ipsius, nocumento sub-
uenit lac, si bibitur de eo quantitas abundans prouocans vomitum. Et si bibi-
tur similiter cum absinthio, aut cum semine apij, aut cum mentastro montano,
aut cum hyssopo confert nocumento eius. Rasis in Almansore libro 8. cap.
De his, qui in potu sumpserunt argentum viuum aut vzifur aut tincar. Argen-
tum viuum extinctum ac sublimatũ propriè perniciosum est, ac valde malum.
Cõmouetur enim ex eo fortis in vẽtre dolor & punctio ac sanguinolenta ege-
stio. Curetur ergo hydromel multoties tribuẽdo: & ex eo cum baurach clyste-
rizando, donec venter aliquoties euacuetur. Medicinæ quoq; dysenterię con-
ferentes in potu dentur, sicut ficus coctæ & semina, ac mucilagines, ac sepum
hircinum. Clystere quoq; ex his & horum similibus, quæ in cap. de Dysenteria
nominabimus, fiat. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2, cap. de
Potu argenti viui: Signum huius, est dolor fortis in ventre & intestinis, & ex-
pulsio omniũ, quę sunt intus. Curatio eius, est cum potu lactis statim mulsi.
Cap. De Potu argenti viui præparati, id est sublimati: Signum potus argenti
viui præparati, quod dicitur sublimatum, est incitatio fortis doloris in ventre
& doloris intestinorum, qui dicitur almagar, id est torsio & solutio sanguinis:
& possibile est necare suo acumine. Curatio eius, est quòd bibat patiens a-
quam mellis frequenter & clysterizetur cum ea. Et confert ei potus lactis, vt di
ximus. Et si remanserit in intestinis, sequitur passio, quæ dicitur alsahog, id est
rasura intestinorum, quæ curetur propria curatione in suo loco dicta. Aui-
cenna 2. sui Canonis medicinæ, cap. de Argento viuo. Argentum viuum subli-
matum, est interficiens propter vehementem incisionem. Et eius cura fortis,
est bibere lac & vomere. Plinius Secundus de Naturali historia lib. 28. cap.
de Medicinis ex lactis vsu: Datur lac asininũ contra gypsum & cerussam & sul
fur & argentum viuum. Cap. De remedijs ad morsus bestiarum & ad vene-
na. His, qui argentum viuum biberint, lardo lupi remedium est. Cõtra ea verõ
quæ ex vlceratione enecant, ius vitulinum seu bubalum auxiliatur. Halya-
bas in Regali dispositione 4. Practicæ, cap. penultimo, scilicet de eius medici-
na qui argentum viuum bibit: Quando autem argentum viuum bibitur ascen
dens, id est sublimatum aut interfectum, id est extinctum seu mortificatũ, ma-
lum est

lum est & mortale: vnde fit dolor in ventre & torsio grauis. Patientem igitur vomere expedit cum melle & anetho. Si autem stomachum intellexeris mundatum, & si egrediatur bonum: sinautem clysteri vtere cum bliti aqua & sisami oleo ac garo, ac chathmia, id est althæa, id est maluauisco. Vt autem stomachum intellexeris mundatum & intestina: dysenteriaq; illi acciderit sesursum, propina cum oleo rosaceo, lacq; in quo lapides & ferri laminā proieceris calefacta. Platearius in circa instans, cap. de Argento viuo. Argentum viuum, si fuerit ore receptum, detur lac caprinum in multa quantitate, & patiens sit in motu, vel detur vinum decoctionis hyssopi & absinthij: hęc enim sunt absoluta remedia. Gilbertus Anglicus septimo sui Compendij medicinæ, cap. de Cura argenti viui. Dico quòd argentum viuum non extinctum, medicabitur melius per clystere: quoniam descēdit cum egestione cum dispositione sua prima. Quod autem extinctum est, vel sublimatum, melius educitur per vomitū: & hoc statim postquam sumitur antequam trahatur ad intestina: quia excoriaret membra quibus obuiaret, postmodum autem sunt tres intentiones necessariæ. Prima quòd resoluatur si quod fuerit residuum de veneno: & hoc per medicinas resoluētes causam, verbi gratia, dētur de myrrha ʒ. iij. cum vino calido vel aqua mellis, vel etiam semen apij, ruta, saluia, & castoreum, decoquantur in vino & illud detur. Secunda, vt cōfortetur cor, sicut per diamargariton, & per cæteras medicinas cordiales, vt dicitur in ægritudine cordis. Tertia est, vt si vulnera fuerint in stomacho, vel in membris per quæ transit, consolidentur sicut cum pinguedine caprina vel hircina, & decoquatur cum ptissana, sicut docet Isaac. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Argento viuo dato in potu. Argentum viuum si fuerit extinctum vel sublimatum, corrosionem facit intestinorum & morsuram: & fit grauedo linguę & stomachi, & apostematur cor & moritur: & eius cura est clystere cum adipe anatis aut butyro: & deinde reiteretur cum aqua mellis, & si fuerit creditum quòd fuerit extinctum vel sublimatum, vomitus prouocetur, & hoc statim antequam ad intestina descendat: quoniam tunc penitus intestina excoriaret, & sanguinem exire faceret, & tenasmonem induceret: tunc enim clysteribus solis intendere conuenit: & expedita conuenienti euacuatione, erit intendendum ad accidentia derelicta. Christophorus de Honestis in suis Problematibus de Venenis, problemate de argento viuo sublimato. Argentum sublimatum est calidum & siccum in quarto, propter quod exardent & excoriantur stomachus & intestina & mordicantur dolorosē: & propter idem exiccatur lingua & totum corpus: & sua caliditate venenosa resoluitur spiritus cordis & accidit syncope. Bezaar eius est puluis crystalli subtilissimus. dosis ʒ. i. in potu cum oleo de amygdalis dulcibus.

De Cinnabari, seu uzifur. Cap. VI.

DVplex quippe ponitur ab auctoribus esse cinnabari, seu vzifur, seu zinzifur. Quoddam nanq; est minerale, & tale est lapis mineræ argenti viui, quoddā verò est artificiale, & hoc est illud, quo cōmuniter vtimur, quod nempe fit ex argento viuo, & ferè medietate sulfuris sublimatis.

NATVRA cinnabari mineralis, frigida est & sicca in secundo participās de virtute lithargyri inferius describenda. Natura verò cinnabari artificialis calida est, & sicca quasi in fine secundi, participans de virtute argenti viui extincti seu mortificati suprascripta in immediatè præcedenti cap.

ACCIDENTIA assumptionem cinnabari mineralis cōsequentia, sunt similia accidentibus consequentibus assumptionem lithargyri inferius describendis. Accidentia verò cōsequentia assumptionem cinnabari artificialis, sunt

similia accidentibus consequentibus assumptionem argenti viui extincti, seu mortificati suprascriptis. Causæ præfatorum accidentium sunt consimiles causis accidentium lithargyri, & argenti viui extincti.

SIGNA assumptionis cinnabari mineralis, & cinnabari artificialis sunt similia signis assumptionis lithargyri, & argẽti viui extincti, seu mortificati: præterquàm quòd in eorum vomitu cito post eorum assumptionem apparet color rubeus.

PRAESERVATIO autem ab assumptione cinnabari mineralis & cinnabari artificialis, perficitur custodiẽdo se omni modo possibili ab assumptione cuiuslibet eorum.

CVRA assumptionis cinnabari mineralis, est similis curæ lithargyri inferius in proprio cap. describendę. Cura autem assumptionis cinnabari artificialis similis est curæ assumptionis argenti viui extincti, seu mortificati, in immediatè præcedenti cap. positæ. Quæ tamen auctores pro hac cura in speciali dixerunt, infra describam. Rasis 8. Almansoris. cap. de His, qui in potu sumpserunt argentum viuum, & vzifur, & tincar, id est boracem. Ex vzifur (supple artificiali) & tincar, id est borace seu capistro auri, accidunt quæ ex argento viuo extincto, tincar tamen deterior existit, quoniam plures etiam dicunt, quòd ex eo nemo euadit. Cuius tamen cura est, vt argenti viui, supple, extincti, vel sublimati, & arsenici supple sublimati. Auicenna quarto Canone, fen 6. cap. de vzifur & almagra. Est illa eadem cura (supple quæ est cura cerussæ & gypsi:) deinde administrantur sorbitiones pingues, & adipes lenes. Auicenna autem intelligit de vzifur minerali. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Azuro, vel minio, vel cinnabari, sumpto in potu: Cura omniũ supradictorum est eadem: detur ergo in potu butyrum cum aqua calida, in qua semina rapæ sint bullita, & euomat post vomitum spontaneum: deinde clysterizetur cum aqua mellis, & oleo. Et eius bezaar est spodiũ, quod fit de ebore combusto, datum in potu cum vino ℥. ij.

De Gypso. Cap. VII.

GYpsum est minerale quoddam notũ, lapidosum, quod de multis montibus in varijs prouincijs foditur: & ab aliquibus auctoribus cerussa lapidis nũcupatur: & multoties aduritur, ex cuius adustione augmẽtatur ei subtilitas.

NATVRA eius, frigida est & sicca, gradus tamen eius ab auctoribus non exprimitur, & habet virtutem conglutinatiuam & constrictiuam & præfocatiuam & venenosam.

ACCIDENTIA gypsi assumptionem consequentia, sunt albedo labiorum & linguæ & totius corporis, mollificatio membrorum, vehemens tussis, singultus, permistio rationis, amentia, obliuio, inflammatio & exiccatio cerebri & totius corporis, asperitas & siccitas linguæ, dolor in stomacho & ore eius, tensio in hypochõdrijs, colica difficultas & strictura anhelitus, & gutturis strangulatio, & præfocatio, stipticitas ventris, & quandoq; minctura rei nigrę & sanguinis & sincopes: & quandoq; non omnia prædicta, sed aliqua ex eis accidunt. Causa albedinis labiorum & linguæ & totius corporis, est mortificatio caloris & sanguinis, membra rubificantis, facta præcipuè à venenosa frigiditate gypsi. Causa mollificationis membrorum, est eadem frigiditas calorem præsertim spirituum sensibilium & motiuorum extinguens. Causa vehementis tussis, sunt humiditates descendentes ad pulmonem, præsertim à cerebro ob frigiditatem ei cõmunicatam exprimentem humiditates ipsius. Causa singultus, est congelatio humiditatis phlegmaticæ stomachi & præcipuè oris eius. Causa permistionis rationis & amentiæ & obliuionis, est infrigidatio &

ingrossatio spirituum, prçcipuè animalium inobedientium virtutibus cerebri. Causa infrigidationis & exiccationis cerebri & totius corporis, est frigiditas & siccitas venenosa gypsi, cerebro & toti corpori cõmunicata. Causa asperitatis & siccitatis linguæ, est expresio humiditatis eius facta à venenosa frigiditate & siccitate gypsi. Causa doloris stomachi & oris eius & tensionis in hypochondrijs & colicæ, est vẽtositas grossa generata in prædictis membris. Causa stricturç anhelitus & difficultatis eius, est densitas lacertorum pectoris à frigiditate causata. Causa strangulationis gutturis & præfocationis, est densitas lacertorum gutturis & descensus humiditatum à cerebro. Causa stipticitatis ventris, est frigiditas & siccitas venenosa gypsi cõmunicata lacertis eius & intestinis. Causa mincturæ rei, seu vrinæ nigræ, est mortificatio caloris. Causa mincturæ sanguinis, est infrigidatio cõmunicata hepati & renibus, debilitans contentiuam virtutem eorum relaxantem sanguinem & debilitans virtutem sequestratiuam eorundem non debitç secernentem seu sequestrantem vrinam seu aquositatem à sanguine. Causa syncopes, est mortificatio caloris & spiritus cordis à venenosa gypsi frigiditate causata, aut obtusio seu reclusio seu suffocatio caloris & spiritus facta à venenosa frigiditate & siccitate ipsius gypsi.

SIGNA assumptionis gypsi, sunt accidentia prædicta cõsequentia & diligẽs exquisitio facta propter quã suspicio haberi posit de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO perficitur custodiendo se pro posse ab ipsius assumptione.

CVRA fit procurando præsertim in principio omni modo posibili ipsius expulsionem mediante vomitu cum oleo & butyro & mucillaginibus, & brodijs pinguibus, & cæteris vomitiuis declinantibus, præsertim ad caliditatem & humiditatem. Si verò elapsum fuerit principium & putatur, quòd descenderit totum, vel aliquid ad intestina præcipuè inferiora fiant frequenter clysteria mollificantia ex oleo & butyro & pinguedinibus & mucillaginibus & brodijs valde pinguibus & consimilibus declinantibus ad caliditatem & humiditatem. Postmodum verò fiant clysteria fortia educentia: & exhibeantur medicamina laxatiua diagridium continentia & similia: subueniendo consequenter accidentibus introductis cum his, quç ab auctoribus in proprijs cap. describuntur habendo semper respectum in approximando remedia declinantia ad caliditatem & humiditatem præcipuè cordialia. Quæ verò particulariter pro huiusmodi cura ab auctoribus describuntur, statim infra describam. Dioscorides in suo de Simplicibus, cap. de Origano: Origanum omnibus est notum: eius sunt species tres: virtus est illi calida, elixatura eius cum dulcore, id est vino musto cocto vsq; ad tertiam sui partem bibentibus gypsum præstat effectum. Rasis in Cõtinente, libro 20, cap. 2: Quicunq; gypsum sumpserit, accidit ei strangulatio, obliuio, & vehemens siccitas oris, & ventris. Eius cura est: dentur aquæ decoctionis maluæ ℥. vi. deinde aqua mista cum melle & parum olei: & iterum sumat aquam cineris vitis & ficuum cum dulci vino, & vtatur aqua hordei per aliquot dies. Iuuat contra gypsum sumere aquam cineris vitis & hyssopi. Accidit ex gypso strangulatio: & istis in principio prouocetur vomitus, sicut in fungis. Et sumant res mucillaginosas & viscosas: quoniã descendet ad intestina & prouocabit ad egestiones, & diagridium & similia. Contra gypsum & cerussam prouoca vomitum cum multo oleo calido: & bibat vinũ dulce cum multa aqua calida & lac caprinum & succum maluæ, & aquam mellitam cum oleo sisamino & aquam decoctionis ficuum cum oleo, & cineris sarmentorum & ficuum & nucum. Rasis 8. Almansoris cap. de His quibus gypsum in potu datum fuerit: Patienti itaq; aqua mellis ac res mucillaginosç dandæ sunt prius: deinde psyllij ʒ. ij. scammoneæ ʒ. i. cum iuleb tribuantur. Et cum

ex hoc patiens motus fuerit, attendendum est an accidentia quæ patiebatur sint sedata: erit nanq; vtile. Si autem sedata non fuerint, iterum mouendus erit: quòd si dysenteria exinde orta fuerit, ex curis dysenterię medicetur. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2. cap. de Potu gypsi. Curatio eius est, quòd bibat aquam mistam melli & modico oleo oliuarum. Et curetur cum clysteribus lenibus ex aqua, scilicet decoctionis fœnugræci, casiæ fistulę & oleis: Et bibat vinum dulce, aut aquam lactis cocti: Et odoret patiens aromata calida, & sumat pulmentum de hordeo, & caueat à vomitu. Auctor pręsentis operis. Intellige quòd vomitus est cauendus quando gypsum ad intestina præcipuè inferiora descenderit, aut cum totaliter egressum fuerit à corpore & sola accidentia remanserunt. Auicenna quarto sui Canonis medicinæ, fen vi. cap. de Potu gypsi: Oportet, vt curetur cura cerussæ & curatione fungorum: deinde dentur in potu mucillagines viscosæ, vt remoueatur asperitas gutturis post lenificationem prędictam & sorbitiones lenificātes: Et indiget solutione ventris cum scāmonea & similibus: Et iteretur solutio aliquoties, & si abrasio fiat, curetur abrasio: Et de eis quæ rememorantur ad gypsum, est cinis extremitatum vitis cum hasce, id est thymo. Plinius Secundus de Naturali historia, libro 23. cap. de Oleo: Omni autem oleo mollitur corpus, & omnia venena hebetat, præcipuè & gypsi in aqua mulsa psimmythij, aut ficuum siccarum decocto potum, redditumq; vomitionibus. Libro 28. cap. de Medicinis ex lactis vsu: Datur priuatim asininum contra gypsum & cerussam & sulfur & argentum viuum. Halyabas in Regali dispositione quarto Practicæ, cap. de Eius medicina qui gypsum bibit & martachum, id est lithargyrum: Patienti fiat, vomitus cum aqua calida & melle, donec stomachum purget, sicq; vinum merum bibat: quoniam à stomacho vtrunq; emittit & ab intestinis: detur autem electuarium piperis & zingiber conditum, sinapiq; sorbeat. Guilielmus de Placentia tertio suæ Practicæ, parte secunda, cap. 7. scilicet, de mineris quæ in potu sumuntur & operantur vt venena: Cum aliquis sumpserit gypsum, curatur cum cura cerussæ, vel cura fungorum. Et præter hoc sumat in potu mucillagines fœnugræci, & seminis lini, & maluæ, & maluauisci, & psyllij, & similiū, & mundificetur sæpe cum scammonea & aqua mellis, vt dictum est superius. Et si fieret abrasio intestinorum, curetur, vt dictum est in fluxu ventris: Et à proprietate curatur cum hyssopo & cinere extremitatum vitis. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Gypso dato in potu: Eius cura erit, vt bibat aquam calidam cum butyro, & euomat: deinde bibat iterum aquam calidam cum melle & euomat: Et postea dētur sibi in potu mithridati ʒ.ij. cum optimo vino. Et si stipticitas remanserit, clysterizetur cum adipe anatis & oleo. Et vngatur venter cum oleo de kerua. Eius bezaar, est stercus muris tritum & bibitum: & detur ex eo ʒ.i.

De Almagra seu magra seu sinopide, seu terra carpentariorum. Cap. VIII.

ALmagra, seu magra, seu rubrica sinopica, seu terra carpentariorum, est terra rubea, quæ communiter carpentarij ligna signant.

NATVRA eius frigida est in primo, & sicca in secundo, & est conglutinatiua & stiptica & venenosa.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius consequentia, sunt similia accidentibus consequentibus assumptionem cinnabari mineralis & lithargyri & limaturæ plumbi, aut modicum differētia. Et sunt apostema, id est tumor totius corporis, & aliquando solius ventris, impedimentum seu grauitas linguæ, retentio vrinæ, stipticitas ventris & retentio stercoris: Et aliquando fluxus ventris ac superfluitas eius, grauitas stomachi & intestinorū: Et quādoq; egresio

ani

ani & rasura eius ac apostema seu inflatio extremitatis ipsius, apparitio in ventre alicuius glandulæ lapideæ, constrictio anhelitus, & aliquando præfocatio, dolor iliacus, & colicus: aliquando vomitus fæcis, priuatio appetitus cibi, & raucedo vocis. Causa apostematis, id est, tumoris totius corporis, est debilitas digestiuæ hepatis, & consequenter aliorum membrorum, causata à venenosa frigiditate magræ: ad quam equidem debilitatem consequitur aliquando hydropisis hyposarca. Causa tumoris solius ventris, est debilitas digestiuæ hepatis, & opilatio causata à frigiditate & siccitate venenosa magræ, ad quam debilitatem & opilationem consequitur aliquando hydropisis ascites, & aliquando hydropisis tympanites, faciens solummodo tumorem ventris. Causa impedimenti seu grauitatis linguæ, est indigestio & retentio superfluitatum grossarum ingredientium porositates linguæ, quæ spongiosa est facta à prædicta frigiditate & siccitate venenosa ipsius magræ. Causa retentionis vrinæ & stipticitatis ventris & retentionis stercoris, est præfata frigiditas & siccitas venenosa opilans atque constringens vrinæ & stercoris vias. Causa fluxus ventris & superfluitatis eius aliquando superuenientis, est debilitas & relaxatio stomachi & intestinorum causata à magra & grauitate sua, præcipuè cum assumpta fuerit in magna & notabili quantitate. Causa grauitatis stomachi & intestinorum, est ipsa magra retenta in stomacho & intestinis grauans & ponderans. Causa egreisionis ani, est ipsa magra pro parte in intestino recto retenta, ipsum grauans & exasperans, adeò vt quandoque radatur & sequatur tenasmus, ad quem sequitur egresio ani & rasura eius, ac apostema seu inflatio extremitatis eius. Causa apparitionis in ventre alicuius glandulæ lapideæ, est frigiditas & siccitas venenosa magræ, retinens grossas superfluitates ventris & prohibens resolutionem earum: propter quod venter non potens eas à se expellere nec resoluere, coadunat eas, resoluendo ob ipsius imbecillitatem partes subtiles & dimittendo grossas: ex quo sequitur glandulæ lapideitas. Causa constrictionis anhelitus & præfocationis, est prædicta frigiditas & siccitas venenosa magræ congelans sanguinem & spiritus, & condensans musculos pectoris & diaphragmatis motum impediens. Causa doloris iliaci & doloris colici est retentio ventositatis in præfatis intestinis, generatæ à venenosa magræ frigiditate. Causa vomitus fæcis, est stipticitas ventris causata à frigiditate & siccitate magrę, propter quam natura non potens fęces per secessum expellere, eas vomit. Causa priuationis appetitus cibi, est debilitas oris stomachi causata à venenosa frigiditate & siccitate magræ, quæ quidem priuatio appetitus maximè accidit cum fæces & aliæ horribiles humiditates per vomitum expelluntur. Causa raucedinis vocis, est asperitas gutturis & ingrossatio & condensatio humiditatum in gutture & trachea arteria, & canalibus pulmonis.

SIGNA assumptionis magræ, sunt accidentia prædicta consequentia aliqua vel plura vel omnia, & vomitus vel egestio rei rubeæ, coloris magræ, & pręhabita diligens informatio de assumptione ipsius magrę, diligenti exquisitione præmissa. Et dignius signū eius, iuxta Auicen. est solutio vētris plurima.

PRAESERVATIO ab assumptione magrę, est vltra dicta in 8. cap. primi libri diligētem cautelam apponere, ne magra ipsa sibi posit vllatenus propinari, præcauendo vsum ipsius ob aliquam aliam causam.

CVRA eius est, vt statim in principio procuretur vomitus cū mollificātibus & aperiētibus notis, presertim dū nondum magra ad intestina descēderit pręcipuè inferiora. Dū verò ad illa ipsa descendisset, fiat cura in principio cum clysterib. ex oleis, & pinguedinibus, & butyro, & mucilaginibus & cōsimilibus: postmodum verò cū clysteribus educētibus fortibus: & cū medicinis fortibus

laxatiuis, diagridium & consimilia continentibus: quatenus ipsa, quo modo
melius est possibile, cito à corpore expellatur: demum accidentibus superue-
nientibus succurratur cum his, quę ab auctoribus in proprijs causis dicta sunt,
præsertim autem cum illis quæ etiam cordialia sunt, & magis sint qualitatibus
magræ contraria. Quæ autem ab auctoribus pro huiusmodi cura particulari-
ter dicta sunt, statim infra describam: pro completiori tamen præfatæ curæ no
titia recurratur ad ea, quæ auctores pro cura lithargyri & limaturæ plumbi di-
xerunt: quoniam eorum trium cura est ferè consimilis: ponitur etiam dicta cu-
ra esse consimilis curæ cinnabari mineralis & cerussæ & gypsi. Albucasis se-
cunda particula Azarauij, tractatu 2, cap. de Potu almagræ & lithargyri: Cura-
tio eius est, quòd fiat vomitus cum aqua decoctionis anethi & ficuũ cum bau-
rach & modico butyri, vel bibat semen apij hortensis cum vino: & si fuerit na-
tura eius constipata, laxetur cum scãmonea, & alijs laxatiuis, & si lenita fuerit
natura & abundauerit vrina, signum est suæ liberationis. Auicenna quarto
sui canonis Medicinæ, fen. 6. cap. de Potu vzifur & almagræ. Est illa eadem cu-
ra, supple, quæ est cura cerussæ, & gypsi: deinde administrantur sorbitiones
pingues & adipes lenes.

De Lithargyro & plumbo adusto & limatura. Cap. IX.

LIthargyrum iuxta quid nominis gieze, est spuma argenti, & est nomẽ com
positum: & dicitur à λίθος quod est lapis, & ἄργυρος quod est argentum,
est nanq; spuma argenti similis lapidi in modo substantiæ: verùm ab auctori-
bus aliquando sumitur lithargyrum pro spuma argenti prædicta, aliquando su
mitur pro spuma facta cum argentum & plumbum, & aliquando aliquid auri
extrahitur de arena seu terra mineræ communis argenti & plumbi, & etiam
aliquando auri: aliquando sumitur pro plumbo adusto, & isto tertio modo su-
mendo lithargyrum, plumbum adustum est lithargyrum: limatura verò plum
bi, est ipsum plumbum limatum.

NATVRA lithargyri sumpti pro argenti spuma, frigida est parumper &
sicca aliqua licet modica venenositate participans pro quanto virtute plumbi
participat, & est conglutinatiua & stiptica. Natura lithargyri sumpti pro spu-
ma facta in extractione argenti & plumbi, & aliquando auri ex arena seu terra
mineræ cõmunis eorum, tanto minus est frigida quanto prædicta arena, seu
terra magis auro participat: & consimiliter tanto minus est venenosa, quanto
magis auro vel argento participat. Quanto verò magis plumbo participat,
tanto magis est frigida & magis venenosa. Natura lithargyri sumpti pro plum
bo adusto, cęteris est magis frigida, & magis venenosa. Eius tamen non loti fri
giditas est modica: imo ratione adustionis ponitur ab aliquibus participare ca
liditate quadam: & ideo frigiditatis suę gradus ab auctoribus non exprimitur,
loti verò cuiuscunque trium prædictorum modorum sumpti frigiditas maior
est. Quodcunq; autem lithargyrum vnanimiter ab auctoribus ponitur esse sic-
cum, siccitatis tamen gradus non ab eis exprimitur: & consimiliter ponitur ha
bere virtutem conglutinatiuam & constrictiuã. Natura limaturę plumbi, seu
plumbi, frigida est in tertio gradu declinans ad quandam humiditatem eius, ta
men humiditatis gradus ab auctoribus non exprimitur, & est venenosa.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem lithargyri seu plumbi a-
dusti seu limaturæ plumbi, sunt consimilia accidentibus magræ prædescriptis
in immediatè præcedenti cap. & consimiliter sunt consimiles causæ eorũdem
accidentium, & vltra illa quæ accidunt ex assumptione magræ accidit ex cu-
iuslibet istorum assumptione color plumbinus, cuius causa est præcipuè mor-
tificatio caloris innati: & licet limatura plumbi sit humida & magra & lithar-
gyrum

gyrum quomodolibet assumptum sint sicca: attamen limatura plumbi eius maiori frigiditate supplet magræ & lithargyrici siccitati quo ad inducendum & ad inducere adiuuandum accidentia: quorum magræ & lithargyrici siccitas concurrit in causa. Sic enim, exempli gratia, siccitas magræ & similiter lithargyri pro parte, est causa constrictionis anhelitus & præfocationis, ita frigiditas limaturæ plumbi valde maior existens quàm frigiditas magræ & lithargyri, est magis causa congelationis sanguinis & spiritus & condensationis musculorum membrorum anhelitus: propter quod frigiditas limaturę plumbi maior humiditati coniuncta, non minus potest esse causa constrictionis anhelitus, & pręfocationis, quàm minor frigiditas magrę & lithargyri siccitati cõiuncta.

SIGNA assumptionis lithargyri & plumbi vsti & limaturæ plumbi, sunt accidentia consequentia similia accidentibus consequentibus assumptionem magræ. Differunt tamen à signis assumptionis magræ, præsertim quia post assumptionem magræ expellitur per vomitum vel secessum res rubea: non sic autem post assumptionem lithargyri, vel plumbi vsti, vel limaturę plumbi. Quorum etiam assumptionis signa etiam intra se differũt: quoniam post assumptionem lithargyri sumpti pro argenti spuma consequuntur accidentia debiliora: post assumptionem verò lithargyri secundo modo sumpti consequuntur accidentia aliqualiter fortiora: post assumptionem autem lithargyri tertio modo sumpti, scilicet pro plumbo adusto, & post assumptionem limaturæ plumbi, consequuntur adhuc accidentia magis fortia: differunt etiam ad intra se, prout ipsa etiam intra se in colore aliqualiter differunt, qui postea in re expulsa vomitu vel secessu percipitur: differunt etiam iuxta variam informationem habitam de assumptione cuiuslibet eorum diligenti exquisitione præmissa.

PRAESERVATIO autem ab assumptione cuiuslibet prędictorum & cura, est consimilis præseruationis & curæ assumptionis magræ & cinnabari mineralis & cerussæ & gypsi.

QVAE verò pro eorum cura specialiter ab auctoribus dicta sunt, statim infra describam. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Apio. Apium (siue vt alij selinon) omnibus est notum, eius genera sunt duo: vnum hortense aliud agreste. Elixatura hortensis radicis bibita, venenis occurrit. Eis qui bibunt spumam argenti medicatur. Apium agreste tanta facere potest quanta & aliud. Rasis in Continente lib. 20. cap. 2. Cura lithargyri, est dare sibi de myrrha ʒ. iij. cum aqua tepida, & assumere absinthij, piperis, fimi columbini, mellis, vini & olei: & asiduet carnes agninas & bibat acetum vini nigri, vt eius multiplicetur sudor. Iuuat contra lithargyrum, sumere piper & semen apij. Cura est prouocare vomitum cum aqua decoctionis anethi & ficuum, & dare ei talem medicinam. ℞. Seminis apij & myrrhæ an. aur. ij. absinthij aur. i. informentur cum sapa: dosis aur. ij. & similiter hoc habet contra sumptionem argenti viui, supple, mineralis. Contra lithargyrum valet aqua cineris ficuum. Rasis 8. Almansoris, cap. de His, qui lithargyrũ in potu sumpserunt. Est dandum apozima dactylorũ & anethi & nitri: & si leuiter vomitus prouocatus fuerit iterum fiat: quòd si vomitus paruus fuerit, & symptomata fiant fortiora, scammonea, sicut prædiximus, est tribuenda. Cũ ergo vomitus operari steterit, de hoc medicamine, quod sumus dicturi, dari cõuenit, cuius confectio. ℞. Seminis apij, absinthij partes æquales: detur ex eo pondus duorũ aur. cum ℥. i. vini & ℥. i. apozimatis apij: & postquam vrina prouocata fuerit, & vẽter solutus, restituta erit sanitas. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2. cap. de Potu almagræ & lithargyri. Curatio eius, est quòd fiat vomitus cum aqua decoctionis anethi & ficuum cum baurach, & modico butyri, vel bibat semen apij hortensis cum vino: & si fuerit natura eius constipata, laxetur cum scãmonea & alijs

laxatiuis prædictis:& si lenita fuerit natura,& abundauerit vrina, signũ est suę
liberationis,linitio autem cum eo non inducit nocumentum. Auicẽna quar
to sui canonis Medicinæ fen 6.cap.de Potu lithargyri & limaturæ plumbi. Cu
ra. Oportet, vt succurratur & incipiatur cum curatione cõmuni ex vomitu,&
sicut aliquo in quo sit apertio:sicut decoctio seminis apij,& ficus anethi& bau
rach,& oportet,vt in potu dentur myrrhæ ℥.iij.in vino,aut detur in potu spica
Romana cum fimo columbæ pascentis cum vino:quoniam est cura. Et opor-
tet,vt in potu tribuatur absinthium,& hyssopus,aut semen apij,aut piper,pro-
priè totum illud cum vino, aut pondus ℥.i.myrrhæ, cum pondere ℥.s.piperis
donec sudet.Et dentur ei in potu vi.siliquæ,id est grana xxiiij. scammoneæ in
aqua mellis.Et cibi eius quibus oportet ipsum asiduè vti,sint allifidabezed fa-
cta ex carne agni.Et signum sanitatis eius,est quòd soluitur natura, & prouo-
catur vrina.Et ad vltimum indiget aperitiuis cognitis,prouocatiuis, & soluti-
uis. Halyabas in Regali dispositione,quarto Practicæ, cap.De eius medici-
na qui bibit gypsum,& martacum,id est lithargyrum.Patiẽti fiat vomitus cum
aqua calida & melle,donec stomachum purget.Sicq; vinum merũ bibat:quo-
niam à stomacho vtrunq; emittit,& intestinis:detur autem Electuarium pipe-
ris,& zingiber conditum,sinapiq; sorbeat.Et cõtra martacum propriè ficuum
dabis decoctionem,& sebeti, id est anethi ac bauraci, id est baurach euoma-
turq;:& si hoc proderit,vtile est.Sin,cidoniatum laxans,id est diacitonitem la
xatiuum & electuarium sarbadam (aliàs sarbaram) vinumq; cum aqua in qua
semen decoxeris apij,& anisi,aliàs asarum quo vrina prouocetur. Petrus de
Abano in suo tractatu de Venenis, cap.de Lithargyro propinato in potu. E-
ius cura,est cura colicę per clystere iniectum, factum ex aqua mellis & adipe
gallinæ vel anatis,& dare in potu oleum amygdalarum,& comedere ficus sic-
cas ante cibum & inungere stomachum cum succo apij,& ventrem cum buty
ro:& eius bezaar,est semẽ keruę tritum & datum in potu ℥.ij. Cap. de Plum
bo vsto propinato in potu.Eius cura,est dare in potu theriacæ magnæ ℥.ij.om
ni die vsq; ad quinq; dies cum aqua mellis, & induere pelles vulpinas vel oui-
nas nouas,vel intrare ventrem mulæ vel asinæ calidæ & reiterare introitum sę
pe:& eius bezaar, sunt grana cidoniorum mũdata & trita & data in potu cum
vino decocto dulci ℥.ij.

De Cerussa. *Cap.* X.

CErussa fit ex plumbo & vaporibus aceti calcinantibus ipsum: & hæc ab
auctoribus cerussa plumbi nuncupatur ad differentiam gypsi quod ab a-
liquibus cerussa lapidis dicitur.

NATVRA eius,frigida est & sicca in secundo gradu; & est subtilis,con-
glutinatiua & venenosa.

ACCIDENTIA assumptionem cerussæ consequentia, sunt accidentia
consequentia assumptionem gypsi prædicta in 7.præcedenti cap.quanuis sint
aliqualiter efficaciora propter maiorem in ipsa fore subtilitatem acquisitam ab
aceti vaporibus quàm in gypso: propter quam quidem maiorem subtilitatem
accidit præsertim assumenti cerussam maior albedo linguæ propter ipsam ma
gis imbibi in porositatibus linguæ causa prædicta:verùm ex assumptione ce-
russæ non accidit ita magna strangulatio, sicut ex assumptione gypsi, propter
gypsum esse magis grossæ substantiæ, & magis compactæ cum coniungitur
humido,& magis esse conglutinatum:propter quæ tria ipsum non est ita à ca-
lore gutturis resolubile,vt cerussa, & eædem prorsus sunt accidentium causæ,
& consimilia sunt signa,ac consimilis est præseruatio,& cura:& ideo pro præ-
dictis omnibus recursum habeas ad cap.7.gypsi prædictum.

QVAE tamen ab auctoribus pro ipsius cerussæ speciali cura dicuntur, statim infra describam. Rasis in Continente, lib. 20. cap. 2. Receptionis cerussæ cura est sumere lac, & aquã mellis, & comedere maluam cum sisamo, & bibere lac pecorinum, & sapam, & sumere dauichi, id est pondus octo granorum hordei diagridij cum aqua mellis: & sumere cinerem vitis cum sapa, id est musto decocto vsq; ad consumptionem duarum tertiarum partium eius. Contra gypsum & cerussam prouoca vomitum cum multo oleo calido: & bibat vinum dulce cum multa aqua calida & lac caprinum & succum maluę, & aquam mellitam cum oleo sisamino & aquam decoctionis ficuum cum oleo & cinerem sarmentorum, & ficuum & nucum. Rasis octauo Almansoris, cap. de His, qui cerussam in potu sumpserunt. Ficuum apozema aut hydromel cum oleo ei tribuatur, vomitusq; prouocetur, ad bibendum quoq; absinthij succi cum hydromelle, multoties vnius aurei pondus tribuatur, quod tandiu fiat donec vrina prouocetur: hoc tamen fieri conuenit, postquam de scammonea, quantum est quarta vnius drachmæ sumptum cum hydromelle fuerit: postquam verò vrina prouocata fuerit, sedabuntur accidentia: si autem vrina constricta fuerit, vrinam prouocantia danda sunt, quę in suo nominata sunt cap. Albucasis secunda particula Azarauij tractatu 2. cap. de Potu cerussæ. Curatio ipsius, est prouocatio vomitus cum aqua decoctionis ficuum, aut aqua mellis cum oleo communi: & bibat post modum succum absinthij cum aqua mellis frequẽter, donec prouocetur vrina: & si natura est constipata, bibat quartam partem ʒ.i. scãmoneæ cum hydromelle, & sumat frequẽter lac recens calidum cum emungitur: quoniam eius iuuamentum in hoc maximum est, & non contingit nocumentum ab eius linitione. Auicenna quarto sui Canonis medicinæ, fen vi. cap. de Potatione cerussæ: Cura eius, est similis curæ lithargyri: & datur in potu scammonea in aqua mellis & prouocantia vrinam & clysterizatur & non permittitur dormire: & de eis quæ ingrediuntur in faciendo ipsum vomere sunt oleum alachoen, id est cotulæ fœtidæ, & oleum de lilio, & oleum de narcisso: & cadunt in medicinis eius gumma pini, aliàs pruni, & medicamen de sanguine draconis, & fraxinus. Et iterum de illis, quæ conferunt ei, est vt comedat sisamum purum, cõfractum, & masticet ipsum & bibat super ipsum vinum.

Plinius Secundus de Naturali historia lib. 23. cap. de Oleo: Omni autẽ oleo mollitur corpus: & omnia venena hebetat, præcipuè psimmythij & gypsi in aqua mulsa, aut ficuum siccarum decocto potum &c. per se potum redditumq; vomitionibus contra omnia supradicta. Cap. de Caprifico, id est fico syluestri: Grossi caprifici resistunt & sanguini taurino poto & psimmythio & lacti coagulato poti. Libro 28. cap. de Medicinis ex lactis vsu: Datur lac asininũ contra gypsum & cerussam & sulfur & argentum viuum. Halyabas in Regali dispositione, quarto Practicæ, cap. vltimo, scilicet de eius medicina, qui plumbi cerussam biberit, calcem, sulfur & saponem: Plumbi cerussæ, cura est vomitus cum melle, aqua & aceto ac sale calefactis: da q; hexagium s. tithymali, atq; granorum nili, id est seminis Indici: da etiam aquam in qua semen apij coxeris & fœniculum & anisum & absinthium Græcum, quo vrina prouocetur. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Cerussa propinata in potu: Eius cura, est vomitus prouocatus cum aqua, in qua semina rapæ & atriplicis sint bullita, & deinde clysterizare ventrem cum brodio caulium coctorum, & oleo sine sale & dare in potu mithridatum aut theriacam cum optimo vino: & eius bezaar, est potus vini albissimi & puri propriè inebriantis. Christophorus de Honestis in suis problematibus de Venenis problemate de cerussa. Bezaar eius, sunt grana sisami masticata & postea vinum album subtile vsq; ad ebrietatem.

De Minio. Cap. XI.

MInium dupliciter fit: vno nanq; modo fit ex cerussa adusta, & hoc est pulchrius. Alio modo fit ex plumbo adusto, & hoc non est ita pulchrum.

NATVRA minij facti ex cerussa adusta satis similis est naturę cerussæ: veruntamen propter adustionem qua mediante ipsum fit, ipsum est minus frigidum quàm cerussa, & est siccius ea & subtilius: natura verò minij facti ex plumbo adusto similis est lithargyro.

ACCIDENTIA assumptionem minij ex cerussa adusta facti cōsequentia, sunt satis similia accidentibus cerussæ & gypsi: verùm sunt magis similia accidentibus consequentibus assumptionem gypsi adusti seu cocti: accidentia assumptionem minij ex plumbo adusto facti consequentia, sunt similia accidentibus lithargyri.

CAVSAE accidentium consequentium assumptionem minij vtroq; modo facti, sunt etiam consimiles causis accidentium consequentium assumptionem gypsi & cerussæ & lithargyri.

SIGNA quoq; assumptionis minij, similiter sunt consimilia signis assumptionis gypsi, cerussæ & lithargyri, nisi quòd præsertim in principio mediante vomitu vel secessu expellitur res rubea coloris minij.

PRAESERVATIO etiam ab assumptione minij, similiter est consimilis præseruationi ab assumptione cuiuslibet prædictorum.

CVRA autem est etiam consimilis: verùm cura minij facti ex cerussa adusta, similior est curæ cerussæ & gypsi præcipuè adusti. Cura verò minij ex plumbo adusto facti, est similior curæ lithargyri. Quæ autem ab auctoribus pro ipsius cura specialiter dicta sunt, statim infra describam. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Azurio vel minio velcinnabrio: Cura omnium supradictorum est eadem. Detur ergo in potu butyrum cum aqua calida, in qua semina rapæ sint bullita: & euomat post vomitum spontaneum. Deinde clysterizetur cum aqua mellis & oleo. Et eius bezaar, est spodium quod fit de ebore combusto datum in potu cum vino ʒ.ij.

De Calce. Cap. XII.

CAlx est cinis lapidum pręsertim viuorum, id est naturaliter generatorum, & testarum seu conchyliorum animalium seu corporum ostracosorum. Duplex autem est calx: quædam enim est calx viua, id est non extincta: quædam verò est calx extincta. Et calx extincta, adhuc est duplex: quędam nanq; est recenter extincta: vtputa cum aqua non pertransiēs tempus multarum horarum: quædam verò est extincta cum aqua pertransiens duos vel tres dies. Et iterum quædam est calx lota: quædam verò non lota.

NATVRA calcis viuæ, calida est & sicca in quarto gradu. Et est adustiua, inflammatiua, mordicatiua & cauterizatiua: & non est propriè venenum, sed est medicina mortifera. Et calx prædicta facta ex lapide præcipuè denso ac compacto valde, vtputa, ex marmore, vel sibi consimili est efficacior calce facta ex testis seu conchylibus ostracosorum. Et quanto calx fit ex lapidibus seu conchylibus magis densis & magis compactis, tanto est fortior. Natura calcis extinctæ cum aqua recenter, hoc est non pertransiens multas horas, est similis naturæ calcis viuæ diminuta parumper in caliditate & siccitate. Natura verò calcis aqua extinctæ, postquàm pertransierint duo vel tres dies, adeò est à natura calcis viuæ diminuta quòd ipsa non est medicina mortifera: & quāto diutius stetit post eius extinctionem, tanto magis à natura calcis viuæ declinat. Natura calcis lotæ consimiliter, non est medicina mortifera: natura verò aquę, cum qua calx fuit lota, calida est & humida, & est putrefactiua: & hoc intellige si aqua, cum qua calx fuit lota, fuit dulcis.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem calcis præcipuè non extinctæ, sunt siccitas oris & linguæ & dolor stomachi, & difficultas vrinę, & exitus calcis cum vrina, & solutio ventris sanguinolenta: & quandoq; frigiditas extremorum & syncope & præfocatio: & quandoq; vltra prædicta accidentia, accidunt aliqua alia ex accidentibus consequentibus assumptionem arsenici sublimati cum permistione modicæ battiturę æris superius dicta in primo cap. præsentis libri. Causa siccitatis oris & linguæ, est excellens calefactio & exiccatio facta à calce. Causa doloris stomachi, est fortis mordicatio à calce producta in ipso stomacho, in quo cum ipsa vigorosior est, primitus figitur. Causa difficultatis vrinæ, est opilatio viarum vrinæ facta à corpulentia ipsius calcis transeuntis per illas. Et aliquando etiam concurrit in causa vlceratio facta in ipsis vijs à dicta calce. Causa exitus calcis cum vrina, est virtus expulsiua viarum vrinæ expellens calcem transeuntem per illas. Causa solutionis ventris sanguinolentæ, est excoriatio facta in intestinis à cauterizatiua & mordicatiua virtute calcis. Causa frigiditatis extremorum, est reuocatio caloris ad interiora facta propter dolorem præcipuè stomachi vel intestinorum, vel viarum vrinæ productum à calce, aut propter excessiuam calcis caliditatem resoluentem calorem & spiritus. Et ista eadem causa, est causa syncopes. Causa præfocationis, est cursus materierum ad guttur, & ad circumstantia membra factus ab adustione calcis dictis partibus contingente. Causæ aliorum accidentium, vltra prædicta similium accidentibus contingentibus ex assumptione arsenici sublimati, sunt causæ eorum accidentium prædictæ in 1. cap. pręsentis libri.

SIGNA assumptionis calcis, sunt accidentia prænarrata, & diligens inquisitio facta, suspicari faciens de calcis assumptione.

PRAESERVATIO à calcis assumptione completur specialiter omnem habendo cautelam, ne suspecta persona valeat eam vllatenus propinare.

CVRA assumptionis calcis, est ferè similis curę assumptionis arsenici sublimati & argẽti viui sublimati cum aliorum permistione superius enarratæ, specialiter procurando statim in principio vomitũ cum frigidis & humidis, vtputa cum aqua tepida decoctionis violarum & maluæ, iuleb violato & oleo oliuarum dulci & consimilibus, & leniendo ventrem cum decoctione seminis lini, seminis psyllij, violarum & consimilium: & cum consimilibus faciendo clysteria addendo oleum violatum, oleum nenufarinum & consimilia: & bibendo lac frequenter & præcipuè lac pingue, vt est vaccinum & pecorinum: & sumendo de butyro recenti & de iuribus pinguibus, præcipuè in quibus decocta fuerit malua, & de apibus: subueniendo consequenter superuenientibus accidentibus cum eis, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Quæ autem ab eis pro huiusmodi cura specialiter dicta sunt, statim infra describam. Rasis 20. Continentis, cap. 2: Ex calce & arsenico coadunatis, vtrunq; facit dolorem & acquirit vlcera intestinorum. Cura eius, est sumere aquam decoctionis seminis lini, oryzę & erucę, & bibere lac. Cura arsenici & calcis, est cum mucillaginosis & viscosis ad prohibendum ne fiat corrosio in interioribus corporis, sicut cum mucillagine maluę, seminis lini, lacte & brodijs vnctuosis. Rasis 8. Almansoris, cap. de His quibus in potu calx & arsenicum insimul aut arsenicum sublimatum aut concia, id est aqua saponis data fuerit, aut in cuius guttur puluis arsenici aut calcis intrauerit: Est aqua calida multoties cum iuleb danda, donec ex eis quàmplurimũ lauetur: deinde aqua oryzæ, aut hordei, aut his similia, quæ intestinorum vlceribus conferunt, tribuantur, ex quibus & clysterizari conuenit. Cum autem accidit tussis nociua, ex rebus lenibus erit medicanda. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2. cap. de Potu calcis:

Curatio eius eſt, ſicut curatio potationis arſenici æqualiter, ſicut cum ſumptione pinguium & butyri vaccini: & bibat etiam oleum roſaceum miſtum cum iuleb & faciat vomitum. Et ſi remaneat de ea reſiduum in inteſtinis clyſterizetur cum fœnugræco & oleo ſiſamino, & bibat poſt hæc tertiam partem ʒ.i. fellis ceruini. Auicenna quarto ſui Canonis medicinæ, fen vi. cap. de Potu calcis & arſenici: Incipiat cum eo quod oportet: deinde detur in potu aqua calida cum iuleb, vt euomat cum oleo: deinde ſumat decoctionem ſeminis lini, & decoctiones ſeminis oryzæ, & decoctionẽ erucæ & aggregationem amborum, aut ſuccum molochiæ, id eſt maluæ cum melle. Et non ceſſet ſumere in potu lac & mucillagines & viſcoſa, & vnctuoſa, & iura cum adipibus & propriè cũ maluis: & curetur tuſsis cum accidit ei cum lenitiuis. & cura calcis, eſt vomitus & clyſteria, & vnctuoſitas & lenificatio: & cura eius, eſt proxima curæ arſenicorum: & de illis quæ dicuntur in hoc eſt, vt ſumatur vrina aſini & fel gazeli: & detur in potu quantitas tertię ʒ.i. cum aqua calida. Haliabas in Regali diſpoſitione quarto Practicæ, cap. vltimo, ſcilicet de Eius medicina qui plumbi ceruſſam biberit, calcem, ſulfur, & saponẽ & ziniar & zezi & alumen: Calcem & ſulfur & aquam ſaponis, qui biberit, aut in eius guttur, eorum quid plurimum fuerit ingreſſum pulueris, ſcilicet calcis vel ſulfuris, ardor fit in ſtomacho, & inciſio, torſioq;, & in inteſtinis vlcera: patienti ergo da oleum ſiſami, aquamq; calidam aut butyrum calidum, & euomat: & ſic illi gallinæ ius porrige pinguis cum amygdalarum oleo: & cum eodem ptiſſanam bibat, vel ſeminis pſyllij ſpumam cum ſeminis cucurbitæ oleo: clyſterizes illum cum hordei aqua, & oleo violato, in quibus iuiubas decoxeris, & ſebeſten cum ſeminis pſyllij, vel lini lahabo, id eſt mucillagine, & oui albumine: & cum tuſsis ei acciderit, curetur cũ potibus inuiſcantibus. Sic & cuius in gutture multus intrauerit puluis (ſupple ziniar, vel zagi vel aluminis) & ziniar id eſt viride æris, & zazum, id eſt zezi, id eſt vitreolum cum biberit, & alumen, propinetur ei lac recens, & lactis pinguedo ouium: prodeſt enim. Guilielmus de Placentia in ſua Practica, lib. 3. parte ſecunda, cap. 7: Curatur propriè calx cum clyſteribus vnctuoſis lenificatiuis, & quod valet in hoc eſt vrinæ aſini ʒ.i. & fellis gazell, id eſt caprioli parum, quando datur cum aqua calida.

De Sapone & aqua Saponis. *Cap.* XIII.

SApo fit ex calce viua, & oleo & aqua ſeu lixiuio cineris alkali remanente ſubſtantia calcis & olei & virtute aquæ cineris prædicti ſiue lixiuij. Aqua ſaponis, eſt lixiuium factum ex aqua & cinere alkali.

NATVRA ſaponis, calida eſt & ſicca, ſimilis naturæ calcis, declinans tamen ab ea in caliditate & ſiccitate ratione olei ingredientis calcem, & eſt putrefactiua & vlceratiua. Natura aquæ ſaponis calida eſt & ſicca ſimilis naturæ cineris alkali, qui calidus eſt & ſiccus in quarto gradu, declinat tamen à caliditate & ſiccitate cineris dicti propter admiſtionem aquæ, ſicut ſapo declinat à caliditate & ſiccitate calcis propter admiſtionem olei: diuerſificatur autem dicta aqua ſaponis in maiori vel minori caliditate & ſiccitate ſecũdum maiorem, vel minorem cineris prædicti cum aqua permiſtionem: quanto enim pluris cineris fit permiſtio, tanto aqua prædicta calidior eſt & ſiccior.

De Chalcantho & alumine. *Cap.* XIIII.

VItriolum minerale ab auctoribus diuerſis nominibus nuncupatur, appellatur nanq; aliquando vitriolum, ſeu vitreolum, aliquãdo chalcanthum, aliquando colcotar, aliquando caladis, aliquando atramentum ſutorium, aliquando draganthum, aliquando zez ſeu zezi, & aliquando alſurie: Vitrioli ſeu atramẽti ſeu zezi, quatuor ſunt ſpecies principales: quoddam nanq; eſt citrinum,

trinum,& tale dicitur colcotar, quoddam est citrinum album, & tale dicitur calcadis,quoddam est viride,& tale dicitur calcathum: quoddam verò est rubeum,& tale dicitur alsurie,& attramentum rubeum:quoddam tamen est medium inter has species,& illud ad illam speciem reducitur,cui magis appropinquat. Aluminis quod est minerale quoddam,plures sunt species:nam quoddam est quod dicitur vulgariter Venetijs alumen de pluma, quoddam dicitur alumen de rocca,quoddam dicitur alumen de sorta: quoddam est quod dicitur alumen scaiola:quoddam dicitur alumen zucharinum, quod artificialiter fit ex alumine de rocca & albumine oui, & quoddam est alumen humidum. Multa alia dicuntur alumina,quæ non sunt alumina propriè: verùm auctores asserunt tres esse aluminis species principales.Prima est alumen iameni, seu alumen scissum,quod dicitur alumen de pluma.Secunda species est alumen rotundum tale naturaliter existens, & de hac specie est alumen de sorta. Tertia species,est alumen humidum.Cæteræ verò species sub his reponi possunt.

NATVRA cuiuslibet speciei vitrioli & cuiuslibet speciei aluminis, calida est & sicca in tertio gradu:vitriolum tamen vltra caliditatem & siccitatem eius,habet virtutem adustiuam & escaræ productiuam.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem cuiuslibet prædictorũ, scilicet vitrioli & aluminis,sunt tussis sicca:& aliquando phthisis vera, scilicet cum vlcere pulmonis & aliquando phthisis non vera, scilicet extenuatio nimia,siue consumptio totius corporis,siue marasmus. Causa tussis siccæ,est caliditas & siccitas vitrioli,& aluminis exacuens materias in pulmone contentas pungentes,postea ipsum & stimulantes eum,cõmouendo tussim siccam, pręcipuè cum materiæ in pulmone contentæ,sunt valde modicę quantitatis. Causa phthisis veræ, scilicet vlcerationis pulmonis,est acuitas adustiua & escaræ productiua cõmunicata à vitriolo, & ab alumine materiebus seu humiditatibus existentibus in pulmone ipsum postea vlcerantibus. Causa phthisis non veræ siue marasmi, est caliditas & siccitas à quolibet prædictorum in totum corpus inducta,ipsius humiditates consumens, & consequenter ipsum extenuans ac marasmans.

SIGNA assumptionis cuiuslibet prædictorum, sunt præfata accidentia omnia vel ipsorũ aliqua vel aliquod,& diligens informatio habita de ipsorum rei alicuius eorum assumptione.

PRAESERVATIO ab assumptione cuiuslibet eorum fit diligentem apponendo cautelam,ne ad suspectę personæ manus posit prædictorum aliquod peruenire.

CVRA assumptionis cuiuslibet prędictorum,est satis similis curæ arsenici sublimati,& curæ calcis.Procurare igitur debes in principio vomitum cum his,quæ laudantur in causis prædictorum,& consequenter clysteria sunt fienda in dictis causis prælaudata,consimilem etiam iniungendo diætam, & conclusiuè cum frigidis humidis est procedendum,accidentibus subueniẽdo cum illis,quæ ab auctoribus in proprijs cap.cõmendantur,pręeligendo semper ea, quæ frigido & humido attestantur:quæ tamen ab auctoribus dicuntur pro cura cuiuslibet prædictorum,statim infra describam. Rasis 8.Almansoris, cap. de His qui multum aluminis,aut dracanthi biberunt.Ex istis duobus tussis sicca adeò nociua sequitur quòd ducit ad phthisim:lac igitur cum saccharo & butyro crudo patienti est dandum: hoc nanque omnibus medicinis magis conueniens est. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2.cap.de Potu vitrioli & aluminis:Curatio ipsorũ est,cum potu lactis & cum saccharo, aut cum potu sacchari cum oleo rosaceo, aut cum butyro. Auicenna quarto sui Canonis medicinæ,fen vi.cap.de Dracantho & alumine:Commouetur ex potu

amborum tussis vehemens perducens ad phthisin. Cura eorum, est potare lac asininum, & butyrum crudum & saccharum, & syrupos de hyssopo & similia.

Haliabas in Regali dispositione quarto Practicæ, cap. vltimo: Sic & cuius in gutture multus intrauerit puluis & ziniar, id est viride æris & zagum, id est zezi, id est vitriolum cum biberit & alumine, propinetur ei lac recens, & lactis pinguedo ouium: prodest enim. Guilielmus de Placentia in sua Practica libro 3. parte secunda, cap. 7: Accidit ex potu aluminis & draganthi tussis vehemens perducens ad phthisin. Cura eorum, est sumere continuè lac asininum, & potare butyrum crudum, & saccharum & syrupum de hyssopo, & similia. Christophorus de Honestis in suis problematibus de Venenis, problemate de Alumine: bezaar huius, est iuleb violaceū factū cum aqua violarū distillata.

De Sulfure. Cap. XV.

DVplex est sulfur: quoddam enim est sulfur viuum, quod de minera purificatum extrahitur: quoddam est sulfur non viuum, quod ex terra mineræ sulfuris mediante artificio per ignem purificatum fuit.

NATVRA cuiuslibet sulfuris calida est & sicca in quarto gradu: & est subtilis.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius cōsequentia, sunt fortis calor in corpore, & dolor in hepate, & torsio intestinorum, & grauedo linguæ, & stomachi, & solutio plurima ventris. Causa fortis doloris in corpore, est excessiua caliditas sulfuris. Causa doloris in hepate, est excessiua supercalefactio eius, & sanguinis in ipso generati. Causa torsionis intestinorum, est mordicatio facta à subtilitate substantiæ sulfuris excessiuè calida & sicca in ipsis intestinis. Causa grauedinis linguę & stomachi, est siccitas superflua in ipsis inducta, propter quam ipsa redduntur grauia, id est ad motum inepta. Causa solutionis plurimę ventris, est mordicatio siue punctio & vlceratio facta in intestinis à superflua caliditate & siccitate ac subtilitate substantiæ sulfuris, propter quod intestina & ventris musculi incitantur ad faciendum fluxum.

SIGNA assumptionis sulfuris, sunt accidentia prænarrata & diligens informatio habita de sulfuris assumptione.

PRAESERVATIO ab ipsius assumptione perficitur diligentem habendo cautelam, ne ad suspectæ personæ manus sulfur peruenire queat.

CVRA huius, est ferè similis curæ argenti viui sublimati cum aliorum permistione, & curæ calcis prædictis in cap. proprijs. Et ideo pro cura huius recurre ad illa cap. Quæ verò pro ea in speciali ab auctoribus describuntur, statim infra describam. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu sulfuris: Signum excessus potionis ipsius, est fortis calor in corpore, & dolor in hepate. Curatio eius, est cum potu secaniabin saccharini, id est syrupi acetosi simplicis, & succo granatorum, & malorum, & ptissana hordei. Plinius Secundus de Naturali historia, libro 28. cap. de Medicinis ex lactis vsu: Datur lac asininum contra gypsum & cerussam, & sulfur, & argentum viuum. Haliabas in Regali dispositione 4. Practicæ, cap. vltimo: Calcem autem & sulfur & aquam saponis qui biberit, ardor fit in stomacho & incisio torsioq́; & intestinis vlcera. Patienti ergo da oleum sisami, aquamq́; calidam, aut butyrum calidum, & euomat. Et sic illi gallinæ ius porrige pinguis, aut cum amygdalarum oleo, & cum eodem ptissanam bibat, vel seminis psyllij spumam cum seminis cucurbitæ oleo: clysterizes illum cum hordei aqua & oleo violaceo in quibus iuiubas decoxeris, & sebesten cum seminis psyllij, vel lini lahabo, id est, mucillagine & oui albumine: & si tussis ei acciderit, curetur cum potibus inuiscantibus. Christophorus de Honestis in suis Problematibus de Venenis, problemate de sulfure: Bezaar sulfuris, est crystallus tritus datus in potu cum vino: dosis est ʒ.i.

De Sale ammoniaco. Cap. XVI.

SAl ammoniacum, est minerale quoddam quod ex lapidibus duris & claris extrahitur.

NATVRA eius, calida est & sicca in fine tertij gradus: & aliqui ponunt ipsum esse calidū & siccū in quarto gradu, & est subtiliatiuus, & liquefactiuus.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius consequentia, sunt vehemens calor in gutture, & lingua, & morsus in stomacho & vehemens sitis. Causa vehementis caloris in gutture & lingua, est vehemens caliditas eius, subtilitati & penetrabilitati coniuncta. Causa morsus in stomacho, est salis ammoniaci caliditas & siccitas mordicatiua. Causa vehementis sitis, est caliditas & siccitas eius consumptiua humiditatis roridæ in ore stomachi existentis.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata & diligens informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO ab eius assumptione perficitur diligentem habendo cautelam, ne de ipso ad suspectæ personæ manus aliquid peruenire possit.

CVRA eius, consimilis est curæ arsenici sublimati & argenti viui sublimati & calcis & sulfuris: & ideo pro hac cura recurre ad prædicta cap. quid autem super hoc scriptum inuenerim, infra describam. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2. cap. de Potu salis ammoniaci: Signum eius potionis est, quia superuenit ei vehemens calor in gutture, & lingua, & morsus in stomacho cum vehementi siti: & curatio eius, æqualis est curationi potus arsenici, supple, sublimati.

De Borace. Cap. XVII.

BOrax dicitur Arabicè tincar, & dicitur ab aliquibus capistrū auri: quia eo mediante aurum auro coniungitur, & est duplex: quoddam nanque est minerale, & illud est duplex: quia quoddam reperitur in minera purificatū: quoddam autem per artem purificatur à terra secum admista: quoddam autem est artificiale, & hoc diuersimodè fit: quoddam nanque fit ex tartaro & sale adustis præcipuè cum vrina infantium: quoddam verò aliter.

NATVRA eius, calida est & sicca in quarto gradu.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem boracis, sunt similia accidentibus consequentibus assumptionem argenti viui extincti seu sublimati & etiam arsenici sublimati. Causæ accidentium sunt etiam omnino consimiles: & ideo pro dictis accidentibus & eorum causis, recurre ad cap. prædictorum.

SIGNA assumptionis boracis, sunt accidentia prænarrata, & iusta suspicio de ipsius assumptione diligenti inquisitione præmissa.

PRAESERVATIO ab ipsius assumptione perficitur diligentem apponendo cautelam, ne ad suspectæ personæ manus aliquid de borace perueniat.

CVRA verò, est similis curæ argenti viui extincti, aut sublimati, & arsenici sublimati: & ideo pro huius cura recurre ad cap. prædictorum: quæ autem pro eius cura dicta sunt, statim infra describam. Rasis 8. Almansoris, cap. de His, qui in potu sumpserunt argentum viuum, & vzifur & tincar, id est boracem: Ex vzifur, supple artificiali, id est cinnabari & tincar, id est borace, seu capistro auri accidunt, quæ ex argento viuo extincto. Tincar tamen, deterior existit: quàmplures etiam dicunt quòd ex eo nemo euadit. Cuius tamen cura est, vt argenti viui, supple, extincti, vel sublimati & arsenici, supple sublimati.

De Aere, squama æris, flore æris, ære usto, & ærugine. Cap. XVIII.

AEs est metallum notum, quod ex terræ mineris extrahitur, sicut cætera metalla, diuersificatur autem parumper naturaliter in colore: quoddam

nanque est rubeum ad citrinitatem declinans: quoddam est rubeum clarum: quoddam est rubeum ad nigredinem declinans. Diuersificatur etiam artificialiter: quia quoddam mediante artificio, fit coloris auri: quoddam verò aliqualiter ab illo diuersificatur: & tale orichalcum dicitur. Scoria seu squama, seu battitura æris, est superficiale æris minus ære tenax: quæ malleo percutiendo seu battendo æs, ab ipso segregatur. Aerugo seu flos æris, est id quod post æris purificationem artificialiter factam præcipuè cum aqua dulci super ipsius superficie oritur. Aes vstum vel incensum, seu χαλκὸς κεκαυμένος, est æs artificialiter per ignem adustum. Et hoc aut simpliciter per se solùm per continuatam & longam ipsius adustionem, aut cum superpositione sulfuris viui, & salis subtilissimè puluerizatorum: aut cum superpositione aluminis & salis: aut cum superpositione sulfuris viui & aluminis cum forti aceto tritorum vel consimiliũ. Viride æris, seu ziniar, seu ὁ ἰὸς in ære, id est venenum in ære, est illud viride, quod ex irroratione æris, seu laminarum eius cum aliquo acuto præcipuè cum aceto aut vapore eius in superficie fit.

NATVRA æris, calida est & sicca in tertio gradu & est venenosa. Natura scoriæ seu squamæ seu battituræ æris, similis est naturæ æris, sed est magis subtilis & magis abstersiua, & magis resolutiua, & magis venenosa: & est ventris solutiua & vomitus prouocatiua & corrosiua. Natura æruginis, seu floris æris, similis est naturæ scoriæ seu squamæ seu battituræ æris, sed est malignior. Natura æris vsti seu χαλκοῦ κεκαυμένου similis est naturæ suprascriptorum: verùm ipsa est calidior & siccior & subtilior & malignior ac venenosior, adeò vt poni possit calida & sicca in quarto gradu, siue ipsum fuerit per se simpliciter vstum, siue cum aliorum permistione. Natura viridis æris, seu ziniar, similis est naturæ æris vsti, seu χαλκοῦ κεκαυμένου, sed est adhuc calidior & malignior ac venenosior.

ACCIDENTIA consequentia comestionem seu potationem ciborum vel potuum, præsertim acrium vel dulcium, vt sunt specialiter vina dulcia: & comestionem vel potationem eorundem decoctorum, vel qui diu steterint in vasis æris præcipuè frequẽtato vsu, sunt cancer & lepra, & malitia complexionis calidæ & siccæ. Accidentia consequentia assumptionem æris, sunt siccitas oris & totius corporis, & dolor stomachi & ventris, & vomitus & fluxus ventris, & vlcera seu vulnera intestinorum aliquando: & aliquando opilatio pulmonis, & difficultas anhelitus & suffocatio. Accidentia consequentia assumptionem scoriæ seu squamæ, seu battituræ æris, sunt aliqualiter intensiora accidentibus consequentibus assumptionem æris. Accidentia cõsequentia assumptionem æruginis seu floris ęris, sunt adhuc intensiora accidentibus cõsequentibus assumptionem scoriæ seu squamæ seu battituræ æris. Accidentia consequentia assumptionem æris vsti vel incensi seu χαλκοῦ κεκαυμένου, sunt adhuc intensiora accidentibus consequentibus assumptionem æruginis seu floris æris. Accidentia consequentia assumptionem viridis æris seu ziniar, sunt adhuc intensiora accidentibus consequentibus assumptionem æris vsti, adeò vt ferè sint similia accidentibus consequentibus assumptionem arsenici sublimati. Causa cancri & lepræ & malitiæ complexionis calidæ & siccæ, est mala complexio calida & sicca æris venenosa, corrumpens præcipuè complexionem hepatis calefaciendo ipsum & exiccando, propter quod generatur sanguis melancholicus, adustus, generans cancrum & lepram: & propterea etiam generatur mala complexio calida & sicca in toto corpore communicata cibis & potibus in vasis æris decoctis seu existentibus & commorantibus præsertim diu in ipsis à caliditate & siccitate venenosa æris ex quo dicta vasa sunt condita. Causa siccitatis oris & totius corporis consequentis assumptionem æris, est

mala complexio calida & sicca æris. Causa doloris stomachi & ventris, est mordicatio & corrosio stomacho & intestinis inducta à venenosa caliditate & siccitate æris. Et hæc eadem est causa vomitus & fluxus ventris & vlcerum & vulnerum intestinorum aliquando. Causa opilationis pulmonis, est siccitas & corrugatio & consequenter constrictio substantiæ pulmonis & cannularum eius producta à venenosa siccitate æris, propter quod opilatur siue constringitur pulmo. Ad quam equidem opilationem siue constrictionem pulmonis & cannularum eius, sequitur difficultas anhelitus & aliquando suffocatio. Et si contingeret quòd in pulmone reperirentur humiditates superfluæ, siccitas & corrugatio & constrictio prædictæ substantiæ pulmonis & cannularum eius, essent causa maioris opilationis in ipsis & maioris difficultatis anhelitus, & maioris suffocationis propter expreßionem earundem humiditatum superfluarum ad spongiositates pulmonis & cannularum eius. Ad quod etiam concurrere posset in causa caliditas liquefactiua venenosa æris liquefaciens prędictas humiditates superfluas in pulmone contentas.

SIGNA comestionis vel potationis ciborum vel potuum decoctorum, vel qui diu steterint in vasis æris, sunt accidentia consequentia prædicta, & diligens informatio habita. Signa assumptionis æris & scorię seu squamę seu batiturę eius & ęruginis seu floris eius, & ęris vsti vel incensi, seu χαλκȣ̃ κεκαυμένȣ & viridis ęris seu ziniar, sunt accidentia cõsequentia pręnarrata remißiora vel intensiora iuxta eorundem naturam pręd ictam: & diligens informatio habita de assumptione cuiuslibet eorum.

PRAESERVATIO ab omnibus supradictis, perficitur diligentem habendo cautelam, ne quis cibos vel potus decoctos, vel qui diu steterint in vasis ęris assumat, & consimiliter nec de ęre, nec de alio aliquo ex prędictis.

CVRA omnium prędictorum perficitur procurando in principio vomitum cum aqua tepida & oleo vel butyro & consimilibus: & faciendo clysteria ex decoctione maluę & violarum & oleo & butyro recenti & consimilibus, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Quæ autem pro cuiuslibet prædictorum cura ab auctoribus describuntur, statim infra describam. Rasis 20 Continentis, cap. 2. i'ȣ in ęre, id est veneni in ęre, id est viridis ęris aur. i. interficit per diem. Cura: detur butyrum & eius extremitates in aqua calida ponantur. Rasis 8. Almansoris, cap. de His, quibus ziniar in potu datum fuerit. Istis accidunt fortis dolor & vomitus & in intestinis vlcera, & in ore siccitas & excoriatio: hi igitur medicandi sunt, vt qui arsenicum, id est arsenicum sublimatum biberunt.

Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu ziniar & floris: Signum eius potionis est, quia insurgunt ei ex ipso siccitas vehemens & vomitus & vlcerationes intestinorum & rasura. Et eius curatio æqualis est curationi arsenici. Auicenna quarto sui Canonis medicinæ, fen sexta, cap. de Ziniar: Accidunt ex eo punctura vehemens, & mordicatio fortis in gutture, & incisio in visceribus & vlcera & vomitus. Cura, est similis curationi arsenici quam dicemus. Haliabas in Regali dispositione quarto Practicæ, cap. vltimo: Ziniar & zezi cum biberit & alumen, propinetur ei lac recens, & lactis pinguedo ouium prodest ei. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, capite de Scoria æris data in potu: Eius cura, erit balneum in quo bullita sint capita hircorum vel limacum: & dare in potu succum menthæ & vngere stomachum & ventrem cum oleo rosaceo calido. Eius bezaar, est succus acori, cuius bibantur drachmæ duæ cum vino. Cap. De χαλκῷ κεκαυμένῳ, id est ære vsto: Eius cura, erit statim cum vomitu procurato cum aqua calida, & sæpe reiterato: & deinde inijcere

clystere factum cum lacte asinino & oleo de amygdalis, deinde in potu de terra sigillata ʒ.i. cum vino albo, & deinde si non confert, fiat balneum in tina, vbi sit oleum oliuarum in tanta quantitate, quod attingat ad stomachum & quiescat, & detur ei ibidem de terra sigillata in vino: & fiāt remedia vt supra: Et eius bezaar est corallus rubeus tritus & datus in potu ʒ.ij.

De Ferro, scoria ferri, ferrugine, & aqua ferri. Cap. XIX.

FErrum, est minerale notū, quod duplex esse ponitur ab auctoribus: quoddam nanq; est taliter in minera repertum: quoddam verò est per artificium ex partibus mineræ eius extractum: & quodlibet prædictorum ponitur esse trium specierum: quoddam nanq; est ferrum simpliciter nominatū, quoddam verò dicitur chalib, & hoc est duplex: quia quoddam est purius, & quoddam impurius: & quod dixi de ferro consimiliter dico de limatura eius, quia idem sunt. Scoria ferri, est sicut cortex ferri: & battitura ferri, seu squama eius, est de essentia scoriæ, seu similis ei. Aerugo ferri, est rubigo quæ oritur super ferro, Aqua ferri stillati, est aqua ex ferro facta alchimistarum artificio.

NATVRA ferri, iuxta præcipuè Rasim 21 Continentis, cap. de Ferro, auctoritate filij Mesue, calida est & sicca in tertio, & consimilis virtutis est limatura eius. Cōsimilis etiam virtutis, licet efficacioris, est scoria seu squama, seu battitura ferri, & ærugo ferri, & aqua ferri stillati. Et generaliter dico, quòd natura ferri & scoriæ & squamæ seu battituræ, & æruginis ferri, similis est naturæ supradictæ æris, & scoriæ & squamæ seu battituræ & æruginis eius: verùm ipsa non est ita venenosa, siue mortifera, imo in compositione quarundam medicinarum compositarum pro cura quarundam dispositionum ingreditur limatura ferri. Et iuxta Auicen. secundo sui Canonis medicinæ, cap. de Scoria: Scoria ferri confortat stomachum & exiccat superfluitates eius, & remouet mollificationem quando in potu datur in vino antiquo: & scoria ferri, est sicca in tertio: & scoria æris est ei propinqua: reliquæ verò scoriæ sunt minus calidæ. Ex quibus equidem dictis liquidè cōstat error Christophori de Honestis in suis problematibus de Venenis, cap. de Scoria & ærugine ferri, vbi ferrum asserit esse frigidum.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem cuiuslibet prædictorū præsertim in notabili quantitate, sunt dolor vehemens in ventre & siccitas oris & totius corporis & inflammatio & fortis seu superans dolor capitis. Causa doloris vehementis in ventre, est corrosio & mordicatio facta in ipso à quolibet prædictorum mediante eorum caliditate & siccitate corrosiua & mordicatiua. Causa siccitatis oris & totius corporis, est consumptio & exiccatio humiditatum, præcipuè roridarum oris & totius corporis facta à caliditate & siccitate cuiuslibet prædictorum, præsertim assumptorum in notabili quantitate. Causa inflammationis, est superflua caliditas cuiuslibet prædictorum. Causa fortis & superantis doloris capitis, est ascensus vaporum ad caput factus à superflua caliditate prædicta.

SIGNA assumptionis cuiuslibet prædictorum, sunt accidentia prænarrata fortiora consequentia ex assumptione scoriæ & battituræ ferri, quàm ex assumptione limaturæ eius: & adhuc fortiora cōsequentia ex assumptione ærugi nis eius, & diligens informatio habita de assumptione cuiuslibet prędictorū.

PRAESERVATIO perficitur omnem apponendo cautelam, ne persona suspecta possit præsertim cōmodè prædictorum aliquod propinare.

CVRA perficitur procurando in principio vomitū iuxta posse, & approximando clysteria primitus humectantia, & postmodum educentia: & si non sufficerent dare fortia solutiua vtendo cibis & potibus frigidis & humidis, & subueniendo accidentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur:

rantur, quæ autem ſpecialiter pro cuiuslibet prædictorum aſſumptionis cura dicuntur, ſtatim infra deſcribam. Serapio in lib. de Simplicibus, cap. de Lapide magnetis, auctoritate Meſarugiæ: Eſt bonus illi, qui tranſglutit acum vel aliquod ferrum, & illi qui habet fluxum ventris, eo quòd ſumpſit ſcoriam ferri, & eſt ſiccus multum. Raſis 23. Continentis, cap. de Calamita: Calamita Arabicè magnes, dixit Meſue, valet ad bibentem limaturam ferri. Cap. de Manna: Manna, dixit Meſue, valet ad bibentem ferri limaturam. Raſis octauo Almanſoris, cap. de His, quibus ferri nocuit ferrago, id eſt ærugo, vel ſcoria ferri, aut eius limatura in potu data fuerit: Accidunt illis in ventre fortis dolor, & in ore ſiccitas, inflammatio atq; in capite fortis dolor, quibus lac cum aliquibus vehementer laxantibus dari conuenit, deinde butyrum crudum & coctum ad bibendum tribuatur, donec ſymptomata ſedẽtur. Caput verò oxyrhodino, id eſt aceto miſto cum oleo roſaceo, vel aceto roſaceo, cum ῥοδοστάγματι, id eſt, liquore roſarum infundendum erit: confert enim his, ſi Deus voluerit. Albucaſis ſecunda particula Azarauij, tractatu 2, cap. de Potu ferruginis ferri, aut eius limatura: Curatio eius, eſt quòd bibat lac cum aliquo laxatiuorum fortium: deinde bibat butyrum coctum, donec huiuſmodi accidentia ſedẽtur: & liniat caput infirmi cũ oleo roſaceo & aceto & aqua roſacea. Curatio eius, qui ſumpſerit eius limaturam, eſt quòd accipiatur de lapide magnetis & teratur optimè & bibant ex eo ʒ.i. cum vino: hoc enim educet ipſam. Auicẽna ſecundo Canone, cap. de Magnete: Magnes, eſt lapis qui trahit ferrum: datur in potu ad bibitionem limaturæ ferri: ipſe enim extrahit ipſum, & aſſociatur ei apud exitum. Auicenna quarto ſui Canonis medicinæ, fen vi. cap. de Limatura ferri & eius ſcoria: Cura, eſt dare in potu lac, cum eo quod ſoluit cum fortitudine: deinde detur in potu butyrum coctum & crudum, tandiu donec ſedentur diſpoſitiones illæ: & aſsiduetur effuſio olei roſacei, & olei violacei, & olei de ſalicibus conquaſſatorum cum aceto ſuper capita eorum: & quandoq; datur in potu potanti ipſam aliquid de magnete, vt aggregetur illud quod ſeparatum eſt ad ſeipſum: deinde conſequenter adhibeantur ſolutiua prædicta: & quandoq; datur ei in potu ex ipſo omni die pōdus ʒ.i. deinde dantur ei ad ſorbendum poſt ipſum iura vnctuoſa lubrificantia cum butyro vaccino cocto, vt ſolutio ventris fiat, ſi fuerit deſcendens, aut euomat ipſum cum eis, ſi eſt adhuc in ſtomacho. Auerroes quinto Colliget, cap. de Narratione medicinarum abſolutè & earum operationibus: Balſamus valet contra aquam ferri diſtillatã: & doſis eius eſt à tertia parte drachmæ vſq; ad vnam. Guilielmus de Placentia tertio ſuæ Practicæ, parte ſecunda cap. 7: Cura, dare conuenit lac cum eo quod ſoluit cum fortitudine, vt eſt puluis pilularum fœtidarum, vel ſtomatícharum: & poſt illud ſumat butyrum coctum & crudum tandiu, donec diſpoſitiones malæ ſedentur: & aſsiduetur effuſio olei roſacei, & olei violacei & olei de ſalicibus miſtorum cum aceto ſuper eorum capita: & patiens ſumat aliquid de magnete, vt aggregetur illud quod eſt ſeparatũ ſupra ſeipſum: deinde conſequenter adhibeantur ſolutiua: & datur quandoq; de magnete infirmo ʒ.i. in potu: & poſt illud dantur ad ſorbendum iura vnctuoſa lubrificatiua cum butyro vaccino cocta, vt fiat ſolutio vẽtris ſi fuerit deſcẽdens, vel vt euomat ipſum cum eis, ſi in ſtomacho adhuc fuerit. Petrus de Abano in ſuo tractatu de Venenis, cap. de Scoria ferri data in potu: Eius cura, eſt humectare totum corpus cum balneis, in quibus teſtudines ſint bullitæ: & clyſterizare ventrem cum decoctione pedum hœdorum, aut cum aqua maluauiſci, & comedere butyrum recens & iura pinguia: eius bezaar, eſt lapis magnetis tritus & datus in pilulis cum tantundem de ſucco mercurialis & bliti in modum pilularum. Et ſit doſis magnetis in vice ʒ.i.

De Lapide Armeno, qui corallo similis est. Cap. XX.

LApis Armenus corallo similis, est lapis quidam in Armenia repertus, similis corallo, qui non est lapis Armenus, de quo illustres auctores de simplicibus tractantes faciunt mentionem.

NATVRA eius, est ex proprietate sua protinus venenosa, adeò, vt exhibitus in quantitate ℈.s. interficiat: & inter venena propriè dicta cōnumeratur, eo quòd per eius proprietatem & non per complexionem elementarem principaliter operatur & prauitate sua æquiparatur napello.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius principaliter, sunt frigiditas extremitatum, sincope & mors. Causa prædictorum accidentium, est læsio ex assumptione ipsius cordi cōmunicata, ob pessimam præfati lapidis proprietatem, propter quam cordis læsionem accidit frigiditas extremitatū propter retractionem spirituum ad cor, ab ipso corde factam, ad quam accidit sincope, & consequenter mors.

SIGNA assumptionis prædicti lapidis, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de assumptione prædicti lapidis.

PRAESERVATIO perficitur omnem adhibendo cautelam, ne dictus lapis vllatenus assumatur, nec ad suspectæ personę manus peruenire posit.

CVRA verò fit cum his, quæ dicta sunt in 9. cap. primi libri, adhibendo principaliter medicinas, quæ earum proprietate venena curant: ipsa attamen permutando, vt si vna curam complere non posset, alia suppleat. Et si vna proprietatem non haberet effectus cōtrarij productiuam, approximetur alia quæ fortè illam haberet. Non enim tales proprietatū effectus, nisi experientia comprobantur. Eius tamen bezaar ponitur lapis bezaar. Et vniuersaliter eius cura ponitur esse cura napelli in sequenti libro, primo cap. describenda. Quæ tamē pro huiusmodi cura dicuntur, infra describam. Auicenna quarto sui canonis Medicinæ, fen vi. cap. de Lapide Armeno: Dixerunt quidam hominum, quòd in lapidibus est lapis venenosus similis corallo, & quòd pondus sextę ʒ.i. ex eo est interficiens: & inuenimus ipsum in venenis veris, quę operantur à tota substantia, sicut napellus. Et dixerunt, quòd cura eius est, cura napelli: Et medicinæ magis iuuatiuæ sunt albezaard, id est lapis bezaar, seu medicinæ bezaarticæ, quarū quidditates in fine decimi cap. primi libri superius declaraui. Guilielmus de Placentia, tertio suæ Practicę, parte secunda, cap. 7. Cura eius, id est lapidis prædicti, est vt vomat cum oleo de nucibus, & cum decoctione seminis napi, & butyro: & quòd post vomitum sumat theriacam magnam: vinum diamuscum & diamargariton & radices capparis, conferunt in hoc valde.

De Lapide lazuli & azurio. Cap. XXI.

LApis lazuli, est lapis mineralis, qui principaliter duplex reperitur: quidam nanq; reperitur in partibus orientis, habens in se maculas aureas: quidam verò reperitur in partibus Alemanię priuatus à maculis aureis: & istorum quilibet communiter cum lapide marchasita coniunctus reperitur, qui separatus à dicto lapide marchasita est azurini coloris: & tanto magis est azurini coloris, quanto melius separatus est à dicto lapide marchasita. Azurium autem, est præfatus lapis laxuli separatus à marchasita subtiliter puluerizatus, non ablutus, nec aliter alteratus: & hoc est azurium quod auctores intelligunt, cum de ipso in venenorum libris faciunt mentionem. Alia verò azuria, quibus pictores communiter vtuntur, sunt azuria facta ex prædictis lapidibus lazuli purificata & lota, quæ minimè sunt venenosa: sicut nec est venenosum azurium ex laminis argenti mediantibus vaporibus aceti & cæteris factum: vtuntur etiam pictores azurio facto ex indico & cerussa permistis: de quo minimè auctores de vene

de venenis tractantes intelligunt: vtuntur etiam alijs azurijs alchimiæ facti habentibus naturam eorum ex quibus fiunt: de quibus ad præsens non expedit facere mentionem.

NATVRA lapidis lazuli & azurij, de quo prædixi auctores intelligere, cum de venenis faciunt mentionem, calida est & sicca in tertio, & est abstersiua, putrefactiua, adustiua, vlceratiua, acuta cum aliquali stipticitate, & humoris melancholici solutiua & vomitiua: & hanc naturam intellige fore lapidis lazuli non loti, & similiter azurij non loti: lota nanque non sunt venenosæ naturę, imo ingrediuntur confectiones cordiales & confortantes.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem lapidis lazuli non loti & azurij non loti, sunt subuersio stomachi, & tristitia & dolorosa ventris solutio. Causa subuersionis stomachi & tristitiæ, est læsio ipsius stomachi facta à lapide lazuli non loto seu azurio non loto, propter eorum naturam siue virtutem acutam adustiuam, putrefactiuam, vlceratiuam & vomitiuam: propter quam equidem læsionem accidit vomitus siue subuersio stomachi & tristitia: & propter consimilem læsionem intestinis communicatam, accidit ventris solutio dolorosa.

SIGNA assumptionis cuiuslibet prædictorum, sunt accidentia pręnarrata & diligens informatio habita de prædictorum assumptione, & vomitus vel egestio rei azurini coloris.

PRAESERVATIO perficitur, diligentē habendo cautelam, ne prędictorū aliquod vllatenus assumatur, nec ad manus suspectę personę perueniat.

CVRA verò completur procurando pro posse prædictorū expulsionem in principio mediante vomitu, cum vomitiuis notis, & in processu mediante egestione facta præcipuè cum medicinis & clysteribus lenitiuis, & abstersiuis præcipuè frigidis, aut non notabiliter calidis, & cum assumptione in ieiuno quotidiana lactis recentis asinæ, & consimilium: quæ tamen pro cuiuslibet eorum cura dicuntur, statim infra describam. Petrus de Abano, in suo tractatu de Venenis, cap. de Lapide lazuli non loto dato in potu: Eius cura, est bibere lac recens asinæ omni manè vsque ad diem septimum, & comedere auellanas & auiculas assatas in speto seu veru: & eius bezaar, est carabe triti ʒ.ij. datæ in potu cum vino. Cap. de Azurio, vel minio, vel cinnabari dato in potu. Cura omnium supradictorum, est eadem: detur ergo in potu butyrum cum aqua calida in qua semina rapæ sint bullita, & euomat post vomitum spontaneum: deinde clysterizetur cum aqua mellis & oleo, & eius bezaar, est spodium quod fit de ebore combusto datum in potu cum vino ʒ.ij. In prędentibus cap. de cinnabari & minio clarè patuit differentem valde fore naturam cinnabari & minij à natura azurij: & ideo errasse mihi videtur Petrus de Abano ponendo curam azurij non loti: cuius curam existimo fore eandem cum cura lapidis lazuli non loti.

De Lapide magnete. *Cap.* XXII.

MVltiplex esse lapis magnes ponitur præcipuè ab Alberto Magno in suo de Mineralibus lib. 2. cap. de Magnete: quidam nanque est ferruginei coloris attrahens ad se ferrum, nisi à superposito adamante ligetur, aut succo allij vel cæpæ madefiat: & de hoc magnetis lapide à famosis simplicistis & lapidarijs auctoribus pertractatur: quidam ponitur esse lapis magnes, qui ab vno angulo trahit ferrū, & ab alio fugat: quidam ponitur esse lapis magnes, qui minimè trahit ferrum, sed ipse trahitur à ferro: quidam ponitur esse lapis magnes, qui attrahit carnes hominis: de quibus tribus vltimis non vidi aliquem pertractare, nisi solum Albertum loco præallegato asserentem Aristotelem, de secunda & quarta magnetis specie facere mentionem. Plinius verò Secūdus de

Naturali historia, lib. 36. cap. de Magnete, quinq; asserit esse magnetis species & vnam magnetis speciem, quæ trahit ad se alium magnetem.

NATVRA siue complexio lapidis magnetis ab auctoribus minimè graduatur. Prima tamen magnetis species ob eius proprietatẽ ab auctoribus multarum ponitur esse virtutum, & non asserunt esse ipsam venenosam, quinimo in cura assumptionis limaturæ ferri & scoriæ eius & aliquarum aliarum malarum dispositionum, asserunt esse vtilem. Serapio tamen in suo de Simplicibus, cap. de Magnete auctoritate Mesarugiæ, asserit ipsum magnetis lapidem esse multum siccum. Ab aliquibus autem auctoribus de venenorum cura tractantibus, lapis magnetis ponitur venenosus, intelligentibus, vt existimo, de alia lapidis magnetis specie præter primam. Et fortè intelligunt de prima ipsius specie non consolata, pręcipuè non lota: volentes fortassis quòd lapis magnes primæ speciei non lotus sit venenosus, lotus verò sit ad multa perutilis: sicut asserunt de lapide lazuli.

ACCIDENTIA principalia consequentia assumptionem lapidis magnetis, sunt melancholia, & melancholia lunatica. Causa prædicti accidentis melancholiæ, est siccitas & terrestreitas & turbulentia sanguini præcipuè & spiritibus prædictum lapidem assumentis inducta, præsertim ob dicti lapidis proprietatem & nimiam siccitatem, propter quam equidem sanguinis & spirituum pręcipuè siccitatem, terrestreitatem & turbulentiã, accidit læsio cordi & cerebro & hepati: pręsertim propter quam homo assumẽs dictum lapidem, efficitur melancholicus, & efficitur melancholicus lunaticus: quia tẽpore coniunctionis & oppositionis lunę, humiditates corporis deterius regulantur.

SIGNA assumptionis prædicti lapidis, sunt accidentia præfata, & diligens informatio habita de illius assumptione: & egressio eius per vomitum vel secessum.

PRAESERVATIO fit, omnẽ adhibendo cautelam, ne de præfato lapide ad suspectę personę manus peruenire possit, nec de ipso vllatenus assumat.

CVRA perficitur omnem apponendo possibilem modum, vt lapis prędictus à corpore expellatur: in principio quidem mediante vomitu facto, cum cum vomitiuis notis: in processu verò descendente dicto lapide magnetis ad intestina mediantibus clysteribus mollificatiuis & lubrificãtibus. Et si illa non sufficiunt mediantibus pharmacis congruentibus solutiuis, adeò vt pro posse assumptus lapis præfatus à corpore expellatur, postmodum verò adhibenda sunt ea, quę sanguinem & spiritus subtilient & clarificent nota ex dictis ab auctoribus in cap. de melancholia pręligendo ea, quę id operantur à proprietate cum temperamento complexionis eorum, aut saltem absq; eorum siccitatis excessu. Quę autem pro eius assumptionis cura dicta sunt, infra describam.

Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Lapide magnetis dato in potu: Eius cura est, vt detur in potu limaturæ auri & fragmentorũ smaragdi simul aur. s. aliàs ʒ. s. cum vino. Et clysterizetur cum lacte ouino & oleo de amygdalis dulcibus. Et eius bezaar, est smaragdus trita & data in potu tribus vicibus in nouem diebus, supple, de tertio in tertium diem.

De lapide Adamante. *Cap.* XXIII.

LApis Adamas ponitur præcipuè ab Euace in lib. de Lapidibus preciosis, quatuor esse generum, siue specierum, secundum quod in quatuor varijs regionibus reperitur: virtutibus attamen non asserit inter se differre, sed habere originem crystallinam.

NATVRA eius iuxta præcipuè Serapionem in suo de Simplicibus, cap. de Lapide Adamante frigida est & sicca in quarto gradu: Et habet proprietatem fran-

tem frangendi omne corpus, cui obuiat, præter plumbum & hircinum sanguinem. A plumbo nanque frangitur, & ab hircino sanguine frangitur & liquescit.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem præfati lapidis sunt, vt existimo, dolor fortissimus stomachi & intestinorum & sincope & mors. Causa doloris præfati, est fractio & solutio continui facta in stomacho & intestinis à proprietate lapidis adamantis, & etiam ab excessiua frigiditate & siccitate sua. Causa sincopes & mortis est læsio cordi communicata ob dolorem præfatum, & ob frigiditatem & siccitatem excessiuã naturale calidum & humidum extinguentem contrarietate sua.

SIGNA assumptionis præfati lapidis, sunt accidentia præfata, & diligens informatio habita de assumptione prædicti lapidis.

PRAESERVATIO ab assumptione præfati lapidis, fit diligentissimè præcauendo, ne de prædicto lapide ad manus suspectæ personæ perueniat, nec de eo vllatenus assumatur.

CVRA verò perficitur omnem adhibendo possibilem modum, vt statim lapis præfatus à corpore expellatur, mediante vomitu cum vomitiuis notis præcipuè calidis & humidis: vtputa cum butyro, oleo oliuarum dulci, brodijs gallinarum & castratorum pinguibus & cõsimilibus. Et hoc præsertim in principio, & postea mediantibus clysteribus lubrificatiuis præcipuè calidis & humidis factis ex consimilibus, vtputa ex oleo, pinguedinibus, butyro, brodijs pinguibus, præsertim decoctionis radicum maluauisci, seminis lini & consimilium. Postmodum verò dandum est in potu de sanguine hirci recenti vel sicco cũ brodio pingui gallinarum vel castratorũ, vel, si non abhorret, ipsius hirci: qui si prænutritus fuisset cum petrosillo, vel apio vel consimilibus diureticis, & cum potu vini valde clari & subtilis diuretici, vtilior valde foret. Et si prædicta non sufficerent, dandum est in potu de vero balsamo à quãtitate tertiæ partis ʒ.i. vsque ad ʒ.i. Et si tandem cum prædictis non compleretur cura, procedatur cum remedijs omnibus venenis generaliter conferentibus supradictis in 9. cap. primi libri: subueniendo consequenter vulneribus & consequenter vlceribus stomachi & intestinorum procedentibus ab assumptione lapidis adamantis, cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Quæ autem pro eius cura dicuntur, statim infra describam. Auerroes 5. Colliget cap. de Narratione medicinarum absolutè & earum operationibus: Balsamũ calidum est & siccum in secundo gradu: & oleum suum est multum subtile, nec habet multum calorem: Et eius proprietas est magna theriaca venenis, & valet cõtra adamantem bibitum &c. Et dosis eius à tertia parte drachmæ vsque ad vnam.

De Aqua mala. Cap. XXIIII.

VT malæ aquæ quidditas clarius innotescat: vtile mihi videtur sub compendio prænarrare principales conditiones bonæ aquæ, quas celeberrimi descripserunt auctores: & præcipuè Hippocrates 5. Aphorismorum aphorismo 27: Et in lib. de Aere, aqua & regionibus: Et Galenus in lib. de Bonitate aquæ: quos posteri illustres auctores insecuti sunt. Prima nanque bonæ aquæ conditio est, vt cito calefiat, & cito infrigidetur. Hæc etenim conditio declarat aquam illam esse leuissimam, hoc est stomachum non grauare, & cito in stomacho alterabilem & aptam cito de stomacho ad alia membra transire. Secunda conditio est, vt sit pondere leuis aliarum aquarum respectu. Hæc nanque conditio, declarat aquam illam fore aliarum respectu minimè partibus terrestribus mistam, & consequenter magis aptam per membra transire, & minus aptam illa grauare. Tertia conditio est, vt sit insipida aut dulci sapore participans, & omni odore præsertim malo priuata. Hæc nanque conditio, declarat aquam il-

lam nullius malæ rei habere virtutem. Quarta conditio est, vt sit limpida & valde clara. Hæc nanque conditio declarat aquam cæteris paribus minus terrestribus & extraneis partibus fore cōmistam. Quinta conditio est, vt cum steterit modicam vel nullam faciat residentiam, & si residentiam faciat non sit mala, neque malo odore vel sapore malo participans. Hæc enim conditio declarat, quod immediatè præcedens. Sexta conditio est, vt æstate sit frigida, hyeme verò calida: hoc est aliquali caliditate participans. Hæc nanque conditio declarat aquā illam fore cito calefactibilem & cito infrigidabilem, quod nempe est prima præfata bonæ aquæ conditio declarans inter alia facilè alterabilitatem ipsius. Hyeme nanque à vaporibus & exhalationibus calidis propter ἀντιπερίστασιν sub terra reclusis atque vnitis aqua bona, quæ faciliter est alterabilis, calefit. Aestate verò à vaporibus & exhalationibus frigidis propter ἀντιπερίστασιν sub terra reclusis atque vnitis infrigidatur. Hoc autem minimè accidit malę aquę propter difficilem alterabilitatem ipsius. Hæc tamen sexta conditio, non verificatur in bona aqua stante in superficie terræ, vel prope eam. Hæc nāque propter facilem alterabilitatem ipsius cito hyeme infrigidatur, & cito calefit in æstate. Septima & vltima bonę aquę cōditio est, vt lixiuio permista, non turbidetur. Hæc nāque conditio, declarat aquam illam partibus terrestribus non fore permistā, & consequenter esse leuiorem, & magis aptam à stomacho ad alia membra transire. Si verò grossa & ponderosa aqua præclara existens, lixiuio permisceatur, ilico fit turbida, & statim facit hypostasin, seu residentiā grossam. Et hoc ideo, quia vigore lixiuij separantur partes terrestres ab aqueis, quæ prius ob perfectissimam permistionem earum minimè discernebantur. Aqua mala cōditiones suprascriptis oppositas omnes habet, verùm à pręclaris auctoribus non connumeratur aqua inter venena seu mortiferas medicinas solummodo: quia in se, seu absolutè sit mala habens conditiones oppositas cōditionibus bonæ aquæ, aut aliqua venenositate participet: verùm quia ipsa aliquando excessiua frigiditate participat, quanuis absolutè sit bona, & pręcipuè cum ipsa sic excessiuè frigida tempore inepto potatur, vt supra in ieiuno, & pręsertim post forte exercitium, aut post exitum stufæ, vel balnei valde calidi, aut post nimium coitum, aut post nimiam inanitionem. Connumeratur etiam aqua mala inter venena seu mortiferas medicinas: quia ipsa quotidie multipliciter, & in magna ac notabili quantitate, vsui est necessaria.

NATVRA aquę existentis malę propter excessiuam ipsius frigiditatem & propter ineptum tempus potationis eius, quāuis in se sit bona, frigida est & humida in quarto gradu. Natura aquę in se, & absolutè malę diuersificatur secundum malas ipsius diuersas proprietates, & secūdum quòd ipsa diuersarum malarum, seu venenosarum rerum virtute participat.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem aquę malę propter excessiuam frigiditatem ipsius, & propter ineptum potationis eius tempus, sunt magna debilitas stomachi & hepatis, & ipsius præsertim hepatis subitus dolor aliquando, & aliquando hydropisis, & corruptio cōplexionis, & consequenter mors. Accidentia consequentia assumptionem aquæ in se & absolutè malę diuersificantur secundum diuersitates proprietatum eius, & naturarum rerum malarum & venenosarum, quarū virtute aqua illa participat. Reperitur nanque in multis partibus aqua, quam qui biberit, moritur. Reperitur etiam in aliquo loco aqua, quam si quis biberit, amittit dentes. Reperitur etiam in aliquo loco aqua, quam si quis biberit, sterilis seu ingeneratiuus efficitur. Reperitur etiam in aliquo loco aqua, quam si quis biberit, depilabitur caput eius. Reperiuntur etiam plurimę alię malę aquę inducentes potantibus eas accidentia valde diuersa, secundum naturas venenosarum rerum, quarum virtute participāt, qua-

rum

rum equidem venenosarum accidentia ex suprascriptis & infra scribendis apparent. Reperiuntur etiam alicubi malæ aquæ, ex quarum potu accidunt branchus, tussis, botium, tumor ventris & splenis, dolor aliquando capitis & plurima alia: quæ equidem enarrare nimium longum esset. Causa debilitatis stomachi & hepatis, est extinctio caloris naturalis eorum ab excessiua aquæ frigiditate consequens præcipuè post assumptionem ipsius in ieiuno propter vacuitatem stomachi, propter quam aqua bibita melius omnes stomachi partes attingit, & propter minorem tūc temporis stomachi caliditatem, propter quod facilius extinguitur. Causa subiti doloris hepatis, aliquando contingentis, est subita frigiditas & ventositas in hepate generata ab aqua prædicta ab hepate subitò per meseraicas venas, attracta propter subitam attractionem membrorum ab hepate per venas attrahentium indigentium infrigidari & humectari. Causa hydropisis, est præfata stomachi & hepatis digestiuæ debilitas. Causa mortis, est præfata corruptio complexionis, & innati caloris extinctio. Causa corruptionis ex potu aliarū aquarū essentialiter malarū, est mala & venenosa earum mortificatiua proprietas. Causa amissionis dentiū, est mala ipsius aquæ proprietas, & fortè excessiua frigiditas. Causa sterilitatis, est mala ipsius aquæ proprietas sterilizans. Causa depilationis capitis, est mala illius aquæ proprietas cōsumens vapores fumosos, viscosos, coagulatos in porositatibus cutis capitis eius capillos continentes. Causæ accidentium aliorum plurimorū ex malæ aquæ potu, sunt causæ accidentium illarum venenosarum rerum notæ ex suprascriptis, & infra scribendis. Causa branchi & tussis & botij & tumoris ventris & splenis, est ipsius aquæ præcipuè crudæ potatæ frigiditas & grossities, propter quam quidem frigiditatem & grossitiem accidit in faucibus & in gutture & in pectore & pulmone strictura, & prohibitio resolutionis humiditatum in dictis partibus existentium & tarditas descensionis eius de stomacho ad alia membra, & opilatio viarum hepatis & splenis & eorum debilitas, & superfluitatum ipsorum resolutionis prohibitio, propter quæ accidunt brāchus, tussis, botium, tumor ventris & splenis, & plurima alia aliquando. Causa doloris capitis aliquando ex potu malæ aquæ, est corruptio ipsius aquæ euaporantis ob dictam eius corruptionem ad caput, aut opilatio membrorum naturalium, propter quam accidit retentio malarum superfluitatum, & consequenter earum euaporatio ad caput.

SIGNA assumptionis malæ aquæ, siue sit mala propter excessiuam frigiditatem ipsius & ineptum assumptionis tempus, quāuis non essentialiter, siue sit essentialiter mala, sunt accidentia prænarrata & diligens informatio habita de assumptione prædicta.

PRAESERVATIO ab assumptione malæ aquæ fit vtendo omni præuisione possibili, ne quis cogatur assumere de dicta aqua, præfulciendo se bona aqua habente pro posse septem suprascriptas conditiones: & quia quādoq; contingit facere itinera longa præcipuè maritima, quibus ob temporis diuturnitatem aqua etiam præfatas septem conditiones habens minimè præseruari potest toto itineris tempore: idcirco do tibi modum facere optimam potabilem aquam anno integro & ampliori tempore perdurabilem: qua saltem domini & potentes viri præfulciri possunt. Accipe de aqua bona septem suprascriptas conditiones habente, aut de meliori quam potes habere, & distilla ipsam ad alambichum cum igne claro, aut cum vapore aquæ in caldaria feruentis, adeò vt prorsus ob distillationem de fumo non sapiat, & permitte distillare solum quousq; fortiter distillat, cum verò incipit debiliter distillare proijce aquam quæ remansit in alambicho, & impone de alia & fac consimiliter: Et sic faciendo procede quousq; habeas quātitatem aquæ pro toto futuro tempore

opportunam, implendo ex ea quæcunq; vasa volueris, ista nanq; erit optima:
quia erit melior & subtilior pars aquæ, quæ posita fuerit in alambicho, & con-
seruabitur diu absq; putredine, sicut conseruatur aqua rosacea, & cęteræ distil-
latæ aquæ, & si contingat quòd non sis præfulcitus dicta aqua, aut alia bona
aqua, & necessarium tibi sit bibere de mala aqua, duplici remedio tibi opus est
vti, vno quidem, vt præutaris allio, aut theriaca aut mithridato, aut aliquo seu
aliquibus ex prænarratis in octauo primi libri cap. aut infra narrãdis ex aucto-
rum mentibus in præsenti cap. præseruantibus in speciali à malæ aquæ nocu-
mento: altero verò, vt ingenieris proposse rectificare illam malam aquam. Si
enim aqua illa fuerit mala, propterea quia sit salsa, Aristotelis documentum se-
cundo Meteororum est, vt fiat vas cereum ad intra vacuum circum vnitum,
taliter quòd nulla rima seu aliquod foramen remaneat per quam vel per quod
aqua salsa possit intrare, & ponatur in dicta aqua submersum, sicq; permaneat:
quoniam sic stando per porositates ipsius vasis penetrabunt partes subtiliores
aquæ prædictæ in concauitatem eius, & aqua illa in concauitate vasis existens
reperietur dulcis. Simili etiam modo fieri posset, si aqua foret grossa mala, dato
quòd non esset salsa. Si verò modus præfatus sit tibi difficilis: sume vas aliquod
habens coopertorium optimè sigillatum, in cuius coopertorij latere sit cãnu-
la decliuis similis cãnulę coopertorij alambichi, & in eo vase fac bullire aquam
malam qua tibi opportunum est vti, & aquam, quæ descendit in dicta ebulli-
tione per cannulam, collige & illa vtere. Si autem vas præfatum non haberes,
fac bullire præfatam malam aquam, præcipuè non salsam in vase præcipuè fi-
gulari sufficiẽter, & dimitte postea illam stare & infrigidari per noctem vnam
vel circa, & illa postea vtere: subtiliatur enim per decoctionem aqua, & postea
residendo sequestrantur partes ipsius grossiores descendentes in fundum.

PRO CVRA verò assumptionis malæ aquæ quam aliquando contingit
improuisè, vel inscienter assumi, aliquãdo verò coactè diligenter in principio
est insistendum. Si enim aqua assumpta sit mala non essentialiter, sed ratione
frigiditatis eius & ratione inepti temporis, quo fuit assumpta, subueniendum
est tantummodo accidentibus consequentibus, cum ijs, quæ ab auctoribus in
proprijs cap. enarrantur, adhibendo in speciali diacucurma, & diamuscum &
similia. Et potandum est super ipsius aquæ assumptionem vinum vinosum, pu
rum, & clarum præsertim cito. Si verò fuerit aqua assumpta essentialiter mala,
præcipuè propter eius grossitiem & terrestreitatem, subueniendum est simili-
ter accidentibus, cum ijs quæ dicta sunt ab auctoribus in cap proprijs, remo-
uendo eorũdem accidentium causas. Si autem aqua assumpta fuerit mala, pro-
pterea quia aliqua venenositate participet, quanuis illius venenositatis species
non noscatur, subueniendum est ei, qui illam assumpsit cum remedijs positis
ab auctoribus, quæ narraui in nono cap. primi libri. Si verò noscatur malæ a-
quæ venenositatis species, vt puta, quia participet venenositatem certæ & de-
terminatæ venenosæ rei, aut venenosarum rerum, subueniendum est ei, qui a-
quam illam assumpsit cum proprijs remedijs illius venenosæ rei, vel illarum ve
nenosarum rerum insertis in proprijs suis præsentis libri cap. Quæ tamen ab
auctoribus specialiter pro malæ aquæ assumptionis cura & præseruatione di-
cuntur, infra describam. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Allio:
Aqua incognita non grauat hominem, si antè allium comederit.

De Scorodo.

Scorodon magnam habet vim, peregrinantibus esui datum, minimè patitur
eos aquarum locorum mutatione turbari. Andromachus in libro de Theria
ca: Primum & melius, quod datur in potu de theriaca, est ad prohibendum no
cumentum medicinarum nocentium, siue interficientium, & qui bibit in cor-
ruptione

ruptione aeris aut alteratione aquæ in regionibus diuersis confert, & prohi-
bet causas vniuersas ex quibus timetur generatio ęgritudinum in corporibus.
Galenus in libro de Theriaca ad Pamphilum principem: In peregrinationi-
bus autem quando homines habent suspicionem terras aliquas esse ægrotatu-
ras, vel timentes aquarum prauitatem ad fabæ Græcę, id est ʒ.i. magnitudinē,
cum mellis cochleario vno, id est aur.iiij. & aquæ calidæ duobus cyathis, id est
℥.iij. sumentes eam, id est theriacā, tuetur habitum corporis sicut armis aliqui-
bus vtentes hoc pharmaco, & permanent absque nocumento: hoc autem
pharmacum, id est theriaca datur in matutinis. Macer in libro de Simplici-
bus, cap. de Allio.

Hunc ignotarum non lædit potus aquarum:
Nec diuersorum mutatio facta locorum.

Rasis in Continente lib.20.cap.2: Si quis post balneum biberit multā quan
titatem aquæ frigidæ, aut multum vini dulcis, aut fortiter exercitauerit, cadet
velociter in corruptionem suæ complexionis, nisi velociter phlebotometur,
aut euacuetur. Dico qui biberit multam aquam frigidam, curet calefacere he-
par suum cum syrupis & emplastris. Libro 21 cap. de Allio: Dixit Costa in
lib. de Agricultura: Esus alliorum crudorum, valet contra morsum reptilium,
& corruptionem aquarum diuersarum. Cap. de Lactuca: Inquit Costa in li-
bro de Agricultura: Lactucæ extinguunt sitim, valent contra potum diuersa-
rum aquarum & mutationem terrarum. Intellige quòd lactucæ valent præci-
puè contra potum aquarum malarum, videlicet nitrosarum, aluminosarum, sul
furearum, & consimilium potentialiter calidarum. Libro 23 cap. de Aqua:
Dixit Ruffus: Corrigunt aquam bauracinam, lac, vinum grossum, amydum &
ouum: Corrigit aquam limosam, vinum album & odoriferum. Dixit Ioanni-
tius: Prouocat vrinam quam retinet aqua luminosa, & corrigit etiam aquam lu
minosam nutrimentum immaturum, & multa immatura valde: quia cum pon-
ticitate eius, corrigitur ipsa aqua. Ruffus de Corrigendis aquis dixit: Aquæ
ponderosæ naturæ generant lapidem & varices, & debent corrigi cum syru-
po mellis: aut ante potum ipsius sumat aliqua aromata prouocantia vrinam.
Rasis octauo Almansoris, cap. de His, quibus aquę nimis frigidæ potus no-
cumentum intulit: Ex potu autem aquæ nimis frigidæ, cum ex ea post egres-
sionem de balneo, aut post exercitium, aut ieiuno sine præcedenti crapula su-
mitur, accidet forsan subitus in hepate dolor, ex quo ad complexionis mali-
tiam atque hydropisin perueniet. Cum igitur quod nominauimus acciderit, vi-
num forte bibere debet, & à frigidis per aliquot dies abstinere cibis: bibendo
quoque diuersa debet vina tēperare. Super hepar autem emplastrum calidum,
quod in suo nominabimus cap. est ponendum. Rasis nono Almansoris, cap.
de Dolore hepatis, ponendo curam doloris hepatis procedentis à causa frigi-
da, pręcipit superponi hepati emplastrum factum ex spica & mastiche in vino
dissolutis, & cum alijs mistis. Ex quo patet non solùm allia comesta præserua-
re & curare eos, qui malam aquam sumpserunt, quinimo & exterius approxi-
mata: & hoc faciunt non solùm ab eorum manifesta qualitate, verùm etiam &
ab eorum occulta qualitate seu proprietate. Auenzoar primo Teysir, tracta-
tu primo: Qui bibit theriacā, securus est à nocumento potus aquæ malę. Aui-
cenna secundo Canone, tractatu secundo, cap. de Allio: Allium resoluit infla-
tionem valde & confert ad alterationem aquarum. Auicen. quarto Canone,
fen vi. cap. de Potu aquæ frigidę in ieiuno &c. Cura eius, est medicamen de cu
curma, & medicamē de moscho & similia: & quandoque sufficit vinum purum
& potare ipsum super eam. Plinius Secundus de Naturali historia, lib.2.cap.
de Allio: Allio magna vis, magnæ vtilitatis contra aquarum & locorum mu-

tationes. Libro 22. cap. de Lasere, id est assa: Laser, è silphio proflués, quod modò diximus inter eximia naturæ dona numeratum, pluribus cõfectionibus inseritur &c. cõtra aquas malas, pestilentes tractus, id est regiones vel dies &c.

Antidotarium vniuersale. Climax hermaica, aliud adhuc mirabilius operatur: quia si potata fuerit, infectiones aeris, mali odores, & diuersarum aquarum potationes corporibus aliquid nociuum facere non præualent &c. Huius descriptio, posita est superius in nono cap. primi libri, auctoritate Antidotarij vniuersalis.

De Vapore pestilente sub terra recluso. *Cap.* XXV.

COnnumeratur à Rasi 20 Cõtinentis, cap. 2: Fumus terræ inter venena: Idcirco decreui, quanuis ab alijs non inuenerim, facere de ipso cap. speciale. Est igitur fumus seu vapor sub terra reclusus, exhalatio seu pars aerea sub terra reclusa.

NATVRA præfati fumi siue vaporis reclusi sub terra multifariam quippe diuersificatur, secundum quod multifariam diuersificantur res, siue terra à quibus fumus seu vapor ipse deciditur. Si nanq; fumus seu vapor sub terra reclusus, supple, diu decidatur à terra pura, frigidus equidẽ est & siccus, quadam tamen venenositate participans propter diuturnam sub terra reclusionem. Si verò decidatur à lignis sub terra combustis & etiam ab ipsa terra, est de natura terræ ipsius & præfatorum lignorum participans penetrabilitate ratione ignis & venenositate quadam, vt est fumus seu vapor carbonum lignorum sub terra extinctorum. Si verò decidatur ab aliqua re venenosa sub terra ipsa existente, fumus seu vapor prædictus, est de natura illius venenosæ rei, cuius natura ex suprascriptis & infra scribendis in proprijs suis cap. enarratur. Generaliter autem ferè semper fumus seu vapor, seu aer diu sub terra reclusus quadam venenosa corruptione corrumpitur.

ACCIDENTIA communiter consequentia receptionem fumi seu vaporis diu sub terra reclusi, & præcipuè remanentibus in carbonibus lignorum sub terra extinctis exhalantis postea, cum præfati carbones accenduntur in camera vel aliquo loco valde recluso, sunt subet & apoplexia & mors, nisi cito subueniatur. Accidentia verò consequentia receptionem fumi seu vaporis seu aeris diu sub terra reclusi venenosa corruptione corrupti, aut alicuius venenosæ rei venenositate participantis, sunt accidentia venenositatem illam seu venenosam illam corruptionem consequentia, quæ enarrare difficile nempe foret: Ex suprascriptis tamen & infra scribendis poterunt comprehendi. Causa subet & apoplexiæ & aliquando mortis consequentis receptionem fumi seu vaporis diu sub terra reclusi, & præcipuè remanentis in carbonibus lignorum sub terra extinctis exhalantis, postea cum pręfati carbones accenduntur in aliquo loco valde recluso, est opilatio facta in cerebro & ventriculis eius ab ipso fumo siue vapore, propter quam opilationẽ accidit in principio subet, & consequenter apoplexia & cõsequenter mors, nisi subito subueniatur. Causę verò accidentium consequentiũ receptionẽ fumi seu vaporis seu aeris diu sub terra reclusi venenosa corruptione corrupti, aut alicuius venenosæ rei venenositate participantis, sunt causę accidentium illarum venenosarum rerum pręscriptę vel subscribendę in earũ in cap. proprijs. Aut est venenosa proprietas aeris venenosa corruptione corrupti. Præfatis nanq; de causis audiui plurimos esse defunctos, tum propter fumum carbonum sub terra extinctorum accensorum postea & positorum in loco valde recluso, tum propter introitũ in foueas, vbi frumentum pręcipuè collocatur, aut collocari solet, quę longo tempore steterant clausæ, tum propter introitum in puteos, qui consimiliter longo tempore steterant clausi.

SIGNA receptionis præfati fumi siue vaporis, sunt accidentia prædicta, & informatio habita quòd statim ante dicta accidentia concurrerit aliquod prædictorum.

PRAESERVATIO à præfata fumi seu vaporis receptione, perficitur præcauendo ab impositione prædictorum carbonũ in aliquo loco valde clauso, vbi debeat mora cõtrahi, aut aperiendo aliquam præfati loci fenestram, aut in ponendo carbones viuos lignorum nouiter in cameris vel alibi combustorum loco præfatorum carbonum sub terra extinctorum, & præcauendo ab introitu prædictarum fouearum & prædictorum puteorum, præcipuè cito post earum vel eorum apertionem dimittendo illos & illas apertos ante introitum diebus aliquibus.

CVRA fit cum his, quę dicta sunt ab auctoribus in cap. subet, id est apoplexiæ, faciendo primitus clysteria fortia educentia & diuertentia, & consequenter fricationes fortissimas incipiendo à coxis ad tibias & ad pedes, postea ab humeris ad brachia & ad manus, & vltimò à collo ad spatulas, imponendo postea ventosas siccas seu absq; scarificatione in vtraq; spatula: vltimò approximando sibi sternutatoria nota, vt puta, cum helleboro albo, vel pipere, vel consimilibus: & vomitum prouocando, si debitæ conditiones affuerint, & postea sibi dando de theriaca vel mithridato. Quæ autem in speciali pro præfati fumi seu vaporis receptionis cura dicuntur, infra describam. Rasis 20. Continentis cap. 2: Ex fumo terræ accidit subet: & cura est cum vomitu, cũ decoctione absinthij & mellis & piperis & castorei, & sternutatione.

LIBER TERTIVS DE VENENIS AC MORTIFERIS MEDICINIS SVMPTIS ex uegetalibus & plantis.

De Napelli quidditate, & eius natura, & accidentibus assumptionem ipsius consequentibus, & eorum accidentium causis, & assumptionis signis, & præseruatione & cura. Cap. I.



NAPELLVS dicitur Arabicè bix: & est planta venenosa, & est de venenis deterioribus & magis perniciosis agentibus à proprietate.

NATVRA eius calida est & sicca in quarto gradu, & per eius proprietatem ipse & succus eius est hominis interfectiuus sumptus in quantitate vnius medietatis drachmæ.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem ipsius, sunt apostematio labiorum & linguæ, & egressio oculorum, & vertigo & epilepsia, & sincope & denigratio paulatina, & tumor totius corporis, & mors à primo die vsq; ad tertium, nisi debitè succurratur, & qui euadunt vt plurimum incurrunt in ethicam & phthisin, & aliquando in tenasmum. Causa apostemationis labiorum & linguæ, est fortis inflammatio eis adueniens ab excessiua caliditate napelli, propter quam materiæ ad ipsa fluunt ea apostemantes. Causa egressionis oculorum, est fluxus illarum materierum ad oculos ob eandem napelli excessiuã caliditatem facientium oculos foras prominere. Causa vertiginis & epilepsiæ, est eleuatio multorum vaporum ad cerebrum vi superfluę caliditatis napelli. Causa sincopes, est resolutio spirituum propter quam postea ob retractionem spirituum ad cor sequitur sincope. Causa denigrationis totius corporis paulatinę, est resolutio spirituum & caloris innati à mala proprietate & superflua caliditate napelli. Causa tumoris paulatini totius corporis, est liquefactio humiditatum intrinsecarum totius corporis ad intrinseca membra. Causa mortis,

nisi cito succurratur, est corruptio & resolutio spirituum & caloris innati à ve-
nenosa proprietate & superflua caliditate napelli. Causa incursus eorum, qui
euadunt in ethicam & in phthisin, id est consumptionem totius corporis, est
excessiua caliditas malæ proprietatis napelli inducens fixam caliditatẽ in cor-
pus, & consumens humiditates ipsius substantificas. Causa tenasmi, aliquando
est vlceratio seu excoriatio intestini recti.

SIGNA assumptionis napelli, sunt accidentia consequentia prænarrata,
& informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit omnẽ possibilem adhibendo cautelam, ne ad ser-
uientis suspectę personę manus napellus vllatenus peruenire possit, præuten-
do remedijs generaliter præseruãtibus à venenis prædictis, in 8. cap. primi lib.

CVRA verò, est subitò prouocare vomitum & postea cito assumere de la-
pide bezaar & theriaca & mithridato, & cæteris antedictis in nono cap. primi
libri, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus
in proprijs cap. enarrantur. Quæ autem in speciali ab auctoribus, pro eius cu-
ra dicuntur, infra describam. Serapio in lib. de Simplicibus, cap. de Lapide
bezaar, seu albezaar: Hager albezaar, id est lapis liberans à venenis, vt theria-
ca, qui conuenit omnibus venenis calidis & frigidis cum tota sui substantia, &
resistit eis bibitus aut suspensus super patientem. Rasis: Bezaar est lapis ci-
trinus mollis non habens saporem, cõfert venenis. Et ego vidi in ipso sufficien
tiam ad auferendum nocumentum bix: & est toxicum verum, id est napellus.
Et erat lapis ille, quem vidi, vergens ad citrinitatem & albedinem, habens co-
lorem vini, & cum hoc erat lenis & splendens sicut lumen. Et iam vidi in eo de
sufficientia in bix, id est napello, illud quod non vidi in aliqua medicina simpli
ci: imò etiam quod non vidi in theriacis compositis. Rasis 20. Continentis
cap. 2. Chuzi dixit, quòd zeduar, id est choras, id est zedoaria oritur iuxta na-
pellum. Et scias, quòd destruit operationem napelli. Similiter animal quod vo
catur summis, destruit operationem napelli. Inquit Aaron: Accidit ex sum-
ptione napelli inflatio linguæ & epilepsia. Cura est sumere aquam decoctio-
nis seminis rapæ, & prouocare vomitum, & bibere sapam cum butyro vacci-
no, & aquam decoctionis corticum glandis cum vino. Et bezaar cum butyro
vaccino veteri, & choras, id est zedoariam & theriacam magnam & iuuat co-
medere pisces. Ait Simeon: Contra napellum valent berberis & lapis be-
zaar, & butyrum vaccinum vetus & theriaca magna, & prouocare vomitum
sæpe: & si liberabitur ex ægritudine cadet in phthisin. Rasis 8. Almansoris,
cap. de His quibus napelli dantur: Multoties hic vomere cogendus est, post-
quam quotidie sumpserit aquam, in qua semen napi coctum fuerit cum buty-
ro vaccino veteri, postquam autem multoties vomuerit, ex glandibus in vino
coctis ℥. iiij. cum pondere ʒ. mediæ electuarij moschati, id est diamoschi: cui
sexta pars. i. supple, ʒ. de moscho bono fuerit admista, detur. De his verò, quæ
ad hoc valent, sunt butyrum vaccinum, & lapis, qui vocatur bezaar citrinus,
vel rubeus purus & probatus, & theriaca de viperis, & mithridatum: oportet
itaq;, vt summa ex istis quatuor medicinis habeatur, & cito succurratur de ea
in potu tribuendo. Quòd si istarum nulla habeatur, hoc, quod diximus, multis
fiat vicibus: vna propterea antiquorum secta dixit, quòd radix capparis, tali-
ter cõtra napellum operatur, vt bezaar: napelli nanq; venenum forte est, ideo
pauci ipsum euadere possunt. Albucasis secunda particula Azarauij, tracta-
tu secundo, cap. de Sumptione albix, id est napelli: Curatio ipsius est, quòd vo
mat apud sui principium cum aqua decoctionis raparum postquàm colata &
mista fuerit cum libra vna butyri, & hoc faciat pluries: postea verò coquantur
glandes cum vino, & bibat de illo vino ℥. cum põdere ʒ. s. diamoschi facti cum

pondere

pondere vnius kirat, id est quatuor granorum hordei boni moschi. Quod autem confert magis iuuamen in hoc casu, est butyrum vaccinum, & lapis qui dicitur albezaar viridis & rubeus clarus dum est calidus: & bibat de theriaca alfarot, id est theriaca magna de viperis & mithridato, & de electuario moschi de quocunq; ipsorum inuenerit. Auicenna secundo sui canonis Medicinæ, tractatu 2, cap. de Napello: Napellus est venenum destruens bibentem se, maior ipsius potio, est medietas ʒ.i. & secundum me minus hoc interficit. Theriaca verò eius, est mus napelli, & ipse quidem est mus qui eo nutritur: coturnices quoq; eo cibantur, & non moriuntur: & ex omnibus confectionibus diamoschum resistit.

De napello Moysi.

Napellus Moysi, inquit Ioannes, est herba nascens cum napello: & quæcunq; ei appropinquat non crescit arbor eius: & est maior theriaca napello. Napellus verò Moysi, est animal, & similatur muri, & moratur in radice napelli, sicut mus. Est theriaca omni veneno & viperæ. Auctor præsentis operis. Ioannes accipit napellum Moysi pro zedoaria: Auicenna verò capit ipsum pro animali simili muri. Auicen. cap. de Zedoaria: Melior quidem est illa, quæ cum napello crescit: & eius vicinitas debilitat plantam napelli. Est theriaca venenorū omnium, viperæ & napelli & aliorum.

De Moscho.

Moschus est theriaca venenorum omnium, & propriè napelli. Auicenna quarto sui canonis Medicinæ, fen 6. cap. de Napello & eius cura: Oportet, vt festinetur ad faciendum vomere bibentem ipsum cum decoctione seminis napi, & dentur in potu vinum & butyrum coctum vaccinum dando potum super potum, & similiter decoctio corticum glandium cum vino: deinde cura eius principalis est bezaar, & medicamen de moscho, & alzeduar, id est zedoaria & thure, & theriaca magna quandoq; confert in eo vsq; ad terminum: & de melioribus rebus est, vt in potu detur moschus in fricatione albezaar, aut quātitas ʒ.i. de medicamine moschi cum siliqua vna, id ast pondere quatuor granorum hordei moschi: & existimant quidam, quòd radices capparis sunt bezaar napelli, & omnia albezaar sunt bona ei: & propriè illud quod similatur alumini, & habet fila, sicut fila lithargyri, & animal nominatum Surinus, & est mus contrarius napello, & destruitur eius operatio, cum comeditur ex ipso.

Auicenna quinto sui canonis Medicinæ, summa prima, tractatu 1, cap. 1, scilicet de theriaca magna: In napello autem iuuamētum theriacæ est paruum, & quantitas eius, vt expellat mortem, mora est parua: & forsitan medicamen de moscho, sicut existimant quidam, est magis iuuatiuum in eo quàm omnia.

De Confectione Mithridati nobilis.

Theriaca magna, est magis iuuatiua ipso in re vna, & est venenum serpentium. In reliquis verò rebus non minuitur mithridatum à theriaca diminutione de qua sit curandum, imo est magis additi in pluribus earum iuuamenti, & confidentioris vtilitatis. Auicen. in lib. de Viribus cordis, tractatu secundo, cap. 3, scilicet de medicinis simplicibus cordialibus: Moschus nobiliorum, est theriaca contra napellum, & genera eius & cornu spicæ, & reprimitur caliditas eius cum caphura, & siccitas cum oleis humidis, sicut cum oleo violaceo & rosaceo. Haliabas quarto Practicæ, cap. De eius medicina, qui bissum, id est napellum biberit: Bisi, id est napelli tres sunt species: & omnes letiferę sunt & mortales, raroq; homo liberatur cum biberit: oportet nanq; eum, qui biberit ad vomitum festinare cum butyro & oliuæ oleo, ac sisami & aqua calida in qua decoxeris rapæ semen, & rapam. Post vomitum theriaca detur ferruci, id est theriacæ magnæ hexagium s. cum aqua in qua selinum, id est apium decoxe-

ris, & semen eius, aut aqua pigani, id est rutæ, in qua fricatũ fuerit mithridatum
cum butyro vaccino: des quoq; bezaerum, id est lapidem bezaar cum aqua fri
catum, & radicum capparis cortices diligenter tritos cum aqua rutæ. Petrus
de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Succo napelli propinato, siue e-
ius fructu siue substantia: succurratur dando terram sigillatam distemperatam
cum butyro, & aqua, & euomat, & statim exhibeatur smaragdus optima trita
ʒ. ij. cum vino, & super cor ponatur sericum tinctum in grana infusum in succo
buglossæ & aqua rosacea & reiteretur: & deinde serui sugant cum ore extremi
tates corporis, sed ipsi morientur, nisi accipiant smaragdum: & eius bezaar, est
mus qui nascitur in radice napelli & exiccatur & datur ex eo ʒ. ij.

De Cornu spicæ. Cap. II.

Cornu spicæ, prout ex auctorum mentibus potest colligi, est fructus seu
additamentũ quoddam nascẽs in quadam specie spicæ horribilis odoris.

NATURA eius distinctè ab auctoribus non exprimitur: verùm ex eius
effectibus ab auctoribus enarratis, & ex remedijs ab eis pro eius assumptio-
nis cura laudatis colligi potest, quòd ipsum calidum sit in quarto gradu & adu
stiuum & venenosæ proprietatis.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius consequentia, sunt accidentia
consequentia ad scirsen, id est apostema calidum cerebri, & ad apostema cali-
dum pectoris, vtputa mentis alienatio &c. & nigredo linguæ & sanguinis flu-
xus ex virga. Causa accidentium similium accidentibus scirsen & calidi aposte
matis pectoris, vtputa alienationis mentis &c. est magna vaporum calidorum
euaporatio ad pectus, & ad cerebrum facta ab excessiua & venenosa calidita-
te ipsius cornu spicæ, propter quam equidem magnam euaporationem acci-
dit alienatio mentis &c. Causa nigredinis linguæ, est præfata eius caliditas ex-
cessiua linguę nigredinem operans, vt contingit in febribus adurentibus. Cau
sa sanguinis fluxus ex virga, est præfata excessiua & adustiua caliditas ta-
lis proprietatis.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata.

PRAESERVATIO ab eius assumptione perficitur, cum prenarratis in
8, cap. primi libri.

CURA fit, cum suprascriptis in nono cap. primi libri, pro vniuersali om-
nium venenorũ cura: & cum statim infra scribendis remedijs descriptis ab au-
ctoribus pro ipsius speciali cura: subueniẽdo accidentibus cum his, quę ab au-
ctoribus in proprijs cap. enarrantur. Rasis 8 Almansoris, cap. de His, quibus
cornu spicæ in potu datur: Hic taliter est curãdus: pondus aur. i. caphuræ cum
℥. i. aquæ rosaceæ est ei tribuendum. Hepati quoq; emplastrũ ex caphura cum
aqua rosacea trita est superponendum: deinde sauich de hordeo cum multa
aqua niuis, & iuleb ei dandum. In cibo autem eius granata acetosa multiplican
da sunt, lac etiã acetosum & aqua hordei ac solatri succus in potu sunt danda.

Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2. cap. de Transglutione cor
nu sumbel, id est cornu spicæ: Curatio eius est, vt bibat pondus ʒ. i. s. caphuræ,
cum ℥. i. aquæ rosaceæ. Et emplastretur hepar cum caphura trita cum aqua ro-
sacea: & sorbeat postea sauich de hordeo cum syrupo iuleb, vel cum aqua ni-
uis, & comedat granata acetosa, & bibat oleum commune. Auicenna quar-
to sui Canonis medicinæ, fen vi. cap. de Cornu spicæ: Oportet post curã com
munem ex vomitu cum aqua hordei, cum oleo rosaceo tepido & similibus, vt
in potu detur caphuræ, aur. i. in ℥. i. aquæ rosaceæ, & emplastrẽtur hepar & cor
ipsius cum emplastris vehementis siccitatis, & caphuratis, & cum sandalis con
fectis: & detur in potu, quod sit sicut sauich malorum acetosorũ, & sauich hor-
dei cum

dei cum aqua niuis in iuleb. Et dentur in potu succus granatorũ acetosorum, & succus citrulorum, & melonis, & arachi, id est cuiusdam fructus frigidi, & aqua hordei, & aqua solatri, & aqua lactis acetosi. Haliabas quarto Practicæ, cap. de Eius medicina, qui cornu sumbel, id est spicæ biberit: Cornu sumbel qui bibit, sanguinem mingit: fit ei lingua nigra, mensq; confunditur: & hæc patiẽti caphuram propinare expedit à duobus granis vsq; cochlear, id est aur. i. cum aqua rosacea in niue refrigerata. Detur quoq; illi citruli aqua cum granatorum succo, & bibat iuleb cum seminis psyllij lahabo, id est mucillagine, aut seireheregi, id est amylum hordei in aqua portulacæ, cum amygdalarum oleo dulcium, aut rosarum refrigerato cum niue: detur etiam potui eius machisum bonum, id est succum malorum macianornm bonum cum caphuræ trochiscis, aut bibat lac recens, & ptissanam cum granatorum aqua. Hepar patiẽtis & stomachum cum sandalo emplastrica, & aqua rosacea, & caphura, & ceroto quod fit ex aqua rosacea, & portulacæ ac lactucarum, & semperuiuæ, & alba cera refrigerata cum niue, in quo pannus intingatur lineus, eoq; pectus, hepar & stomachus emplastricentur. Petrus de Abano, in suo tractatu de Venenis, cap. de Cornu spicæ dato; Eius cura, est theriacæ ʒ. ij. cum decoctione vini, in quo dictamus sit bullitus.

De Murkion, siue mirkion. Cap. III.

MVrkion, aliàs mirkion est planta quam Auicenna asserit se ignorare.

NATVRA eius iuxta æstimationem Auicennæ, similis est naturæ napelli.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius, sunt mordicatio in ventre, & singultus, & sincope, & citrinitas in facie tota & propriè in labijs, & infrigidatio anhelitus & fœtor corporis & stupefactio & permistio rationis post grauitatẽ in capite, & minoratio & abscisio pulsus & sudor frigidus & rubor & mors. Causa mordicationis in ventre & singultus, est caliditas ipsius corrosiua. Causa sincopes, est resolutio spirituum facta ab excessiua illius caliditate, propter quam resolutionem sequitur etiam reditus spirituum ad cor. Causa citrinitatis seu palliditatis in tota facie & propriè in labijs. est resolutio caloris innati, retractio sanguinis & spirituũ ad cor: prpoter quod citrinatur & pallida fit facies tota & propriè labia, in quibus citrinitas seu palliditas est magis euidens: quia naturaliter sunt magis rubea. Causa infrigidationis anhelitus. est extinctio caloris innati & virtutis vitalis ob ipsius consumptionem & resolutionem ab eius excessiua & venenosa caliditate. Causa fœtoris corporis, est corruptio humiditatum eius derelictarũ à debito naturæ regimine ob extinctionem seu resolutionem caloris innati. Causa stupefactionis, est pręfata innati caloris extinctio: propter quam sequitur diminutio sensus & motus totius corporis, & per consequens stupefactio. Causa permistionis rationis post grauitatem in capite, est eleuatio multorum vaporum ad caput facta ab excessiua caliditate murkion seu mirkion, propter quam equidem vaporum multorum eleuationem accidit primo in capite grauitas, & postea alienatio seu permistio rationis. Causa minorationis & abscisionis pulsus & sudoris frigidi, est extinctio caloris innati. Et eadem vlterius procedens, est causa mortis. Causa ruboris, videlicet in principio assumptionis eius, est ipsius superflua & excessiua caliditas faciens in principio sanguinem ebullire, & consequenter rubere corpus & præcipuè faciem, & postmodum pallere & citrinari causa præscripta.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, præseruatio verò & cura, similis est præseuartioni & curæ napelli.

De Euphorbio. Cap. IIII.

EVphorbium est gummi cuiusdam arboris paruæ similis ferulæ.

NATVRA eius, calida est & sicca in quarto gradu, & est subtilis valde, acuta, adustiua, rubificatiua & vlceratiua & grossi ac viscosi phlegmatis laxatiua. Et iuxta Serapionem in lib. de Simplicibus, cap. de Euphorbio, auctoritate libri venenorum, põdus ʒ.iij. ex eo, occidit: quia vulnerat stomachum & intestina. quod idem asserit Rasis 22. Continentis, cap. de Euphorbio, auctoritate Galeni de Venenis.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius, sunt angustia vehemens & inflammatio & mordicatio in stomacho & ventre & singultus & vomitus & fluxus ventris. Causæ angustiæ vehementis, sunt accidentia prænarrata. Causa inflammationis, est ipsius excessiua caliditas. Causa mordicationis in stomacho & ventre, est ipsius caliditas & siccitas vlceratiua. Causa singultus & vomitus, est mordicatio facta in stomacho. Causa fluxus ventris, est mordicatio facta in ventre, & ipsius proprietas grossi & viscosi phlegmatis laxatiua & vlceratiua.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligentem habendo cautelam, ne ad suspectæ personę manus euphorbium peruenire posit, vtendo remedijs pro vniuersali venenorum præseruatione supra descriptis in 8. cap. primi libri.

CVRA perficitur, procurando statim in principio vomitũ, & postea cum descenderit ad intestina sumendo abstergentia frigida & humida, vt est aqua hordei & similia, faciendo ex eisdem clysteria & subueniendo accidentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur: quę autem ab auctoribus pro huius assumptionis cura dicuntur, statim infra describam. Andromachus in lib. de Theriaca: Primum & melius quod datur in potu de theriaca, est ad prohibendum nocumentum medicinarum nocentium, siue interficientium, propter id quod iam bibitum est, aut propter id de cuius potu timetur, & ad puncturam reptilium habentium venenum, cum quantitate trium cyathorum vini, id est ℥.iiij.s. vini, & ad potum medicinarum interficiẽtium, sicut opium, euphorbium, & hyoscyamum, & cãtharides, & reliqua huiusmodi &c. Rasis in Continente, lib. 20, cap. 2: Remotio nocumenti euphorbij, fit cum butyro, & oleo violaceo, & rosaceo & similibus. Rasis octauo Almansoris, cap. de His, quibus euphorbium in potu datum fuerit: Eius vis cum butyro crudo & cocto debilitanda est: deinde oleum rosaceum dandum. Cum autem symptomata leuia fieri cœperint, triticum fractum cum multa aqua cum iuleb, & cum aqua & niue in potu tribuendum est. Aeger quoque in aqua frigida sedeat & sorbeat ex aqua rosacea, & frequenter bibat succum malorum granatorum, & matianorũ, quæ muzum habent saporem. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu gummi tithymali &c. Pro cura euphorbij asserit ea, quæ in duobus immediate sequentibus cap. auctoritate eiusdem ibidem describuntur. Auicenna secundo sui canonis Medicinę, tractatu secundo, cap. de Coagulo: Omnia coagula sunt bezaard, sitq; potio ipsorum decem karates, id est quadraginta grana hordei: & coagulum hœdi, est bezaar euphorbij. Auicen. quarto sui Canonis Medicinę, fen vi. cap. de Euphorbio: Oportet vt euomat, deinde infrigidetur, & detur in potu butyrũ coctum & crudum cum fortitudine: deinde curetur curatione cornu spicæ, & stet super aquam granati muzi, & aquam malorum muzorum, & aquam lactis acetosi. Haliabas in Regali dispositione 10 Practicę, cap. de Theriacę magnę vtilitatibus, & probatione eius, & quantum porrigendum sit: Theriaca omnes morbos

morbos, qui corpori accidunt sanat, &c. Qui autem biberit venenum aut medicamen lethale, sicut est opium, euphorbium, hyoscyamus, cantharides, & similia, hexagium semis de ea bibat vsq; hexagium cum vini vncia. Guilielmus de Placentia tertio suæ Practicæ, parte secunda, cap. 8: Curatur eius malitia & emendatur cum vomitu facto ex oleo violaceo, & aqua decoctionis violarum & maluarum mistis cum iuleb, vel syrupo violaceo: post vomitum sumat butyrum coctum & crudum, & sumat aquam granatorum muzorum, & aquam malorum acetosorum & muzorum, & lactis acetosi aquam & similia.

De Tithymalis. Cap. V.

TIthymalorum species principales ponuntur ab auctoribus esse septem: & dicitur tithymalus à tithiõ Græcè, Latinè mamilla propter cuiuslibet speciei eorum exuberans lac: & ideo ab Auicenna præsertim secundo Canone, cap. de Lacticinio, vocantur lacticinia.

NATVRA lactis cuiuslibet speciei eorum, calida est & sicca in quarto gradu. Reliquarum verò partium eorum natura, calida est & sicca in tertio gradu, & quælibet eorum species, est vlceratiua & interfectiua & ventris solutiua, & præcipuè phlegmatis, & aquositatis, & lactis eorum pondus ʒ.ij. vel iij. interficit, & simile potest intelligi de succo ipsorum.

ACCIDENTIA consequentia ipsorum vel lactis vel succi eorũ assumptionem, sunt vomitus, singultus, fluxus ventris & dolor stomachi & intestinorum, & strictura ac fractura seu crepatura hepatis, & aliquando vomitus vel minctura sanguinis. Causa vomitus & singultus, est eorum caliditas & siccitas vlceratiua mordicãs stomachum & os eius, incitando vomitum & singultum. Et eadem est causa doloris stomachi & intestinorum: Et eadem est causa fluxus ventris simul cum eorum laxatiua proprietate. Causa stricturæ & fracturæ seu crepaturæ hepatis, est eorum siccitas vlceratiua constringens exiccando hepar & ipsum crepare faciens vlcerando. Causa vomitus vel micturæ sanguinis, est vlceratio stomachi, & viarum vrinæ, & disruptio venarum dictorum membrorum.

SIGNA assumptionis ipsorum, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de alicuius speciei eorum assumptione.

PRAESERVATIO fit custodiendo se ab assumptione cuiuslibet speciei eorum, & præcauendo, ne aliqua eorum species ad seruientis suspectæ personæ manus peruenire possit.

CVRA verò fit cum vomitu vltra spontaneum vomitum, & cum assumptione abstergentium frigidorum, vt est aqua hordei cum saccharo, vel syrupo violaceo & consimilia, & cum impositione clysteriorum abstergentium frigidorum, vt est clystere factum ex aqua decoctionis hordei cum rubeis ouorum, saccharo albo & oleo violaceo & sibi consimile, & cum cęteris quæ à statim infrascriptis auctoribus enarrãtur: subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ dicuntur ab auctoribus cap. proprijs: aduertendo quòd iuxta Andromachum, Galenum, Auicen. & cæteros tractantes de probatione theriacæ: Theriaca bona competit in cura cuiuslibet solutiui, destruendo virtutem ipsius solutiuam: & similiter mithridatum. Rasis octauo Almansoris, cap. de His, quibus species tithymalorum datæ in potu fuerunt, seu de tithymalis. Tithymalus est omnis herba habens lac calidum, quod corpus vlcerat, sicut scammonea, scebran, id est esula ac sui, id est species volubilis & his similia. Eorum autem nocumentum cõmuniter remouent lac butyrum crudum & coctum: hæc enim fortitudinem debilitant & actionem. His autem datis accidentia, quæ ex eis euenerunt, consequenter sunt curanda. Rasis 20 Conti-

nentis, cap. 2: Si quis ʒ. ij. lactis tithymali per duos dies ceperit, fracturam hepatis patietur. Albucaſis ſecunda particula Azarauij, tractatu ſecundo, cap. de Potu gummæ tithymali &c. Curatio horum, eſt quòd incipiat vomere cum aqua & oleo communi: poſtea bibat oleum amygdalarum dulcium cum modico ſaccharo, vel bibat butyrum recens, aut lac ſtatim mulſum calidum, poſt vomitum verò ſumat aquam hordei cum ʒ. ij. vini dulcis: Et competit ei theriaca alfarot, id eſt magna: Et qui vult emendare nocumentum ipſorum, emendet cum his quæ diximus in ſuo loco. Auicen. quarto Canone, fen vi. cap. de Lacte tithymalorum: Oportet, vt frangatur eorum virtus cum lacte, extracto butyro, & butyro cocto & crudo, Et curetur accidens proueniens ex eis de ſolutione ventris cum ſanguine aut mictu eius cum eo quod ſcitur in cap. eius. Et dicitur quòd de lacte ſabren, aliàs ſcebran, interficit pondus ʒ. ij. Et cura eius, eſt balneatio cum aqua dactylorum immaturorum, & lactis alhayſir, id eſt vnius ſpeciei tithymalorum interficit pondus ʒ. iij. in duobus diebus, & cōſtringit hepar: & cura eius iterum eſt ſimilis illi. Guilielmus de Placētia tertio ſuę Practicæ, parte ſecunda, cap. 8: Lac tithymali & ſcammonea & almezerion & omnia lacta herbarum venenoſarum in iudicio & curatione ſunt eiuſdem conditionis. Curantur talia & emendantur cum butyro crudo & cocto, & cū rebus quæ valent ad mictum ſanguinis, & ſolutionem ventris dictis ſuis cap. Et curantur etiam cum aqua decoctionis malorum acetoſorum, & cidoniorum, & ſucco berberis, & ſumach & ſimilium, & cum balneo aquæ decoctionis gallarum & meſpilorum, & ſorbarum, & ſimilium. Et ſi multiplicaretur timor, detur patienti poſt iſta in potu theriaca magna vel mithridatum, vel medicamen de terra ſigillata. Et poſt iſta ratione malæ complexionis acquiſitæ ex his, dentur in potu oxyzachara, aliàs oxymel, & aqua endiuiæ, cichorij, lactucarum, & ſimilium. Petrus de Abano, in ſuo tractatu de Venenis, cap. de Succo tithymalorum: Eius cura erit theriaca magna cum vino in quo dictamus fuerit bullitus: Et eius bezaar, eſt mumia, trita & potata cum bono vino ʒ. i.

De Scammonea. *Cap.* VI.

SCammonea eſt lac vel ſuccus cuiuſdam ſpeciei volubilis, cuius folia ſunt in modum ſagittæ alatæ, & illa ſcammonea eſt bona & vera, quę colligitur aut diminutè incidendo in varijs locis plantam exiſtentē ſuper terram, & poſt quod egreditur, ſicut gummi colligendo, & exiccando, aut incidendo integrè totam plantam, & poſtea colligendo lac vel ſuccum quod egreditur, & exiccando. Illa autem ſcammonea, quæ fit ex ſucco radicum, vel ſtipitum herbæ prædictæ tritorum, non eſt bona nec vera.

NATVRA eius, calida eſt & ſicca in tertio: caliditas tamē eius ſiccitatem excedit: & eſt abſterſiua, inciſiua, reſolutiua & attractiua fortiter à remotis. Et ex ſui proprietate eſt inimica cordi, ſtomacho, hepati, & inteſtinis: & eſt nauſeatiua, & viſcerum conturbatiua, & fortiſsimæ choleræ ſolutiua: & ſi ex ea ſumantur ʒ. ij. interficit.

ACCIDENTIA conſequentia aſſumptionem ipſius, ſunt defectus cordis, & ſyncopes, & æſtuatio fortis, & febris, & ſitis valida, & dyſenteria, & dolor vētris, & fortiſsimus eius fluxus vſq; ad ſanguinem. Cauſa defectus cordis & ſyncopes, eſt ipſius venenoſa & exceſsiua caliditas, ſpirituum reſolutiua, & eadem caliditas cum eius ſiccitate, eſt cauſa æſtuationis fortis, & febris & ſitis validæ, & eadem caliditas & ſiccitas vlceratiua, eſt cauſa dyſenteriæ, & doloris ventris: & eſt etiam cauſa fortiſsimi fluxus ventris vſq; ad ſanguinem ſimul, cum eius virtute fortiter ſolutiua.

SIGNA aſſumptionis eius, ſunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de eius aſſumptione.

PRAESERVATIO perficitur cum eis, quæ generaliter à veneno præseruant dictis in 8. cap. primi libri, & præcauendo pro posse, ne ad seruientis suspectæ personæ manus perueniat scammonea.

CVRA fit, vt prædixi, in immediatè præcedenti cap. Quæ autem pro eius speciali cura ab auctoribus enarrantur, statim infra describã, aduertendo quòd iuxta Andromachum, Galenum & cæteros, de probatione theriacæ tractãtes: theriaca bona competit in cura, & est sicut generale bezaar omnium solutiuorum. Rasis 20. Continentis, cap. 2: Si quis acceperit ʒ. ij. laureolæ, vel diagridij, seu anabulæ morietur multo fluxu. Balneetur in aqua frigida niuosa, & tandiu in ipsa sedeat, quousque stringatur fluxus. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu gummę tithymali & esulæ & almezerion & scammoneæ & euphorbij: Curatio horum est, quòd incipiat vomere cum aqua & oleo cõmuni: postea bibat oleum amygdalarum dulciũ cum modico saccharo, vel bibat butyrum recens, aut lac statim mulsum calidum: post vomitum verò sumat aquam hordei cum ʒ. ij. vini dulcis: & competit ei theriaca alfarot, id est theriaca magna, & qui vult emendare nocumentum ipsorum emendet cum his, quæ diximus in suo loco. Ioannes Mesue in suo de Simplicibus, cap. de Scammonea: Ex rebus autem facientibus facilem ipsius & velocem egressum à corpore, sunt cydonia, quando in cõfectionibus & electuarijs simul miscentur & similiter myrobalani: ipsi enim sunt ex cito causa deponentibus, & similiter si super eam post spatium bibatur, & sciuisti quòd aqua calida expellit audaciam eius & alia similiter, sicut diximus in canone. Guilielmus de Placentia tertio suæ Practicæ, parte secunda, cap. 8: Pro cura scammoneæ asserit, quæ prædixi eius auctoritate in immediatè præcedenti cap. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Succo scammonęę dato in potu: Eius cura, est potare aquam hordei sæpe, & ingredi balneum aquæ tepidæ: deinde post illud bibere syrupum rosaceum, & odorare nenufar & rosas & myrtum & cibari cum cibo facto cum sumach, vel berberis, & emplastrare ventrem & stomachum cum pulpis cydoniorum: & eius bezaar, est herba quę vocatur ribes & eius succus.

De Mezerio. *Cap.* VII.

MEzerion seu almezeriõ, est vna species lacticinij vocata ab aliquibus chamælæa: & aliquando præsertim à Plinio dicitur chamælæon albus, cuius semen ab auctoribus dicitur coccognidium, & eius species sunt duæ.

NATVRA eius, calida est & sicca in quarto gradu, & est acuta valde, & inflammatiua, cõsumptiua, dissolutiua, excoriatiua & vlceratiua cum proprietate venenosa inimica membris principalibus, stomachi cõturbatiua, & aquositatis solutiua.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem sunt, fluxus vẽtris, dolor intestinorũ & stomachi vomitus, singultus, sitis valida, spasmus & mors, præcipuè si ex eo sumantur ʒ. ij. Causa fluxus ventris, est eius proprietas solutiua, & eius caliditas & siccitas intestinorum excoriatiua & vlceratiua, & virtutis expulsiuæ stimulatiua. Causa doloris intestinorum & stomachi, est eius virtus dictorum membrorũ mordicatiua, & excoriatiua & vlceratiua. Causa vomitus, est ipsius proprietas stomachi conturbatiua. Causa singultus & spasmi, est ipsius caliditas & siccitas acutissima fortiter resoluens & exiccans, propter quod accidit singultus & spasmus de inanitione, & eadem est causa validæ sitis. Causa mortis, est eius caliditas & siccitas excessiua venenosa resoluens & consumens spiritus & calorem innatum.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de illius assumptione.

PRAESERVATIO fit post generalia dicta in 8. cap. primi libri in habendo iuxta posse cautelam, ne ad seruientis seu suspectæ personæ manus id peruenire posit.

CVRA verò perficitur cum his, cum quibus fit cura assumptionis tithymalorum & scāmoneæ. Quæ tamen ab auctoribus specialiter pro eius cura dicuntur, statim infra describam. Rasis 8. Almansoris, cap. de His quibus mezerion datum fuerit & superfluè sumpserint ex eo: Est huius nocumenti virtus debilitanda ex butyro & lacte recenter mulso: & iuleb in potu ei frequēter dandum, cuius quoq; virtus reprimitur ex aceto cum frequenter in potu datum fuerit: postquam autem diebus aliquot vomitus & vētris fluxus cessauerint, syrupus acetosus & endiuiæ succus dandi erunt. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu gūmæ tithymali & esulæ & almezerion &c. Pro cura sumptionis mezerion asserit, quæ in duobus immediatè præcedentibus cap. auctoritate eiusdem ibidem dicta sunt. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Almezerion & eius cura: Necessarium est dare in potu lac dulce & butyrum coctum frequenter & iuleb iterum, & illud frangit malitiam eius. Et quando magnificatur timor, tunc necessariū est dare in potu mithridatum & theriacā & medicamen de terra sigillata: & cū sedatur, detur in potu postea oxymel & endiuia diebus aliquot, vt remoueatur malitia complexionis. Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 28. cap. de Remedijs ad morsus bestiarum & ad venena: Sumitur coagulum hœdi contra viscum, & chamæleontem album, id est mezerion &c. Guilielmus de Placentia tertio suæ Practicę, parte secunda, cap. 8. Auctor præsentis operis. Guilielmus loco præallegato pro cura assumptionis mezerion asserit quæ prędixi in cap. assumptionis tithymalorum auctoritate eiusdem ibidem pro lactis eorum cura. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Succo mezerion propinato: Eius cura, est syrupus rosaceus, cum aqua hordei, & odorare fructus frigidos & odoriferos: & eius bezaar est origanum assatum & bibitum cum aqua aut syrupo supradicto. Cap. De granis coccognidij propinatis: Eius cura, est theriaca magna ʒ. ij. cum vino, & eius bezaar, sunt amygdalæ amaræ.

De Scebran seu alscebran seu esula. Cap. VIII.

SCebran, seu alscebran, id est esula, est de plantis lacticinijs, cuius quidem plantæ melior pars, est cortex radicis eius.

NATVRA eius calida est & sicca in tertio gradu, lac tamen ipsius & similiter succus eius, ponitur esse calidum & siccum in quarto gradu: & habet virtutem incisiuam, subtiliatiuam & liquefactiuam, disruptiuam orificiorū venarum, excoriatiuam viscerum, inflammatiuam & inimicā cordi hepati & stomacho, & solutiuam phlegmatis & aquæ citrinæ & melancholiæ: de qua quidem planta & præcipuè de lacte vel succo eius pondus ʒ. ij. interficit.

ACCIDENTIA consequentia assumptionē ipsius, sunt accidentia consequentia assumptionem tithymalorum, seu lactis vel succi eorum: quoniā scebran, est vna tithymalorum species: & eædem sunt dictorum accidentium causæ. Et consimilia sunt assumptionis eius signa: & consimilis est præseruatio & cura. Et ideo pro huius cap. cōplemento recurre ad 5. cap. præsentis libri. Quæ tamen pro eius speciali cura dicuntur vltra prædicta, in præfato 5. cap. infra scribentur. Serapio in libro de Simplicibus, cap. de Scebran, id est esula, auctoritate libri venenorum: id quod de ipso occidit est pondus ʒ. ij. Et abscindit fluxum, qui accidit ab eo, sedere in aqua frigida, & proijcere ipsam super caput eius.

De Laur

De Laureola. Cap. IX.

LAureola est planta longitudinis vnius cubiti vel circa, habens folia similia folijs lauri: propter quod dicitur laureola: à Dioscoride autem in libro de Simplicibus dicitur daphnoides, aut pentalon, aut chamædaphne: & habet flores albos, & semen nigrum cum maturum fuerit, quod quidem semen non est coccognidium, vt putauerunt quidam.

NATVRA eius calida est & sicca excessiuè satis: ipsius tamen caliditas & siccitas à famosis auctoribus non graduatur: Et est ob eius proprietatē vomitiua, & phlegmatis præcipuè laxatiua: & si ex ea præsertim ex eius folijs ʒ.ij. sumantur, interficit.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt vomitus & fluxus ventris. Causa eorum principaliter, est eius caliditas & siccitas mordicatiua, & eius proprietas vomitiua & laxatiua.

SIGNA assumptionis ipsius, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligentem pro posse habendo cautelam, vt ad suspectæ personæ manus ipsa nullatenus peruenire possit, nec vllatenus assumatur.

CVRA verò perficitur, sicut cura aliorum solutiuorum in præsenti tractatu superius narratorum, subueniendo vomitui & vētris fluxui, cum his quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur: quæ autem pro ipsius speciali cura dicuntur, infra describam. Rasis 20 Continentis, cap. 2, auctoritate Galeni in lib. de Venenis: Si quis acceperit ʒ.ij. laureolæ, vel diagridij seu anabulæ, morietur multo fluxu. Cura: Balneetur in aqua frigida niuosa, & tandiu in ipsa sedeat, quousque stringatur fluxus.

De Colocynthide. Cap. X.

COlocynthis est fructus plantæ, quem Persæ vocant cucurbitam deserti. & quædam est masculus, & quædam fœmina.

NATVRA eius calida est, & sicca in tertio gradu, & est solutiua phlegmatis, & choleræ, & præcipuè phlegmatis viscosi attrahens à capite & à iuncturis, & à locis valde remotis, & est resolutiua, incisiua, abstersiua, conturbatiua, & subuersiua, viscerum excoriatiua, disruptiua orificiorum venarum, & venenosæ proprietatis, & inimica præsertim cordis, stomachi & hepatis, & præcipuè illa, quæ est masculus & immatura participans viriditate siue nigredine: & præsertim illa quę nascitur sola, ex qua sola nascente & ex immatura, & ex semine eius & ex eius cortice: dicitur quòd si sumantur dauich ij. id est pondus xvi. granorum hordei, interficit.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt vomitus, fluxus ventris superfluus, dolor vehemens stomachi & intestinorum dysenteria, tenasmus, & aliquando fluxus sanguinis per vias vrinæ, & aliquando sincope & mors. Causa vomitus, est eius virtus stomachi conturbatiua. Causa fluxus ventris superflui, est ipsius virtus viscerum subuersiua & phlegmatis & choleræ laxatiua. Causa doloris vehementis stomachi & intestinorum, est eius virtus excoriatiua & incisiua mordicans & excorians stomachum & intestina. Causa dysenterię, est excoriatio intestinorum. Causa tenasmi, est excoriatio intestini recti. Causa fluxus sanguinis per vias vrinæ, est disruptio venarum, gibbositatis hepatis, vel renum, vel viarum vrinę. Causa sincopes & mortis, est resolutio spirituum & caloris innati, facta præsertim ab eius venenosa proprietate resolutiua, & cordis præcipuè inimica.

SIGNA assumptionis eius, sunt accideutia prænarrata, & diligens informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligentem habendo cautelam, vt de ea nullatenus assumatur, nisi fuerit bene correcta.

CVRA verò perficitur in principio cum lauatiuis & abstersiuis per os assumptis, & etiam per clysteria iniectis & cum exhibitione theriacæ vel mithridati, vt competit in assumptione cuiuslibet alterius solutiui effrænitantis: subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur. Quę autem specialiter pro eius cura dicuntur, infra describam. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu colocynthide: Curatio ipsius, est quòd bibat ea, quæ prędiximus superius de potu laxatiuorum: & fiat clystere cum succo plantaginis & aqua decoctionis oryzę cũ vitellis ouorũ & oleo rosaceo & bolo Armeno. Et emplastretur stomachus cum succo malorũ & cydoniorum & myrti & similibus. Rabi Moyses in lib. de Venenis: Cura ipsius, est quòd celeriter vomitus prouocetur, deinde sumat siccarum ficuum decoctionem, & post bibat aquam cum mucillagine psyllij, post infusionem ipsius in eadem, & aquam seu succum porrorum cum iuleb, nec cessent ab hoc, donec cessent inflammatio & accidentia antedicta, & regatur cum lacte, pane & butyro. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Colocynthida solitariè nata. Eius cura & bezaar simul & semel, est smaragdus optima trita data in potu ʒ.ij.

De Agarico præsertim malo. *Cap.* XI.

AGarici generatio, est similis generationi fungorum, cuius ortus est secus arbores magnas, quibus iam accidit corrosio & putrefactio, cuius quidam est masculus, & iste est durus & niger, seu nigredini attinens, & hic est malus de quo ad præsens est sermo, quidam verò est fœmina, & hic est albus & præcipuè frangibilis & leuis & porosus: & est de medicinis magni iuuamenti, quem Democritus vocauit medicinam familiæ: de quo præsentialiter non est sermo.

NATVRA agarici mali calida est in primo, sicca in secundo, & hoc merito complexionis eius elementaris. Merito verò eius venenosę proprietatis, est stomachi subuersiua & vomitiua valde, & quandoq; commouet solutionem ventris soluendo phlegma, choleram & melancholiã: & attrahit materiam ab vniuersis partibus corporis, de quo quidem agarico malo siue nigro si multũ sumatur, interficit & facit accidentia infrascripta.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem præfati agarici nigri mali, sunt nausea, vomitus superfluus, prębocatio, fluxus ventris, aliquando syncope, casus virtutis, sudor frigidus & spasmus de inanitione. Causa nauseæ, est ipsius proprietas stomachi subuersiua. Causa vomitus superflui, est eius proprietas fortiter vomitiua. Causa præfocationis, est eius magna cõmotio humorum qui non potẽtes aliquando nec per vomitum nec per secessum expelli habentes raptum ad partes gutturis & pulmonis, præfocationẽ inducunt. Causa fluxus ventris aliquando, est quòd aliquibus exhibetur in potentibus aut valde duris ad vomitum, propter quod humores ex ipsius assumptione cõmotos natura conatur expellere per secessum. Causa syncopes, & casus virtutis & sudoris frigidi, est resolutio spirituum, & caloris innati facta præsertim à superfluo vomitu vel secessũ. Causa spasmi de inanitione, est magna humorum euacuatio & resolutio, & per consequens valida membrorum exiccatio & eorum spasmus de inanitione.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia pręnarrata, & diligens informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO ab eius assumptione, fit pręcustodiẽdo se ab illius

assumptione

assumptione,& præcauendo ne ad seruientis suspectæ personæ manus id per-
uenire possit. Pręseruatio verò ab ipsius nocumentis ante eius assumptionem,
est iuxta Hippocraticum de Helleboris documentum, Aphorismorum quar-
to: Prehumectare corpus requie ac plurimo nutrimento: quoniam agaricus
niger, similis ponitur ab Auicenna esse virtutis virtuti hellebori præcipuè al-
bi, vt infra patebit.

CVRA verò ex auctorum mentibus, statim infra scribetur: pro cõpletiori
attamen cura recurre ad cap. immediatè sequens: quoniam si helleborus albus
& agaricus niger, sunt similis impressionis, eorũ etiam vtriusq; cura debet esse
consimilis. Rasis 20 Continentis, cap. 2: auctoritate filij Patriarchæ. De ana-
cardo si dentur aur. ij. occîdit. Cura: Prouoca vomitum, & laxetur vẽter, & ac-
cipiat pòst multum butyrum & instilletur de eo per nares, & comedat pineas,
& bibat lac caprinum & asininum: & liniatur caput eius cum oleo violaceo &
instilletur de eo per nares & bibat brodia vnctuosa cũ aqua niuis, & sumat res
infrigidantes & humectantes: & similis huic, est cura cõtra agaricum nigrum.

Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Condisi, helleboro albo, cyclami-
no, succo cucumeris asinini, specie nigellæ malæ, & agarico nigro: Condisi fa-
cit vomere vomitum magnum: & quandoq; fit præfocatio ex ęo, & similiter
cyclaminum & helleborus albus etiam: ipse enim facit nauseam, & facit vome-
re, & quandoq; aggregat quod non expellitur, imo præfocat, & quandoq; mo
uet solutionem ventris: & omnia perueniunt cum homine ad syncopen & ca-
sum virtutis & sudorem frigidum & spasmum, & propriè helleborus albus &
agaricum nigrum: quoniã ambo sunt similis impressionis. Inquit Galenus: Pul
sus bibentis elleborũ album in principio suo, est latus, rarus, debilis valde, tar
dus valde propter pręfocationem caloris innati sub materia plurima, quã con-
secuta est virtus medicinæ subito, & non potest eam expellere natura: & cum
dominatur, apparet diuersitas, cui non est ordo: quoniam virtus intrinseca est
coarctata: cum autem incipit ordinari & ęquari, valde incipit ægri dispositio
bona fieri. Quòd si eius dispositio non fuerit tendens ad rectificationem imo
ad singultum & spasmum, debilitatur pulsus & diuersificatur & inspissatur val-
de: cum ergo pręfocatur, rarificatur sine ordine, & tardatur: quoniam calor ex-
tinguitur, & quandoq; apparet in ipso vndositas humiditatis, & helléborus
quidem est ex eis quæ interficiunt canes. Cura: Oportet, vt properes ad mun-
dificandum eum cum eis quæ scis: aut facias descendere materiam nocumenti
eius cum clystere forti cum eis quæ sunt, sicut pulpa colocynthidis: deinde ad-
ministra ei clystere cum eis, quę dicuntur in cap. fungorũ: Et quando minora-
tur vomitus si est in principio, fiat vt euomat, & nõ sit res plurima: quare opor-
tet, vt impleatur venter aqua tepida, deinde euomat, deinde iteretur: & quan-
do accidit spasmus, detur in potu lac cum plurimo butyro, & inungantur iun-
cturæ eius cum cerotis lenibus, & applicetur tinæ temperatæ, & curetur cu-
ra spasmi sicci.

De Condisi & helleboro albo. Cap. XII.

COndisi ab aliquibus dicitur condes, seu cundes: ab aliquibus verò dicitur
struthium: est planta cuius radix administratur. Helleborus albus, est etiã
planta, cuius radix similiter solummodo administratur.

NATVRA condisi calida est & sicca in quarto gradu, & est vomitiua val
de, cõmouẽdo pręsertim phlegma & cholerã nigrã siue melancholiã: & est ma
ximè sternutatiua & mordicatiua. Natura hellebori albi calida est & sicca in ter
tio gradu, & secũdũ aliquos in secũdo gradu, & est cõsimiliter stomachi subuer
siua & vomitiua valde, comouẽdo phlegma & melancholiam, & mordicatiua

& maximè ſternutatiua: de quorum quolibet, ſi multum ſumatur, accidit mors non ſolùm hominibus, ſed etiam canibus.

ACCIDENTIA conſequentia aſſumptionem cuiuslibet prædictorũ, ſunt accidentia in immediatè præcedenti cap. ſupradicta de agarico malo ſeu nigro. & eædem ſunt accidentium cauſæ.

SIGNA aſſumptionis eorum, ſunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de eorum aſſumptione: & diuerſificatur pulſus bibentis helleborum album, vt in immediatè præcedenti cap. dixi auctoritate Auicen.

PRAESERVATIO præter generalia dicta in 8. cap. primi libri fit præcauendo ſe à cuiuslibet eorum aſſumptione & diligentem habendo cautelam, ne ad ſeruientis perſonæ manus perueniat aliquod prædictorum. Et ſi aliqua de cauſa neceſſarium foret aſſumere aliquod prædictorum: iuxta Hippocraticum documentum quarto Aphoriſmorum: præhumecta corpus plurimo nutrimento & requie, vt prædixi in præcedenti cap.

CVRA verò eorum vltra generalia ſupradicta in nono cap. primi libri, fit cum his, quæ ab auctoribus infra ſcribuntur, & etiam cum ſupraſcriptis in immediatè præcedenti cap. quoniam agaricus niger, helleborus albus & condiſi conſimilis ponuntur eſſe virtutis merito præcipuè proprietatis eorum, & conſimilium etiam ponuntur eſſe curarum. Raſis 20 Continentis, cap. 2: auctoritate filij Patriarchæ: Quicunqꝫ acceperit helleborum, aut ſuccum cucumeris aſinini: cura eius, eſt aſſumere lac recenter mulſum & butyrum, hæc verò prohibent, vt eorum operatio non approximet cordi: nam ſi ad hoc attigerint, mortem inferunt. Condiſi faciunt ſitim & deſiccationem gutturis & dolorem in ventre. Cura: Bibat lac & oleum ſiſaminum & ſemen paſtinacę: & eſt propria cura ſua. Aaron: Cura hellebori albi, eſt ſicut cura fungorum mortalium & agarici nigri. Raſis 8. Almanſoris, cap. de His qui biberunt helleborum album & nucem vomicam & condiſi & arthanitam, id eſt panem porcinum: Cum primum ſymptoma acciderit, infirmus ex eo colocynthide & baurach clyſterizandus erit: & quidam humores ad inferiora inclinabuntur. Quòd ſi vomitus grauiter euenerit & paulatim cum forti labore & nociuo, aqua tepida frequenter eſt tribuenda & elaborandum, vt ex ea multum ſumatur, donec vomitus ſuauiter prouocetur: cum autē vomuerit iterum danda erit: quia tunc leuiter prouocabitur vomitus & ſæpe: triſtitia quocꝫ leuior fiet & nauſea: poſt hoc autem curabitur ex medicinis colicæ paſsionis. Quòd ſi ſpaſmus superuenerit, lac & butyrum coctum ſæpe ſunt tribuenda: collum quocꝫ & pectus & crura & coxæ atqꝫ brachia fricanda ſunt, & oleo tepido inungenda: vinum præterea multam aquæ habens admiſtionē in potu ſumendum. Quòd ſi inceperit ſpaſmus æger in ſemicupium aquæ calidæ ponendus erit, & ex oleo tepido, quod non ſit calidæ virtutis, inungendus, & vngendo ac fricando necnon mollificando dirigatur operatio ad neruos membri ſpaſmati & ad ipſum membrum, quemadmodum in cap. de ſpaſmo nominabimus.

Albucaſis ſecunda particula Azarauij, tractatu ſecundo, cap. de Potu hellebori albi: Curatio eius, eſt æqualis curationi eius, qui comederit fungos mortiferos. Indignatio autem ſtomachi & ſyncope curētur cum mundificatione ſtomachi per vomitum ac eius emplaſtratione cum emplaſtris factis ex ſucco cydoniorum & pomorũ & roſis & ſandalis & his ſimilibus. Cap. de Sumptione alcundes, id eſt condiſi, arthanitæ & aluf, id eſt ſerpentariæ: Curatio horum omnium, eſt ſicut curatio hellebori nigri. Auicenna ſecundo Canone, cap. de Helleboro albo: Helleborus albus puluerizatus, eſt ille qui plurimum nocet, propterea quòd remanet in meatibus: quare oportet bibentem ipſum præparare res quibus medicatur ille, qui forſitan incidit in ſpaſmum, ſicut ius gallinæ &

næ & syrupuu de hyssopo cum mētastro & ruta & lentes, & olea boni odoris sicut factum de cyperis & lilio & narcisso: & vt sint apud eum acetum acuti odoris & poma & cydonia & panis calidus & vinum odoriferum, & medicamen sternutatorium, & penna & condisi, & anethum, & lectus stratus, & ventosæ diuersæ: Et quando asellat cum facilitate sorbeat aquam frigidam, & odoret odores bonos: Et cibetur ex eis quorum chymus bonus est: Et cum accidit ei spasmus aut debilitas, tunc detur ei panis fractus in vino aut aqua mellis: Et quandoq; oportet, vt reiteretur & cibetur pane infuso in aqua frigida. Quòd si accidat ei singultus in medio operationis detur ei aqua mellis, in qua decoctus sit raphanus, & si medicina in ipso non mouetur post aliquantulum spatium, bibat aquam mellis cum aqua calida, in qua decocta sit ruta. Aut dentur ei in potu aqua & oleum & vomat cum penna inuncta in oleo de cyperis & lilio & eleuetur in suspensorio. Quòd si acciderit ei sicut præfocatio in potu, sumat de decoctione hellebori quantitatem trium ℥. illud enim adiuuat medicinam & remouet accidens. Si aūt non iuuerit fiat clystere acutū, & in potu dentur tres anullus et, id est ℈. i. s. de eo, non vt vomere faciat, sed vt expellat præfocationem: & fiat, vt sternutet cum sternutatorijs. Quòd si singultus vomitu nō remouetur, administremus tunc ventosas super spondyles magnas, quæ sunt inter spatulas & super reliquas dorsi spondyles: ventosæ enim ęquant contorsionem accidentem post singultum: & inunge membra spasmata cum oleo nō vehemētis calefactionis, & cum aqua balnei & tina: operatur enim in isto cap. operationem nigri. Cap. de Castoreo. Castoreum est theriaca præfocationi hellebori. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Condisi & helleboro albo &c. Auctor præsentis operis. Auicenna loco præallegato asserit, quę supradicta sunt in xi. cap. præsentis libri, scilicet pro cura agarici nigri seu mali: quoniam asserit ea esse curæ consimilis: & ideo illuc pro prædictorum cura recurre. Plinius Secundus lib. 25. cap. de Mandragora. Mandragoram alij Circeion vocant: duo eius genera, candidus qui & mas, niger quę fœmina existimatur: Bibitur & pro helleboro duobus obolis, id est ℈. i. seu granis xxiiij. in mulso, id est in vino mellito, seu melli colato permisto. Libro 32. cap. de Medicinis ex castoreis. Testes castorum medentur poti contra venena: differentia tantùm contra genera est misturæ. Auxiliantur priuatim aduersus helleborum album ex aqua mulsa, nitroq;. Gilbertus Anglicus septimo sui Compendij medicinæ, cap. de Veneno hellebori albi & hellebori nigri: Post attractam materiam, oportet euacuare eam cum velocitate cum clysteri euacuante humorem phlegmaticum vel melancholicum secundum attractionem materiæ: Et interdum oportet prouocare vomitum cum aqua calida multa assumpta, & quandoq; superfluum vomitum: Et oportet os stomachi confortare exterius apponendo stiptica: vt emplastrū quod fit ex cymino, absinthio & pane asso: Et quandocunq; fluxus ventris superfluit, oportet vti balneo. Quando autem accidit spasmus confert lac interius, & tunc oportet inungere membra iuncturalia & spinam dorsi cum vnguentis mollificatiuis calidis: sicut est arogon, martiaton & similia: & hoc modo curantur alia quæ sunt huius generis. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Helleboro, seu succo eius vel fructu, vel radice datis: Eius cura, est sumere in potu statim aquam mellis & quiescere in loco separato: & deinde detur bezaar eius quod est flos nenufaris, siccus & tritus ʒ. ij.

De Helleboro nigro. Cap. XIII.

HElleborus niger, est planta cuius radix principaliter solùm administratur, & dicitur niger, quia choleram nigram seu melancholiam principaliter

euacuat per secessum, sicut helleborus albus principaliter per vomitum euacuat phlegma album.

NATVRA eius similis est naturæ hellebori albi immediatè prædictę, nisi quòd ipsa est acutior natura hellebori albi, & vbi helleborus albus principaliter per vomitum euacuat phlegma: helleborus niger euacuat choleram nigrã seu melancholiam principaliter per secessum: de quo quidem helleboro nigro si ℥.ij. sumantur, interficit.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionẽ, sunt accidentia consequentia assumptionem hellebori albi, & agarici nigri prædicta in xi. cap. nisi quòd assumptionem cuiuslibet prædictorũ, sequitur principaliter superfluus vomitus, ob cuiuslibet eorum vomitiuam proprietatem: & assumptionem hellebori nigri sequitur principaliter superfluus & fortissimus fluxus ventris ob ipsius solutiuam proprietatem. Consequitur & hellebori nigri assumptionem adustio linguę, & strictura super eam propter magnam eius caliditatem, & siccitatem. Consequitur etiam eructuatio plurima & inflatio propter magnam illius agitationem & ventosationem factam in materia frigida: Et consimiles sunt accidentium causæ: Et consimilia sunt signa, & præseruatio, & cura. Quæ tamen ab auctoribus particulariter pro eius cura dicuntur, statim infra describam. Rasis 20 Continentis, cap. 2: auctoritate filij Patriarchæ: Helleborus niger si ex eo sumantur ℥.ij. facit accidere ardorem, tremorem cordis, ardorem linguæ & multam eructuationem cum inflatione: vltimò patiens spasmatur, tremit & moritur. Cura est assumere absinthium cum vino, aut spicam aut castoreum, cyminum & anisum, & linire corpus cum aqua & aceto calefactis: & confert bibere iura lenia frequenter, & comedere caseum recentem cum melle, & butyro & bibere brodia & cibaria vnctuosa, & vinum calidum. Rasis 8. Almansoris, cap. de Potu hellebori nigri: Si quis ex helleboro nigro multum in potu sumpserit, fortissimum vẽtris incurrit fluxum. Huius ergo virtutis debilitari conuenit ex datione lactis & ex introitu patientis in aquam frigidam, & ex infusione eius super caput ægri per longum tempus: ea quoq; quæ fiunt ex rob fructuum acetosorum ad ventris constrictionem danda sunt. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu hellebori nigri: Curatio ipsius, est quòd faciat vomitum cum aliquibus medicinis prouocantibus vomitum & comedat pinguia & absorbeat butyrum recens, & bibat iura pinguia & ptissanam de frumento vel aquam decoctionis cicerum alborum, & hordei, & sumat hæc cum oleo amygdalino dulci: & si augmentatur inflatio, bibat secaniabin zucarinum, id est syrupum acetosum simplicem vel succum granatorum vel succum malorum: & si accidit ei inflatio bibat vinum cum cymino & aniso & semine apij, & emplastretur stomachus cum emplastro dissoluente curationem. Curatio verò eius à solutione ventris, est quòd vomat cum aqua decoctionis hordei & secaniabin. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Helleboro nigro: Frange iterum virtutem eius cum eis quæ sciuisti, & des in potu absinthium cum vino, aut sumantur cymini, anisi, castorei, & spicæ partes æquales, & dentur in potu ex eo circiter ℥.ij. cum vino: & pone super inflationem pannum calefactum propter putrefactionem & vaporationes exiccantes ex eis quæ sciuisti: deinde ciba eum caseo recenti cum melle & butyro recenti, & iuribus vnctuosis & vino dulci plurimæ commistionis: & si acciderit ex eo spasmus, fac illud quod dictum est in cap. hellebori albi, & cum solutio ventris eius superfluit in aqua frigida, sedeat & bibat arobub, id est rob, id est succos adeò decoctos vt seruari possint & medicinas stringentes.

De Cyclamino. Cap. XIIII.

CYclaminum & panis porcinus & arthanita & buchormarien pro eadem re seu eadem rei specie ab auctoribus reputantur, & est planta satis nota, cuius radice præsertim medici vtuntur.

NATVRA eius calida est, & sicca in principio tertij gradus, & est incisiua, subtiliatiua, calefactiua, resolutiua, abstersiua, mundificatiua, opilationum aperitiua & phlegmatis præcipuè mucillaginosi & viscosi solutiua.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius vel succi eius præcipuè in nimia quantitate, sunt accidentia consequentia assumptionem agarici nigri & cōdisi & hellebori albi, quæ superius enarraui in cap. 11, scilicet de agarico malo seu nigro, & eædem sunt eorum accidentium causæ, & consimilia sunt eius assumptionis signa, & consimilis est & præseruatio & cura.

QVAE tamen ab auctoribus specialiter pro illius seu succi eius assumptionis cura dicuntur, infra describam. Rasis 8. Almansoris, cap. de His qui biberunt helleborum album & nucem vomicam & condisi & arthanitam. Auctor præsentis operis. Rasis loco præallegato asserit pro cura arthanitæ, id est panis porcini, ea quæ auctoritate eiusdem ibidem superius scripsi in 12. cap. præsentis libri, pro cura cōdisi & hellebori albi, ideo illuc recurre. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu seu sumptione alcundes, id est condisi & arthanitæ, id est panis porcini & aluf, id est serpentariæ: Curatio horum omnium, est sicut curatio hellebori nigri. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Condisi & helleboro albo, cyclamino, id est pane porcino succo cucumeris asinini, specie nigellæ malæ & agarico nigro. Auctor præsentis operis: Auicenna loco præallegato asserit pro cura cyclamini ea, quę superius in xi. cap. præsentis libri, auctoritate eiusdem ibidem pro cura agarici nigri seu mali præscripsi: ideo illuc recurre. Plinius Secundus de Naturali historia, libro 25, cap. de Alcima, id est secundum Dioscoridem almea, seu damasion seu diamasion: Vsus in radice vtriusq;, supple, generis alcimæ, lepori marino aduersatur, & cyclamino. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Succo radicis buchormarien, propinato: Eius cura, est baccæ lauri tritæ ℨ.ij. datæ in potu. Et eius bezaar, est piper album tritum ℨ.ij. cum aqua mellis.

De Cucumere asinino. Cap. XV.

CVcumer asininus aliquando ab auctoribus sumitur pro planta: aliquando verò sumitur pro fructu plantæ eius. Est igitur planta habens fructum similem cucumeri paruo, & folia similia plantæ cucumeris, sed asperiora.

NATVRA eius seu succi ipsius, calida est & sicca in tertio gradu, & est resolutiua, aperitiua opilationum, & cum angustia solutiua phlegmatis principaliter & aliquando choleræ.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem ipsius, & præcipuè succi eius, sunt accidentia consequentia assumptionem agarici nigri, seu mali supradescripta in 11. cap. præsentis libri. Et consimiles sunt eorum accidentium causæ: Et consimilia sunt ipsius assumptionis signa: Et consimilis est præseruatio & cura.

QVAE AVTEM specialiter pro eius cura ab auctoribus asseruntur, infra describam. Rasis vigesimo Continentis, capite secundo, auctoritate filij Patriarchæ: Quicunque acceperit helleborum album aut succum cucumeris asinini: cura eius, est assumere lac recenter mulsum & butyrum. Hæc verò prohibent, vt eorum operatio non approximet cordi: nam si ad cor attigerit, mortem inferunt. Albucasis secunda particula Azarauij,

tractatu secundo, cap. de Sumptione cucumeris asinini. Natura eius propinqua est naturæ colocynthidis, & curatio eius, ęqualis est curationi illius. Auicenna quarto Canone, fen 6. cap. de Condisi & helleboro albo, & cyclamino, & succo cucumeris asinini & specie nigellæ malæ & agarico nigro. Auicenna loco præallegato, asserit pro cura cucumeris asinini ea, quæ superius in 11. cap. scripsi auctoritate eiusdem ibidem pro cura agarici nigri seu mali, ideo illuc pro huius cura recurre. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Succo cucumeris asinini propinato: Ille, cui datus fuerit in potu succus cucumeris asinini, patietur excoriationem in gutture & solutionem ventris, & dolorem intestinorum. Et eius cura, est theriaca magna cum decoctione baccarum lauri & melle ʒ. ij. aliàs ʒ. ij. Et eius bezaar, est succi menthæ ʒ. i.

De Nigella mala. Cap. XVI.

NIgella est planta, cuius semen est nigrum, cuius duæ sunt species: quędam nanque, est domestica habens semen boni odoris: quædam verò est syluestris, habens semen odoris nimis acuti, & hæc dicitur esse mala, præcipuè quia si de ea nimia quantitas assumatur, accidit mors.

NATVRA eius calida est & sicca in tertio gradu, verùm quæ syluestris est, calidior est & siccior, & est fortiter incisiua phlegmatis & abstersiua & vltimò mordicatiua præcipuè syluestris, de qua & præcipuè de syluestri, si in nimia quantitate sumatur, sequitur mors.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt accidentia consequentia assumptionem agarici nigri superius enarrata in 11. cap. præsentis libri, & consimiles sunt eorum accidentium causæ: Et consimilia sunt eius assumptionis signa: Et consimilis est præseruatio & cura.

QVAE autem ab auctoribus specialiter pro eius cura dicuntur, infra describam. Rasis 20 Continentis, cap. 2, auctoritate Galeni: Iuuat contra achimeros sumere aquam decoctionis virgæ pastoris, vel plantaginis cum calamentho montano, hyssopum cum vino & brodium cancrorum fluuialium: Et similiter valent hæc contra leporem marinum, & contra nigellam. Experimentum contra hęc pix liquida cum vino. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Sumptione alsumizi, id est nigellę: Signum sumptionis eius, est præfocatio gutturis cum ventris dolore. Et dixerũt quidam, quòd excessus comestionis eius interficit. Curatio ipsius, est quòd vomat primò cũ secaniabim, id est oxymelle & aqua calida & bibat vinum limphatum. Et comedat perdices, fasianos & pullos gallinaceos masculini sexus. Et dixit Alchandi, quòd curatio eius, est sicut curatio eius, qui comederit fungos mortiferos. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Condisi, & helleboro albo, cyclamino, succo cucumeris asinini, & specie nigellæ malæ, & agarico nigro. Auicenna loco præallegato asserit pro cura nigellæ malæ ea, quæ auctoritate eiusdem ibidem supra descripsi in 11. cap. pro cura agarici nigri. Ideo illuc pro huius cura recurre.

De Turbit. Cap. XVII.

TVrbit est radix herbæ habentis lac: cuius quoddam est syluestre, & quoddam est domesticum, & quoddam est album, quoddam citrinũ & quoddam nigrum. Citrinum autem & nigrum, est malum.

NATVRA eius calida est in tertio gradu, & est nauseatiua, & viscerum subuersiua ac phlegmatis solutiua.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius præsertim mali citrini vel nigri, sunt accidentia hellebori nigri & agarici nigri. Specialiter verò sunt

ſunt nauſea, vomitus laborioſus, & ſolutio laborioſa. Cauſa nauſeæ, eſt ipſius proprietas ſeu natura nauſeatiua. Cauſa vomitus laborioſi, & ſolutionis laborioſę, eſt ipſius natura vomitiua & ſolutiua pigriter phlegma cõmouens ipſum agitando, & ex eo ventoſitatem generando: quare cum vomitu & ventris ſolutione labores infert ſimiliter & dolores, adeò quòd ſi multum de ipſo ſumeretur, & non debitè ſubueniretur, mors accideret.

SIGNA aſſumptionis eius, ſunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de eius aſſumptione.

PRAESERVATIO fit cũ generalibus dictis in 8. cap. primi lib. & cautè præuidendo, ne ad ſuſpectę perſonę ſeruientis manus ipſum peruenire poſſit.

CVRA fit ſtatim in principio procurando vomitum & poſtmodum exhibendo lauantia & abſtergentia oretenus, & per clyſteria, ſicut eſt aqua mellis & aqua hordei cum ſaccharo & cõſimilia: ſubueniendo poſtmodum accidentibus conſequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur. Quæ autem ſpecialiter pro eius cura dicuntur, ſtatim infra deſcribam. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Turbit malo citrino vel nigro: accidunt ex eo, ſicut ſunt accidentia hellebori nigri & agarici nigri. Et cura eius, eſt illa cura: & appropriatur ei, ſorbere oleum amygdalæ amaræ. Ioannes Meſue in ſuo de Simplicibus, cap. de Turbit: Nocumenta autem eius expellit aqua mellis calida, & aqua ſacchari rubei ſimiliter calida cum amygdalis.

De Hermodactylo. Cap. XVIII.

Hermodactylus eſt radix plantæ: cuius equidem quidam eſt albus, & hic bonus & medicinis aptus ab auctoribus reputatur: quidam verò eſt rubeus, & quidam eſt niger. Et hi ab auctoribus aſſeruntur eſſe venena, & ab aliquibus auctoribus vocantur achimeron ſeu achimeros.

NATVRA eius, calida eſt & ſicca in principio ſecundi gradus cum humiditate quadam ſuperflua, propter quod generat ventoſitatem & inducit nauſeam & ſoluit phlegma præcipuè groſſum cum pigritia & tarditate. Natura tamen hermodactyli rubei & nigri calida eſt & ſicca in tertio gradu cum venenoſa proprietate, & eſt magis nauſeatiua & fortius ſolutiua phlegmatis groſſi. Et iuxta Raſim 20 Continentis, cap. 2. auctoritate filij Patriarchæ: aureus vnus hermodactyli Indi occidit.

ACCIDENTIA conſequentia ipſius aſſumptionẽ, ſunt hæc: Iuxta quidem Raſim 20 Cõtinentis loco pręallegato: ex aſſumptione hermodactyli Indi, accidunt lethargia, malus anhelitus & ſudor frigidus: Iuxta verò Serapionẽ in lib. de Simplicibus. cap. de Hermodactylis, auctoritate Dioſcoridis, & iuxta ipſum Dioſcoridem in ſuo de Simplicibus, cap. de colchico, id eſt hermodactylo venenoſo: ex aſſumptione ipſius accidit ſtrangulatio ſeu ſuffocatio, ſicut accidit ex aſſumptione fungorum malorum: Iuxta verò Albucaſim ſecunda particula Azarauij, tractatu ſecundo, cap. de Potũ ſurungen, id eſt hermodactylorum: ex aſſumptione ipſorum accidunt pruritus in toto corpore & fortis morſus in ſtomacho & tumor palati, & linguæ cum nigredine: & ſi non habetur ſolicitudo apud ſui curationem, faciet fluxum ſanguinis per ſeceſſum & calorem in inteſtinis. Cauſa lethargiæ, eſt cõmotio phlegmatis groſſi exiſtentis in cerebro tranſcurrentis ad ipſius cerebri ſubſtantiam faciendo apoſtema lethargicũ abſq; præfati phlegmatis groſſi extra corpus eductione. Cauſa mali anhelitus eſt phlegma groſſum commotum abſq; ipſius eductione ad partes gutturis, pectoris & pulmonis: propter quod cauſatur anhelitus malus atque difficilis. Cauſa ſudoris frigidi, eſt ſuffocatio caloris innati & redditus ſpirituũ ad cor & debilitas contentiuæ membrorum facta ex cauſa prædicta. Cauſa

strangulationis seu suffocationis, est attractio phlegmatis grossi ad partes gutturis & pectoris & pulmonis. Causa pruritus in toto corpore, est fortis supercalefactio & exacuitio & adustio facta in sanguine transeunte per totum corpus. Causa fortis morsus in stomacho, est mordicatio facta à forti & acuta caliditate & siccitate hermodactyli, pręcipuè venenosi. Causa tumoris palati & linguæ, est attractio phlegmatis grossi ad palatum & linguam. Causa nigredinis linguæ, est ipsius adustio facta à forti caliditate & siccitate. Causa fluxus sanguinis per secessum, est excoriatio intestinorum, & apertio orificiorum venarum eorum facta à præfata adustiua caliditate & siccitate. Causa caloris in intestinis, est prædicta excessiua caliditas.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit cum vniuersalibus dictis in 8. cap. primi libri: & custodiendo bene, ne ex præfatis hermodactylis ad seruientis suspectę personæ manus aliquis peruenire possit.

CVRA verò præter vniuersalia dicta in 9. cap. primi libri, fit cum his, quæ ex auctorum mentibus, statim infra describam. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Colchico, id est hermodactylo: Radix comesa fungorum more strangulat, hoc ideo in notitiam protulimus, ne pro cibo comedatur, quia vis inest illi veneni, quanuis suauis gustu sit: sed qui eam comederit, sic ei subueniendum est, quomodo comedentibus fungos. verum singulare præsidium est huic rei lac sumptum. Serapio in suo de Simplicibus, cap. de Surungen, id est hermodactylo auctoritate Dioscoridis: Hæc radix si comedatur, occidit strangulando sicut occidunt fungi. Conferunt autem illi, qui ipsam comederit omnia, quę conferunt illi qui comederit fungos malos: est autem summum remedium ei lac bouinum: non eget nanque alio adiutorio, qui ipsam sumpserit. Rasis 20 Continentis, cap. 2, auctoritate filij Patriarchæ: Hermodactyli Indi occidit aureus vnus. Accidunt ex eo lethargia, malus anhelitus & sudor frigidus. Cura est bibere vinum multum cum pipere, pyrethro, baccis lauri, castoreo & darseni, id est cinnamomo: sed ista dentur post vomitum factum cum aistro, & calefac corpus suum vehementer, vt non coaguletur sanguis, & vtatur cursu, & liniatur corpus eius cum oleo muscelino, id est oleo de ben, aut oleo cum musco facto. Ait Galenus: Iuuat contra achimeros, id est hermodactylum venenosum sumere aquam decoctionis virgæ pastoris, vel plantaginis cũ calamentho mõtano, hyssopum cum vino & brodium cancrorum fluuialium: & similiter valent hæc contra leporem marinum & contra nigellam. Experimentum contra hæc, pix liquida cum vino. Albucasis secũda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu suruegen, id est hermodactylorum. Curatio eius est cum vomitu, deinde cum leni clysteri: postea verò bibat lac vaccinum & lac asininum statim mulsum, vel bibat 3. v. glandium tritarũ cum vino, & sumat de tragacantha & gummi Arabico.

De Cataputia utraq;. Cap. XIX.

CAtaputia maior, id est kerua seu pentadactylus seu iuxta vulgare girasol, & cataputia minor, sunt plantæ de genere lacticiniorum seu tithymalorũ habentes semina ex quibus exprimitur oleum, & præcipuè ex seminibus cataputiæ maioris seu keruæ, seu pentactyli.

NATVRA cuiuslibet earũ, tam herbæ quàm lactis, quàm succi, & quàm seminis, calida est & sicca: quanuis, vt suprà dixi in 5. cap. scilicet de tithymalis natura lactis cuiuslibet speciei tithymalorum seu lacticiniorum calidior sit & siccior. Ioannes verò Mesue in suo de Simplicibus, cap. de Abelmeluch, id est

grano

grano regum quod asserit esse duplex, scilicet magnum quod est granum keruæ, id est cataputiæ maioris, & paruum, quod est granum cataputiæ minoris, asserit præfatum granum esse calidum & siccum in tertio auctoritate Dioscoridis & Hamech: veruntamen grana prædicta extracta oleaginositate per eorum expressionem: quæ quidem oleaginositas est eorum pars minus calida & minus sicca, sunt deteriora, & calidiora & sicciora: & cuiuslibet prædictarum partium vtriusq; plantarum natura, est stomachi subuersiua & laboriosa, solutiua phlegmatis & aliquando choleræ & aquæ citrinæ.

ACCIDENTIA & eorum causæ, sunt similia accidentibus prouenientibus ex assumptione tithymalorũ supradictis in 5 cap. præsentis libri: & consimiles sunt etiam eorum accidentium causæ: veruntamen accidentia, quæ assumptionem cuiuslibet prædictarum specialiter consequi ab auctoribus asseruntur, sunt vomitus, dolor ventris & fluxus laboriosus. Causa vomitus, est cuiuslibet earum natura stomachi subuersiua. Causa doloris ventris, est earũ caliditas & siccitas mordicatiua & vlceratiua: Et eadem est causa laboriosi fluxus.

SIGNA assumptionis cuiuslibet earum, sunt accidentia prædicta, & diligens informatio habita de earum assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter habendo custodiam, ne de eis aliquid assumatur, nec ad seruientis suspectæ personę manus vllo modo perueniat.

CVRA verò perficitur sicuti cura tithymalorum supradicta in 5 cap. Quę tamen ab auctoribus specialiter, pro cuiuslibet earum cura dicuntur, statim infra describam. Rasis 20 Continentis, cap. 2, auctoritate Maserinei: Cataputia minor, interficit propter multum fluxum: Et cura eius, est lac, butyrũ, & iura vnctuosa. Substantia granorum mirasolis & nucleorum chrysomelorũ interficit extracta ab ea oleaginositate vehementer. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Sumptione cataputiæ minoris: Curatio eius excessus est, quòd decidatur cum ijs, quæ diximus in reliquis laxatiuis. Cap. de Potu granorum alkeruæ, id est cataputiæ maioris: Curatio eius, est cum vomitu cum aqua calida, & oleo communi, & sumptione oleorum, & pinguium iurium. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Alkerua, & sisamo, id est cataputia: Dicitur quòd perscrutatio vltima in expressione horum duorum, est venenum interficiens: Et cura eius, est cura cõmunis. Petrus de Abano, in suo tractatu de Venenis, cap. de Succo keruæ propinato: Eius cura, est theriaca magna ʒ. ij. cum optimo vino calido. Et eius bezaar, est hypericon, id est herba perforata. Cap. de Cataputia: Ille qui comederit cataputiã, patietur accidẽtia quæ patitur qui biberit girasolem. Et cura eius & bezaar, sunt similia.

De oleo Chrysomelorum. *Cap.* XX.

NVcleorum chrysomelorum, id est antipersicorum dictorum vulgariter Venetijs armelini substantia equidem nota est.

NATVRA olei ab ista substantia expressi, calida est & sicca in secundo gradu ex quo licet auctores minimè exprimant: existimandum est, quòd substantia præfata nucleorum chrysomelorum extracto oleo, est valde siccior & calidior, adeò vt ratione mortis quam ipsa extracta ab ea oleaginositate vehementer apta est inducere, præsertim sumpta in notabili quantitate, ipsa meritò dici potest calida & sicca in quarto gradu: Dixit nanq; Rasis 20 Continentis, cap. 2: auctoritate Maserinei, quòd substantia granorum mirasolis, id est cataputiæ maioris, seu pentadactyli & nucleorum chrysomelorum interficit extracta ab ea oleaginositate vehementer.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius consequentia, sunt dolor vehemens stomachi & intestinorum & viarum vrinæ, vomitus laboriosus, & ali-

quando ventris solutio laboriosa & mors. Causa vehementiæ doloris stomachi & intestinorum & viarum vrinæ, est excoriatio in ipsius membris facta ab excessiua caliditate & siccitate præfatæ substantiæ oleaginositate eius vehementer extracta, quæ nempe oleaginositas caliditatem & siccitatem præfatæ substantiæ reprimebat. Causa vomitus laboriosi, est mordicatio & excoriatio in stomacho facta. Causa solutionis ventris laboriosæ, est excoriatio & mordicatio facta in intestinis inducens dysenteriam. Causa mortis, est resolutio caloris innati propter accidentia prænarrata.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta, & diligens informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit procurando ipsius à corpore expulsionem, mediante vomitu & secessu cum vomitiuis & clysteribus & lauatiuis notis dictis præcipuè in 9. cap. primi libri: subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur. Summę autem pro cura cōuenit lac, & præcipuè asininum, facta præsertim præfatæ substantiæ à corpore expulsione, vt immediatè prędixi. Quęcunque autem dixi de substantia nucleorū chrysomelorum extracta ab ea oleaginositate vehementer, eadem, seu consimilia dico de substantia granorum cataputiæ maioris extracta ab eis oleaginositate vehementer.

De Oleandro seu rhododaphne. Cap. XXI.

OLeander est planta, cuius alia est syluestris nascens in desertis domibus, alia est fluuialis nascens in ripis fluuiorum: vocatur autem ab aliquibus nereo, ab aliquibus rhododendron, & ab aliquibus rhododaphne, & ab aliquibus desle, vel adelfa Hispanicè, vel elfa.

NATVRA eius & præsertim foliorum eius, aut succi eorum, aut florum seu fructuum, seu cornuum eius, calida est in tertio gradu & sicca in secundo, & est valde resolutiua & mordicatiua & incisiua, cum venenosa proprietate, adeò, vt bibere aquam in qua nascitur oleander, aut ab ipso obumbratur, aut in ipsa balneari, aut bibere de aqua calefacta cū ipso, aut balneari in aqua seu balneo calefacto cum eo, aut comedere aliquid assatum in veru ex eo facto: & diu morari & præsertim dormire sub vmbra eius, inducat accidentia infrascripta.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem cuiuslibet prædictorū, sunt angustia vehemens, rugitus, & inflatio ventris, dolor ventris, alienatio mentis, æstuatio, & inflammatio & ventris fluxus & syncope, & mors nisi succurratur. Causa angustiæ vehementis, est eius acuitas incisiua & mordicatiua. Causa rugitus & inflationis ventris, est ipsius caliditas euaporās & ventosans materias phlegmaticas existentes præcipuè in intestinis. Causa doloris vētris, sunt ventositates ab ipso in ventre cōmotæ, & mordicatio in eo ab ipso facta. Causa alienationis, sunt vapores caliditate sua ad cerebrum eleuati. Causa æstuationis & inflammationis, est ipsius caliditas excessiua. Causa fluxus ventris, est mordicatio & excoriatio intestinorum facta ab ipsius natura siue complexione mordicatiua & incisiua. Causa sincopes & mortis, nisi succurratur, sunt accidentia præfata, & nocumentum cordi communicatum, præsertim ob ipsius venenosam proprietatem.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita.

PRAESERVATIO fit se bene custodiēdo ab omnibus suprascriptis.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus, statim infra describam. Rasis 20 Cōtinentis, cap. 2: Oleander calidus est & siccus, interficit homines

mines & quadrupedia. Inquit Maserinei, quòd cura eius est aqua decoctionis agni casti. Oleander occidit homines & alia animalia. Cura est dare aquã decoctionis fœnugræci & dactylorum. Ait filius Patriarchæ: Oleander inflat ventrem & facit dolores & alienationem. Cura: Prouoca vomitum cum aqua decoctionis fœnugræci, dactylorum, foliorum maluæ, oleo & aceto forti: & clysterizetur cum aqua & melle, & postea cum clysteribus lenitiuis. Rasis 8 Almansoris, cap. de His quibus oleander datus fuerit: Nocumento ipsius affert remedium, vt post vomitum dactylorum & fœnugræci apozema sumatur. Semen quoq; agni casti ex proprietate & virtute, quæ est in eo, si in comestione aut in potu tribuatur, remedium affert non solùm hominibus, sed etiã animalibus: manifestè enim remouet nocumentum quod fit ab oleandro ex proprietate quæ inest ei. Si autem ilico post eius haustum vomitu prouocato succus herbarum mucillaginosarum, sicut maluauisci & sisami tribuatur, remediũ affert: quod etiam operatur rerum vnctuosarum dosis, vt butyri cocti & crudi. Ad hoc similiter confert clysterizari prius cũ hydromelle & baurach, & postea cum mucillaginibus & oleis. Ficus quoq; comedere & mel & saccharum & arob de musto, id est sapam seu vinum coctum & omnia dulcia & vnctuosa auxiliatur. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secũdo, cap. de Sumptione desle, id est oleandri: Curatio eius, est cum vomitu, deinde fiat clystere cum baurach & sale & melle & albumine oui & aqua decoctionis lentium: & comedat pulmentum de hordeo & semen lini & fœnugræci cocta cum radicibus althææ & oleo sisamino. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Oleandro & eius cura: Oportet, vt sumat decoctionem fœnugræci & dactylos & ascechebir, id est, vt credo, sisamum, aut fortè anethum: quia sebec est anethum, quoniam sunt mirabiles: & semẽ agni casti & agnus castus ipse & decoctio amborum, est theriaca eius, & ficus cum melle & saccharo & iuleb & dulcia omnia, & rob vuæ est bonum: & cum hoc necessaria sunt vnctuosa & viscosa, quæ sciuisti multotiens, & sequi eam cum clysteribus. Haliabas in Regali dispositione, quarto Practicę, cap. de Eius medicina qui rhododaphnen, id est oleandrum biberunt aut scillam: Patienti vomitum indica & lahaba, id est mucillagines cum oleo rosaceo da, dactylosq; & fœnugręcum & butyrum iuraq; pinguia & fercula quæuis alia cum butyro & lactis pinguedine facta, amygdalinoq; oleo & similibus. Fertur autem quoniam rutæ semen si coctum animali, quod illud bibit, propinetur, prodest, & à morte liberatur. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Succo oleandri propinato, vel cornu, vel cortice eius, & cap. de cornubus oleandri, & de eo qui comedit assaturam in veru exciso ex oleandro, aut qui dormierit sub vmbra oleãdri, aut qui bibit aquam fluminis, super cuius ripis crescit oleander, cuius copia est in insula Sardinia. Eius cura est sumere diacastoreum datum in potu ʒ.ij. Et eius bezaar, est granum iuniperi tritum in quantitate ʒ.ij. cum vino.

De Anacardo & melle anacardino. Cap. XXII.

ANacardus est fructus arboris, & mel eius est liquor quidam similis melli, qui continetur in porositatibus corticis eius, qui quidem cortex frangibilis est & porosus valde.

NATVRA cuiuslibet eorum, calida est & sicca in quarto gradu, & est adustiua & vlceratiua: Et cum ex eo sumitur pondus duorum aureorum, interficit: nisi fortè assumenti inesset specialis proprietas qua ei non noceret.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem cuiuslibet prædictorũ, sunt incensio vehemẽs in gutture & in concauitate ventris, scilicet stomachi & intestinorum, & inflãmatio totius corporis, & ægritudines acutæ & alguesgues

ſeu alienatio mentis. Cauſa omnium præfatorum accidentium, eſt aduſtio cau
ſata in gutture & in ventre ſeu in ſtomacho & in inteſtinis & in toto corpore,
& in eius humoribus ab exceſsiua caliditate & ſiccitate cuiuslibet prædicto-
rum. Cauſa autem alienationis mentis, eſt eleuatio vaporum & humorum me-
lancholicorum generatorum ex aduſtione ad cerebrum.

SIGNA aſſumptionis cuiuslibet prædictorum, ſunt accidentia præfata,
& diligens informatio habita de illorum aſſumptione.

PRAESERVATIO ab aſſumptione eorum, fit cum diligenti euitatio-
ne eorum & bene cuſtodiendo, ne ad ſeruientis perſonæ ſuſpectæ manus eo-
rum aliquod perueniat. Præſeruatio verò ab eorũ nocumentis fit comedendo
cum eis nuces, quę equidem habent ſpecialem proprietatem id operandi.

CVRA verò perficitur cum his, quæ ex auctorum mentibus, ſtatim infra
deſcribam, ſubueniendo accidentibus conſequentibus cum his, quę ab aucto
ribus in proprijs cap. enarrantur. Raſis 20 Cõtinentis, cap. 2: Mellis anacar-
dini aur. ij. interficiunt. Ait filius Patriarchæ: de anacardo ſi dentur aur. ij. occî-
dit. Cura: Prouoca vomitum, & laxetur venter: & accipiat poſt hoc multum
butyrum, & inſtilletur de eo per nares, & comedat pineas, & bibat lac capri-
num & aſininum, & liniatur caput eius cum oleo violaceo, & inſtilletur de eo
parua res, & bibat brodia vnctuoſa cum aqua niuis, & ſumat res infrigidantes
& humectantes. Et ſimilis huic, eſt cura contra agaricum nigrum. Raſis octa-
uo Almanſoris, cap. de His quibus datus fuerit anacardus: In principio buty-
rum coctum & crudum & oleum ſiſaminum, donec ſuctio & mordicatio, ſi ex
eis aliquid in ventre ſentitur ac gutture, ſedentur, ſunt danda. Poſtea verò a-
qua hordei & lac vaccinium acetoſum in potu ſumantur, & oleum violaceum
olfaciant. Caput quoq; ex medicinis, quæ in cap. algueſgues ęgritudinis, id eſt
alienationis nominantur, epithimetur. Sed & pſyllij mucillago cum iuleb &
ſuccus granatorum in potu ſumantur. Ea quoque, quibus conſeruantur, ſem-
per ſunt infrigidanda. Ex his autem, quæ cum proprietate in eis exiſtente con-
tra anacardum valent, ſunt nuces, quæ ad hoc ſunt valde vtiles. Albucaſis
ſecunda particula Azarauij, tractatu ſecũdo, cap. de Sumptione anacardi: Cu-
ratio eius, eſt cum vomitu & clyſterij adminiſtratione & regimine, quod de-
ſcriptum eſt in potione euphorbij. Et comedat butyrum & fructus pineæ, &
bibat aquam hordeacam, & lac vaccinum acetoſum, & odoret oleum viola-
ceum. Quod autem ſua proprietate confert ad hoc, eſt comeſtio nucum: quo-
niam eſt hoc expertum. Auicenna ſecundo canone, cap. de Anacardo: Ana
cardus, eſt ex ſumma venenorum & interficit & adurit humores. Et eius qui-
dem theriaca, eſt lac vaccinum butyro inde extracto: Et oleum nucis frangit
virtutem eius. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Anacardo & eius cu
ra: Dentur in potu oleum amygdalinum & ſiſaminum & butyrum crudum &
coctum & lac dulce & vnctuoſa ex iuribus, & eis quæ currunt hoc curſu, vt ſe-
dentur mordicatio & madhidh, id eſt exiccatio: deinde detur in potu lac ace-
toſum vaccinum infrigidatum cum niue & oleum violaceum infrigidatum, &
aqua hordei infrigidata, & aqua fructuum infrigidata: Et ſedeat in aqua dacty
lorum immaturorum: & curetur curatione ſcirſen, id eſt apoſtematis calidi ce-
rebri: Et de rebus quibus curantur, ſunt grana pini: & nux eſt eorum bezaar.

Haliabas quarto Practicę, cap. de Eius medicina qui caſtoreum & beleda-
rum, id eſt anacardum biberit: Oportet ei qui biberit, vomitum cum butyro &
lactis pinguedine & oleo roſaceo exhibere: deinde lac bibat recẽs & acidum
cum liliga, id eſt radice mali granati vel endiuia, & oleo roſaceo. Et ſi punctu-
ram & ardorem circa gurgulionem patitur, oleum roſaceum gargarizet, aut
cucurbitæ ſeminis oleum & amygdalarum cum lacte dulci, ſpumamq; ſeminis

cydoniorum, id est mucillaginem seminis cydoniorum, nec verò auferas ab eo hordei aquam cum amygdalarũ oleo diebus multis. Hunc mezauris, id est iuribus seu cibis liquidis paices, & cucurbitis & spinachijs & atriplicibus cum amygdalarum oleo multò. Et da seminis cucurbitæ medullam & cucumeros & citrulos. Gilbertus Anglicus septimò sui Compendij medicinæ, cap. de Anacardis: Secũdum diuersitatem accidentium oportet, vt diuersificetur medicatio. Quando enim facit mordicationem & incisionem, aliàs incensionem, medicandum erit cum rebus vnctuosis, sicut oleo amygdalino & sisamino & butyro, & lacte dulci & iuribus vnctuosis, & lacte infrigidato cõmuni & conuenienti. Quando autem facit corrosionem plurimam in intestinis, cõueniens est balneum, quia extinguit naturam eius venenosam, & resoluit eam. Quando autem inducit febrem acutam, oportet regere infirmum regimine acutarum, ita tamen quòd vtatur attenuante dicta. Quando autem accidit alienatio mentis, somnus est prouocandus, sicut cum semine lactucæ & papaueris albi: quando decoquitur cum lacte mulieris & exhibetur, & fiat inunctio temporum cum populeon & aceto. Guilielmus de Placentia tertio suæ Practicæ, parte secunda, cap. 8: Cura anacardorum, fit cum oleo amygdalino & sisamino & butyro crudo & cocto, & lacte & oleo de semine lini, & iuribus pinguibus. Et post sedationem mordicationis, sumatur lac acetosum vaccinum infrigidatum cum niue, & oleum violaceum infrigidatum, & aquam hordei, vel aquam fructuum infrigidatam, & sedeat patiens in aqua decoctionis gallarũ vel myrtorum vel sorbarum. Et curetur cum cura apostematis calidi: Et grana pini curant malitiam huius rei: & nux est eorum theriaca propriè. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Anacardis propinatis: Eius cura, est cum rebus vnctuosis, sicut oleo amygdalino & sisamino ex butyro & lacte & iuribus gallinarum: Et si dolorem habebit in intestinis, tunc conueniens est balneum: Et si incurrit febrem acutã, tunc est conueniens vti attenuatione diætæ frigidę & humidæ: Et si fuerit mentis alienatio, prouocetur somnus cum semine lactucæ & papauere albo: Et eius bezaar, sunt grana pini torrefacta & comesta.

De Apio risus seu kebikegi. Cap. XXIII.

APium risus ab Auicenna vocatur kebikegi: à Dioscoride vocatur βατράχιον: ab aliquibus verò vocatur apium raninum. Et est planta, cuius quatuor sunt species.

NATVRA eius calida est, & sicca in tertio gradu, & est acuta, adustiua, vlceratiua, excoriatiua & mordicatiua, & interfectiua acuitate sua.

ACCIDENS speciale & proprium consequens ipsius assumptionem, est amentia cum ferè cõtinuo risu: & ob hoc vocatur apium risus. Accidentia verò cõmunia, sunt accidentia similia cõsequentibus assumptionem anacardorum, remissiora tamen. Causa amentiæ cum risu, est adustio sanguinis præcipuè: ex qua adustione generatur humor melancholicus, qui eleuatus ad cerebrũ & in ipso permanẽs, generat amentiam seu speciem melancholiæ cum risu, sicut est de natura humoris melancholici causati ex adustione sanguinis.

SIGNVM assumptionis eius, est accidens præfatum, & diligens informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò similis est curæ assumptionis anacardorum. Quæ autem ab auctoribus specialiter pro eius cura dicũtur, statim infra describam. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap de Kebikegi: Est de eis quę interficiunt acuitate sua. Cura est similis curę anacardorũ: Et olea sunt de rebus magis iuuatiuis nocumento eius. Petrus de Abano, in suo tract. de Venenis, cap. de Apio risus:

Cura est prouocare somnum cum potu vini inebriantis. Et eius bezaar, est succus melissæ cum aceto datus in potu.

De Staphide agria. Cap. XXIIII.

STaphisagria est planta producens grana similia vuæ passæ, videlicet grana ciceris nigri, & propterea dicitur vua passa montana.

NATVRA eius calida est, & sicca in tertio gradu, & est acuta valde, & multum abstersiua & adustiua & corrosiua & vlceratiua, & præcipuè vesicæ & viarum vrinæ.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius consequentia, & eorum accidentium causæ, & eius assumptionis signa & præseruatio & cura, sunt omnino similia accidentibus & accidentium causis & signis assumptionis & præseruationi & curæ cantharidarum infrà dicendis in immediatè sequēti quarto lib. cap. de Cantharidarum quiditate &c. Et ideo pro huius cap. complemento, recursum habeas illuc. Sic nanque illustres voluere doctores. Albucasis aūt secunda particula Azarauij, tractatu secundo, facit de ipsius assumptione cap. speciale sic inquiens.

SIGNVM eius, est quia superueniunt super eo vlcerationes in vesica & renibus & guttatio vrinæ, & possibile est eum mingere cum ardore & dolore.

CVRATIO ipsius, est quòd bibat aquam decoctionis liquiritiæ cum modico gummi tragacanthæ, & bibat aquam decoctionis sebesten cum semine fœniculi, & apij, & sumat ptissanam de hordeo in aqua in qua coctæ sint amygdalæ dulces & sebesten.

De Ruta syluestri. Cap. XXV.

RVta syluestris, est planta similis rutæ domesticæ ad nigredinem magis tendens.

NATVRA eius & præcipuè siccæ, calida est & sicca in quarto gradu, & est fortiter resolutiua, incisiua, adustiua & vlceratiua, & est perniciosa si plurimum de ipsa vel eius succo sumatur.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius præsertim in notabili quantitate, sunt egressio oculorum, adustio & inflammatio vehemens & ardor vehemens in ventre. Causa egressionis oculorum, est inflāmatio fortis eis adueniens propter quam ad eos currunt materiæ facientes eos egredi. Causa adustionis & inflammationis & ardoris vehementis præsertim in ventre, est eius excessiua caliditas adustiua adurens loca per quæ transit, sicut est stomachus & intestina.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta, & diligens informatio habita de illius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus, statim infra scribentur, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur. Rasis 20 Cōtinentis, cap. 2, auctoritate filij Patriarchæ: Quicunque rutam syluestrem sumpserit, accidit ex hoc eminentia oculorū & ardor & inflammatio. Cura eius, est vt prouocetur vomitus cum oleo & aqua. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2, cap. de Sumptione rutæ syluestris: Curatio eius, est quòd faciat vomitum cum aqua calida, & oleo communi cum secaniabin, id est oxymelle, & administrētur clysteria lenia: vel bibat ex cineribus sarmentorum vineæ cum aqua & aceto. Curatio autem tactus ipsius, est cum vnctione ceroti, & cum vnguento de calce. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Ruta agresti & cura eius: Oportet, vt euomat cum

cum aqua calida & oleo, deinde curetur cura oleãdri & similium. Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 20, cap. de Ruta: Syluestris horrida ad effectũ est, & ad omnia acrior: succus exprimitur cum ea aspersa modicè aqua, & in pyxide Cypria asseruatur: hic copiosior datus veneni noxiam obtinet Macedoniæ maximè iuxta flumẽ Anacinium, mirumq; cicutæ succo extinguitur, adeò etiam venenorum venena sunt, cicutæ succus prodest manibus colligentiũ se.

De gummi Rutæ agrestis, id est thapsiæ seu tesisiæ. Cap. XXVI.

GVmmi rutæ agrestis, est gummi tapsiæ, quam quidam nominant rutam agrestem & præcipuè Auicenna: sed non est illa ruta agrestis, de qua in præcedenti cap. facta est mentio, licet sit consimilis operationis: præfatum autem gummi rutæ agrestis Auicenna secundo Canone, cap. de Tesisie, vocat tesisie. Illachrymat autem præfatum gummi ex tapsia planta paruis incisionibus in ipsius radice factis: non autem sic facit vera ruta agrestis, qualitercunq; enim ipsa incidatur nullum gummi emanat neq; planta neq; radix eius.

NATVRA eius, est calida valde, adustiua, fortis calefactionis & exiccationis, ab auctoribus tamen non graduatur: verisimile tamẽ est ipsam ad quartum gradum attingere, tam caliditatis quàm siccitatis, & in ipso est quædam superflua & extranea humiditas. Et in ipso gummi & cortice radicis & in ipsa radice & in succo tam radicis quàm plantæ, est virtus solutiua & vomitiua, adustiua, mordicatiua & inflatiua. Verum gũmi cæteris est efficacius, deinde succus radicis & plantæ simul, deinde succus solius plantæ, deinde cortex radicis eius, deinde radix tota, & deinde planta eius.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem præfati gummi præcipuè, & etiam cæterorum prædictorum, sunt retentio egestionis & vrinæ & apostematio linguæ & rugitus & inflatio in stomacho & in intestinis & adustio in gutture & stomacho & egressio oculorum & rubedo faciei, & aliquando sceræ, id est pustulæ, seu maculæ rubeæ late paruæ in toto corpore & difficultas anhelitus. Causa retentionis egestionis & vrinę præsertim in principio, est exiccatio superflua, & præcipuè viarum egestionis & vrinæ. Causa apostemationis linguæ, est eius adustio, & mordicatio & vlceratio: propter quod ipsa apostematur. Causa rugitus & inflationis in stomacho & in intestinis, est ventosatio humiditatum phlegmaticarum existentium in stomacho & intestinis facta præcipuè à prædicto gummi propter quandam superfluam & extraneam humiditatem in ipso existentem. Causa adustionis in gutture & stomacho, est ipsius adustiua caliditas primitus gutturis & stomachi partes attingens. Causa egressionis oculorum, est calefactio & inflammatio fortis eius adueniens, propter quod ad eos currunt materiæ eos egredi facientes. Causa rubedinis faciei, est exacuitio & supercalefactio & ebullitio sangninis habentis raptum ad faciem. Causa sceræ seu macularum rubearum in corpore, est inflammatio & ebullitio facta in sanguine, quẽ postea in parte natura expellit ad cutim faciendo prędictas maculas rubeas in toto corpore. Causa difficultatis anhelitus, est fortis exiccatio musculorum pectoris, propter quam redduntur inepti ad dilatandum pectus & constringendum: quare difficultatur anhelitus.

SIGNA assumptionis eius & cuiuslibet alterius prædictorũ, sunt accidentia pręnarrata, & diligens informatio habita de alicuius eorum assumptione.

PRAESERVATIO fit, diligenter se præcauendo ab eius & cuiuslibet aliorum prædictorum assumptione.

CVRA fit similiter, sicut cura assumptionis rutæ agrestis prædicta, & in immediatè præcedenti cap. Fit etiam cum his, quæ ex auctorum mentibus, statim infra describam. Galenus in suo de Simplicibus, lib. 10, cap. de Lacte: Sic

denique videntur mihi medici contra pernitiosa pharmaca, quæ per corrosionẽ interimunt, suasi fuisse propinare lac, sicut marinus lepus interimit & catharis. Quidam autem propinant eis, qui aconitum vel tapsiam biberũt: sed hæc quidem rationabiliter excogitauerunt &c. Albucasis secunda particula Azarauij, cap. de Sumptione tapsiæ: Eius curatio, est sicut curatio rutæ syluestris. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Tesisiæ, id est gummi rutæ syluestris, id est tapsiæ: Cura est, vt properes, vt euomat & sumat in potu post illud lac, & butyrum coctum & crudum & aquam hordei, & gargarizet cum oleo rosaceo & lacte dulci: Et dentur in potu syrupus acetosus, & infusio absinthij, & ex eis, quæ nota sunt apud eos, sicut bezaar est, semen eius & gluten albotin, id est terebenthina, & radix almaru, id est vnius speciei marrubij boni odoris: & decoctio origani, & iterum dicitur quòd castoreum cum aceto calefacto aut melle: & hoc forsitan est secundum semitam proprietatis, aut secundum semitam expellendi à corpore cum resolutione: verùm secundum apparitionem necessitatis, infrigidatio, est conuenientior.

De Gilbenech. Cap. XXVII.

GIlbenech est planta.

NATVRA eius est propinqua seu similis naturę cõdisi & hellebori.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius consequẽtia, & eorum accidentium causæ, & signa assumptionis eius & præseruatio & cura, sunt similia accidentibus & causis, & signis, & præseruationi, & curæ condisi, & hellebori albi dictis superius in 2. cap. præsentis libri.

De Dende. Cap. XXVIII.

DEnde est planta, & est vna de speciebus tithymali seu lacticinij, quę diuersificatur secundum diuersas regiones, adeò, vt videatur esse diuersarum specierum: quarum vna habet grana sicut fistici seu pistaceæ: & altera est similis alkeruæ, seu pentedactylo. Et dicuntur etiam prædicta grana seu semina dende: quia in eis est fortior virtus, quàm in planta, sicut in seminibus keruæ: quibus ferè in virtute dende assimilantur: & etiam grana vnius speciei dende assimilantur granis keruæ.

NATVRA eius, est calida valde & fortissimè solutiua phlegmatis, videlicet & melancholiæ: cuius dosis communis, est granum vnum & dimidium: & conclusiuè est similis naturæ tithymalorum dictæ superius in 5 cap.

ACCIDENS principale consequens assumptionẽ ipsius, est solutio ventris fortissima valde inducens aliquando tenasmum. Causa præfatæ fortissimę solutionis, est ipsius proprietas fortissimè solutiua. Causa tenasmi, est excoriatio intestini recti.

SIGNVM assumptionis eius, est accidens præfatum, & diligens informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter se pręcauendo ab illius assumptione.

CVRA est similis curę tithymalorum supradictæ in 5 cap. Et ideo pro huius curæ complemento recursum habeas illuc: Quæ autem ab auctoribus specialiter pro huius cura dicuntur, statim infra describam. Serapio in libro de Simplicibus, cap. de Dende: Intra ipsum, est lingua similis linguæ auis, quæ est venenum: laxat enim laxatione forti, & inducit tenasmũ. Oportet ergo quod potator eius euomat primò, & postea detur sibi in potum butyrum & lac: & detur sibi ex medicina, quæ retinet ventrem, in qua est viscositas, sicut portulaca & psyllium & gummi Arabicum & tragacantha. Et dentur pultes oryzæ, & hordei mundati cum oleo rosaceo, siue saccharo. Et sumantur carnes incisæ cum succo pomorum & agresta, & roretur desuper parũ nitri & comedat pisces

pisces & similia his. Habix dixit: Potus verò dende est cōueniens in terris frigidis, sicut est Seni, & in alijs similibus. Et ego consueui quando assumebat ipsum, & assellabat nimis, iubere quòd sederet in aqua frigida, aut quòd funderetur super corpus eius, quia cessabat assellatio. Et ipsum quidem est medicina, quæ si non iuuatur ad retinendum fluxum ventris eius, qui sumit eam, occidit.

Rasis 8. Almansoris, cap. de His quibus in potu dende datæ fuerunt: Ex hoc prouenit fluxus vētris fortissimus: Eius autem actio reprimenda est ex donatione lactis. Ea quoq;, quæ ventrem stringunt, danda sunt. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Dende: Accidit ex eis solutio ventris maxima valde. Cura eius: Oportet, vt euomat si potest, & frangatur virtus eorum in potu dando butyrum crudum, & lac potum post potum: aut detur in potu lac extracto butyro: Et elaboretur in prohibendo solutionē ventris. Et quandoq; succurrit ad nocumentum earum & prohibendum solutionem ventris earum theriaca.

De Amorabdaruch. Cap. XXIX.

AMorabdaruch planta est, de qua nō reperi auctores de simplicibus pertractantes, facere mentionem.

NATVRA eius, est calida & sicca valde venenosa & sanguinis adustiua.

ACCIDENTIA eius assumptionem consequentia, sunt pruritus & apostema calidum mortale. Causa pruritus, est adustio sanguinis, Causa apostematis calidi mortalis, est adustio & ebullitio in sanguine facta.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò secundum Auicennam quarto canone fen vi. cap. de Amorabdaruch, est similis curę euphorbij supra descriptæ, cap. 4. præsentis libri.

De Visco. Cap. XXX.

VIscus equidem fit ex fructu seu granis plantæ nascentis super quercu seu arbore glandium, & aliquando super arbore pomorum, & aliquando super arbore pyrorum, & aliquando super diuersis alijs arboribus: fit etiam aliquando viscus ex ipsa planta.

NATVRA eius, calida est & sicca in tertio gradu: & in ipso est superflua quædam humiditas non digesta: propter quam in operatione sua pigritare videtur, sicut gummi rutæ agrestis & tapsiæ, verùm præfatum gummi, est vigorosius. Et si de eo multum sumatur, interficit vsq; ad quatuor dies.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt capitis vertigo & permistio intellectus, rugitus in ventre, & punctura absq; fluxu vētris. Causa rugitus in ventre, est ipsius caliditas cuidam superfluæ humiditati & viscositati coniuncta, ventositates generans. Causa puncturæ absq; fluxu vētris, est ipsius caliditas mordicatiua pungens, & ipsius superflua & viscosa humiditas retinens & stipticans aliqualiter. Causa vertiginis capitis & permistionis intellectus, est præcipuè ipsius excessiua caliditas faciens humores euaporare ad caput.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prędicta, & diligens informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit, diligēter se pręcauendo ab eius assumptione & bene custodiendo, ne ad seruiētis suspectæ personæ manus ipsum perueniat.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus, statim infra describam: subueniendo accidentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Absinthio. Absinthiū bibentibus conium, id est cicutam aut vxianam, id est viscum &c. cum vino

bibitum prodest &c. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2, cap. de Sumptione adibich, id est visci: Curatio eius, est quòd vomat & bibat lac recens & nutriatur omni brodio pingui & absorbeat ipsum & bibat absinthiũ cum vino: quoniam eius curatio est. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Adibich, id est visco: Oportet, vt in cura dentur aqua & mel, & euomat ea: Et clysterizentur clysteri leni: & confert ei sumere in potu absinthium cum vino & syrupum acetosum, & illud quod appropriatur cum decoctione erucæ: & iterum spica cum castoreo & pipere euaporetur cum aqua calida & aceto.

Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 20, cap. de Ruta: Quæcunq; autem ruta aut per se, aut cum antidoto valet folijs tritis & pro vino sumptis & contra aconitum, & maximè viscum &c.

De Tragorigano.

Tragoriganon, simile est serpyllo syluestri. Contra viscum potum viperæq; ictum efficacissimum.

Libro 23 cap. de vino Cæcubo & viribus vini: Merum quidem remedio est contra viscum &c.

De Oxymelle.

Oxymel antiqui profuisse fatentur contra viscum &c.

Lib. 24. cap. de Resina lentisci: Reliquæ resinæ priuatim aduersantur visco.

Libro 27 cap. de Absinthio: Absinthij, genera plura sunt, aduersatur visco & cicutæ &c.

Libro 28. cap. de Remedijs ad morsus bestiarum & ad venena: Asinino lacte poto venena restinguuntur, peculiariter si hyoscyamus potus sit, aut viscum &c. Caprinus caseus recens his, qui viscum biberint, remedio est &c. Coagulus hœdi contra viscum & chamæleonem album, sanguinemq; taurinum: contra quem & leporis coagulum ex aceto sumitur.

Lib. 32 cap. de Medicinis ex castoreis: Testes castorum medentur poti contra venena: differentia tantùm contra genera est misturæ. Auxiliantur priuatim contra viscum ex aceto. Guilielmus de Placentia secũdo suæ Practicæ, cap. 8: Introducatur vomitus cum aqua calida, melle & sale. Clysterizetur cum eisdem rebus & oleo: & sumat theriacã cũ aceto & aqua decoctionis absinthij & erucę, piperis & castorei, vel cum syrupo acetoso cõposito quod melius est.

De Alodin seu aldedin. *Cap.* XXXI.

ALodin seu aldedin, est planta venenosa: ipsam tamen ab auctoribus de simplicibus pertractantibus descriptam non inueni.

NATVRA eius, calida est valde & sicca cum venenosa proprietate.

ACCIDENTIA assumptionem eius consequentia, & eorum accidentium causæ, sunt similia satis accidentibus & eorum causis prouenientibus ex assumptione euphorbij dictis in 4. cap. pręsentis libri.

PRAESERVATIO etiam & cura sunt cõsimiles: Iuxta tamen Auicen. in 4 Canone, fen vi. cap. proprio: cura fit cum eo, quod facit vomere, & solutionem ventris cum generibus lactis & vnctuosis secũdum modũ quẽ sciuisti.

De Scilla præcipuè agresti. *Cap.* XXXII.

SCilla est cæpe muris, sic vocata, quia murem interficit.

NATVRA eius calida est in tertio gradu, & sicca in fine secundi: & secundum Rasim 21 Continentis cap. de Scilla, auctoritate Abugerig, est calida & sicca in tertio, & est pungitiua, incisiua & acuta valde cum venenosa proprietate præcipuè natura scillæ agrestis.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius pręcipuè in magna quantitate,

quantitate, sunt indignatio seu dolor stomachi, fortis vomitus, vlceratio intestinorum & viarum hepatis. Causa indignationis seu doloris stomachi, est ipsius natura acuta valde pungitiua & incisiua mordicās stomachum. Et hęc eadem, est causa fortis vomitus, & hæc eadem est causa vlcerationis intestinorū & viarū hepatis cum præsertim punctio eius, incisio & mordicatio perseuerat.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta, & diligens informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus, statim infra describam, subueniendo accidentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur. Rasis 21 Continentis, cap. de Scilla: Ait Abugerig, est calida & sicca in tertio, vlcerat cutim & interficit murem: & confert eius vlceribus lithargyrus. Rasis octauo Almansoris, cap. de His quibus nocumentum potus scillæ intulit: Cum ex haustu eius punctio & incisio acciderit, oportet, vt lac cum frustis ferri igniti coctum detur: puluis quoq; de supercilio Veneris, id est millefolio ad sorbendum tribuendus est: nutriendus aūt est cum vitellis ouorum, & medicandus est reliquis medicinis, quæ in cap. de Cura vlcerum intestinorum nominantur. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Sumptione cæpæ scillæ: Curatio eius, est quòd vomat cum aqua calida & oleo cōmuni: deinde comedat coctana & grana myrti & anthera, id est fructus rubeos in autumno in rosarijs remanentes, postquam rosarum folia ceciderunt & pyra: & bibat succum alhuseg, postea vngatur corpus cum oleo de ben: quoniam aufert eius nocumentum. Auicēna quarto Canone, fen vi. cap. de Scilla agresti: Oportet, vt festinet & sumat in potu lac decoctum cum frustis ferri ignitis & vitellis ouorum elixatorum in aceto & suffuf, id est pulueribus seminum, id est seminum minorum frigidorum: vtputa seminum portulacæ & similium & cum frixis & similibus. Plinius Secundus de Naturali historia lib. 23 cap. de Nucibus iuglandibus: Nuces præsumptę venena hebetant: Aduersantur cępis, leniuntq; earum saporem. Haliabas in Regali dispositione quarto Practicę, cap. de Eius medicina qui rhododaphnē, id est oleandrum biberit aut scillam: Cui autem scilla porrecta est, propinetur lac recens, & terræ puluis conditus, id est puluis terræ sigillatæ: siquidem dysenteria acciderit. Sin autem oui album, & lahabum, id est mucillago seminis cydoniorū in quo gummi Arabicum solueris. Et paulatim amygdalarū oleum dulcium sorbeat & sisami, iuraq; espidabagi vnctuosa.

De Aconito lycoctono & pardalianche. Cap. XXXIII.

Aconiti secundum Dioscoridem in lib. de Simplicibus, cap. de Aconito, duo sunt genera: vnum quidem communiter vocatur strangulator adip, id est lupi: quem Petrus de Abano in tractatu de Venenis asserit esse vsuen, id est herbam kali: Aliud verò strangulator leopardi.

NATVRA vtriusq;, est calida & putrefactiua & corrosiua, nullum tamen ipsorū ab auctoribus de simplicibus pertractātibus graduatur: similis autem sunt virtutis, differentia solummodo: quia vnum ipsorum proprietatem specialem habet interficiendi lupum, & aliud leopardum: quanuis quodlibet eorum interficiat etiam de alijs animalibus, & etiam homines quod peius est: imo nisi acceleretur erga sui curationem, interficit eadem die sumptum præcipuè in notabili quantitate. Vsuen attamen natura secundum aliquos, est calida & sicca in tertio gradu, & secundum aliquos in quarto gradu, & est adustiua: cuius ʒ. x. sunt venenum perniciosum & interficiens.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem vtriusq;, sunt superuen-

tus dulcedinis cum ponticitate in palato & vuea & meri, & canna pulmonis, & siccitas cum apostemate, & superuentus odoris vini, & eleuatio ex ore eius vaporum fumosorum peruenientium ad læsionem separationis linguæ, & tremorem temporum, deinde ad spasmum & offuscationem coloris & præfocationem, & vertigo capitis, & præcipuè cum stat pedibus, & grauitas capitis & liquor in oculis, & tenebrositas oculorum & scotomia, præcipuè quoties vult ire & grauatio pectoris & rugitus in ventre cum ventositate plurima, & cum egressione eius de subtus, & aliquando mors eadem die, nisi citò subueniatur. Causa superuentus dulcedinis, videlicet in principio, est ebullitio & cōmotio sanguinis ad linguam, dulcedinem in principio repræsentans: & postea successiuè ponticitatem in palato, & vuea, & meri, & canna pulmonis, non verā ponticitatem, quia illa frigiditatem sequitur, sed ponticitatem, id est acetositatem seu acredinē, quæ sanguinis ebullitioni succedit: deinde sequitur in dictis partibus siccitas propter caliditatem & siccitatem eisdem inductā: postea sequitur in eisdem partibus apostema propter humores ad illas partes currentes. Causa superuentus odoris vini, videlicet cum ipsum acetosatur, est ebullitio sanguinis, cum ad acetositatem seu acredinem tendit. Causa eleuationis ex ore eius vaporum fumosorum peruenientium ad lęsionem separationis linguę, est humorum ebullitio euaporātium ex ore seu palato ad linguam, qui etiam euaporantes ad tempora causant tremorem eorum propter læsionem eis à dictis vaporibus cōmunicatam: postea verò euaporantes ad cerebrū, & consequenter descendentes ad neruos & musculos corporis de repletione spasmum inducunt. Causa offuscationis coloris, est corruptio seu resolutio caloris innati & adustio sanguinis. Causa præfocationis, est descensus humorum ad guttur & pulmonem & pectus. Causa vertiginis capitis, est eleuatio fumorum & vaporum ad cerebrum & descensus eorum cum motu reuolutiuo ad oculos, & præcipuè cum stat pedibus: quia tunc vapores & fumi amplius agitantur. Causa grauitatis capitis, est eleuatio vaporū ad caput facta propter ebullitionem causatam in humoribus, ex quibus vaporibus cōuersis ad naturam humorum à quibus ipsi eleuantur, pars quædam descendit ad oculos faciens liquorem in eis & causans tenebrositatem in ipsis. Causa scotomiæ, sunt vapores eleuati ad caput descendentes consequenter ad oculos absq; eorum reuolutione, & pręcipuè quoties vult ire, quia tunc melius vapores descendunt ad oculos. Causa grauationis pectoris, est descensus humorum ad pectus propter ebullitionem causatam in eis, & præsertim propter humores ad ipsum à capite descēdentes. Causa rugitus in ventre cum ventositate plurima, & ipsius de subtus egressione, est ventositas multa ex phlegmaticis humoribus in intestinis à caliditate ipsius ventositatis, quam equidem ventositatem natura de subtus quantū potest expellit. Causa mortis eadem die, nisi citò subueniatur, est sæuitas pręfatorum accidentium, & præfocationis præcipuè.

SIGNA assumptionis vtriusq; ipsorum, sunt accidentia prædicta, & diligens informatio habita de alicuius eorum assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter se custodiendo ab vtriusque eorum assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ statim infra de auctorum mentibus enarrabo: subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Aerugine ferri: Scoria ferri tantum potest, quantum & ærugo eius, sed paulo minus. Cum oxymelle datur aconitum bibentibus & prodest.

De Moro.

Mori radicū cortex in aqua coctus & potus, ijs qui aconitū hauserūt prodest.

De Chamæ

De Chamæpity.

Chamæpityos species sunt tres: vna quarum est speciosa super terram, giborosa, semperuiuo minori, id est vermiculari simili folia habet, sed tenera & pinguiora & aspera & spissa, circa virgas odorem redolentia pini, ramulos emittit oblongos & curuos in similitudinem anchusæ, id est lactucę asini, seu abugilissæ, & fruticulum tenuem: & semē cum tenui coma, flores minutos & mellinos profert & semen nigrum, odorem resinæ pini habens: radix est illi, sicut coridis, id est quartæ speciei hypericonis. Hac autem maximè vtuntur in Pōto Heracleæ pro antidoto, elixaturam eius dantes contra vim aconiti. Cataplasma adhibitum cum polenta & elixatura eius mista, omnia suprascripta facere nouit. Est alterum genus chamæpityos quod masculus appellatur: virgas habet cubiti vnius longas, teneras & obtortas, sed comam similem suprascriptæ, & florem nigrum, & semen similiter nigrum, odorem resinæ, & folia tenuiora, & quasi pilosa. Tertium genus quasi in terram repit contiguo attractu, hoc & sideritis dicitur: folia habet similia cardis, sed quasi pinguiora & veluti pilosa cū floscello aureo, resinę pini habens odorem. Virtus est illi æqualis supradictæ.

De Lacte.

Bibentibus aconitum lac bubulum prodest.

De Origano.

Origanum omnibus est notum. Elixatura eius data cum dulcore, id est vino musto cocto, quousqꝫ tertia pars remaneat, aconitū bibentibus pręstat effectū.

De Scoria ferri.

Scoria ferri tantum potest quantum & ærugo eius, sed paulominus. Cum oxymelle data, aconitum bibentibus prodest.

De Xylobalsamo.

Opobalsami, id est balsami virtus, calida est: bibentibus aconitū cum lacte datum subuenit. Macer in lib. de Simplicibus, cap: de Origano.

Cum mulsa, id est aqua mellis, aut modo mellito, sumptum prodest aconita bibenti.

Kyrandus lib. 3 cap. de Ansere: Ius verò anseris bibitum, prodest eis, qui biberunt multum vinum & aconitum. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Sumptione elisonon, id est strangulatoris leopardi, quæ est vna species aconiti: Curatio eius est, quòd mundificetur stomachus cum vomitu, & intestina cum clysteribus, postea verò bibat aquam decoctionis absinthij, aut aquam decoctionis centaureæ, aut aquam decoctionis erucæ, vel bibat pondus vnius ʒ. balsami cum vino odorifero, vel bibat pondus ʒ vnius coaguli hœdi vel leporis cum aceto dissolutum & permistum. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Strangulatore adip, id est lupi, & strangulatore leopardi: Oportet, vt tu properes ad faciendum illum vomere cum eis quæ scis, deinde clysteriza ipsum: postea da in potu, sicut origanum mōtanum & prasium & rutam & absinthium & secha Armenum, id est herbam lumbricorum, quæ dicitur santonicum, quæ est species absinthij cum vino, aut detur in potu olei balsami, id est veri balsami quantitas ʒ. i, s. in vino, & melius vinum est illud in quo extinctum est ferrum & argentum & aurum, & scoria ferri ipsius est bona. Et coagula propriè coagulum cerui, & gazeli & hœdi: deinde iura vnctuosa. Plinius Secundus lib. 20, cap. de Ruta, In præcipuis medicaminibus rutæ est ratio. Ruta in cætero inter prima immiscetur antidotis præcipueqꝫ Gallica. Quæcunqꝫ autem ruta, aut per se, aut in antidoto valet folijs tritis & pro vino sumptis, etiam contra aconitum. Lib. 22. cap. de Eryngio: Est & clara in primis aculeatarum erynge, siue eryngion contra serpentes & venenata omnia nascens. Radix eius peculiariter efficax contra toxica & aconita. Efficaciorem Heraclides medicus in iure anseris decoctam arbitratur. Apol-

lodorus aduersus toxica cum rana decoquit: cæteri in aqua ipsa. Lib. 23 cap. de Vino Cęcubo & viribus vini: Merũ quidem remedio est cõtra aconita &c.

De Balsamo.

Balsamum longè preciosissimum omniũ aduersatur aconito ex lacte potũ.

De Moris.

Mora in Aegypto & Cypro largo succo abundant, summo cortice desquamato, altiore plaga siccantur mirabili natura. Succus aduersatur aconito & araneis in vino potus. Lib. 25 cap. de Semperuiuo: Aizoi duo genera: Aduersantur phalangiorũ ictibus: Aconito verò maius aizoon præcipuè. Lib. 28, cap. de Medicinis ex lactis vsu: Datur priuatim bubulum his, qui aconitum biberint. De Remedijs ad morsus bestiarum & ad venena: Omnia sesami iure poto venena supradicta expugnari putant: priuatim verò aconita. Libro 29 cap. de Remedijs aduersus morsus lacertarum & veneficia & aconita &c. Veneficijs ex mustela syluestri factis, contrarium est ius gallinacei galli veteris largè haustum: peculiariter contra aconita. De Remedijs aduersus omnia mala medicamenta & venena: Valet lac ouinum candidum his præsertim, qui in cibis buprestim, aut aconitum biberint. Libro trigesimo secundo, cap. de Medicinis ex castoreis: Testes castorum auxiliantur priuatim aduersus aconitum ex lacte aut aqua. Guilielmus de Placentia, tertio Practicæ, parte secunda, cap. octauo: Conuenit, vt statim introducatur vomitus cum aqua anethi & similium & oleo: & fiat clystere cum eisdem: postea da ei in potu origanum, prasium, rutam & absinthium & stœchadem cum vino & chamæpityon cum vino: & detur ʒ i.s. olei balsami, vel ʒ.i. theriacæ cum vino in quo ferrum fuerit extinctum vel argentum vel aurum, & conueniens est in hoc scoria ferri vel coagulum hœdi, aut cerui seu gazelis: deinde nutrias eum cum iuribus pinguibus gallinarum & similium. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Succo vsuen, id est herbæ kali seu alkali: qua vocat strangulatorem adip, id est lupi: Eius cura, est sumere in potu de terra sigillata statim ʒ. ij. cum aqua calida & euomere: deinde post illud accipere de theriaca ʒ. ij. cum aqua calida, vel cum vino decoctionis gentianæ & eius bezaar, est aristolochia longa.

De Azedarach. Cap. XXXIIII.

AZedarach est arbor magna, cuius fructus interficit: eius etiam folia interficiunt animalia, & lignum eius etiam quandoque interficit.

NATVRA eius calida est in secundo, & sicca in fine primi cum venenosa proprietate.

ACCIDENTIA consequentia & causæ accidentiũ & signa assumptionis, & præseruatio & cura, sunt similia dictis de Oleandro in 21 cap. quę tamen pro eius cura dicta sunt ab auctoribus infra describam. Rasis 20 Continentis, cap. 2: Oleander occidit homines & alia animalia.

CVRA est dare aquam decoctionis fœnugræci & dactylorũ: & similiter ccidit ex azedarach & cura eius est similis. Auicen. quarto Canone, fen vi. cap. de Azedarach: Cura eius, est cura cõmunis, & est proxima curæ oleandri.

De Cortice oryzæ. Cap. XXXV.

COrtex oryzæ est cortex non solùm grani oryzæ, sed & plantæ seu arbustulæ eius.

NATVRA eius calida est & sicca & stiptica & inflammatiua. Granum nanque oryzę, prout asserit Rasis 21 Continentis, cap. de Oryza auctoritate filij Mesuay, est calidum in primo, siccum in secundo, & inflammat corpus calidæ

complex

complexionis trahens moram in stomacho, prout ipse ibidem asserit se fuisse expertum: ex quo nempe concludendum est corticem eius & plantæ seu arbustulæ eius esse calidiorem & sicciorem, & magis ventris constipatiuum, & magis inflammatiuum. Et propterea ab Albucasi & ab Auicenna præcipuè inter venena cōnumeratur, non quia sit venenum propriè dictum: sed quia est mortifera medicina sumptus, præsertim in notabili quantitate.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt dolor & tumor & apostema in ore & in lingua, & extenditur dolor ad stomachum, vmbilicum & intestina, & inflammatio corporis totius & somnolentia & syncope & rugitus ventris absq; fluxu eius. Causa doloris & tumoris & apostematis in ore & lingua, est eius caliditas dissoluens humores in ore & lingua existentes, & attrahens alios humores partium circumstantium ad os & linguam, & eius virtus stipticans & includens dictos humores in dictis membris: ex quo eis accidit dolor & tumor & apostematio. Causa extensionis doloris ad stomachum & vmbilicum & intestina, est colligantia dictorum membrorū ad os & linguam, & cōmunicatio humorum in ore & lingua existentiū ad dicta membra, videlicet stomachum, vmbilicum & intestina & læsio ab ipso ryzi cortice cōmunicata præfatis membris, sicut ori & linguæ. Ad quod etiā adiuuant ventositates à prædicta ryzi corticis caliditate generatę in dictis membris & in eisdem retentæ à stiptica corticis præfati virtute. Causa inflammationis totius corporis, est præfati ryzi corticis caliditas inflammans, & virtus ipsius constipatiua retinens superfluitates præcipuè cholericas, quæ solebant cum egestione quotidie euacuari. Causa somnolentiæ, est virtus ipsius constipatiua superfluitates præcipuè in intestinis retinens, quę euaporantes ad caput causant somnolentiam. Causa sincopes, est resolutio spirituum ab ipsius caliditate causata & lęsio communicata cordi. Causa rugitus ventris absq; fluxu eius, est ventosatio superfluitatum præcipuè phlegmaticarum in intestinis existentium ab ipsius caliditate & virtus eius stiptica retinens ventris fluxum.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia supradicta & diligens informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit, prout ex auctorum mentibus infra describam, subueniendo accidentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur.

Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Sumptione corticis arboris ryzi: Curatio ipsius, est quòd vomat in principio cū hydromelle, id est aqua mellis, vel cum secaniabin, id est oxymelle & aqua calida: deinde administretur clystere bene: postea bibat darseni, id est cinamomum & absinthium an. ℥. i. vel bibat ex castoreo & spica almonsir, id est spica nardi de monte Syriæ, an. sextam partem ℥. cum vino. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Cortice ryzi: Curetur curatione cantharidarū. Et oportet, vt sint in oleo eius, quod ipse in potu sumit, decocta cydonia.

De semine Vrticæ. Cap. XXXVI.

SEminis vrticæ quiditas nota est. Est autem duplex vrticæ semen, sicut duplex est vrtica, quoddam nanq; est maius, quoddam verò minus: vtrunq; tamen similis est virtutis.

NATVRA eius calida est in principio tertij gradus, & sicca in secundo, & sui maxima subtilitate substantiæ est mordicatiua, & est attractiua, vlceratiua, adustiua, resolutiua, & fortiter abstersiua, & phlegmatis & humoris crudi solutiua ob sui fortem abstersionem.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt accidentia

consequentia assumptionem scillæ supra descripta in 32 cap. & vltra illa quandoq; consequitur fortis tussis. Causę accidentium similium accidentibus consequentibus assumptionem scillæ, sunt causæ prædictæ in præfato 32 cap. Causa verò fortis tussis accidentis, aliquando est mordicatio pulmonis & aliquando vlceratio facta præcipuè sui magna subtilitate substantiæ, cum virtute sua mordicatiua & vlceratiua.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia præfata, & diligens informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò perficitur, sicut cura assumptionis scillæ, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Quæ autem specialiter ab auctoribus pro eius assumptionis cura scribuntur, statim infra describam. Rasis 8 Almansoris, cap. de His, qui biberũt semen vrticarum: Qui hoc biberit semen fortasse incurret accidens, quod scillam bibentibus accidit. Curandus est igitur ex eis curis: & fortasis lædens accidet ex hoc tussis: vnde cura adhiberi conuenit ex ptissana cum iuleb, & ex medicinis tussim lenientibus. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2, cap. de Sumptione seminis vrticæ: Curatio eius, est quòd submergat patiẽs manus & pedes in aquam calidam, & bibat lac & butyrum recentia, & vngatur corpus cum oleo de ben, & bibat iuleb & ptissanam de hordeo. Auicenna quarto Canone, cap. de Semine vrticæ: Accidit ex eo illud quod accidit ex scilla. Et iterum: Accidit ex eo quãdoq; tussis fortis, & cura eius est cura scillæ: verùm tussis eius curatur cũ lenitiuis, sicut est syrupus violatus cum aqua hordei, & alijs ex medicinis tussis. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Semine vrticæ dato: Eius cura erit oleum amygdalinũ dulce potare. Et eius bezaar, sunt grana cydonij trita & potata cum aqua calida.

De Asebar aliàs sebardion seu alcolios syluestri aliàs achalos syluestri. Cap. XXXVII.

ASebar aliàs sebardion secundum Auicẽnam, seu alcolios aliàs achalos secundum Albucasim, est medicina quam Auicenna asserit se ignoraſſe: & vtinam similiter omnis mortifera medicina ab omnibus malis hominibus ignoraretur.

NATVRA eius, est calida & sicca acuta valde cum venenosa proprietate adeò vt interficiat vsq; ad tres dies, nisi habeatur solicitudo in curatione eius.

ACCIDENTIA consequẽtia, sunt motus membrorum inuoluntarius, spasmus seu tetanus, excessus turpis risus seu dispositionis labiorũ similis dispositioni eorum in turpi risu & permistio rationis. Causa motus inuoluntarij membrorum, videlicet motus spasmosi eorum & causa spasmi seu tetani, videlicet de inanitione, est exiccatio magna membrorum facta ab eius valde acuta caliditate & siccitate & venenosa proprietate. Causa turpis risus, seu dispositionis labiorum similis dispositioni eorum in turpi risu, est motus spasmosus, tetanosus dictorum labiorum. Causa permistionis rationis, est eleuatio vaporũ ad cerebrum, mentis alienationem seu rationis permistionem facientium, pręsertim eorum acuitate ab ipso acquisita.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta:

PRAESERVATIO fit diligenter se pręcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò, est cura cõmunis supradicta in 9 cap. primi libri. quæ autem pro eius speciali cura ab auctoribus enarrãtur, infra describam. Albucasis secũda particula Azarauij, tractatu 2 cap. de Sumptione alcolios syluestris, aliàs achalos syluestris: Signum eius sumptionis, est quoniam superuenit ei motus membrorum inuoluntarius, & spasmus neruorũ & permistio rationis cum ex-

cessu turpis risus: & si non habetur solicitudo in sui curatione, morietur vsq; ad tres dies. Curatio ipsius, est quòd vomat & postea bibat hydromel, vel bibat lac caprinum calidum statim mulsum, aut lac vaccinũ: & vngatur corpus cum oleo de anetho, vel de lilio, & si non inueniuntur, cum oleo communi. Auicenna quarto Canone, fen vi. cap. de Assebar, aliàs sebardion: Ego non cognosco naturam huius medicinæ, neq; curam eius, nisi cõmunem, & existimo ipsam de acutis, & non elongatur, quin sit de non acutis. Dixerunt ergo, est medicina ex qua accidit permistio rationis & tetanus, ita vt accidat labio eius de tensione dispositio similis risui, & exemplificant Græci, quòd ipse ridet risu sebarduini: & cura eius est cura cõmunis: & dixerũt quidam: oportet, vt euomat bibens ipsum, & bibat post ipsum aquam mellis, & conferunt ei potus lactis & inungere manus cum calefacientibus & administratio tinæ calidæ & fricatio & medicinæ ad spasmum malignum.

De Cussura aliàs cirso. Cap. XXXVIII.

CVssura aliàs cirsum, est medicina cuius naturam & curam Auicenna asserit se ignorasse.

NATVRA eius, est calida & acuta cum proprietate venenosa.

ACCIDENTIA consequentia eius assumptionẽ, sunt inflatio in labijs & lingua & mania & alienatio & casus pulsus. Causa inflationis labiorũ & linguæ, est inflammatio dictarum partium & cursus consequenter sanguinis & humorum ad eas. Causa maniæ & alienationis, est ascensus fumorum & vaporum calidorum & acutorum ad cerebrum. Causa casus pulsus, est resolutio caloris innati.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta.

PRAESERVATIO perficitur præcauendo se ab eius assumptione.

CVRA eius, est cura cõmunis supra descripta in 9. cap. primi libri, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur.

De Medullis fructuum rancidis & corruptis: ut sunt nuces, auellanæ, pineæ, pistacia, baccæ lauri, semina ricini: & de eorundem oleis corruptis. Cap. XXXIX.

MEdullarum fructuum rancidarum seu muffatarum, seu corruptarum, vt sunt nuces, auellanæ, amygdalæ, pineę, pistacia, baccę lauri, medullę nucum Indiæ, medullæ ossium Persicorum, medullæ ossium chrysomelorum, & consimiles seu seminum keruæ, id est pentadactyli & causarum olerũ consimiliter rancidorum seu corruptorum quiditates equidem notæ sunt.

NATVRAE earum, licet dum sunt in optimo sui esse differentes & variæ sint non parum, dum tamen sunt rancidæ seu muffatę, seu corruptę, sunt omnino ferè consimiles acquirentes in earum rancidatione seu muffatione seu corruptione qualitatem quandam acutam valde & siccitatem & virtutem incisiuam & pungitiuã & mordicatiuã, & nauseatiuã, & venenosam proprietatẽ, & conclusiuè naturę earũ assimilantur naturę scillę pręcipuè agrestis, adeò quòd si aliquę earum sumantur, pręsertim in notabili quantitate, mortem inferant.

ACCIDENTIA consequentia ipsarũ assumptionẽ, sunt similia satis accidentibus consequentibus assumptionẽ scillę prędictis in 32 cap. specialia tamen esse ponũtur dolor fortis, nausea seu subuersio animæ, angustia & syncope. Causa doloris pręcipuè in stomacho & in intestinis & vijs vrinę, est earum virtus incisiua, pungitiua & mordicatiua pręsertim partiũ prędictarum. Causa nauseæ seu subuersionis animę, est ipsarũ virtus incisiua, pungens, & mordicãs stomachũ, & eadem est causa angustię. Causa syncopes, est resolutio spirituũ, & pręcipuè spirituum cordis facta ab earum venenosa proprietate.

SIGNA assumptionis earum, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de earum assumptione.

PRAESEVATIO fit diligenter se præcauendo ab earum assumptione.

CVRA verò, est satis similis curæ assumptionis scillæ supradictæ in præfato 32 cap. subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quę ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Quę autem ab auctoribus particulariter pro earum cura scribuntur: statim infra describam. Rasis 8. Almansoris, cap. de Nucleis muffatis & rancíditate corruptis, & de oleis rancidis & male redolentibus: Si eis vtens curatione eguerit, vomitus prouocatione medicetur: deinde vuæ acerbæ rob & malorum matianorum atque ribes & horum similium in potu tribuatur: cibarijs quoque lenibus ac appetitum irritãtibus nutriatur. Rasis in suis Diuisionibus, cap. de Remedijs venenorum: Nuces & auellanę si fuerint rancidæ & comedantur, quandoque accidunt ex eis accidentia mala, & confert eis rob cydoniorũ & rob pomorum. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Comestione medullarum fructuum, sicut alueregil, id est nucis Indiæ & similium. Curatio ipsorum, est cum vomitu & cum acceptione generum rob acrium, sicut rob de agresta, & rob de pomis & similia. Auicenna quarto Canone, fen 6 cap. de Medullis fructuum rancidis. Dispositiones earum & cura proximè sunt eis, quæ dictæ sunt in scilla & propriè cum robub, id est rob, id est succo cocto ad spisitudinem fructuum, sicut est syrupus de agresta & ribes & malorum & myrti, aliàs vrticæ, & male: quia corruptè scriptum. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Nucibus & auellanis rancidis: Eius cura erit rob cydoniorum & rob pomorum, & si ei acciderit eructuatio habens odorem lini putrefacti, tunc posset mori: & eius cura erit diacyminum & diapipereon: & detur ei in potu vinum purum & fomentetur stomachus cum oleo nardino.

De Vini immodico potu. *Cap.* XL.

VIni puri quiditas nempe omnibus nota est.

NATVRA eius, prout ex plurimorum auctorum celeberrimorum mentibus declaraui in quæstione mea, qua quæsiui, vtrum super fructus malichymi & propriè super melones, sit vinum bibendum, diuersimodè variatur: quoddam namque calidum est & siccum: quoddam calidum est & humidum: quoddam frigidum est, & siccum: quoddam frigidum est & humidũ, & quoddam est temperatum. Verùm in præsenti cap. est sermo de vino calido, & sicco, vt est vinum maluaticum, & vinum quodcunque valde fumosum, & præsertim antiquum, & sibi consimile, & de vino calido & humido, & pręcipuè grosso, vt est vinum quodcunque valde dulce nulla vel pauca mordicatione participans grossæ consistentiæ. Huiusmodi namque vinum, de quo in pręsenti fit mentio, licet non sit venenum neque mortifera medicina essentialiter & absolutè: attamen ratione quantitatis & ratione temporis assumptionis eius, est mortifera medicina adeò, vt perimat aliquando nisi assumenti subueniatur. Et dixi notanter aliquando: quia non semper interimit dato, quòd assumẽti minimè subueniatur: vtputa si assumens fuerit fortisimę digestiuæ, aut fuerit ipsum taliter assumere assuetus: virtus namque fortis existens cõtemnit & sustinet omnia. Ab eo autem quod assuetum est, non fit pasio, cum consuetudo altera sit natura.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt præfocatio, dolor præcipuè hepatis, & aliquando stomachi & intestinorum, inflammatio & corruptio complexionis. Causa præfocationis, est præcipuè catarrhus à capite ad guttur & ad pulmonem descendens propter vapores plurimos ex ipsius assumptione ad cerebrum eleuatos, qui postea conuersi ad naturam humorum

morum à quibus eleuati fuerunt defendunt faciendo catarrhum. Causa doloris hepatis præcipuè & stomachi & intestinorum sunt ventositates, præsertim à vino dulci grosso generatæ in dictis membris, in hepate verò pręcipuè propter angustiam naturalem viarum eius, & propter opilationes in ipso à prædicto vino causatas. Causa inflammationis & corruptionis complexionis, est caliditas ipsius vini à membris attracti ante ipsius digestionem, & cōuersio eius in choleram inflammantem & corrumpentem complexionem.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de infirmo.

PRAESERVATIO fit protinus se præcauendo à tali modo assumptionis eius.

CVRA verò perficitur, vt ex auctorum mētibus statim infra patebit, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Kyrandus lib. 3. cap. de Ansere: Ius verò anseris bibitum, prodest eis qui biberunt vinum multum. Rasis 20 Continentis, cap. 2: auctoritate Aaron: Si quis post balneum biberit multam quantitatem aquę frigidę, aut multum vini dulcis, aut fortiter se exercitauerit, cadet velociter in corruptionem suę complexionis, nisi velociter phlebotometur aut euacuetur. Dico, qui post balneum biberit multum vini dulcis & grossi phlebotometur & residuum euacuetur per ventrem, & aperiat opilationem hepatis. Auicenna quarto Canone, fen 6 cap. de Vino puro in ieiuno, & eius cura: Cura est euacuatio per phlebotomiam & solutionem ventris, si necessaria est: & vomitus est optima medicina si possibile est: deinde infrigidetur complexio cum aqua frigida & aqua lactis acetosi, de quo extractum est butyrum & aqua fructuum & trochiscis de caphura & similibus. Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 28 cap. de Remedijs ad morsus bestiarum & ad venena: Lac verò contra cantharides remedio est potum & contra nimia vina.

De Melle malo seu uenenoso. Cap. XLI.

MEl est ros occultus cadens ab aere super flores, herbas, arbores, lapides & super reliqua sumptus ab apibus, ex cuius parte ipse nutriuntur, residuum verò in aluearí deponunt digestionem quandam in ipso faciētes, quod equidem duplex est: quoddam nanq; est bonum & in sui sinceritate cōsistens, quoddam verò est malū: ex cuiusmodi mellis gustatione in satis modica quantitate, Galenus 10 de Simplici medicina, cap. 1, asserit duos in foro Romæ medicos obijsse, & hoc est duplex: quoddam enim est malum, quia ipsum collectum ab apibus extitit super re mala seu venenosa, siue mortifera: quoddam verò est malum, quia ipsum corruptionem accepit: quod nempe celeberrimi auctores vocant mel acre, aut mel malum, aut mel venenosum seu venenatum, de quo vbi de venenis tractant faciunt mentionem, & de quo in pręsenti cap. principaliter sermo est.

NATVRA mellis boni, calida est & sicca in secundo gradu. Natura verò mellis mali, quia corruptionem accepit, est consimilis naturæ scillæ & naturæ medullarum fructuum rancidarum seu corruptarum seu oleorum ex ipsis consimiliter rancidorum seu corruptorum supradictæ in 32 & 39 cap. cum venenosa proprietate.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionē, sunt similia accidentibus consequentibus assumptionem scillæ & seminis vrticæ & medullarū fructuum seu oleorum ex eis rancidorum seu corruptarum suprascriptis in 32 & 39 cap. Propria autem eius accidentia consequentia ex ipsius odoratu, sunt sternutatio fortis & aliquando syncope & sudor frigoris. Causa fortis sternu-

tationis cõsequentis ex ipsius odoratu, est acuitas mordicatiua vaporum eius cõmunicata cerebro & velaminibus eius & ipsius venenosa proprietas ei ex putredine acquisita: & hæc eadem consequenter cordi cõmunicata per venas & arterias, est causa resolutionis spirituũ præcipuè cordis, propter quam resolutionem accidit sincope: & hæc nempe spirituũ resolutio & sincope cum debilitate contentiuæ membrorum, est causa sudoris frigidi. Causæ verò accidentium consequentium ipsius assumptionem, sunt in præfatis 32 & 36 & 39 cap. prænarratæ.

SIGNA odorationis eius & ipsius assumptionis, sunt accidentia prædicta, & diligens informatio habita de odoratione seu assumptione eius.

PRAESEVATIO fit omnino se præcauendo ab odoratu & ab assumptione eius.

CVRA eius, fit satis similis curæ assumptionis scillæ & seminis vrticæ & medullarum fructuum rancidarum seu corruptarum suprascriptæ in cap. prænarratis: subueniendo accidentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur. Quæ autem ab auctoribus specialiter pro eius cura dicuntur, statim infra describam.

NATVRA autem mellis mali: quia ab apibus collectum fuit super re mala seu venenosa siue mortifera, & accidentia consequentia, & causæ accidentium, & signa assumptionis, & præseruatio, & cura supradicta & infra, dicta sunt in cap. proprijs illarum malarum rerum super quibus mel apibus collectũ fuit. Auicenna secundo Canone, fen vi. cap. de Melle: Mel acre cuius odor facit sitire, & ipsius comestio facit possidere ablationem rationis subito & sudorem frigidum, & eius cura, est comestio piscis saliti, & bibere aquam mellis & vomere cum eo. Auicen. quarto Canone, fen vi. cap. de Melle malo: Cura eius, est sicut iudicium hyoscyami nigri, scilicet, vt comedat rutam & pisces salitos & potet syrupum nominatum aumeli, id est oleum dulce valde spissum, sicut mel quod extrahitur ex crure arboris nascentis in terra Murtiæ, seu in maritimis Syriæ ad modum resinæ, & non cesset comedere & vomere, quantum possibile est ei. Plinius Secũdus de Naturali historia, lib. 32 cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Venenatum mel diximus vbi nasceretur: Auxilio, est piscis aurata in cibo: Vel si ex melle sincero fastidium, cruditas, quæ sit grauissima, incidat, testudinem, circumcisis pedibus, capite, cauda, decoctam antidotum esse auctor est Pelops. Guilielmus de Placẽtia tertio suæ Practicæ, parte secunda, cap. 8: Cura eius est, vt vomat continuè cum syrupo violaceo & acetoso simplici & aqua tepida. Et comedat pisces salitos & rutam ante vomitum, & post sumat theriacam cum aceto calido & iuleb.

Christophorus de Honestis in problematibus de Venenis, problemate de melle malo, Dico, quòd assumens præseruatur à nocumentis cum vomitu frequenti facto cum ijs quæ sciuisti superius, & cum odoramentis frigidis, & humidis, sicut florum, violarũ, & nenufaris: & psyllij, & cum caputpurgijs & embrocis frigidis & humidis, nisi sit prohibens ex parte catarrhi, vel alterius. Bezaar eius, sunt grana cydoniorum trita data cum aqua calida.

De Croco. Cap. XLII.

CRocus est flos plantæ habentis radicem, vt cæpe paruum, qui multoties ab auctoribus crocus orientalis dicitur, quo ferè quotidie vtimur: & nuncupatur absolutè crocus. Alius verò crocus non absolutè nominatur crocus, sed semper cum additione, videlicet crocus infectiuus, vel crocus hortulanus, & hic est flos carthami, de quo præsentialiter non est sermo.

NATVRA eius calida est in secundo, & sicca in primo, & est resolutiuus & euap

& euaporatiuus, & alacrefactiuus & moderatè sumptus est confortatiuus, & nullatenus venenosus: immoderatè verò seu in nimia quãtitate sumptus, vtputa in quantitate mediæ vnciæ, est mortifera medicina, vt asserit Auicenna secundo Canone, cap. de Croco. Quod idem Rasis 22 Continentis cap. de Croco asserit, auctoritate alterius. Auctoritate verò Costæ, & auctoritate absque auctore, asserit crocum sumptum in pondere ℥. iij. interficere, sicut etiam asserit Serapio auctoritate Costæ, & auctoritate Dioscoridis: Quod nempe Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Croco, affirmat auctoritate aliorum.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius in nimia quantitate, sunt lesio cerebri, & neruorum, & sensuum, & obscuratio visus, & mors præ nimia lætitia. Causa læsionis cerebri & neruorum, est ascensus vaporum multorum ad caput & cerebrum factus ab ipsius euaporatiua virtute, qui vapores postea conuersi in naturam humorum à quibus eleuati fuerunt consequenter descendentes ad neruos ipsos offendunt ac lædunt: & similiter consequenter lædunt sensus, & descendentes ad oculos obscurant visum. Causa mortis præ nimia lætitia, est exhalatio & resolutio spirituũ cordis facta prę nimia lætitia.

SIGNA assumptionis eius in nimia quantitate, sunt accidentia prenarrata, & diligens informatio habita de eius nimia assumptione.

PRAESERVATIO fit diligẽter se præcauẽdo ab eius nimia assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ infra describam: subueniendo accidentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Albucasis secunda particula Azarauij. tractatu 2, cap. de Potu croci: Curatio eius est, quòd vomat cum secaniabin, id est oxymelle & aqua calida. Et bibat postmodum succum pomorum vel granatorum: aut bibat iuleb cum trochiscis ex spodio.

De Altenreten aliàs alcenton, id est necante muscas. Cap. XLIII.

ALtenreten aliàs alcenton, id est necans muscas descriptum à Simplicistis auctoribus non inueni. Existimo autem ipsum esse plantam ex proprietate sui, muscarum interfectiuam, & fortè est condisi, aut eius species, vel aliquod aliud sibi consimile, quod quidem est muscarum interfectiuum.

NATVRA eius, credo quòd sit natura condisi vel sibi consimilis, videlicet calida & sicca in quarto gradu, & vomitiua valde & mordicatiua & cõmotiua præsertim phlegmatis & melancholiæ.

ACCIDENTIA consequentia assumptionẽ eius, est pulsus orificij stomachi & indignatio, id est angustia, supple, stomachi, seu cõmotio eius ad vomitum, & tremor in corpore: & per corpus, saltus & magna pigritia, & amissio sensus & frigiditas extremitatũ, & sudor frigidus & rubedo faciei, &, nisi acceleretur erga sui curationem, mors. Causa pulsus orificij stomachi, est supercalefactio sanguinis & spirituum præcipuè existẽtium in arteria oris stomachi seu ad ipsum concurrentium. Causa indignationis siue angustiæ, est prædicta supercalefactio & pulsatio & virtus vomitiua & mordicatiua. Causa tremoris in corpore & etiam saltuum per corpus, sunt humores propter supercalefactionem & ebullitionem ab ipsius caliditate factam agitati in corpore, fluentes ad musculos & ad neruos. Causa amissionis sensus, possunt esse humores prædicti fluentes ad neruos, saltus & tremorem in principio causantes & mollificationem in fine. Potest etiam esse resolutio spirituum, quæ equidem spirituum resolutio, est causa frigiditatis extremitatum, & etiam insimul cum debilitate contentiuæ membrorũ, est causa sudoris frigidi, & tandem vltimatè continuans, est causa mortis. Causa rubedinis faciei, est ebullitio facta in sanguine habente præcipuè raptum ad faciem.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata,

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit mundificando statim stomachum per vomitum & intestina per clysteria, primò lenia, & consequenter acuta, quatenus quãto melius & citius est posibile à corpore expellatur: subueniendo postea amissioni sensus & tremori & saltibus cum rebus calidis & siccis consumentibus humiditates phlegmaticas fluentes ad neruos & musculos, accidentia dicta causantibus, vt sunt ruta, piper & consimilia: Alijs etiam accidentibus & ipsis eisdem subueniendo cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. enarrantur. Quæ autẽ pro eius cura dicuntur, infra describam. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2, cap. de Altenreten, aliàs alcenton, id est necante muscas: Curatio eius, est mundificare stomachum per vomitum cum aqua calida & oleo cõmuni: Et mundificentur intestina cum clysterijs lenibus in principio: deinde cum clysteri acuto, & bibat post vomitum pondus duarum ʒ. rutæ siccæ & pulverizatæ & mistæ cum vino, vel bibat rutam cum pipere: & vngatur corpus cum oleis humidis.

De Chimandos aliàs chimanides. *Cap.* XLIIII.

CHimandos aliàs chimanides est herba sanguinis eductiua, cum qua Galenus in suo lib. de Pharmacis, asserit hominem quendam multos homines interemisse ipsam per os exhibendo: cuius virtutem ipse ad plurimũ à gentis præside tortus, inquit, à seipso didicisse: propterea quia cum aliquando porcellum ad quoddam suburgium deferret, reposuit ipsum penes ipsam herbam applicato ventre, & cum postea eum remouit, vidit liquores sanguineos ad herbam ex toto corpore defluentes, vnde coniecturatus est herbam illam verisimiliter fore sanguinis attractiuam: qua de re exhibens illam hominibus plurimos interemit: propter quod iussu præsidis ductus extitit moriturus ad supplicij locum ligatus oculos, ne in intermedio, alicui illam ostenderet: vnde Galenus ibidem asserit rationabile fore herbam prædictam & alia consimilia medicamina taceri ab omnibus habentibus intellectum. Sic igitur & ego tacebo de ea & de cæteris venenosis seu mortiferis medicinis solummodo faciẽs mentionem, vt earum sciantur remedia præseruatiua atq; curatiua.

NATVRA eius, est calida & sicca valde, & est fortiter apertiua & dissolutiua cum proprietate sanguinis attractiua.

ACCIDENTIA principalia assumptionem ipsius consequentia, sunt dissolutio hepatis & fluxus sanguinis quousq; moritur. Causa dissolutionis hepatis, est ipsius virtus fortiter dissolutiua præcipuè hepatis, quam adiuuat eius venenosa proprietas respectum habens ad hepar. Causa fluxus sanguinis, est eius virtus fortissimè apertiua, præsertim orificiorum venarum.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò perficitur in principio, quanto citius est posibile procurando ipsius à corpore expulsionẽ mediante vomitu cum vomitiuis notis & mediante secessu, præcipuè cum clysteribus primò lenitiuis, & postea acutis: subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ in proprijs eorum cap. describuntur. Quæ autem pro eius cura dicuntur, infra describam. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2 cap. de Sumptione herbæ, quæ dissoluit hepar, & Græcè dicitur chimandos, aliàs chimanides: Signum eius sumptionis est, quia dissoluit hepar cum fluxu sanguinis quousq; moritur. Curatio eius, est quòd vomat cum aceto & butyro: & bibat lac in quo trita sint grana pini: & comedat persica recentia: & emplastretur hepar cum aromaticis medicinis, vt cum spica, mastiche, croco, absinthio, & similibus.

De Altam

De Altamasir, id est semine simili nigellæ fœminæ pingui & dulci. Cap. XLV.

ALtamasir, est cuiusdam plantæ semen simile nigellæ fœminæ in sua figura, & est pingue & dulce.

NATVRA eius, calida est & sicca valde cum venenosa proprietate, & est putrefactiua, & mordicatiua, & euaporatiua.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt in principio intensa dulcedo, & postea fœtor, & læsio, & molestia, & angustia vehemens, adeò, vt patiens aliquando prę nimio dolore scindat vestimenta sua, & clamet fortiter, donec eius vox decidatur, & percutiat in pariete caput suũ: & nisi acceleretur apud sui curationem, morietur post duas horas. Causa intensę dulcedinis in principio, est quia ipsum in primo gustu, est valde dulce. Causa fœtoris postea aduenientis, est ipsius virtus putrefactiua putrefaciens humiditates existentes in ore, & stomacho. Causa læsionis & molestiæ & angustiæ vehementis, est ipsius virtus mordicatiua, communicata præsertim ori stomachi, quod est membrum maximè sensibile. Causa mortis, nisi succurratur, est læsio vehemens cordi cõmunicata & resolutio spirituum facta dolore prænimio.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia præfata.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit procurando subito ipsius à corpore expulsionem per vomitum cum vomitiuis notis, per secessum cum laxatiuo leui, & sedando pro posse dolorem cum remedijs positis ab auctoribus pro sedatione doloris prę cipuè oris stomachi. Quæ autem pro eius cura dicuntur, infra describam. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2, cap. de Sumptione altamasir, & est semen simile nigellæ fœminæ in sua figura, & est pingue & dulce: Curatio ipsius, est accelerare vomitum, deinde laxare ventrem cum leni laxatiuo: & bibat super hoc succum cydoniorum cum granis ipsorum, & brodium carnium pinguis hœdi: & bibat vinum odoriferum temperatum cum aqua.

De Interfectore canis. Cap. XLVI.

INterfector canis, est quędã herba de cuius proprietate est interficere canes.

NATVRA eius, calida est & sicca & aperitiua valde.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius cõsequentia, sunt fluxus sanguinis narium, & sputum sanguinis. Causa prædictorum accidentium, est ipsius virtus aperitiua valde orificia venarum, narium & oris & partium circumstantium aperiens.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta.

PRAESERVATIO fit diligenter se pręcauendo ab assumptione eius.

CVRA eius, est cura communis suprascripta in 9. cap. primi libri subueniendo accidentibus consequentibus cum his quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur.

De Sagapeno. Cap. XLVII.

SAgapenum est gummi cuiusdam arboris.

NATVRA eius, calida est in tertio & sicca in secundo: & licet ipsum moderatè sumptum, non sit venenũ, neq; mortifera medicina, imo valeat contra venena, attamen ipsum in nimia quantitate sumptum à Rasi 20 Continentis, cap. 2. medicina mortifera nuncupatur.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionẽ in nimia quantitate, sunt supercalefactio excesiua & mors. Causa supercalefactionis excesiuę, est ipsius acuta caliditas, quæ præ nimia eius assumptione efficitur quarti gradus. Causa mortis, est resolutio spirituum & caloris innati.

SIGNA assumptionis eius in nimia quantitate, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de eius nimia assumptione.

PRAESERVATIO fit diligenter se præcauendo à dicta eius nimia assumptione.

CVRA verò eius, est cum ipsius veloci à corpore expulsione per vomitum & per secessum cum clysteribus lenitiuis & mollificatiuis ex dulci oleo & consimilibus, & cum lenientibus laxatiuis, subueniendo præfatis accidentibus cum ijs, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur: etiam cum his, quæ pro cura euphorbij supra in præsentis libri 4. cap. dicta sunt. Rasis autem loco preallegato pro eius cura asserit, quòd cum oleo sedatur eius acuitas.

De Dragontea seu serpentaria. Cap. XLVIII.

DRagontea siue serpentaria siue viperina siue colubrina, siue luf, duarum est specierum: vna quidem habet folia crispa, & hæc est fortioris virtutis, altera verò plana, & hæc est debilioris virtutis: & hæc etiam dicitur iaron, siue iarus, semen tamen cuiuslibet prædictarum specierum, est fortioris virtutis quàm folia seu radix.

NATVRA planè calida est & sicca in fine primi gradus: natura verò crispæ calida est & sicca in secundo gradu, & vtraque species est subtiliatiua, incisiua, acuta, mordicatiua, aperitiua, penetratiua & phlegmatis præcipuè solutiua.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem ipsius, & præcipuè crispa habentis folia, & presertim seminis eius in notabili quantitate, sunt nausea, singultus, syncope, dolor præcipuè gutturis, stomachi & intestinorum, & inflatio eorum, & dispositio similis ileon, frequens vomitus, & aliquando vomitus sanguinis, & assellatio eius, & aliquando stupor totius corporis & superæstuatio, seu fortis calor. Causa nauseæ, est virtus ipsius solutiua attrahens phlegma ad stomachum nauseam faciens. Causa singultus, est virtus eius incisiua, acuta, mordicans stomachum & precipuè os eius. Causa syncopes, est resolutio spirituum, & præcipuè spirituum cordis facta ab ipsius virtute calida, acuta, incisiua, mordicatiua, dolorem præcipuè causante fortem. Causa doloris præcipuè gutturis, stomachi & intestinorum, est mordicatio dictorum membrorũ. Causa inflationis dictorum membrorum, est concursus humorum ad dicta membra ob mordicationem & dolorem causatos in eis. Causa dispositionis similis ileon, est dolor fortis in ventre causatus ob mordicationem & inflationem siue tumorem causatum in intestinis & præcipuè in ileon. Causa frequentis vomitus, est mordicatio in stomacho facta. Causa aliquando vomitus sanguinis & assellationis eius, est excoriatio stomachi & intestinorum facta precipuè ab ipsius virtute incisiua, acuta, mordicatiua. Causa stuporis totius corporis, est vniuersalis resolutio spirituum & præcipuè sensitiuorum & motiuorum. Causa superestuationis seu fortis caloris, est ipsius complexio calida, acuta.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta, & informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESEVATIO fit se præcauendo ab eius assumptione, presertim in nimia quantitate, & præcipuè ab assumptione seminis.

CVRA verò fit, sicut cura hellebori nigri supra descripta, cap. 13, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Quæ autem ab auctoribus pro eius cura dicuntur, infra describam. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secũdo, cap. de Sumptione alcundes, id est condisi, arthanitæ, id est panis porcini, & aluf, id est dragonteæ: Curatio horum omnium, est sicut curatio hellebori nigri. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Semine serpentariæ: Eius cura est butyrum recens bibitũ: & eius bezaar, est succus farinę hordei decoctus in aqua.

De Bryonia

De Bryonia seu uite alba. Cap. XLIX.

BRyonia seu vitis alba seu fesire seu fescera, est planta cuius radice communiter medici vtuntur.

NATVRA eius, calida est & sicca in secundo gradu, & est subtiliatiua, rubificatiua, adustiua, incisiua, mordicatiua & phlegmatis solutiua.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius, & præcipuè radicis eius in notabili quantitate, sunt vomitus & excoriatio stomachi & intestinorum. Accidentia verò consequentia assumptionem succi radicis eius, sunt scotomia, stoliditas seu alienatio & angustia spiritus. Causa vomitus, est mordicatio stomachi facta ab eius virtute incisiua & mordicatiua. Et eadem est causa excoriationis stomachi & intestinorum. Causa scotomiæ & stoliditatis, siue alienationis, est eleuatio multorum vaporum & fumorum ad cerebrum facta ab ipsius subtiliatiua & euaporatiua caliditate. Causa angustiæ spiritus, est ipsius caliditas adustiua & resolutiua.

SIGNA assumptionis eius & præcipuè radicis vel succi eius, sunt accidentia prænarrata & informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit præcauendo se diligenter ab ipsius assumptione, & præsertim radicis & succi eius.

CVRA verò fit, vt infrà patebit subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quę ab auctoribus in proprijs cap. describũtur. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Alfesire, id est bryonia data: Eius cura, erit dare in potu aquam mellis: deinde tribuere cidonium assatum. Et eius bezaar, est anagallis, id est morsus gallinæ, & Venetijs dicitur vulgariter Pauarina, & in Marchia dicitur Centunelum. De Succo Bryoniæ dato: Eius cura erit theriacæ ℥. ij. cum vino decoctionis enulæ, & eius bezaar est piper.

De Nuce uomica. Cap. L.

NVx vomica, est nux maior auellana parum.

NATVRA eius, est ferè consimilis naturæ condisi supra descriptæ cap. 12, & est vomitiua valde: vnde nux vomica nuncupatur.

ACCIDENTIA consequentia assumptionē eius, sunt accidentia consequentia assumptionem agarici mali seu nigri & condisi & hellebori albi descripta superius cap. 11. Et eædem sunt eorum accidentiũ causæ: & similia sunt eius assumptionis signa: Et similis est præseruatio & cura. Quæ tamen ab auctoribus particulariter pro eius cura dicuntur, infra describam. Rasis 8 Almansoris, cap. de His qui biberunt helleborum album & nucem vomicam & condisi & arthanitam, asserit pro cura nucis vomicę, ea quę superius dicta sunt auctoritate eiusdem ibidem cap. 12. pro cura condisi & hellebori albi. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Nuce vomica data: Eius theriaca est rob cidoniorũ & myrti & potus alti vini. Et eius bezaar, est cortex citri.

De Ficu Pharaonis. Cap. LI.

FIcus Pharaonis à Serapione in suo de Simplicibus, cap. de Nuce rachaha. Nux rachaha seu akachaha nuncupatur: & est fructus arboris magnæ habentis folia similia in magnitudine folijs ficus nascens ad radicem foliorum, sicut ficus nascens in partibus orientalibus & præcipuè in Sardinia.

NATVRA eius, calida est & inflammabilis valde cum quadam extranea & ventosabili humiditate, adeò, vt sumpta in notabili numero interficiat.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt febris, & precipuè de genere tertianæ, quæ multiplicatur iuxta numerum eius assumptæ, fractio totius corporis & tumor ventris, adeò, vt aliquando videatur hydro-

picus. Causa febris, est ipsius natura calida & inflammabilis valde conuertibilis in choleram putrescibilem. Causa fractionis totius corporis, est febris quæ est morbus vniuersalis frangens & debilitans totum corpus. Causa tumoris ventris & dispositionis similis hydropisi, est ventositas generata præcipuè ab eius ventosabili & extranea humiditate caliditati coniuncta.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta, & diligens relatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit pręcauendo ab assumptione eius.

CVRA verò eius vniuersalis, est cura supra descripta in 9 cap. primi libri particularis verò cura, statim infra patebit. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Ficubus Pharaonis: Cura eius, est aqua hordei potata aut serum caprinum: Et eius bezaar, sunt grana siue semina cucumeris mundata & trita data in potu.

De Cornu cynosbati, seu secundum aliquos, cornu bedeguar. Cap. LII.

CORnu cynosbati, seu secundum aliquos, & præcipuè secundum Petrum de Abano cornu bedeguar, est quidam globus spongię similis, nascens in ipso cynosbato, qui est arbor spinosa valde, quæ secundum Dioscoridem, cap. de Cynosbato fructum profert myrto similem, sed paulò maiorem rubeum interius, cum ad maturitatem venerit, in quo quidem globo interdum vermes inueniuntur. Hanc autem cynosbati arborem quidam dicũt esse bedeoard seu bedeguard, sed non est ita.

NATVRA eius, est stiptica & exuperans guttur valde.

ACCIDENTIA consequentia assumptionẽ eius, sunt difficultas transglutiendi & aliquando mors. Causa difficultatis transglutiendi, est ipsius virtus stiptica & exasperatiua gutturis & musculorum eius exiccans humiditates eorum, propter quod redduntur inepti dilatationi & constrictioni necessarijs transglutitioni fiendæ. Causa mortis, est prohibita transglutitio.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta & informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit se bene custodiendo ab assumptione eius.

CVRA verò, est procurare statim ipsius à corpore expulsionẽ cum lenientibus & mollitiuis, primò per vomitũ & postea per secessum lambendo continuè aliquod de gutturis & pectoris stricturam & exasperationem remouentibus positis ab auctoribus in cap. proprijs. Quæ autẽ particulariter pro eius cura dicuntur, infra describam. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Cornibus bedeguar datis: Eius cura, est lambere oleum de amygdalis dulcibus, & bezaar ipsius sunt mora celsi.

De Enichia seu anecsia. Cap. LIII.

ENichia seu anecsia, & nocriten seu nocrastos, sunt res venenosæ positæ à Rasi 20 Cõtinentis, cap. 2: Osisston verò aliàs offiston, est venenum taliter nominatum ab Auicenna secundo Canone, cap. de Chamæpity.

NATVRAS autem eorum & accidentia ipsorum assumptionem consequentia descriptas ab auctoribus non inueni. De eis tamen ideo in præsenti opere feci speciale cap. vt si contingeret aliquẽ aliquod prædictorũ assumere, remedia pro cuiuslibet eorũ cura posita ab auctoribus huic operi sint inserta.

CVRA igitur cuiuslibet prædictorũ ex auctorũ mentibus, statim infra scribetur. Rasis 20 Continentis, cap. 2: Contra rem venenosam quæ nominatur enichia, absinthiũ cũ vino, aut castoreũ, vel ruta cum syrupo acetoso, & nepita cum vino multũ iuuat. Cura cõtra nocriten, est prouocare vomitũ, & bibere vinum dulce, & brodiũ vnctuosum, & lac calidum, & ficus recentes comedere

& aquam

& aquam decoctionis ficuum bibere, & sumere baurach rubei ℥ vi. cum aqua. Ait Galenus: iuuat cõtra nocrastos prouocare vomitũ, & bibere vinum dulce, & brodia vnctuosa, & lac calefactũ cum vino: & comedat multas ficus recentes, aut bibat aquã decoctionis ficuũ, & sumere ex baurach rubeo aur. iij. cum aqua. Contra anecsia sumere absinthium cum vino: aut castoreũ cum ruta precedente vomitu cum syrupo acetoso, calamentho montano, & vino. Auicenna secundo Canone, cap. de Chamæpity: Chamępitys confert nocumento veneni nominati offiston, aliàs osiston.

De Opio & papauere præcipuè nigro & antidotis opiotis recentibus. Cap. LIIII.

OPium est succus seu lac, seu gummi papaueris nigri: papauer verò duarum est specierum: quidam nanq; est albus, seu habens semina alba, de quo præsentialiter non est sermo: quia iste non connumeratur ab auctoribus inter venena, nec inter mortiferas medicinas, quidam verò est niger, seu habens semina nigra, in cuius specie reponitur papauer cornutus & meconium seu miconium, & hic est venenum, seu venenosa medicina, & inter venena ab auctoribus numeratur: & de hoc in præsenti fit sermo. Antidota verò opiata recenter constructa, sunt electuaria siue confectiones, siue pilulæ recipientes notabilem opij quantitatem, vt filonium, theriaca, pilulæ de cynoglossa secundum quandam descriptionem & consimilia, cum sunt valde propinqua eorum constructioni.

NATVRA opij, frigida est & sicca in quarto gradu, & est inspissatiua, constrictiua, stupefactiua & mortificatiua cum venenosa proprietate. Natura papaueris nigri & papaueris cornuti & meconij seu miconij, remissior est parumper natura opij, pertingens tamen ad quartum gradum frigiditatis & siccitatis. Natura antidotorum opiatorum recipientium opij notabilem quantitatem valde propinquorum eorum constructioni, est similis naturæ prædictæ papaueris.

ACCIDENTIA consequentia assumptionẽ opij, & præcipuè cum modico boni vini, sunt stupor seu difficultas sensationis præcipuè extremitatum & frigus earum & pruritus in corpore & perceptio odoris opij ex ipso qui ipsum assumpsit & vertigo & singultus & tenebrositas oculorũ & strictura gutturis & anhelitus & citrinitas corporis & præcipuè labiorum & faciei, & profunditas somni siue subet, & permistio rationis & retentio linguæ & submersio oculorum & obfuscatio extremitatum & nigredo vnguium & spasmus, præsertim præfocans & sudor frigidus & anhelitus frigidus & vltimatè mors, præcipuè si de eo sumatur à ʒ. i. s. vsq; ad ʒ. ij. adeò, vt interficiat infra duos dies, nisi subito succurratur, & præsertim si sumatur cum modico boni vini ab homine parumper calidę complexionis. Causa stuporis & difficultatis sensationis præcipuè extremitatum & frigoris earum, est infrigidatio & ingrossatio inducta in sanguinem & in spiritus, propter quod redduntur inepti penetrare in membra, præsertim extrema ad dandum eis calorem & sensum. Causa pruritus in corpore, est humor subcutaneus putrescibilis, qui non debitè regulatus à calido naturali debilitato à venenosa opij frigiditate, putrefactus est ab extraneo calido circumdante: & ideo iste pruritus accidit cõmuniter solùm hominibus sanguineæ & cholericæ complexionis. Causa perceptionis odoris opij ex ipso, qui ipsum assumpsit, & non solùm ex eius anhelitu, sed aliquando ex fricatione in corpore facta, sunt vapores egrediẽtes à corpore, quibus opij odorabilis qualitas admiscetur. Causa vertiginis, sunt vapores, qui eleuantur ad caput & cõsequenter ad oculos in ipsis motum circulariter facientes. Causa singultus, est congelatio humiditatis substantificæ stomachi, & præcipuè oris

eius, propter quam accidit in ipso motus quidam spasmosus singultum facies. Causa tenebrositatis oculorum, sunt vapores turbidi & grossi ad oculos eleuati & ingrossatio spirituum visiuorum. Causa stricturæ gutturis & anhelitus, est congelatio humiditatum lacertorum gutturis & pectoris, propter quam ad dilationis motum redduntur inepti. Causa citrinitatis corporis & præcipuè labiorum & faciei, est mortificatio caloris innati & cõsequitur citrinitas siue palliditas, amplius in labijs & facie apparens propter rubedinem, quæ solet amplius in illis partibus apparere. Causa profunditatis somni siue subet, est eleuatio multorum vaporum grossorum ad cerebrum. Causa permistionis rationis, est eleuatio vaporum non ita grossorum ad cerebrum. Causa retentionis linguæ & submersionis oculorum, est contractio, siue spasmus ligamentis linguę & oculorum adueniens propter congelationem humiditatũ substantificarum prędictorum ligamentorum. Causa obfuscationis extremitatum & nigredinis vnguium, est mortificatio caliditatis innatæ. Causa spasmi præsertim pręsocantis, est congelatio humiditatum substantificarum musculorum præcipuè pectoris, propter quam non possunt debitè dilatare pectus: imo ipsum in eorum spasmatione siue contractione constringunt. Causa sudoris frigidi, est mortificatio caloris innati, & debilitas contentiuæ membrorum, propter quam relaxantur humiditates conuertibiles in sudorem. Causa anhelitus frigidi & tandem mortis, est mortificatio caloris innati. Causa verò propter quam opium mistum cum modico boni vini amplius lædit, & præsertim hominem parumper calidæ complexionis, est, quia vinum propter appetitum naturalem quem ad ipsum membra habent, facit opiũ ad ipsa melius & citius penetrare: & præcipuè in homine parumper calidæ complexionis, propter illum habere latiores vias. Si tamen vinum foret bonum, quia fumosum, & esset multæ quantitatis, & complexio assumentis foret valde calida & bona, opium minus læderet, propterea, quia maius sequeretur iuuamentum à caliditate vini ob ipsius notabilem quantitatem & à caliditate & fortitudine complexionis valde calidæ, quàm nocumentum ex festinatiori penetratione opij ad membra ob vini maximam amicabilitatem, & ob uiarum assumẽtis valde calidæ complexionis maiorem amplitudinem. Accidentia cõsequentia linitionem factam ex opio, sunt supradictis accidentibus consimilia, remissiora tamen secundum membra, super quibus linitio præcipuè fieret: & consimiles sunt eorum accidentium causæ. Accidentia consequentia assumptionem papaueris præcipuè nigri, videlicet seminis eius, sunt etiam consimilia & aliqualiter remissiora: & similes sunt eorum accidentium causę. Accidentia autem consequentia assumptionem antidotorum opiatorum recenter constructorum, sunt etiam cõsimilia & adhuc remissiora: & consimiles sunt eorum accidentium causę: & si contra hoc instetur, quia præostendi frigiditatem opij esse principalem causam omnium accidentium cõsequentium ipsius assumptionem & plura antidota opiata & præcipuè theriaca ponuntur esse calida: Respondeo, quòd theriaca & à fortiori filonium & consimilia propinqua valde eorum constructioni, sunt valde frigida, prout clarè ostendi ex mente plurimorum illustrium auctorum in quęstione mea qua quæsiui: vtrum theriaca confortatiua cordis à proprietate sit stupefactiua: vbi ostendi nouissimum stupefactionis theriacæ modum, reprobans ambos Gentilis modos de stupefactione theriacæ, & omnia ipsius fundamenta, ostendens clarissimè theriacam, & generaliter omnia stupefaciẽtia, in quantum stupefacientia, esse frigida in tertio gradu: nec theriaca ab auctoribus graduatur nisi fermentata, de qua præsentialiter non est sermo.

SIGNA assumptionis cuiuslibet prædictorum, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de assumptione cuiuslibet prędictorũ, vel alicuius

cuius eorum. Signum autem proprium & speciale assumptionis opij, est perceptio odoris opij ex anhelitu, & ex fricatione corporis.

PRAESERVATIO fit se bene custodiendo ab assumptione cuiuslibet prædictorum.

CVRA verò fit cum his, quæ ex illustrium auctorum mentibus, vt statim infra patebunt: aduertendo tamē, quòd fortiora competūt pro cura opij, consequenter minus fortia pro cura papaueris, & consequenter minus fortia pro cura antidotorum opiatorum, & consequenter minus fortia pro cura linitionis ex opio. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Alisma, id est fistula pastoris: Alisma folia habet similia arnoglossæ, sed angusta, & super terram spansa, caulem tenuem vnius cubiti mensura altum, & super ipsum capitellum florem viridem, id est croceum proferens: radices tenues habet, sicut helleborum, odoratas, viscidas, & pingues: nascitur in aquosis locis. Radicis eius bibita ʒ.i. vel ij. meconium, id est speciem vnam papaueris habentis semen rufum, quod sub specie papaueris nigri reponitur, & opium medicatur.

De Melle.

Mel meconium bibentibus subuenit, si cum aqua calida & oleo rosaceo bibitum fuerit.

De Mesalmo.

Mesalmum cōficitur sic: Aceti viscidi, id est mordicatiui, seu linguæ pungitiui cotylas v. i. lib. iij. ℥. ix. salis maritimi heminas vij. i. lib. vij. ℥. x. s. mellis heminas x. i. lib. xi. ℥. iij. aquæ cotylas x. i. lib. vij. ℥. vi. misce omnia in vnum, & coque donec decies bullierit: & cum refrigeratum fuerit, refunde in vas & vsui seruetur: & cum opus erit, sex aut septem ʒ. cum tepida propinētur: nam acceptum meconium bibentibus subuenit.

De Salibus.

Sal cum oxymelle bibitum, meconium bibentibus succurrit.

De Vino.

Vinum nigrum & spissum dandum est cum oleo, vt iactet meconium acceptum. Andromachus in lib. de Theriaca: Datur in potu de theriaca cū quantitate trium cyathorum i. ℥. iiij. s. vini ad potum medicinarum interficientium sicut opium &c. Galenus in lib. de Simplicibus, lib. 3, doctrina tertia, summa secunda, cap. 2. Indigent enim, vt nunc monstratum est mihi, hæc talia omnia calido corpore ad agendum & propter hoc opium & cicuta vino mista festinantius interficere nata sunt, sed non in omni cōmensuratione, quàmplurimo enim minima mista vincentur finaliter: pauco verò multa deducuntur quidem ad cor, vinci verò non possunt. Si autem & anticipet quis & iam bibat lac papaueris quod eum interficere natum est, vel quantum adhuc verò si viueret rationabiliter & hunc sanat multum & vetus vinum superbibitum, & maximè si nobilium fuerit: etenim calefacit magis &c. vinum igitur in hoc bibitum, est optima cura. Et nos iam quendam infrigidatum vltimè recuperauimus vino Lesbio &c. Excerpta quædam ex lib. 10 Oribasij: Compositio contra opium potum. Adiuuare autem debet, qui iam biberūt, aqua & oleum in vino mistū, & sæpius datū & frequenter reiectum per pēnam, aut digitos vomitu. Prodest enim & vini heminę pars sexta id est ℥. iij, hexagia ij. Et passi, id est vini pasi, id est vini ex vua passa expressi & olei eadem ratione datur. Item vinum & acetum pari mensura, ita vt ista cogantur subinde reiactare. Præterea & aceto caput sine intermissione curetur. Pedes eorum assiduè fricentur manibus siccis, aut linteo aspero inuolutis. Prodest & sinapi semen aceto tritum circumlinitum pedibus, & à somno omni ratione probibere ne sopiantur. Macer in lib. de Simplicibus, cap. de Artemisia.

Hæc opium nimium si quisquam læserit haustum:
Subuenit eximiè, si uino iuncta bibatur &c.
Si musto contrita recens seruabitur herba:
Vinum prædictis reddit medicabile morbis.

Rasis 20 Continentis, cap. 2: Ait filius Patriarchę: Cura eius, id est opij est, vt sumat aquam mellitam, & clysterizetur cum clysteribus fortibus & mordicatiuis, & bibat syrupum acetosum cum absinthio, & assumat parum piperis & castorei cum syrupo acetoso: & prouoca sternutationem, & ponas eum in pilam aqua calida plenam. Ait Galenus: Iuuat contra opium frequenter prouocare vomitum cum aqua & oleo: & postea clysterizetur violentis clysteribus. Inquit Aaron: Cura eius, est prouocare vomitum & dare theriacam aut sagzeneam cum vino & similia: & iuuat contra opium prouocare sternutationem & clysteria acuta, & dare vinum cum aqua decoctionis origani, & cinnamomum est theriaca opij, & sumat piper baurach & castoreum cum syrupo acetoso. Dico quòd melior cura contra opium, est prouocare sternutationẽ: quia si non prouocabitur sternutatio post liberationem, remanet visus obscuritas. Ait Ruffus: Remotio nocumenti opij in principio, fit cum sumptione olei & cum syrupo mellito acetoso, aut cum melle & aqua calida: & clysterizetur cum clysteribus violenter acutis, & bibat vinum purum cum cinnamomo & pipere. Dico: inueni per experientiam, quòd fortior medicina contra nocumẽtum assumptionis opij & omnium narcoticorum: est sumere assæ aur. i. cum ℥. ij. vini fortis & puri. Quia autem facta est mentio de sagzenea, eius descriptio statim infra scribetur post dicta Albucasis secunda particula Azarauij pro cura opij cum vino. Rasis octauo Almansoris, cap. de His quibus in potu opiũ datum fuerit: In eius curatione incipe vomitum cum melle prouocare & anetho & sale Indo, sicut diximus: deinde cum clysteri in cap. Colicę passionis nominato clysterizetur, vinumq; vetus & purum, in quo cinnamomum puluerizatum fuerit positum, ad potandum ei frequẽter tribuatur: & sternutatio cum condisi & castoreo prouocetur, ac ipsius caput cum embrocatione calefiat: ipseq; dormire prohibeatur, cui de hac theriaca ab auellanę vsq; ad nucis magnitudinem secundum hoc, scilicet quòd accidentia fortiora aut debiliora fuerint, ter detur in die. Theriaca valde valens ei, cui in potu opium datum fuerit. ℞. Castorei, assæ, piperis, seminis iuniperi omnium partes æquales, conficiãtur cum melle apum, aut detur ei sagzenea. Ad comedendum præterea dabis nuces & allia, ex quibus pulmentum fiat cum butyro & hordeo conditum: vinum etiam forte & purum in quo positum sit cinnamomũ tribues. Corpus itidem eius totum ex oleo costino & liliaceo calefactis inũges, castoreũ quoq; semper bibere dabis, quòd si pruritus magnus fuerit, eum in aquam calidam mitte. Ad hoc quoq; valde confert acetum acerrimum & calidissimum bibere. Hæc porrò est descriptio clysteris in colica passione nominati à Rasi nono Almansoris. ℞. Colocynthidis interioris ʒ. x. centaureæ ʒ. v. bochor marien radicis pyrethro similis, artanitæ, id est panis porcini, amborum an. ʒ. ij. menta stri, rutæ, origani, an. ma. i. omnia in tribus libris aquæ, donec ad duas tertias libræ vnius redeant, coquantur & colentur: deinde dissoluatur in ea alkitran, id est resinæ cedri, seu gummi cedri, mellis amborum an. ʒ. iij. castorei, serapini, opopanacis, collyrij quod prædiximus an. ʒ. ij. misceantur omnia, & dum tepidum est, fiat ex eo enæma. Descriptio Collyrij, quod Rasis prædixit loco pręallegato ingredientis prædictum enæma: ℞. Salis ʒ. x. colochyntidis interioris, scamoneæ amborum an. ʒ. ij. s. Rasis in Diuisionibus, cap. de Remedijs venenorum: Confert ad potum opij medicamen de assa & theriaca diatessaron. Medicamen de assa positum est superius in 9. cap. primi libri auctoritate Rasis 9 Almansoris, cap. 1. Descriptio theriacæ diatessaron posita à Rasi 8.

Almansoris,

Almansoris, cap. de Puncturis scorpionum. ℞. Gentianæ, aristolochiæ, baccarum lauri, myrrhę omnium par. æquales: hæc cum melle confecta in vase reponantur: & ex hac medicina cum necesse fuerit in potu ab vno aur. vsq; ad ij. s. cum ℥. i. vini veteris sumantur. Rasis in lib. de Experimentis: Oleum benedictum id est oleum de lateribus, valet sicut oleum balsami, sed est subtilius, & clarius & maioris vtilitatis in ægritudinibus frigidis &c. valet frigidis venenis & his qui sumpserunt per os opium & hyoscyamum. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2 cap. de Potu opij cum vino: Curatio eius apud sui principiũ, est quòd incipiat vomere cum aqua calida & oleo sisamino, vel oleo cõmuni: Et vomat cum aqua mellis, anetho & sale Indo: deinde clysterizetur cum clysteri calido: Et bibat vinum forte antiquum pluries, in quo coctum aliàs positum sit darsenum, id est cinnamomum tritum: Et prouocetur sternutatio cum condex, id est condisi & castoreo & pipere: & calefiat caput cum emplastro calido, & abstineat à somno: & sumat ex hoc medicamine.

Modus theriacæ opij: ℞. Castorei, altit, id est assæ fœtidæ, alihan, id est pulegij, iuniperi an. partes æquales. Teratur totum & cribelletur & conficiatur cum melle & bibat de ea ad modum auellanæ, id est aur. i. Et confert ad hoc compositio sagzeneæ: & comedat nuces & comedat allia: & fricetur corpus cum oleo de eo. Et si excesserit in ipso pruritus, ingrediatur balneum aquæ calidæ, & cum exierit à balneo sumat brodia & carnes pingues, & postea sumat vinum forte. Et cum hac eadem medicina curatur, qui sumpsit papauerem nigrum, & excesserit in ipso.

Prima descriptio sagzeneæ posita ab Auicenna, quinto Canone, summa prima, tractatu primo, est hæc: ℞. Castorei, opij, cinnamomi, asari, phu, id est valerianæ, meu, dauci, an. ʒ. i. piperis, macropiperis, galbani, costi omnium an. ʒ. vi. croci ʒ. v. liquefiant quæ liquescunt cum aqua mellis, & terantur sicca, & resoluatur galbanum cum melle, & conficiatur & administretur post sex menses.

Alia descriptio ibidem posita: ℞. Castorei, piperis nigri, croci, meu, phu, dauci, asari, opij, leucopiperis & bezaard, id est galbani an. omnium pondus ʒ. ij. costi ʒ. i. cinnamomi ʒ. ij. terantur & cribellentur & conficiantur cum melle despumato. Albucasis quarta particula Azarauij: Theriaca his qui opium biberint. ℞. Castorei, assæ fœtidæ, piperis, iuniperi, an. ʒ i. terantur & cum melle cõficiantur. dosim in modum auellanæ vel nucis ter in die accipe secundum virtutem patientis. Albucasis decimatertia particula Azarauij, Secaniabin Dioscoridis: Et inquit quando bibitur, humores laxat &c. Et valet ad eos, qui opium biberunt & medicinam mortiferam. ℞. Aceti lib. v. salis marini, manipulos ij. mellis & aquæ an. ma. x. & per decem vndas bulliant: & postea infrigidentur, & vsui reseruetur. Albucasis vigesimaquinta particula Azarauij: Oleum de lateribus omnibus venenis frigidis & bibentibus opium &c. valet: cuius descriptio posita est superius auctoritate Albucasis ibidem in nono cap. primi libri. Auicenna secundo Canone, cap. de Opio: Eius quidem theriaca, est castoreum.

De Fistula pastoris.

Fistula pastoris, est calida & sicca forsitan in principio secundi: & aureus aut duo aurei in potu accepti ex ea conferunt ei qui bibit opium &c.

De Sale.

Fit ex eo emplastrum cum oxymelle nocumento opij.

De Melle.

Si bibatur mel calefactum cum oleo rosaceo, confert ei qui bibit opium.

De Aceto.

Acetum confert ei qui in potu sumpsit opium. Auicen. quarto Canone, fen vi. cap. de Opio: Administrentur in eo ręgulę euacuatiuę cõmunes ex vomitu

cum oleo & aqua & ſale & baurach: deinde cum ſyrupo acetoſo dentur in po-
tu aqua & mel: deinde clyſterizetur clyſteribus fortibus. Et de medicinis eius,
ſunt ſyrupus acetoſus & abſinthium: & iterum ſyrupus de abſinthio: & aſſa eſt
theriaca eius, & ſimiliter cinnamomum & propriè cum aceto & ſyrupo aceto-
ſo iterum, & ſimiliter caſtoreum propriè, & piper cum vino aut cum ſyrupo a-
cetoſo, & origanum & ruta & ſale: Et ſimiliter oleum roſaceum cum aceto aut
cum melle. Et allia & nuces ſunt bona in eo: & detur in potu bibenti ipſum the
riaca propria ei. ℞. Aſſæ, ſauinæ, caſtorei, & piperis partes æquales: confician-
tur cum melle: cuius doſis ſit à quantitate auellanæ vſq; ad quantitatem nucis:
& multos liberat ab eo potare aur. i. aſſæ cum pondere xv. ʒ. vini odoriferi. Et
vinum antiquum quantitatis plurimæ eſt mirabile ei, & propriè quando eſt
ſubtile, odoriferum, plurimam tolerans aquam & eſt cum cinnamomo. Et non
eſt quod ſit ſicut theriaca & ſagzenea & mithridatum cum vino. Et oportet,
vt commoueatur cerebrum eius per ſternutationem cum condiſi & ſimilibus:
quoniam eſt curatio bona ad expellendum cauſas eius. Et oportet, vt trahan-
tur capilli eius, & non permittatur dormire & inũgatur corpus eius cum oleis
calidis: ſicut eſt oleum de coſto & oleum de lilio. Et odoret, quod eſt ſicut ca-
ſtoreum & ſicut moſchus, & oportet, vt ſedeat in tina calida, vt non ſpaſmetur,
& non fiat cum ea fortis pruritus: Et ſorbeat iura pinguia & medulas propriè
& adipes. Deſcriptio ſagzeneæ poſita eſt ſuperius in præſenti cap. vbi poſi-
ta eſt cura opij, auctoritate Albucaſis, ſecunda particula Azarauij. Auerrois
5 Colliget, cap. de Narratione medicinarum abſolutè, & earũ operationibus:
Balſamus calidus eſt & ſiccus in ſecundo gradu & oleum ſuum, eſt multũ ſub-
tile, nec habet multum calorem. Et eius proprietas eſt, quia eſt magna theriaca
venenis & valet contra opium bibitum. Plinius lib. 20, cap. de Heraclio: He
raclion quoq; tria genera habet: venena opij & gypſi extinguit decoctum, ſi
cum cinere & vino bibatur. Lib. 23 cap. de Muſtis: Muſtum omne aduerſa-
tur priuatim contra meconium, ad omnia infirmius album.

De vino Cæcubo & viribus vini.

Merum, id eſt vinũ purũ & potens quidem, remedio eſt cõtra meconiũ &c.

De Oxymelle.

Oxymel antiqui profuiſſe fatentur contra meconium &c. calidum.

De Oleo.

Oleum omnia venena hebetat; cohibet pręcipuè potum contra meconium
ex aqua. Libro 25 cap. de Artemiſia: Artemiſia quoq; bibitur ex vino aduer
ſus opium priuatim potens. Libro 31, cap. de Natura ſalis & eius medicinis.
Sal bibitur contra opium ex aceto mulſo. Ad omnia ſpuma ſalis iocũdior vti-
liorq;. Haliabas in Regali diſpoſitione quarto Practicæ, cap. de Eius medi-
cina qui opium biberit & cicutam: Qui opium biberit ab hexagio vſq; ad ʒ. ij.
congelatio ſpaſmoſa ei accidit & ſtupefactio &c. hæc cum videris ſigna acce-
lera & vomitum hæc patienti prouoca cum aqua calida, in qua anethum deco
xeris, & ſal cum melle biſq; hoc facies: & tunc eadem hora clyſterizabis illum
clyſteri quo inſit cucumer agreſtis, ſebetum, id eſt anethum, ſequebenegum, id
eſt ſerapinum, id eſt auſirum, id eſt opopanax melq; & oleum karue, id eſt ker-
ue, id eſt pentedactyli ſeu cataputiæ maioris, & oleum ieſemini, apijq; ſemen:
& fœniculus & cyminũ buracum, id eſt baurach, colocynthidis adeps: propi-
na illi harcarcaraha, id eſt pyrethrum, cum modico vini veteris. Et ſi patienti
hæc de hoc electuario dederis proderit. Aſſignatio electuarij vtilis ei, qui o-
pium biberit aut cicutã. ℞. Caſtorei, eltiti, id eſt altit, id eſt, aſſæ, piperis, ſauinæ
cuiuſq; partem, id eſt euphorbij quartam partem. tere diligẽter, & cum deſpu-
mato miſce melle: propinabiſq; hexagium medium vſq; hexagium plenum
cum

cum vino mero, id eſt cum vino puro & potenti, aut cum nemami, id eſt ſerpil-
li aqua, iuxta morbi virtutem & debilitatẽ. Sed & ſotira hac in parte vtilis eſt:
des autem illi ad comedendum allium, cæpam, mel & nuces: & vinum propi-
na vetus. Corpus in balneo optimè confrica: & ieſemini oleo linias cum modi-
co caſtoreo, & cum oleo coſti: Et ſedere illum in cõcha aquę iubeas calidę ple-
na, in qua rutam decoxeris, nemamum, id eſt ſerpillum, maioranam, & ſilphiũ,
id eſt plantam, cuius lacrimus eſt aſſa, artemiſiam; omnia enim hæc proſunt.

Deſcriptio Sotirę poſita eſt ſuperius in 9 cap. primi libri, auctoritate Aui-
cennæ quinto Canone. Haliabas in Regali diſpoſitione, 10 Practicæ, cap. de
Theriacæ magnæ vtilitatibus &c. Theriaca, omnes morbos, qui corpori acci-
dunt, ſanat &c. Qui autem biberit venenum aut medicamen letale ſicut eſt o-
pium & ſimilia, hexagium ſemis de ea bibat vſq; hexagiũ cum vini vncia. The-
riacæ Azeræ, id eſt Eſdræ, aſsignatio, eius vtilitas, quæ & magnæ &c. Deſcri-
ptio theriacæ Azerę, poſita eſt ſuperius in 9 cap. primi libri auctoritate Halia-
batis decimo Practicæ. Haliabas. Mithridati nobilis aſsignatio &c. veneno-
rum nocumenta propellit: multiſq; & pluribus quibus theriaca magna pro-
deſt &c. Conſtantinus in Pantechni 10 Practicæ, cap. de Theriacis & alijs
antidotis: Theriaca probata contra venenum, & ſtupefacientia, & infrigidan-
tia &c. Cuius deſcriptio Theriacæ poſita eſt ſuperius in 9 cap. primi libri au-
ctoritate Conſtantini 10 Practicæ, cap. præallegato. Gilbertus ſeptimo ſui
Compendij medicinę, cap. de Venenis terræ naſcentibus frigidis: De venenis
terrę naſcentibus frigidis eſt opium &c. Cura huius erit primò intendere edu-
cere opium de corpore ſi ſit poſsibile, & hoc per vomitum vel clyſtere: per vo-
mitum ſi ex recẽti tempore fuerit acceptũ, ſcilicet cum decoctione ſalis & olei
in aqua, poſtmodum fiant clyſteria fortia, ſcilicet cum benedicta & hieralogo-
dion & ſimilibus, poſtmodum decoquatur in vino origanum, piper, caſtoreũ,
ruta & ſal & dentur: diſtemperentur cum melle allia & nuces & dentur. The-
riaca eſt etiam ei conueniens propinata cum vino, & hęc confectio. ℞. Aſſæ,
ſauinæ, caſtorei, piperis an. conficiantur cum melle: & detur ad quantitatẽ co-
chlearij cum vino: & etiam vinum forte antiquũ bibitũ ſubtile in multa quan-
titate confert cum mithridato: oportet prouocare ſternutationem cum inie-
ctione pulueris hellebori albi: & quia eſt periculum cum profundatur in eis
ſomnus, oportet, vt trahantur capilli eorum & non permittãtur dormire & in-
ungatur frons vnguentis calidis, ſicut oleo coſtino, nardino, vnguento agrip-
pa vnguento arogon: & ſimiliter inungatur totum corpus propter timorem
ſpaſmi: & ne lædantur inteſtina, ſorbeat iura pinguia, & odoret, caſtoreum &
moſchum. Guilielmus de Placentia, tertio ſuę Practicæ, parte ſecũda, cap. 9,
aſſerit pro cura opij ea, quæ aſſerit Auicenna, & laudat aſſumptionem electua-
rij de anacardis, & potum vini decoctionis cinnamomi, in quo aliquid moſchi
ponatur. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Succo papaueris
nigri: Cura, eſt bibere theriacam magnam & diacaſtoreum & opopiram, aut
confectionem de anacardis ʒ. ij. & eius bezaar, eſt oleum crudum comeſtum.
De Opio propinato: Eius cura, eſt potare altiſsimum vinum, & fricare extre-
ma cum nitro & ſapone, & prouocare ſternutationem cum pipere intromiſſo
in nares: & eius bezaar, eſt caſtoreum tritum & datum in potu cum vino ʒ. ij.

Quia autem facta fuit in præcedentibus mentio de electuario ſeu cõfectio-
ne anacardina & de diacaſtoreo, & de opopira, viſum eſt mihi, ne huius libri
poſſeſſor pro venenorum cura aliquo alio prorſus indigeat, hîc eorum deſcri-
ptiones inſerere.

Deſcriptio Electuarij ſeu confectionis anacardinæ.

℞. Piperis nigri, macropiperis, myrobalanorum kebulorum, emblicorum,

belliricorum & Indorum, ium de bedustar, id est testiculi castorei an. ʒ. ij. costi,
anacardi, sacchari tabarzet, id est sacchari albi, burungi, id est seminis nigri si-
milis piperi quod portatur de Seni, baccarum lauri, an. ʒ. vi. cyperi ʒ. iiij. Tere
anacardos per se, deinde medicinas alias, & cõfice cum butyri vaccini & mel-
lis quantitate æquali, bullitorum prius, & da post sex menses: dosis eius est ʒ. ij.
cum aqua fœniculi & apij. Pro verificatione & clarificatione prędictę descri-
ptionis aduertendum primò quòd prędicta descriptio posita est punctualiter
sicut iacet à Ioanne Mesue in suo Antidotario, distinctione prima, parte secun-
da, & omnino consimiliter, præterquàm in pondere duplicato posita est ab A-
uicenna quinto Canone, Summa prima, tractatu tertio, cap. de Electuario ana
cardino. Aduertendum secundò, quòd præfata descriptio cõmuniter repe-
ritur corruptè scripta in prædicto Antidotario Mesue, vitio & ignorantia pri-
morum scriptorũ: vbi enim ponere debebant ium de bedustar, posuerunt vi-
ni debedust: fecerũt nanque v esse primam literam: & i secundam & n tertiam
& i quartam, vbi i debet esse prima litera & u secunda & m tertia. Et in scri-
bendo bedustar omiserunt ar: & hoc fecerunt ignorando prædicta vocabula,
sunt nanque vocabula Arabica. Ium nanque, prout sciui à scientibus loquelam A-
rabicã idem est quod Latinè testiculus: bedustar verò Arabicè, idem est quòd
Latinè castoreus: vnde Serapio in suo de Simplicibus, cap. de Castoreo bedu-
star, id est castorei. Est igitur sensus ium de bedustar, id est testiculi castorei seu
de castoreo: & ideo vbi cõmuniter in Ioannis Mesue Antidotario reperitur
corruptè scriptũ vini de bedust, in Auicẽ. loco pręallegato reperitur verè scri-
ptum castorei. Hæc autem ignorauit Simon Genuẽsis dicẽs in Synonimis suis
bedester apud eben Mesue, est herba quam ignoro. Aduertendum tertiò,
quòd per cõmuniter practicantes Venetijs, loco burungi, ponitur semen iu-
niperi. Aduertendum quartò, quòd vbi iuxta Auicennam & Ioannem Me-
sue, prædicta cõfectio debet exhiberi cum aqua fœniculi & apij: pro cura opij
debet dari cum vino puro potenti, quoniam tale vinũ in dicta cura coadiuuat.

Descriptio Diacastorei posita in Antidotario Nicolai.

℞. Castorei, myrobalani citrini an. ʒ. iij. minus, gra. i. s. aloes ʒ. i. s. minus, gra. i.
assæ, myrrhæ, euphorbij, an. ʒ. i. gra. xvij. folij, antimonij, pyrethri, liquiritiæ, dra
ganti, calami aromatici, nitri, galbani, squinanthi, opopanacis, spicæ, nucis mo-
schatæ, casiæ ligneæ, piperis longi, albi & nigri, xylobalsami, carpobalsami,
colocynthidis, serapini, rheupontici, styracis, calamitæ ʒʒ. gingiberis, cinnamo
mi, an. ʒ. i. gr. ij. staphisagriæ, dauci, fœniculi, petroselini, apij, sileris, daphnococ
ci, id est baccarum lauri, sinoni, id est petroselini agrestis, petrolei, styracis ru-
beæ, id est styracis calamitæ, sanguinis draconis, cardamomi, thuris masculi, a-
garici, mastichis, salis ammoniaci, zedoarię, anisi an. ℈. i. grana ix. satureiæ, hys-
sopi, chamædryos, pulegij, origani, balsamitæ, ocymi, radicis brancæ vrsinæ, di
ctami, seminis rutæ, aristolochiæ longæ & rotundæ, aaron, id est serpentariæ
minoris seu ari, succi cauliculi agrestis, asari, saluiæ, rosarum, bdellij an. gra. xvij.
epithymi, polypodij, opobalsami, id est balsami an. ʒ. xiiij. alipiados, id est me-
zerion seu cameleæ seu herbæ catholicæ, capparis an. gra. xi. anacardi, sauinæ,
gentianæ, corticis mandragoræ, an. gra. xi. peucedani, absinthij, an. gr. vij. ireos
ʒ. iij. mellis quod sufficit.

Descriptio Opopiræ magnæ, quam sancti Cosmus & Damianus dicta-
uerunt posita in Antidotario Nicolai.

℞. Opij Thebaici ʒ. ij. ℈. i. grana iiij. cinnamomi, caryophyllorũ, nardi, id est
spicæ nardi, croci, galangæ, costi, zedoariæ, ʒʒ. xylobalsami, rheupontici, pyre-
thri, coralli, dracanthi, myrrhæ, aloes, castorei, opopanacis, piperis albi & ni-
gri & longi an. ʒ. ij. gra. vi. rasuræ eboris, saluiæ, herbæ paralysis, id est iuæ, an.
ʒ. i. gr.

ʒ.i.gr.xiij.balsami,moschi,xylobalsami,squinanthi,casiæ fistulæ, styracis calamitæ,mastichis,rosarum,confitæ rubeæ,id est ladani,serapini,galbani, meliloti,aristolochiæ longæ & rotundę,dragonthææ,asari,hellebori nigri,meu,pæoniæ,raphani,corticis peucedani,acori,mandragoræ,betonicæ,gentianæ, chamædryos,pulegij,centaureæ vtriusq;,spicæ celticæ,absinthij, proserpinatæ, id est polygoni, bratei,id est sauinę,capillorum Veneris,sponsæ solis,id est cichoreæ,hyperici,millefolij,vincetoxici,id est antipharmaci, prasij,rutæ, calamenthi,hyoscyami,cardamomi,carpobalsami,anisi,leuistici seminis,radicis lupini, farinæ orobi,alexandriæ,id est agni casti,baccarum lauri,fœniculi,sileris an.℈.i.gra.viij.mellis quod sufficit.

De Nuce methel. Cap. LV.

NVx methel,est fructus similis nuci vomicæ, quæ etiam ab aliquibus vocatur iouz methel.

NATVRA eius,frigida est in quarto gradu,& est stupefactiua cum venenosa proprietate,& est satis similis naturæ opij, adeò, vt sumpta in quantitate multa,vtputa in quantitate aur.ij.vsq; ad ℥.s.interficiat,& quandoq; aur.i.pręsertim nucis methel Indicæ interficit in die vno.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius, sunt vertigo,rubedo oculorum,& tenebrositas eorum ,ebrietas & profunditas somni & anhelitus & sudor frigidus.Causa vertiginis,sunt vapores præsertim calidi ad cerebrum eleuati,& consequenter ad oculos ibidem circulariter se mouentes.Causa rubedinis oculorum,sunt etiam vapores calidi,& pręcipuè sanguinei ad oculos eleuati,sanguinem ad eos currere facientes. Causa tenebrositatis oculorũ, sunt vapores ad ipsos eleuati , & ijdem sunt causa ebrietatis & profunditatis somni.Causa anhelitus frigidi,est extinctio caloris innati. Causa sudoris frigidi,est extinctio caloris innati , & debilitas contentiuæ membrorum relaxantium humiditatem conuertibilem in sudorem.

SIGNA assumptionis eius,sunt accidentia prædicta & informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit se cautè custodiendo ab assumptione eius: & præcipuè quia non sunt nimis horridi saporis.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus statim infrà describam, subueniendo accidentibus consequentibus cum his,quę ab auctoribus in proprijs cap.describuntur.Cura tamen eius,est satis similis curæ opij supradictæ & curæ mãdragoræ. Serapio in lib.de Nucibus,cap.de Nuce methel: Oportet eum qui sumit eam,vt accipiat butyrum calidum,& ponantur extremitates in aqua calida,& fiat quòd euomat satis:& curetur cura illius,qui sumpsit mandragoram. Rasis 8 Almansoris, cap. de His quibus nuces methel datæ fuerint:His igitur eisdem curandus est medicinis,quibus & ille qui mandragoram sumpsit:veruntamen oportet, vt butyrum calefactum aut crudum trajciat, eiusq; extremitates in aquam calidam sunt mittendæ, & vt euomat cum his,quę diximus,est curandus. Rasis 22.Cõtinentis,cap.de Fak seu fiak. Fak & dicitur etiam fiak, est medicamẽ delatum de regione Turcarum:dicitur cuzi,confert nocumento nucis methel &c. Albucasis secũda particula Azarauij,tractatu secũdo, cap.de Potu nucis methel &c. Curatio ipsius, est eadem cum curatione potus mandragoræ. Rabi Moyses, in suo tractatu de Venenis,cap.de Cura auellanæ seu nucis methel,& præcipuè Indicę: Procuret primò vomitum cum aqua calida & oleo & sale nitri: & consequenter comedat butyrum in magna quantitate, deinde multum vinum, cui coniunctus fuerit puluis cinnamomi & piperis, in potu sumat. Auicẽna secundo Canone,cap.

de Fach: Fach est medicina Turcica, est bona data in potu cum aqua frigida nuci methel &c. Auicenna quarto Canone, fen 6 cap. de Nuce methel, Maior cura, est vomere cum nitro & aqua & oleo & butyro & theriaca eius: & detur in potu cum ea vinum plurimum cum pipere & pyrethro & baccis lauri & cinnamomo & castoreo. Et confert in aqua calida ponere extrema: & calefiat corpus cum panno: & inungatur cum oleo de ben & costo: & laboret quantum possibile est ei & exercitetur & cibetur post illud cibis pinguibus & vino dulci: & administretur cura opij. Verùm aduerte, quòd per theriacam eius intelligo theriacam quam Auicēna in præcedenti cap. dixit esse propriam opio, quæ fit ex assa, sauina, castoreo & pipere partibus æqualibus cum melle confectis. Posset etiam intelligi assa quam loco prædicto Auicenna dixit esse theriacam opij. Haliabas in Regali dispositione, quarto Practicæ, cap. de Eius medicina qui hyoscyamum ieberuam, id est mandragoram & iouz methel, id est nucem methel biberit: Qui verò iouz, id est nucem methel bibit, ea curandus est medela, qua & qui ieberuam, id est mandragoram biberit.

De Mandragora. *Cap.* LVI.

Mandragoram auctores aliqui nominant iabroch, seu iabrol, seu iabroha seu ieberue, seu ieberuan. Est autem specierum duarum, quarum vna est masculus, altera verò fœmina: quælibet tamen ferè consimilis est virtutis habens radicem satis magnam & fructus & folia.

NATVRA eius, frigida est in tertio gradu, continens in se aliquid caliditatis, & est sicca secundum aliquos in tertio gradu, & secūdum aliquos minus, & secundum aliquos est humida, & est stupefactiua cum venenosa proprietate: adeò, vt sumpta in notabili quantitate, & præcipuè succus eius interimat festinanter faciendo accidentia infrascripta, nisi acceleretur cura.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionē, sunt vertigo, ebrietas, alienatio, seu defectus mentis, exitus oculorum, & inflatio faciei, angina, rubedo oculorum & faciei, somnus profundus seu subet, surditas, alcucez, siue spasmus, pruritus corporis & lethargia. Causa vertiginis, sunt vapores ad cerebrum eleuati & consequenter ad oculos in eorum meatibus circulariter se mouentes. Causa ebrietatis, sunt vapores ad cerebrum eleuati: & ijdem, sunt causa alienationis seu defectus mentis. Causa rubedinis oculorū & faciei, sunt vapores calidi ad faciem & oculos eleuati facientes ad ipsos currere sanguinē, & fortasse aliquo modo concurrit, præcipuè euaporare faciendo aliqualis caliditas in mandragora existens: & hæc eadem, est causa exitus seu præeminentię oculorum & inflationis faciei. Et similiter potest esse causa anginæ. Causa somni profundi seu subet, sunt vapores ad cerebrum eleuati aliqualiter ingrossati. Causa surditatis, sunt præfati vapores ingrossati meatus auriū oppilantes. Causa alcucez siue spasmi, sunt humiditates in membris ipsis cōgelatæ. Causa pruritus corporis, sunt humores subcutanei præcipuè sanguinei vel cholerici putrescibiles, qui derelicti à regimine naturæ seu calidi naturalis debilitati, seu diminuti à venenosa mandragoræ frigiditate, putrefacti sunt ab extraneo calido circumdante. Causa lethargiæ, sunt humores in cerebro congregati, præsertim ex vaporibus ad ipsum eleuatis conuersis ad naturam humorū, ex quibus eleuati sunt facientes in ipso lethargicum apostema.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit se cautè custodiendo ab ipsius assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus infra describam: subueniendo accidentibus cōsequentibus cum his, quę ab auctoribus in proprijs

cap.

cap. describuntur. Rasis 20 Continentis, cap. 2, Ait filius Patriarchæ: Quicunq; grana mandragoræ sumpserit, eius cura est, vt prouocetur vomitus cum aqua, melle, & nitro: & bibat de vino dulci: & fundatur super caput eius acetũ vini & oleum rosaceum: & sumere parum castorei & rutæ iuuat. Et prouoca sternutationem cum condisio, & ex hoc liberabitur. Inquit Aaron: Iuuat contra sumptionem mandragoræ prouocare vomitum cum aqua mellita, & bibere aquam decoctionis absinthij cnm vino, & sumere piper, castoreũ, rutam & semen sinapi, & prouocare sternutationem cum eis. Ait Ruffus: Remotio nocumenti pomorum mandragoræ, fit cum vomitu & vino & melle: & odoretur piper, castoreũ, sinapi & ruta: deinde prouocetur sternutatio. Rasis 20 Continentis cap. de Mandragora: Dixit M. fructus mandragorę, est frigidus in tertio habita secum cum hoc caliditate admista: & si comeditur, infert anginam, rubedinem faciei, & defectum mentis: sed dandum est in potu de butyro, melle & oleo ad vomendum cum eis: tamen quidam medici faciunt patientem sedere in aqua frigida valde. Dico: retulit mihi medicus senex apud Baldaccam, quòd quædam iuuencula comedendo quinq; poma de fructu mandragoræ, cecidit cum sincope rubescens, & quòd per effusionem aquæ niuis factam super caput ipsius sanata fuit. Et vidi mulierẽ radicem eius bibere ad impręgnandum & effici exinde in dispositione illius, qui ingreditur balneum, aut bibat vinum abundans in rubedine & inflatione faciei. Rasis 8 Almansoris, cap. de His quibus mandragora data fuit: Is vomere cogendus est & clysterizandus: eiusq; capiti oxyrhodinum, id est oleum rosaceum aceto mistum superponendum. Cui acetum acerrimum, in quo aloes & absinthium posita fuerint, in potu tribuantur. postquàm verò faciei, ac oculorum rubor quieuerit & subet remanserit, detur ei ad bibendum theriaca contra opium cum vino: ea quoque omnia, quæ in cap. de Opio diximus, ei adhibeantur, & cum eis curetur. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu mandragoræ: Curatio eius, est quòd vomat cum melle & aqua calida & nitro: post vomitum verò bibat syrupum de absinthio, & vinum dulce mistum cum absinthio trito, & superponatur capiti acetum vini cum oleo rosaceo, & absorbeat sorbitiones de aceto forti in quo infusa sint hyssopus & absinthium: & quando recedit rubedo ab oculis & facie & remanserit sopor, sumat in potu theriacam factam contra opium. Rabi Moyses in suo tractatu de Venenis, cap. de Cura seminis & corticum mandragoræ assumpti: Sunt etiam quidam, qui sugũt succum mandragoræ, præter quòd sensibiliter obsit eis: semen tamẽ & cortex ipsius affert hominibus magna nocumenta, vnde vidi mulieres quasdam & pueros, qui ignorantes eorum naturam comederunt & consecuti sunt inde nocumenta mala & illaudabilia, scilicet rubedinem & tumorem corporis cum pruritu & alia pessima. Horum autem cura, est eadem cum cura illorum, qui auellanam Indicam, id est nucem methel sumpserunt. Auicenna quarto Canone, fen 6 cap. de Iabrol, id est radice mandragoræ siue mandragora: Cura eius proxima est curæ nucis methel & opij, & oportet vt in potu detur absinthium cum vino, & iterum piper & castoreum & vinum & sinapi: & acetum iuuatiuum est eis, & omnibus calefactis: & fiat vt sternutet iterum cum huius medicinis, & olfaciat picem & fumum galbani extincti: & de eis quę oportet, vt ponantur super capita eorum, sunt acetum vini & oleum rosaceum: & non dimittantur dormire, imo euigilentur trahendo capillos, & faciendo sternutare & premendo radicem pollicis. Auicenna secundo Canone, cap. de Iabrol. Iabrol est radix mandragoræ syluestris. Cuius cura quidem, sunt butyrum & mel & vomitus. Haliabas in Regali dispositione, quarto Practicæ, cap. de Eius medicina qui hyoscyamum ieberuam, id est mandragoram & iouz methel bi-

berit. Cui autem ieberua propinata est, oportet illum mederi sicut dictum est vomitu cum aqua calida & melle, anetho, aliàs aceto & sale sugelibusq́, id est radicibus domestici raphani. Clystere adhibeatur acutum, & modicum aceti acerrimi propina in quo satureiam decoxeris, zingiber, engedanum, id est silphium, id est plantam ex qua fit assa origanumq́ montanum: vt autem rubor à facie cessauerit regimine illum, quod diximus, quo qui opium biberit, rege.

Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Succo mandragorę propinato: Eius cura erit sumere in potu statim theriacam magnam distemperatam cum optimo vino, & tardare comestionem per diem vnam, & bibere optimũ vinum purum & odorare acetum forte: & eius bezaar est radix raphani comesta omni die vsq; ad tres dies cum pane & sale.

De Darsion aliàs darsion. Cap. LVII.

DArsion aliàs darfion, est medicina narcotica, de qua Auicẽna quarto Canone, fen 6, facit cap. speciale.

NATVRA eius, similis est naturæ hyoscyami albi in immediatè sequenti cap. describendæ cum venenosa proprietate & interficit à quarto die vsq; ad septimum nisi ipsi succurratur.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt ebrietas, nausea, singultus, punctura in stomacho & intestinis, & dispositio sicut ileos, & aliquando vomitus sanguinis & exitus eius mediante solutione ventris, syncope, profunditas somni, stupefactio totius corporis & mortificatio. Causa ebrietatis, est ascensus vaporum ad caput. Causa nauseæ, est coadunatio multarum extranearum superfluitatũ in stomacho & ore eius. Causa singultus, sunt prædictæ superfluitates imbibitę in substantia stomachi & oris eius congelatę ipsos quodammodo spasmantes & consequenter singultum facientes: cuius etiam singultus causa, possent esse humiditates substantificæ stomachi & oris eius congelatæ. Causa puncturæ seu mordicationis stomachi & intestinorum, sunt humores putrescibiles in stomacho & intestinis existentes, qui derelicti à regimine naturæ ob mortificationem calidi naturalis putrefiunt acquirentes ex putrefactione virtutem mordicatiuam & pungitiuam: & ista eadem posset esse causa dispositionis similis ileon: posset etiã eiusdem dispositionis esse causa ventositas in ileon generata. Causa aliquando vomitus sanguinis & exitus eius mediante solutione ventris, sunt præfati humores corrupti stomachum & intestina mordicantes & vlcerantes: & ista eadem posset esse causa syncopes, in cuius syncopes causa, concurrit mortificatio seu resolutio spirituum præcipuę cordis. Causa profunditatis somni, est eleuatio vaporum & præcipuè frigidorum ad cerebrum. Causa stupefactionis & mortificationis totius corporis, est eius virtus & venenosa proprietas stupefactiua & mortificatiua.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata.

PRAESERVATIO fit cautè se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò iuxta Auicennam quarto Canone, fen 6 cap. proprio, est cura communis descripta superius in 9 cap. primi libri.

De Hyoscyamo. Cap. LVIII.

HYoscyamũ Arabes vocant bengi, & aliqui benegũ: cuius equidem tres esse species ponitur ab auctoribus: quidam nanq; est albus, quidam rubeus, & quidam niger.

NATVRA hyoscyami nigri, frigida est & sicca in fine tertij gradus. Natura hyoscyami albi, frigida est & sicca in principio eiusdẽ. Natura verò hyoscyami rubei medio modo se habet inter prædictas: natura tamen cuiuslibet prædictarum

dictarum hyoſcyami ſpecierum, eſt venenoſæ proprietatis & virtutis ſtupefa-ctiuæ: deterius autem eſt nigrum, minus malum eſt album: rubeum verò me-dio modo ſe habet.

ACCIDENTIA conſequentia ipſius aſſumptionem, & præcipuè hyo-ſcyami albi ſumpti præſertim ſupra ʒ. ij. ſunt mollificatio membrorum, egreſ-ſio ſpumæ ex ore, rubedo faciei & oculorum, vertigo, tenebroſitas oculorum, conſtrictio anhelitus, ſurditas, pruritus corporis & gingiuæ, ebrietas, permi-ſtio rationis, & aliquando epilepſia, & quandoq; locutio vocibus diuerſis, a-deò vt aliquando rugiat & aliquando hinniat vt equus, & aliquando vocem emittat vt mulus, & aliquando vt mula, & aliquãdo groſsitudo linguæ & pro-hibitio ſermonis: & cum morti appropinquat, accidit pigritia & ſtupor & ſo-por, & citrinitas faciei & frigiditas totius corporis & præcipuè extremitatum. Accidentia verò conſequentia aſſumptionem hyoſcyami nigri, ſunt acciden-tia ſupradicta omnia fortiora, & accidit vltra prædicta, putrefactio, tenebro-ſitas viſus, ita vt fortaſſe non videat, & tenſio vehemens & alices & ſpaſmus, & præfocatio interficiens. Accidentia autem conſequentia aſſumptionem hyoſcyami rubei, medio modo ſe habent inter prædicta. Cauſa mollificatio-nis membrorum, eſt ipſius frigiditas ſtupefaciens, adeò infrigidans & ingroſ-ſans ſpiritus ſenſitiuos & motiuos, vt prohibeantur penetrare ad membra & dare eis ſenſum & motum. Cauſa egreſsionis ſpumæ ex ore, eſt conſtrictio an-helitus propter ſpaſmum ſeu cõtractionem muſculorum gutturis & pectoris factum à frigiditate hyoſcyami cupiditates predictorum muſculorũ quodam-modo congelante, propter quod accidit ei egreſsio ſpumę ex ore, ſicut accidit ſtrangulato. Cauſa rubedinis faciei & oculorum, eſt prefata conſtrictio anhe-litus cauſata modo prædicto: & poteſt eſſe aſcenſus vaporum calidorum ſan-guinem cõmouentium ad faciem & ad oculos. Cauſa vertiginis, eſt aſcenſus vaporum ad cerebrum & cõſequenter ad oculos in ipſis circulariter ſe mouen-tium. Cauſa tenebroſitatis oculorum & tenebroſitatis viſus, ſunt vapores prę-cipuè groſsi ad oculos eleuati. Cauſa conſtrictionis anhelitus, ſunt humidita-tes muſculorum pectoris congelatæ, propter quod à dilatione & conſtrictio-ne anhelitui neceſſaria prohibentur. Cauſa ſurditatis, ſunt vapores præcipuè groſsi ad aures eleuati auditus vias oppilantes. Cauſa pruritus corporis & gin-giuæ præſertim, ſunt humores corporis ſubcutanei & in gingiuis exiſtẽtes pu-treſcibiles, qui à regimine naturæ derelicti ob mortificationem caloris innati putrefiunt à calore extraneo circumdante acquirentes à dicta putrefactione acuitatem quandam prurituam: & hic nempe pruritus amplius accidit chole-ricis & ſanguineis talibus humoribus putreſcibilibus abundantes. Cauſa ebrie-tatis & permiſtionis rationis, ſunt vapores & præcipuè calidi ad cerebrum ele-uati. Cauſa epilepſiæ, poſſunt eſſe vapores pręcipuè groſsi cerebri ventriculos oppilantes, incompletè tamen: quia ſi cõpletè oppilarentur, accideret apople-xia: & etiam poſſet eſſe conſtrictio anhelitus præfocans ſeu ſtrangulans, pro-pter quã ſanguis ad cerebri vẽtriculos expulſus oppilationem in eis cauſaret facientem epilepſiam. Cauſa locutionis vocibus diuerſis, ita vt aliquando ru-giat & aliquando hinniat, vt equus & aliquando vocem emittat, vt mulus vel mula, ſunt vapores ad cerebrum eleuati conuerſi ob congelationẽ ad naturam melancholię propter quod accidit talium vocum emiſsio. Cauſa groſsitudinis linguæ & prohibitionis ſermonis, eſt mollificatio linguæ & ingroſſatio humi-ditatum in ipſa exiſtentium & concurſus earum ad ipſam preſertim à cerebro. Cauſa pigritiæ, ſtuporis & ſoporis, eſt ipſius virtus ſtupefactiua. Cauſa citrini-tatis faciei & frigiditatis totius corporis, & præcipuè extremitatum, eſt morti-ficatio caloris innati. Cauſa putrefactionis, eſt derelictio regiminis à natura

humiditatum corporis. Causa tensionis vehementis & alicum, est ventositas grossa ob ipsius frigiditatem in musculis generata. Causa spasmi, est cõgelatio humiditatum corporis. Causa præfocationis interficientis, est spasmus membrorum anhelitus factus ob congelationem humiditatum eorum.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita de ipsius nimia assumptione.

PRAESERVATIO fit cum dictis in vniuersali in 8 cap. primi libri, & cautè se pręcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ ex illustrium auctorum mẽtibus infra describam: subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Lacte: Hyoscyamum bibentibus lac bubulum, id est bouinum prodest. Andromachus in lib. de Theriaca: Ad potum quidem medicinarum interficientium, sic hyoscyamum &c. confert theriaca cum eo quod diximus de vino, scilicet in quantitate ℥.iiij.s. Excerpta ex lib. 10 Oribasij: Compositio contra hyoscyamũ potum: Adiuuantur autem lacte asinino poto quàmplurimo, vel quolibet alio recẽti lacte vel decocto. Sed hi quidem prius cum mulsa, id est aqua mellis pota sæpius cogantur per pennas reijcere, similiterq; vt opio lęsi. Rasis 20 Continentis, cap. 2: Ait filius Patriarchæ: Quicunq; hyoscyamum sumpserit, sumat immediatè aquam & mel, lac vaccinum, lac caprinũ & aquam decoctionis ficuum: & bibat multum vini dulcis, & sumat semen vrticæ & sinapi, aut cicutæ, id est harmel, quod est species rutæ, aut radicum & comedat cæpas & allia.

Libro 22, cap. de Fak seu fiak: Fak & dicitur etiam fiak, est medicamen delatum de regione Turcarum, & valet ad potum hyoscyami &c. Libro 23, cap. de Lacte: Lac recens valet ad ardorem & inflammationem ex mortiferis medicinis ad modum cantharidarum & similium, sicut hyoscyami: lac vaccinum propriè confert his venenis. De Butyro: Dixit Rufus in libro Lactis de summa lactis: Lac summariè si bibitur facit contra hyoscyamum, & reddit mentem ipsi cui datus fuerit hyoscyamus in potu statim. Rasis octauo Almansoris, cap. de His quibus hyoscyamum nigrum datum fuerit. Is vomere cogendus est: deinde ex his quæ diximus, id est in cura opij clysterizandus: postea vinum forte singulis horis est ei tribuendum. Ex theriaca quoq; de carne viperarum facta, aut ex theriaca quæ fit contra opium, multoties est ei dandum: cui itidem pondus ʒ.i. piperis cum ℥.i. vini datum confert. Rasis octauo Almansoris, cap. de His quibus semen bengi, id est hyoscyami albi datum fuerit: Huic cum vomitu ex hydromelle & aqua, in qua ficus & baurach cocta fuerint in principio est succurrendum: deinde lac recenter mulsum, multoties est ei tribuendum, & si hoc suffecerit quiescendum: si autem non suffecerit ex medicinis opij curandus erit. Rasis in Diuisionibus, cap. 143, scilicet de Remedijs venenorum: Confert ei, qui album bibit hyoscyamum lac propriè post vomitum, si succurratur ei velociter. Rasis in libro de Experimentis: Oleum benedictum, id est oleum de lateribus valet frigidis venenis, & his qui sumpserunt per os opium, siue hyoscyamum &c. Auctor præsentis operis: Descriptio olei de lateribus, posita est superius auctoritate Albucasis 25 particula Azarauij in nono cap. primi libri. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu seminis hyoscyami in quantitate offendentis: Curatio eius in suo principio, est quòd vomat cum hydromelle & baurach, & cum decoctione ficuum: Et assiduet potum lactis asinini, vel vaccini vel caprini: Et si non sufficit, curetur curatione potus opij. Albucasis 25 particula Azarauij: Oleum de lateribus omnibus venenis frigidis & bibentibus opium & hyoscyamum, & his similia valet. Rabi Moyses in suo tractatu de Venenis, cap.

nis, cap. de Cura hyoſcyami aſſumpti: Ex his quibus poteſt quis de facili decipi, ſunt ambæ ſpecies hyoſcyami. Cum ergo contigerit, procuretur vomitus primò cum aceto decoctionis arboris mori: Et breuiter proſequatur cura eius, ſicut dictum eſt in cap. de Regimine talium in generali. Auicenna ſecundo Canone, cap. de Abſinthio: Abſinthium confert hyoſcyamo cum vino ſupple, bibitum.

De Coagulo omni.

Coagula omnia ſunt bezaard, & conferunt hyoſcyamo nigro: & magis iuuatiua ad illud, ſunt coagula hœdi, & muli & ceruorum & vituli & agni: Sitq́ potio ipſorum decem karates, id eſt pondus xl granorum hordei.

De Balſamo.

Eius oleum confert hyoſcyamo cum bibitur cum lacte.

De Lacte.

Lac confert ei, qui in potu ſumpſit hyoſcyamum & bengi, id eſt ſpeciem vnam hyoſcyami, reducit enim ipſum ad rationem ſuam.

De Lilio.

Oleum eius, eſt theriaca bengi.

De Fach.

Fach eſt medicina Turcica, eſt bona ad potum hyoſcyami &c.

De Moro.

Cortex arboris mori, eſt theriaca hoyſcyami.

De Aceto.

Acetum confert ei, qui in potu ſumpſit opium & hyoſcyamum. Auicenna quarto Canone, fen. vi. cap. de Hyoſcyamo albo: Oportet, vt in potu dentur ſtatim aqua & mel, & lac vaccinum, aut lac caprinum, aut lac ouinũ cum melle iterum & abſque melle: & butyrum, & grana pini decocta cum vino, aut amygdalæ: & iterum decoctio ficuum: & iterum vinum dulce plurimum, & iterum cæpe aſſatum: & detur in potu ſemen raphani & ſinapi & naſturcij, & ſemen vrticæ, & omne acutum inciſiuum: & detur in potu aqua cæpæ & allij, & raphani, & ſemen eorum: & nunc aliquid ſicut mithridatum & theriaca & ſagzenea & theriaca opij: & cura eius eſt vomere.

De Hyoſcyamo nigro.

Adminiſtra in primis clyſteria & vomitum & ventris ſolutionem, ſecũdum quòd ſciuiſti incipiendo à clyſteribus: deinde da in potu de vino puro aliquid poſt aliquid, hora poſt horam: quoniam eſt magni iuuamenti cum eo quod bibit & abſinthium: Et detur in potu piper cum vino & ſimiliter caſtoreum & ruta & mentha, & altit, id eſt aſſa & folia lauri & grana eius: & rob vuę iterum, id eſt ſuccus vuæ decoctus ad ſpiſsitudinem, ita vt ſeruari poſsit: & theriaca opij iuuatiua eſt ei: & ex eis iterum quæ conferunt ei, ſunt ſemen vrticæ, & alaniuden, id eſt ſilphij, id eſt plantæ, cuius gummi eſt aſſa: aliqui tamen exponunt, quòd ſemen alaniuden eſt ſiſeleos Romanum, ſeu ſiler montanum & cordumeni & ſtyrax, omnia illa cum vino: & ſimiliter decoctio corticum mori, & oleum balſami cum lacte: & oportet, vt emplaſtretur venter eius, & ſtomachus ex farina tritici cum vino. Plinius Secundus de Naturali hiſtoria, lib. 22, cap. de Vrtica: Semen eius ſiccum affirmat Apollodorus aduerſari hyoſcyamo. Libro 28, cap. de Remedijs quæ ſumuntur à corporibus mulierum: Lac mulierum peculiariter valet contra inſaniam, quæ facta ſit hyoſcyami potu.

De Remedijs ad morſus beſtiarum & ad venena: Lacte aſinino poto venena reſtringuuntur peculiariter, ſi hyoſcyamus potus ſit. Haliabas in Regali diſpoſitione, 4 Practicæ, cap. de Eius medicina, qui hyoſcyamum ieberuan, id eſt mandragoram & iouz, id eſt, nucem methel biberit: Qui nebegũ, id eſt hyoſcyamum bibit, vomitũ cum aqua calida Indica butyroq́ & melle: & lac illi da dulce, aut aquam in qua ficus decoxeris pingues ſiccas cum gallinæ

adipe, & oleo violaceo: da etiam vinum rubeum, aliàs robum, id est vinum potens dulce cum semine hemeræ, id est vrticæ trito. Et omni communi eorum, quibus venenum porrectum est, regimine regas. Iura sorbeat gallinarũ & agnorum, carniũ pinguium porcellorumq; cum espidabago. Haliabas 10 Practicæ, cap. de Theriacæ magnæ vtilitatibus &c. Theriaca, omnes morbos, qui corpori accidunt, sanat, qui autem biberit venenum aut medicamen letale, sicut est opium, euphorbium, hyoscyamum & similia, hexagium semis de ea bibat vsq; hexagium cum vini vncia.

De Theriacæ Azeræ asignatione.

Theriacæ Azeræ, id est Esdræ asignatio eius, vtilitatisq; & magnæ &c. Cuius descriptio posita est superius in 9 cap. primi libri auctoritate Haliabatis loco præallegato.

De Mithridati nobilis asignatione.

Mithridati nobilis asignatio &c. venenorũ nocumenta propellit: multisq; & pluribus quibus theriaca magna prodest &c. Cõstantinus in Pantechni, 10 Practicæ, cap. de Theriacis & aliis antidotis: Theriaca probata contra venenum & mortifera & stupefacientia &c. Cuius descriptio posita est superius in 9. cap. primi libri auctoritate Cõstantini loco præallegato. Gilbertus Anglicus in septimo sui Compendij medicinæ, cap. de Cassilagine, id est hyoscyamo: Cassilago est semẽ hyoscyami tam albi quàm nigri. Cura erit, vt si est possibile, fiat vomitus vel clystere: deinde propinetur vinũ similiter, & piper cum vino & castoreum cum ruta & mentha, conferunt & baccæ lauri & lac vaccinum, ouinum & caprinum & mithridatum. Cępa assata confert. Item semen raphani & sinapi, nasturtij & vrticæ cum vino cocta: Et theriaca, sicut diximus, sine opio cõfert. Fiant sternutationes cum helleboro vel puluere piperis. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Semine hyoscyami propinato: Cura est piper longum tritum & datum in potu ℥. ij. & eius bezaar sunt grana fisticorum, id est pista ciorum comesta vel bibita.

De Solatro. Cap. LIX.

SOlatri nempe plures ab auctoribus ponuntur esse species, ex quibus vna est kekengi, seu alkekengi, quę vesicaria ab aliquibus nuncupatur, eo quòd vesicę calculis est contraria, quæ modica aut nulla venenositate participat. Illa verò quæ vua vulpina & vua lupina dicitur, est mala & venenosa.

NATVRA solatri venenosi & stupefactiui cuiuscũq; speciei sit, de quo solùm præsentialiter est sermo, frigida est & sicca in tertio gradu cũ proprietate venenosa stupefactiua, adeò vt sumptũ in quantitate ℥. iiij. præcipuè ex granis eius aut cortice radicis eius occidat, faciendo primo accidentia infrascripta.

ACCIDENTIA consequentia ipsius & præcipuè granorum eius, aut corticis radicis eius assumptionem in notabili quantitate sunt insania, seu permistio rationis, & quasi fatuitas, obfuscatio coloris, impedimentum & exiccatio lingue, singultus, & vomitus plurimus, & subito, & fluxus ventris cum abrasione mucosus, & sapor in gustu, sicut sapor lactis, angina, & spasmus, & aliquando vomitus sanguinis. Causa insaniæ seu permistionis rationis, est ascensus vaporum præcipuè calidorum ad cerebrũ. Causa quasi fatuitatis, est ascensus vaporum quasi congelatorum ad cerebrum ingrossantium sanguinem & spiritus, præcipuè animales. Causa obfuscationis coloris, est mortificatio caloris innati. Causa impedimenti & exiccationis linguæ, est congelatio & exiccatio humiditatum linguæ, propter quam equidem cõgelationem & exiccationem impeditur lingua à debito eius motu. Causa singultus & vomitus plurimi subito facti, est motus spasmosus factus in stomacho & ore eius à cõgelatione

& exic

& exiccatione humiditatum eius. Causa fluxus ventris mucosi cum abrasione, est expresio humorum præcipuè cholericorum putridorum vel putrescibiliũ & postea putrefactorum: quia derelicti fuerunt à regimine naturæ ob mortificationem caloris innati, propter quam putrefactionem acquisiuerũt virtutem mordicatiuam & abrasiuam seu excoriatiuã, quæ quidem expresio facta fuit ad vias secessus ob motum spasmorum stomachi & intestinorum, & tale accidens aduenit habentibus humores præcipuè cholericos putridos vel putrescibiles in stomacho & intestinis, & præcipuè in intestinis: & quia cum prædictis humoribus putrefactis commiscentur etiam humores phlegmatici quodammodo congelati à solatri frigiditate, fit dictus fluxus mucosus. Causa saporis in gustu similis sapori lactis, est expresio humiditatum sanguinearum linguę infrigidatarum & quandam quodammodo digestionem suscipientium à frigiditate solatri ferè, sicut suscipit sanguis in mammillis à frigiditate carnium glandosarum earum propter quod repræsentatur gustui sapor similis saporis lactis: dicta autem sanguinearum humiditatum expresio fit à frigiditate & siccitate solatri. Causa anginę, sunt humores descendentes à capite & expresi ex lingua & partibus circumstantibus ad guttur ipsum apostemantes: quia ibi quodammodo congelantur & congregantur. Causa spasmi, sunt humiditates membrorum, quæ ipsius frigiditate stupefactiua in ipsis congelantur. Causa vomitus sanguinis, aliquando est abrasio seu excoriatio stomachi facta à consimili causa, à qua fieri prædixi fluxum ventris cum abrasione, aut est apertio aliquarum venarum ad stomachum seu ad os ipsius terminãtium facta à forti & subito vomitu causa prædicta.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit secautè custodiendo ab ipsius assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus infra describam: subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Rasis 20 Continentis, cap. secundo: Ait Galenus: Iuuat contra solatrum narcoticum sumere lac vaccinum & vinum dulce. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2 cap. de Potu solatri quod est plurium generum: Curatio potus ipsius, est eadem cum curatione potus coriandri humidi. Auicenna secundo Canone, cap. de labrol, id est mandragora seu radice eius: Folia eius parua, sunt bezaar vuæ lupinæ pernitiosæ.

Auicenna quarto Canone, fen 6, cap. de Vua vulpis stupefactiua: cura est secundum canonem communem, aut detur in potu lac asininum cum aqua mellis & lac caprinum, iterum & altit, id est assa cum aniso, & cochleæ, id est limatiæ omnes iuuatiuæ sunt ei, & pectora gallinarum decocta, & comestio amygdalarũ amararum. Rabi Moyses in suo tractatu de Venenis, cap. vltimo, scilicet de cura solatri assumpti: Est quædam species solatri ferens granum nigrum: contingit tamen interdum, quòd colligatur prius quàm nigredo grani sui appareat, & si sumatur succus, vel decoctio ipsius pernitiosam infert protinus anginam, singultum & sanguinis vomitum: cuius cura est, vt prouocetur vomitus cum generali vomitiuo antedicto, & consequenter sedetur vomitus cum aqua & melle. deinde sumat in potu iterato mel & aquam in magna quantitate, & continuet sic potum aquæ mellis per diem & noctẽ vnam: & tandem cibetur & reficiatur solitis & assuetis. Plinius Secundus de Naturali historia, libro 23, cap. de Mustis: Mustum omne aduersatur priuatim contra cicutam, toxicum & dorycnium ex oleo potum, redditumq; vomitionibus: ad omnia infirmius album. Libro 28, cap. de Medicinis ex lactis vsu: Datur priuatim bubulum lac his, qui biberint cicutam aut dorycnium,

De Remedijs ad morsus bestiarum & ad venena. Asinino lacte poto venena restringuuntur, peculiariter si potum sit dorycnium, id est species vna solatri &c. Libro 32, cap. de Remedijs contra pastinacam & dorycnium. Contra dorycnium echini maximè prosunt, præcipuè iure sumpto.

De Cancro marino & de ostrea & natura eorum.

Cancri marini decocti ius contra dorycnium efficax habetur.

De Coriandro. Cap. LX.

Coriandrum dupliciter considerari potest, vno modo dum recens est, alio verò modo dum ipsum est siccum.

NATVRA eius diuersimode ab auctoribus designatur. Dioscorides nanque & plures alij ipsum asserunt esse frigidum. Galenus verò præsertim septimo de Simplici medicina, cap. de Coriandro Dioscoridi contradicens, ipsum asserit esse calidum, præsertim ratione eius partium terrestriũ amararum, duplici principaliter ratione se fundans: prima quidem, quia ipsum est amarum: secũda verò quia ipsum, prout etiam Dioscorides in suo de Simplicibus asserit, dissoluit scrofulas: veritas autem est, iuxta præcipuè Auicennam septimo Canone, cap. de Coriandro & aliquos alios: quòd coriandrum recens, frigidum est in fine primi gradus vsque ad secundum & siccum in secundo: siccum verò in sua sinceritate consistens, est calidum, præparatum autem quod videlicet infusum fuerit in aceto, & postea exiccatum, vt cõmuniter præparatur propter resolutionem subtilium eius partium calidarum & aliqualem infrigidandi virtutem ab aceto in ipso derelictam, frigidum est & siccum cum speciali proprietate prohibendi vapores à capite. Rasis autem 23 Continentis auctoritate Bimasui, asserit coriandrum esse frigidum in fine tertij: verùm quia solùm de recẽti præsentialiter sermo fit, dico quòd ipsum frigidum est & siccum, vt prædixi, cum proprietate stupefactiua, adeò, vt sumptum in notabili quantitate, siue planta, siue semen, faciat accidentia infrascripta, & tandem interimat, & pręcipuè succus eius sumptus in quantitate ℥. iiij. vel vltra.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt vertigo & scotomia & permistio rationis seu intellectus, & ebrietas cum sordidis sermonibus & raritas sermonis & defectus eius & mollificatio linguę & grossitudo vocis siue raucedo & profunditas somni seu subet, & stupor & frigiditas corporis & citrinitas coloris & redditio odoris similis odori coriandri, & tandem mors, nisi acceleretur cura, præsertim si de succo seu aqua eius bibatur in quantitate ℥. iiij, vt asserit Rasis 23 Continentis, cap. de Coriandro, auctoritate Galeni in libro de Venenis. Causa vertiginis, sunt vapores præcipuè subtiles & caliditate participantes ascendentes ad cerebrum, & consequenter ad oculos in eis circulariter se mouentes. Causa scotomiæ, sunt vapores aliqualiter grossiores consimiliter ad cerebrum ascendentes, & consequenter ad oculos absque eorum circulari motu in eis. Causa permistionis rationis seu intellectus & ebrietatis cum sordidis sermonibus, sunt vapores ad cerebrũ eleuati permiscentes rationem seu intellectum seu alienationem faciẽtes & ebrietatem, propter quod vaporibus præcipuè ingrossatis & quodammodo ad melancholiæ naturam conuersis fit proruptio in sordidos sermones. Causa raritatis sermonis & defectus eius & mollificationis linguæ, sunt humiditates linguæ & neruorum eius ingrossatæ & congelatæ linguæ & neruorum eius sensum & motum impedientes. Causa grossitudinis vocis & raucedinis, est asperitas tracheæ arteriæ facta ex congelatione humiditatum in ipsius præsertim interiori superficie existentium. Causa subet, seu profunditatis somni, sunt vapores ad cerebrum eleuati grossi & frigefacti. Causa stuporis & frigiditatis corporis, est ipsius

ipsius virtus stupefactiua & infrigidatiua. Causa citrinitatis coloris, est mortificatio caloris naturalis. Causa redditionis odoris similis odori coriandri, sunt vapores egredientes à corpore, quibus coriandri odorabilis qualitas admiscetur. Causa mortis, nisi acceleretur cura, est totalis caloris naturalis extinctio.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia supradicta & præcipuè redditio odoris coriandri, est proprium signum assumptionis eius, & diligens informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit cautè se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA fit cum his, quæ ex auctorum mentibus infra describam, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Rasis 20 Continentis cap. 2: Ait filius Patriarchæ: Si quis biberit ex succo coriandri ℥. iiij. occidit eum, &c. Cura: Prouoca vomitum cum aqua & oleo: & sumat absinthium cum vino, & comedat oua sorbilia cum sale & pipere, & bibat ius anserum & gallinarum. Inquit Aaron: His qui sumpserunt ius coriandri aut psyllij, in principio prouoca vomitũ: postea bibant decoctionem absinthij cum sapa, id est musto decocto vsq; ad consumptionem duarum tertiarum partium eius. Rasis 8 Almansoris, cap. de His quibus succus coriandri viridis datus fuerit: In primis vt euomat est elaborandum: deinde ouorum vitelli molles cum pipere & sale sunt dandi, ius etiam de gallinis pinguibus est tribuendum. Post cuius acceptionẽ vinum forte & clarum paulatim in potu est dandum. Quòd si hoc non suffecerit, vinum cum cinnamomo aut pipere ei donetur. Rasis in Diuisionibus, cap. 143, scilicet de Remedijs venenorum: Ille, cui psyllium facit accidere simile huic, euomat & sumat in potu medicamẽ de assa & theriacam diatessaron. Et similiter faciat, si accidant huiusmodi accidentia à comestione coriandri plurimi humidi: cuius signum, est quòd odoratur super corpus eius odor coriandri: & conferunt ei illa quæ diximus conferre ei qui bibit psyllium. Descriptio medicaminis de assa, posita est superius in 9 cap. primi libri, auctoritate Rasis 8 Almansoris, cap. 1. Et descriptio theriacæ diatessaron, posita est à me in cap. 54 huius libri, vbi ponitur cura potus opij secundum Rasim in Diuisionibus, auctoritate eiusdem, 8 Almansoris, cap. de Puncturis scorpionum. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Sumptione coriandri in excessiua quantitate: Curatio ipsius, est quòd vomat cum aqua calida & oleo cõmuni, vel cum decoctione anethi cum modico olei sarax, id est vt credo sarachs, quod est filix, aut siracost, quod est species mannæ: Et bibat vinum sarax & purum, & coctũ, id est vinum coctum, & comedat ouorum vitella mollia cum pipere & sale: Et bibat iura gallinarum pinguium, & bibat etiam absinthium cum vino. Ex potu autem coriandri syluestris eadem insurgunt accidentia sed fortiora, & curatio eius est eadem. Auicenna secundo Canone, cap. de Lilio: Oleum eius, est theriaca coriandri &c. Auicenna quarto Canone, fen 6 cap. de Coriandro humido: Oportet, vt euomat & propriè cum oleo de lilio, aut oleo oliuæ propriè cum decoctione anethi, & sit in ea baurach: Et cibetur vitellis ouorum sorbilium cum sale & pipere & iure gallinæ pinguis cum sale plurimo & pipere: & similiter iure anseris cum vino forti puro, & detur ei in potu paulatim, & sit illud quod ipse comedit cum pipere plurimo & sale: Et confert ei aqua salsa & rob, id est mustum decoctũ ad spissitudinem, ita vt seruari possit, est vltimum ei. Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 23, cap. de Vino Cęcubo & viribus vini: Merum, id est vinum purum & potens quidem, remedio est contra coriandrum &c. Haliabas in Regali dispositione, quarto Practicæ, cap. de Eius medicina qui semen psyllij tritum & kuzbara, id est coriandrum biberit. Qui autem kuzbara, id est coriandrum comederit viridem, aut de eius

succo expresso dimidiam libram bibit, aut amplius scotomiam patitur &c. hic regendus est his, quę in semē psyllij bibentibus disposuimus. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Succo coriandri propinato: Cura est theriaca magna ʒ.ij. cum optimo vino. Et eius bezaar, est herba quæ dicitur vincetoxicum, dando in potu ʒ.ij. De Semine humidi coriandri: Eius cura & bezaar, sunt eadem.

De Psyllio. Cap. LXI.

PSyllium herba est producens semen paruum, quo solo cōmuniter vtimur, & ipsum psyllium nuncupamus: Et est compositum principaliter ex partibus terrestribus, & ex partibus aquosis mucilaginosis.

NATVRA eius cōmuniter ponitur ab auctoribus esse frigida in secundo gradu. In humiditate verò & siccitate eius, diuersificantur auctores ipsum graduantes. Galen. nanq; pręsertim 8 de Simplici medicina prope finem, cap. de Psyllio, ponit ipsum temperatum in humiditate & siccitate. Et hoc propter ipsius duas principales diuersas partes terrestres, videlicet siccas & stipticātes, & aquosas, humidas & lubrificantes, propter quod psyllium torrefactum ob cōsumptionem partium aquosarum stipticat, & mucilago psyllij propter esse à partibus terrestribus segregatam lubricat. Auicenna verò præcipuè secundo Canone, cap. de Psyllio, ipsum graduat humidum in secundo gradu: Cuius equidem opinioni adhęreo propter effectus quos de per se, & primò psyllium in sua sinceritate cōsistens debitè corpori approximatum inducit, penes quos nempe effectus Galen. ipse & cæteri auctores vnanimiter graduant medicinas. Concludo igitur, quòd natura psyllij, frigida est & humida in secundo gradu cum venenosa proprietate, adeò quòd si multum de eo, videlicet de succo eius, aut de folijs, aut de eius semine in eorum sinceritate consistentibus assumatur, interficit, faciendo primò accidentia infrascripta.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt angustia, seu mœror, siue tristitia, strictura seu angustia anhelitus, casus virtutis & pulsus, frigus totius corporis, tensio & inquietudo, stupor cum debilitate & syncope & tandem mors, nisi debitè succurratur. Causa angustię seu mœroris siue tristitię, est semimortificatio spirituum & ingrossatio eorum à psyllij venenosa frigiditate. Causa stricturæ siue angustiæ anhelitus, est infrigidatio lacertorum pectoris & cōgelatio humiditatum eorum, propter quod non potest fieri debita pectoris dilatatio atq; constrictio anhelitui congruo necessaria. Causa casus virtutis & casus pulsus & frigoris totius corporis, est psyllij frigiditas venenosa suffocans & extinguēs spiritus, & calorem innatum totius corporis. Causa tensionis & inquietudinis, est ventositas grossa multiplicata & generata in musculis totius corporis à psyllij venenosa frigiditate, ex qua sequitur inquietudo: quia in quocunq; situ corpus aptetur, accidet parti super quam corpus situabitur, & musculis eius ventositate grossa repletis compresio, & cōsequenter inquietudo propter conatum, præcipuè quo musculi mouebuntur ad expellendum à se ventositatem dictam. Causa stuporis cum debilitate, est psyllij frigiditas venenosa, stupefactiua & extinctiua caloris innati, cuius vigore consequitur corpori fortitudo. Causa sincopes, est ipsius frigiditas & humiditas extinctiua & suffocatiua spirituum præcipuè spirituum cordis. Causa mortis, est totalis extinctio caloris innati & spirituum facta à venenosa psyllij frigiditate & humiditate.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit cautè se præcauendo ab eius nimia assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus infra describam: subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur: prædicta tamen psyllij cura, est penes auctores similis curæ coriandri humidi positæ in immediatè præcedenti cap. Serapio in suo de Simplicibus, cap. de Psyllio, auctoritate Abix: Nimis ex eo est venenum: & cura eius, est quòd detur in potu mel bullitum cum aqua calida & aqua anethi sicci. Rasis 20 Continentis, cap. 2: Inquit Aaron, ijs qui sumpserũt ius coriandri aut psyllij, in principio prouoca vomitum: postea bibant decoctionem absinthij cum sapa, id est musto decocto vsq; ad consumptionem duarum tertiarum partium eius. Ait Ebiucraig: Cura syncopes accidentis ex sumptione psyllij, est prouocare vomitum cum melle & sale. Ait Rufus: Remotio nocumenti psyllij fit cum vomitu ex melle & sale & aqua decoctionis anethi & baurach: & bibat vinum purum, & cibetur cum vitellis ouorum cum cinnamomo, pipere & oleo. Rasis 8 Almansoris, cap. de His quibus succus psyllij datus fuerit: is qui ipsum bibit plerũq; moritur. Huic igitur succurrendum est, & vt vomat cum hydromelle calido ac anetho & baurach ac sale Indo est elaborandum: deinde ouorũ vitelli molles cum sale & pipere sunt dandi. Assa quoq; est tribuenda, & vinum purum ac forte paulatim in potu dandum. Rasis in Diuisionibus cap. 143, scilicet de remedijs venenorum. Ille cui psylliũ facit accidere simile huic, euomat & sumat in potu medicamen de assa & theriaca diatesseron. Albucasis secũda particula Azarauij, tractatu 2 cap. de Potu psyllij: Curatio eius, est quòd acceleretur curatio potus coriandri humidi æqualiter. Auicẽna quarto Canone, fen 6, cap. de Psyllio: cura eius, est sicut cura coriãdri.

De Cicuta. *Cap.* LXII.

CIcuta seu conium siue conios seu sucaran, est planta quæ aliqualiter similatur speciei rutæ quæ dicitur harmel.

NATVRA eius, frigida est & sicca in quarto gradu & est stupefactiua: verùm, prout asserit Petrus de Abano in Conciliatorio suo, differentia 150, Auctores aliqui diuersificati sunt, ponentes ipsam esse calidam & siccam in tertio gradu: quorum primus fuit Rasis 21 Continentis, cap. de Cicuta, auctoritate Galeni in septimo de Simplici medicina: quem nempe Rasim loco præallegato præfatus Petrus minimè vidit. Secundus est Auerrois quinto Colliget, tractatu 3, distinctione iij. cap. de Harmel quod ibi exponitur, id est cicuta. Tertius est Cõstantinus in lib. de Gradibus, cap. de Cicuta. Quartus est Platearius incirca instans cap. de Cicuta: & hos tres auctores Petrus de Abano bene vidit. Alij verò plurimi præclarissimi auctores, præcipuè de quibus imponendo assumptionis eius curam inferius faciam mentionẽ, asseruerunt cicutã fore excessiuè frigidam atq; mortiferam, ex quo licet non omnes ipsam expresse graduent in frigiditate & siccitate, attamen ex eorum mentibus elici satis potest ipsam esse saltem frigidam in quarto gradu ponendo præsertim ipsam ob eius frigiditatem esse mortiferam: ex quibus præcipuè fuit Dioscorides in suo de Simplicibus, cap. de Conio, & Galenus septimo de Simplici medicina, cap. de Conio dicens: conium quoniam summè est infrigidatiuæ virtutis omnes sciũt: & Serapio in suo de Simplicibus, cap. de Sucaran auctoritate Dioscoridis & Galeni: & Macer in suo de Simplicibus, cap. de Cicuta: & Auicenna secundo Canone, cap. de Sucaran: & Haliabas secundo Practicæ, tractatu de Seminibus, cap. de Quecarano, id est sucaran seu cicuta, & plures alij quos longum enarrare esset.

Discordiam inter præfatos auctores Petrus de Abano differentia præallegata conciliat dicendo quòd duplex est cicuta, quædam terrestris, & quædam

aquatica, terrestris calida est & sicca & minimè venenosa, aquatica verò, est frigida, quod & locus ostendit & venenosa interimens frigiditate sua: sed salua semper reuerentia tanti viri eius cõciliatio non est vera: palàm nanque est, quòd cicuta siue oriatur in locis terrestribus siue aquosis ipsa est frigida & venenosa siue mortifera, quod equidem experientia probat. Ego autẽ dico quòd huiusmodi in cicutæ natura diuersitas primarie & principaliter processit erroribus translatantium seu exponentium Rasim & Auerroim ponẽtium cicutam pro harmel, & fortè propter quandam similitudinem quam habet harmel cum cicuta: ex quibus Constantinus & Platearius decepti fuerunt, quod nempe liquide constare potest inspicientibus Rasim & Auerroim locis præallegatis. Rasis nanque loco præallegato dicit: Cicuta mista cum melle, vino, felle gallinaceo, id est caponis, croco & succo fœniculi confert secundum Dioscoridem debilitati oculorum. Galenus in septimo, est calida & sicca in tertio & subtilis & ob hoc incidit & subtiliat humores grossos & expellit eos per vrinam: hæc sunt propria verba Rasis. Dioscorides verò in suo de Simplicibus, cap. de Ruta, circa finem sic asserit: Alterum genus rutæ est, quę nascitur in Macedonia & in Galitia Asiæ, quam Molim ciues appellant &c. Hoc in autumno tẽpore colligitur, cui addito melle & vino & felle caponis & croco & succo marathri, id est fœniculi, caliginẽ oculorum detergit, quam rutam multi hermolam, id est harmel vocant. Galenus autem septimo de Simplici medicina, cap. vltimo. scilicet de molim sic inquit: Molim quidam rutam syluestrem nominant, quidam aũt harmolam, id est harmel &c. virtus autem eius subtilium partium est & calida & sicca secundum tertiũ gradum: vnde & incidit grossos humores & diaforat, id est resoluit, & ad vrinationem prouocat. Auerrois verò quinto Colliget loco præallegato insequens Galenũ, sic inquit: Harmel, id est cicuta calida, est & sicca in tertio gradu, incidit humores grossos & prouocat vrinã & menstrua &c. Ex quibus omnibus patet lucidè, vt pṙedixi, quòd Rasis & Auerrois locis, præallegatis erroribus eos translatantium seu exponentium ponentium cicutam pro harmel, quod est species rutæ, visi sunt velle cicutam fore calidam & siccam: propter quod Constantinus in lib. de Gradibus, & Platearius circa instans, non prospicientes pręfatos errores falsè cicutam fore siccam & calidam protulerunt, quorum error sensibilius comprehenditur, cõsiderando accidentia quæ ex ipsius cicutæ assumptione proueniunt.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem ipsius, sunt frigiditas extremitatum, grauitas motus corporis, suffocatio & strictura anhelitus, permistio rationis, oculorum caligo, subet, singultus & dolor stomachi, color labiorum citrinus vel viridis, color corporis plumbeus, stupor membrorũ, durities pulsus, quies venarum, scilicet pulsatilium, &, nisi acceleretur in sui curatione, morietur post tres horas, scilicet post quietem venarum pulsatilium, id est arteriarum. Causa frigiditatis extremitatũ, est ipsius excessiua frigiditas, extinctiua caloris naturalis. Causa grauitatis motus corporis, est eadem frigiditas congelans humiditates musculorum corporis, propter quod præfatis musculis difficulter se mouentibus consequitur grauitas motus corporis. Causa suffocationis & stricturę anhelitus, est congelatio humiditatum musculorum gutturis & pectoris facta à causa prædicta. Causa permistionis rationis, est ascensus vaporum præcipuè subtilium ad cerebrum & ventriculos eius. Causa caliginis oculorum, sunt vapores præcipuè grossi ad oculos ascendentes. Causa subet, siue somni profundi, est multitudo vaporum eleuatorum ad cerebrum. Causa singultus & doloris stomachi, est motus spasmosus stomachi factus ob congelationem humiditatum eius, ad quem spasmosum motum sequitur dolor stomachi. Causa coloris citrini vel viridis labiorum & coloris plumbei corporis, est

mortificatio

mortificatio caloris naturalis. Causa stuporis membrorum corporis, est cicutæ virtus stupefactiua. Causa duritiei pulsus & quietis venarum pulsatilium seu arteriarum, est congelatio humiditatum earum, quæ equidem congelatio remisse facta, est causa duritiei pulsus, magis verò facta, est causa quietis eius. Causa verò mortis post tres horas, videlicet post quietē pulsus seu arteriarum, est suffocatio & extinctio totalis caloris naturalis.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio de eius radicis seu plantæ seu succi eius seu seminis assumptione. Signū autem proprium interempti ex assumptione cicutæ iuxta Macrum cap. de Cicuta, est quòd cutis eius fit maculosa.

PRAESERVATIO fit se cautē præcauendo ab assumptione cuiuslibet prædictorum.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mētibus infra describam: subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describūtur. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Absinthio: Absinthium bibentibus conium, id est cicutam, cum vino bibitum prodest.

De Conio.

Nimietate frigoris sui infert necem: quòd si quis biberit & periclitatus fuerit, mero calido remediatur.

De Oleo irino.

Oleum irinum conficitur sic: ℞. Olei sextarios x. i. libras x. aquæ iij. iridis lib. iij. ℥. iiij. domestici lilij radicum lib. i. ℥. iij. cyperi viridis ℥. vi. helenij ℥. iij. anchusæ ℥ ij. cinnamomi, asari, spicæ, omnium vncias singulas: confice sic, species in puluerem redactas radices contritas in aqua & oleo diebus quinq; infunde, & sic leuibus prunis ad diminutionem aquæ coque, ita tamē ne oleum ardeat, & per noctem infrigidatum cum omni diligentia cola, & in vase conditum vsui serua, est enim calidum, & subtiliatiuum, seu extenuatorium. Qui cicutā biberit, acceptione istius euadet.

De Origano.

Origanum omnibus est notum, eius tres sunt species: virtus est illi calida. Elixatura eius data cum vino musto cocto quousq; eius tertia pars remaneat, bibentibus conium præstat effectum.

De Vino.

Vinum nigrum & spissum dandum est cum oleo, vt iactet conium acceptū. Galenus in suo de Simplicibus, libro 3, doctrina 3, summa 2, cap. 1: Et ita quippe cicuta hominem quidem interficit pororū amplitudine & multitudine caliditatis, scilicet hominis, & robore attractionis arteriarum fortis adhuc ad cor peruenientis: non autem interficit turdos in contrarijs causis detēta & tardans & anticipans in tempore digeri & præparari. Cap. 2: Indigent enim, vt nunc monstratum est mihi, hæc talia omnia calido corpore ad agendum, & propter hoc opium & cicuta vino mista festinantius interficere nata sunt, sed non in omni cōmensuratione: quàmplurimo enim minima mista vincentur finaliter, pauco verò multa deducuntur quidem ad cor, vinci verò non possunt. Excerpta ex libro 10 Oribasij: Compositio contra cicutam potatam. Adiuuantur autem in thermis seu balneis, vino mero & puro, subinde quàmplurimo calido & per se, & cum pipere & styrace poto. Prodest lac maximè asininū datum, ad minus vaccinum aut quodlibet. Oportet autem & aluum eorum acerrimo deducere medicamine & extra supra ventrem imponere farinā hordeaceam coctam in vino calido. Macer in suo de Simplicibus, cap. de Cicuta:

Frigida letiferæ uis dicitur esse cicutæ:
Vnde necat gelidi potantes more ueneni.

Qui perit hac herba, cutis eius fit maculosa:
Inde genus mortis ualet hæc per signa probari.
Hac sumpta si quis morti sit proximus herba,
Fortè merum tepidum bibat, euadetq; periclum.

Kyrandus lib. 4, cap. de Kyrico, id est murice, sanguine cuius tingitur purpura: Cocta verò cōchylia & kyrica, id est murices, sanguine quarum tingitur purpura & esa prosunt his, qui cicutas vel conium biberunt. Rasis 20 Continentis, cap. 2: Iuuat contra cicutam bibere vinum vetus & purum cum pipere semine nasturtij & carui syluestri. Clysterizetur clysteribus lenitiuis: & lac vaccinum supple iuuat bibere. Et emplastra totum corpus cum farina frumēti dissoluta cum vino. Et iuuat manipulus rutæ siccæ cum vino, & lac cum vino, & brodium gallinarum pinguium. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu sucaram cicutæ: Curatio eius, est quòd vomat festinanter cum aqua calida & oleo cōmuni: deinde clysterizetur cum aqua & oleo: & bibat lac asininum, vel vaccinum: & bibat rob de vuis, id est mustum decoctum vsq; ad consumptionem duarum tertiarum partium eius temperatum: & bibat vinum odoriferum mistum cum pondere vnius ℥. piperis triti. Albucasis quarta particula Azarauij, cap. de Medicina sucaram, id est cicutæ. Medicina ijs qui biberunt sucaram, id est cicutam. ℞. Aniuden, id est plantæ, cuius gummi est assa, cinnamomi, foliorum lauri, assæ fœtidæ æquales partes: fiat puluis. dosis aur. i. cum rob, id est musto decocto vsq; ad consumptionem duarum tertiarum partium eius, & parum olei irini. Alia ad idem: ℞. Seminis vrticæ, cordumeni, id est carui agrestis, styracis æquales partes: dosis aur. i. cum vino. Haliabas in Regali dispositione quarto Practicę, cap. de Eius medicina qui opium biberit & cicutam: Qui autem sucaram, id est cicutam bibit, &c. huiusmodi ęgri, sicut qui opium bibit, cibis & medicaminibus curētur. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Succo cicutæ propinato. Cura est in potu sumere theriacæ ℥. ij. distemperatæ cum decoctione dictami. Et eius bezaar, est gentiana trita & data in potu ℥. ij. cum vino.

De Semine cicutę dato.

Ille qui biberit semen cicutæ, patietur accidentia illa quæ passus fuit, qui succum eius bibit vel magis remissa. Et cura & bezaar, sunt eædem.

De Fungis & tuberibus. Cap. LXIII.

FVngos & tubera præclarissimi medicinæ doctores inter plantas connumerarunt eo quòd ortus eorum satis earum ortui est consimilis. Fungorū species duas principaliter esse dicunt auctores: vna est esibilis non venenosa, neq; de per se mortiferè lædens, quæ quidem cognoscitur: quia ipsius speciei fungi sunt solidi, albi, absq; aliqua humiditate viscosa, putrida, qui nascuntur in terra bona, priuata virtute quorumlibet venenosorum mineralium, & præcipuè ferri prænominatorum in secundo tractatu libri præsentis & quarumlibet venenosarum plantarum prænominatarū in præsenti libro, & non nascuntur propè aliquas arbores, quarum proprium sit corrumpere eos, sicut sunt arbores oliuarum & nucum. Neq; nascuntur propè mansionem alicuius reptilium venenosorum inferius nominādorum in huius libri sexto tractatu, neq; etiam nascūtur in terra putridarum rerum neq; ipsis abundante, qui si diuidantur in frusta non de facili corrumpuntur omni horribili odore & sapore carentes. Fungi verò mali & venenosi siue mortiferi, sunt fungi habentes conditiones prædictis oppositas. Oriuntur autem fungi, vt plurimū super terra, & aliquando super arboribus, & aliquando super radicibus earum: qui nempe fungi ab aliquibus auctoribus nominantur micetæ. Tubera verò auctorum quidam

fungorum speciem esse dixerunt, quæ in Marchia Anconitana & in plurimis alijs locis tartofani nominantur nascentia in terra, vt radices absq; stipite. Quæ consimiliter esse duarum specierum ponuntur ab auctoribus: vna etenim est esibilis non venenosa neq; de per se mortifera, & istius speciei tubera sunt solida, alba vel subrufa, nascentia in terra bona, præcipuè arenosa cum cæteris conditionibus, quas prædixi habere debere fungos bonos esibiles. Tubera verò mala & venenosa siue mortifera, sunt nigra & habentia cæteras conditiones bonis oppositas.

NATVRA fungorum, frigida est in fine tertij gradus & humida in principio eiusdem, & fungi mali, de quibus principaliter hîc est sermo, vltra naturã prædictam, proprietatẽ habent venenosam, & generant humorem grossum, malum, & faciunt accidentia infrascripta præcipuè sumpti in notabili quantitate. Natura verò tuberum, consimilis est omnino naturę fungorum, nisi quòd non sunt tantum frigida, nec tantum humida, & tubera mala cæteris paribus faciunt accidentia remissiora.

ACCIDENTIA consequentia ipsorum & præcipuè malorum assumptionem præsertim in notabili quantitate, sunt singultus, difficultas anhelitus, suffocatio in gutture seu strãgulatio, inflatio stomachi & ventris, dolor vtriusq; eorum, passio colica, punctura, sitis, desiderium potandi aquam frigidam, horripilatio, citrinitas coloris, & pręcipuè faciei, inflatio faciei, subet, corruptio intellectus, angina, dolor in pectine, difficultas vel retentio vrinę, epilepsia vel apoplexia & aliquando paralysis, sudor frigidus, paruitas pulsus, sincope & aliquando subita mors: & licet dixerim præfata accidentia principaliter cõsequi assumptionem fungorum, vel tuberum malorum, attamẽ eorum aliqua etiam possunt consequi assumptionem fungorum vel tuberum esibilium in nimia quantitate. Idcirco cautè ipsis etiam bonis nominatis seu esibilibus est vtendũ. Causa singultus, est materia grossa ex ipsis generata, inuiscata stomacho vel ori eius: potest etiã esse congelatio humiditatum stomachi vel oris eius. Causa difficultatis anhelitus, sunt humiditates congelatæ lacertorum pectoris, aut humiditates grossæ ad ipsos descendentes, prohibentes eorũ debitam dilatationem & cõstrictionem. Causa suffocationis in gutture seu strangulationis, sunt humiditates grossæ viscosæ, ad guttur & eius musculos descendentes, in quas conuersi sunt vapores grossi & viscosi generati ab eis, qui prius ad caput seu ad cerebrum ascenderunt. Causa inflationis stomachi & ventris & doloris vtriusq; eorum & colicæ passionis, sunt ventositates grossæ in membris ipsis generatæ. Causa puncturæ & sitis & desiderij potandi aquam frigidam, sunt humores calidi, præcipuè cholerici in intestinis & stomacho existẽtes, qui derelicti à regimine caloris innati ob ipsius extinctionem ipsorum venenosa frigiditate à calore extraneo corrumpuntur, qui corrupti & exinde virtutem acutam & pungitiuam seu mordicatiuam acquirentes causant puncturam in stomacho & in intestinis, & cõsumentes humidum roridum oris stomachi, sitim causant & potandi aquam frigidam desiderium. Et consimiles humores subcutanei seu in musculis existentes, cõsimili causa horripilationem causant, quemadmodum in febribus accidit. Hæc autem accidentia non accidunt, nisi illis qui talibus cholericis abundant humoribus. Causa citrinitatis coloris & præcipuè faciei, est mortificatio caloris naturalis faciens citrinitatem præsertim in facie apparere: propterea quia in ea solet color magis viuidus apparere: possunt etiam esse causa prædictæ citrinitatis humores grossi & viscosi ex ipsis generati oppilãtes meatus, qui sunt inter hepar & chistim fellis: propter quod cholera sanguini commiscetur faciendo præfatam citrinitatem. Causa inflationis faciei, est strangulatio seu suffocatio gutturis. Causa subet, sunt vapores

grossi & viscosi ad cerebrum ascendentes, qui idem sunt causa corruptionis intellectus. Causa stuporis, est ipsorum virtus infrigidatiua & stupefactiua. Causa anginæ, sunt humores præcipuè substantiam gutturis penetrantes causa prædicta in suffocatione seu strangulatione. Causa doloris in pectine & difficultatis vel retentionis vrinæ, sunt humores ad renes & consequenter ad vesicam à natura transmissi, grossi & viscosi existentes oppilantes renes, vel collum vesicæ: ad quam nempe oppilationem sequitur retentio vel difficultas vrinæ, & ex ventositatibus grossis à prædictis viscosis humoribus in vesica existentibus generatis accidit dolor in pectine. Causa epilepsiæ vel apoplexiæ, sunt vapores grossi & viscosi in cerebro existentes cõuersi in grossos & viscosos humores cerebri ventriculos oppilantes. Causa paralysis, aliquando est oppilatio medietatis nuchæ in origine eius facta à prædictis humoribus grossis & viscosis, propter quam spiritus sensibiles & motiui ad illam corporis medietatem transire non possunt ad dandum sibi sensum & motum. Causa sudoris frigidi, est caloris naturalis extinctio & membrorum debilitas contentiuæ. Causa paruitatis pulsus & sincopes, est mortificatio & suffocatio spirituum, & præsertim spirituum cordis. Causa subitæ mortis, est subita suffocatio consequẽs ex superabundantibus humoribus viscosis & grossis ad guttur & ad pulmonem subitò descendentibus prohibentibus prorsus anhelitum.

SIGNA assumptionis eorum, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de eorum assumptione.

PRAESERVATIO ab ipsorum assumptione, fit eos protinus euitando, & præsertim malos, quos ex auctorum mentibus clarè docui præcognosci. Præseruatio verò à nocumento eorum, si quidem debeant comedi, præcipuè esibilium fit prælixando eos, vel ea cum pyris recentibus siue siccis, quæ eorum singularissima proprietate sunt ipsorum malitiæ correctiua, comedendo postea eos, vel ea cum sale multo & pipere multo & desuper bibendo vinum potens, odoriferum, purum, præcauendo semper à nimia ipsorum & si esibilium assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus, statim infra describam, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Absinthio: Absinthium cum aceto bibitum suffocationibus fungorũ occurrit.

De Aphronitro, id est baurach seu spuma nitri.

Aphronitrum eligendum est, quod est leuissimum & splendidum cũ pusca, id est aceto aquæ misto bibitum, micetarum excludet venenum.

De Calcantho.

Calcanthi, id est vitreoli species sunt tres: bibitum cum mulsa vomitũ prouocat, micetis contrarium est.

De Fimo.

Fimus palumbinus bibentibus micetas & fungos venenatos præsidiũ est: id melius facit si bibatur cum vino & aceto. Fimus gallinarum cum aceto vel vino potui datus, præstat effectum ex comestis fungis vexatis.

De Melle.

Mel si cum aqua calida & oleo rosaceo bibitum fuerit, qui micetas biberint, subuenit.

De Melissophyllo.

Elixatura eius, qui à micetis suffocati sunt, subuenit. Nitro addito folia ipsius omnia suprascripta facere norunt.

De Nitro.

Nitrum eligendum est leue & colore rufum, aut album pertussuras habens sicut spongia. Contra fungos malos acceptum, bonum est vstum & nõ vstum.

Nitri ſpuma eligenda eſt leuis & lata, & fragilis & rufa & ſpumoſa, Cum poſca, id eſt aceto aquæ miſto bibita, micetarum venenum excludit.

De oleo Irino.

Qui micetas biberit, acceptione iſtius euadet.

De Pyro.

Pyri multæ ſunt ſpecies: perhibent aliqui fungos venenum amittere ſi cum pyris fuerint cocti.

De Porro.

Porrus calefacit & deſiccat nimis, in cibo ſumptus plurimum eſt contra venena fungorum.

De Raphano.

Eius radix cum oxymelle accepta, vomitum mouet, cum melle miſta putredinem curat, vim fungi venenoſi compeſcit, micetas bibentibus occurrit.

De Salibus.

Sal cum oxymelle bibitum, micetas bibentibus ſuccurrit.

De Sinapi.

Sinapi non inutilis eſt cibus contra venena fungorum.

Galenus ſecundo Alimentorum: cap. de Fungis: Ego autem vidi quendam etiam boletorum, id eſt fungorũ vnius ſpeciei eſibilis, qui innocuiſsimi videntur, plures non bene decoctos comedentem afflictum in ore ventris, & grauatum, & anguſtiatum, & vix reſpirantem & ſpiritu deficientem. & frigidum ſudantem & vix ſaluatum per oblationem ſedantium groſſos humores: quale eſt oxymel per ſe & cum hyſſopo & origano mediocriter decoctis in ipſo. Etenim ille ſumpſit & hæc & nitri ſpumam ſuperadditam ipſis: poſt quod vomuit comeſtos fungos iam aliqualiter in phlegmaticum chymum ſufficienter & frigidum & groſſum permutatos. Galenus nono de Simplici medicina, cap. de Nitro: In eis verò qui ſuffocantur ex fungis, vtebatur quidam ruſticus eo, & ſemper ſibi bene ſuccedebat, nitro ſcilicet vſto & non vſto, & adhuc magis eius ſpuma, & nos in talibus vtimur. Libro 10, cap. de Stercore gallinæ. Gallinarum autem ſtercore, quia vidi medicum in Myſia vtentem in eis qui ſuffocabantur ex eſu fungorum, vſus fui & ipſe in quibuſdam alijs in ciuitate propinans eis. id pulueri zatur cum quatuor aut tribus cyathis oxycrati & oxymellis, id eſt cum ſex vncijs aut quatuor cum dimidia aceti aquæ miſti & oxymelli, & manifeſtè contulit citiſsimè: vomuerunt enim parum pòſt, qui ſuffocabantur, phlegmaticum humorem groſiſsimum in quo erecti ſunt totaliter à ſymptomate. Galenus in libro de Secretis ad Monteum, cap. de Strangulatione proueniente ex fungis: Ego vidi medicum de terra Alexandriæ, qui vtebatur ſtercore gallinæ in medicatione ſtrangulationis eius qui comederat fungos, vſus fui iſto, & probaui ipſum ſic: quia exiccaui ipſum & contriui ipſum & dedi in potu ipſum in aceto & aqua & melle & vino & vomuit ſtatim humorem groſſum & phlegmaticum & ſedatus eſt & quieuit & inuenit tranquillitatem integram & euaſit ab accidente quod ei acciderat. Galenus in libro de Simplicibus ad Paternianum, cap. de Raphano: Cortex raphani fungos malos aut in potu aut in cibo ſumptus compeſcit. Oribaſius ſecũdo ſuę Practicæ, cap. ad eos qui fungos venenatos accipiũt: Curabuntur ſic: ante omnia oleum bibant, raphanos cum ſale manducent, aut ſemen eorũ cum vino bibant, aut rutam cum aceto bibant, aut lixiuiũ de cinere ſarmentorum, id eſt vitium ſiccarũ potui dabis. Item aceti partẽ vnam, mellis part. ij. cum oxymelle & ſtercore pullorũ bibere dabis, ipſos fungos euomẽt: item abſinthij ſuccũ cum vino bibant, Excerpta ex lib. 10 Oribaſij: Cõpoſitio contra fungos venenatos: A fungis venenatis, quiſquis laborat, adiuuatur radice ea quã edimus quando

plurimam per se vel cum sale manducat, vel eius semine, si ipsa non fuerit, poto ex vino. Itemque ruta ex aceto trita & potata. nec minus proficit cineris lixiuia ex sarmētis potata: adiuuat & nitrum & acetum dilutum quàmplurimum deuoratum, oportet autem alio ante multo potu cogere & coercere quamtuncunque potuerit: eodem modo subinde artus presſius fricare.

Macer in lib. de Simplicibus, cap. de Absinthio seu herba absinthij.

Splenq; sibi iuncto potata iuuabit aceto:
Sic quoq; fungorum depellit sumpta uenenum.

De Porro.

Fungis, si manditur, obstat.

De Lilio.

Si cum uino bulbus potabitur ille:
Sic quoq; fungorum uetat ille uenena nocere.

De Sinapi.

Maior uis eius in semine dicitur esse:
Mansum pestiferos uetat intima lædere fungos.

Kyrandus libro 3, cap. de Alectore, id est gallo: Stercus autem eius bibitus in bono vino, suffocationes à fungis factas mirabiliter sanat.

De Crincos, id est gallina.

Stercus autem gallinarum bibitum cum vino temperato his, qui fungos comederunt, prodest.

Ysaac in dictis libro 2, cap. de Pyris: Proprietas eis inest huiusmodi: quoniā si cum fungis coquuntur, omnem eis auferunt læsionem, præcipuè si syluestria sint propter ponticitatem suam. arboris eorū agrestis cinis bibitus his, qui fungorum comestione suffocati sunt, multum valet.

De Melle.

Mel vtile etiam est ad suffocationem ex venenatis fungis procreatam.

De Fungis.

Fungi duplices sunt, mortiferi scilicet & non mortiferi. bonum est, vt omnino caueantur, quos comedere volentes, eorumque nocumentum pati respuentes, eos elixent, atque cum eis pyra & calamenthum misceant, qui iure expresſi in alia recoquantur aqua & cum pipere, zingibere, caruo, calamēntho, origano & similibus condiantur & esui tribuantur & in fine merum & vetus vinum bibatur. Frigidi verò natura accipiant in fine eorum zingiber conditum & diacyminum, diatriteon, pipereon, sagzeneam & theriacam magnam. Mortiferi verò, diuersæ sunt actionis secundum eorum diuersitatē: sunt enim quidam mortem inferentes cum sui frigiditate & humiditate veluti cum sunt in quarto gradu. Sunt etiā occidentes cum nimia viscositate & oppilatione quam in poris & venis faciūt, & propter humores eorum ad disſoluendum inobedientes. Sunt etiam quidam, qui cum mala occidentes sunt qualitate quam de loco habent vbi nascuntur, sicut illi qui iuxta æruginosum ferrum aut pannos putridos, aut foramen reptilium, vel arbores grossos humores habentes nascuntur. Ignorantes eos comedentes, ita curentur. Pyra eius esui dentur, & nitrum cum oleo potui detur aut cinis cum aceto, vel sal cum aceto, aut stercus galli vel gallinæ cum aceto & melle. apozima calamenthi, origani, hysſopi & similiū iuuat.

Serapio in libro de Simplicibus, cap. de Pyris.

Aben Mesuay: Proprietas pyri domestici & syluestris, est quando decoquitur quodcunque eorum cum fungis, quod aufert malitiam ipsorum, & maiora eorum sunt fortioris virtutis quàm parua.

De Fungis.

Aben Mesuay: melius est quòd comedantur post eos pyra sicca aut recentia &

tia & bibatur post eos vinum purum. Rasis 20 Continentis, cap. 2: Ait Hippocrates in sexto Epidimiôn: Acetum est mirabilis iuuamenti contra venenum occidens sua grossitie & strangulatione sicut fungi & dactyli acerbi. Inquit Aaron: Accidit ex sumptione tuberum angina: Cuius cura, est prouocare vomitum cum aqua decoctionis anethi, & sumere cinerem vitis cum syrupo acetoso aut aur. ij. stercoris gallinę cum syrupo acetoso, & ex his prouocare vomitum. Cura contra fungos mortales, est prouocare multum vomitum cum radice sinapis & semine nasturtij. Ait Philaretus: melior cura contra fungos, est stercus gallinarum cum aqua calida. Rasis 21 Continentis, cap. de Vrina: Vrina scilicet hominis diu mincta, valet contra fungos mortales.

De Stercore humano: Stercus humanum sumptum per os, curat nocumentum eueniens ex esu fungorum mortalium. Rasis 22 Cõtinentis, cap. de Fungis: Dixit Bimasui: Et boni erunt elixi cum pyris recentibus & siccis & calamentho montano ad diminuendam malitiam ipsorum. Et si bibitur super eos vinum simplex & bonum, bonum erit. Rasis 23 Continentis cap. de Pyris: Dixit Bimasui: pyra si coquuntur cum fungis tollunt nocumentum ipsorum. Dixit, pyra syluestria tollunt nocumenta fungorũ si coquuntur cum eis. Rasis 8 Almansoris cap. de Fungis & tuberibus pernitiosis: Ex multorum praeterea fungorum comestione, quanuis sint boni, accidunt angina & colica passio. Ex malis autem cum comedũtur, accidit anhelitus angustia & sincope &c. Cum istud igitur acciderit, oportet vt patienti almuri cum sale qui in pane ponitur aut sale Indo ilico in potu detur, aut succus raphani cum baurach, aut mentastri succus cum syrupo acetoso & baurach tribuatur: aut syrupus acetosus ex melle factus cum pauco baurach donetur: aut lignum fici comburatur & in eius cinere aqua mittatur: deinde coletur & ex aqua detur aliquid, postquàm vomitus cum hydromelle prouocatus fuerit. Cui electuariũ diatriteon pipereon & diacyminum & his similia danda sunt: vinum quoque vetus & forte, paulatim est sumendum. Rasis in Diuisionibus, cap. 143, scilicet de Remedijs venenorum: Et confert fungis & tuberibus pernitiosis vomitus & medicamen de assa & medicamentum diapipereon, & sumere in potu piper cum vino forti veteri, & vomat cum muri salso & baurach. Rasis in lib. de Proprietatibus animalium, cap. de Proprietatibus gallinae: Stercus gallinarum potatum cum oxymelle vel aceto valet contra fungos qui occidunt.

Albucasis secunda particula Azarauij tractatu 2, cap. de Comestione mortiferorum fungorum: Curatio eius, est quòd vomat festinanter antequàm alterentur in stomacho cum aqua calida & oleo cõmuni: aut bibat baurach cum oleo rosaceo & aceto & melle: aut bibat aquam decoctionis mentastri montani, hyssopi & origani cum ℥. i. de secaniabin mellino, id est oxymelle & modico baurach rubei vel albi. Et accipiat post hoc aliquod electuariorum calidorum, sicut electuarium ex piperibus & electuarium ex cymino & similia: postea verò bibat vinum purum. Et si non sufficit ei haec curatio, curetur cum compositionibus & theriacis in suo loco perfectè descriptis.

De comestione Fungorum. Curatio ipsius, est quòd vomat cum ʒ. iij. aliàs ℈. stercoris gallinae cum secaniabin mistis, vel cum aceto & aqua calida, vel faciat vomitum cum ʒ. iij. cineris sarmentorum vineae. Et quando fuerit mundificatus stomachus per vomitum, administretur ei clystere nihas, id est batiturę aeris scilicet cum hydromelle: & vomat etiam post illud & bibat vinũ purum. Albucasis quarta particula Azarauij: Medicina his, qui comederunt fungos mortiferos: ℞. Cassiae ligneae, asari, cinnamomi, ireos, an. dosis ʒ. i. cũ caepis & cũ ℥. ij. hydromellis. Medicina ad idem: ℞. Oua decẽ, mẽtastri agrestis ʒ. vij. coquantur in quarta parte vnius librę aquę, & colatura cũ ʒ. ij. hydromellis detur.

Rabi Moyses in suo tractatu de Venenis cap. de Cura fungorũ assumptorum: Fungi etiam sunt venenosi & necantes, & sunt eorum duæ species pessimæ & illaudabiles & pernitiosæ. Necantes autem in qualibet specie sunt nigri vel viridis coloris & mali & illaudabilis odoris. Minus verò mali ex eis sunt generantes anginam ad mortem perducentem cum forti colica & austera cum eorum esus continuatur. videtur autem mihi, vt qui comedit ex istis, debeat comedere de pipere multum cum multo sale, & quòd cõsequenter superbibat multum vinum purum: verùm qui ex valde necantibus comedit, sumat celeriter inchoantibus malis accidentibus ʒ. iij. salis Indi cũ ℥. i. aquæ hordei: & postquàm aliquandiu in stomacho steterint, vomitus prouocetur, deinde sumat in potu oxymel cum succo foliorum raphani & prouocet vomitum iterato, & demum bibat vinum purum paulatim.

Auicenna secundo Canone, cap. de Absinthio: Absinthium confert suffocationi fungorum & propriè cùm bibitur cum aceto.

De Baurach: Confert omne baurach & præcipuè Aphricanum præfocationi fungorum valde, siue sit adustum siue non adustum, & similiter eius spuma.

De Stercore: Stercus gallinarum theriaca esse fungis strangulantibus expertum est, & facit spuere humorem crudum viscosum.

De Pyris: Cinis speciei eorum vehementer tardæ maturationis, est cura fungorũ mortificantiũ, & quando coquũtur cũ pyris minoratur nocumẽtũ ipsorũ.

De Sale: Fit ex eo emplastrũ cũ oxymelle nocumẽto fungorũ mortiferorũ.

De Lilio: Oleum eius, est theriaca fungorum.

De Melle: Deglutio ipsius est radix, id est cura fungi pernecantis.

De Tuberibus: Tubera, sunt grossa valde & perhibent nutrimentum grossum, melancholicum & non appropinquat in hoc aliquid: & eorum theriaca, sunt vinũ purũ & species condientes: & si elixãtur, deinde coquuntur cum eis, generatur ex eis nutrimentũ grossum non malũ, veruntamẽ saporẽ nõ habent.

De Fungis: Fũgi generãt humorẽ grossum malũ: eorũ aũt rectificatio, est vt super ipsos vinũ purũ: & eorũ cura, est cũ incisiuis & oxymelle & calamentho, elixentur & ponãtur cũ eis pyra humida & sicca & ozimũ mõtanũ & bibatur.

De Calamentho: Calamenthum expellit nocumentum fungorum. Auicenna quarto Canone, fen 6. cap. de Fungis & tuberibus malis: Cura fiat, vt euomat cum his quæ scis & propriè cum succo raphani & folijs suis: deinde detur eis cinis vitis cum syrupo acetoso: & pyra sunt theriaca eorũ, & oportet post vomitum, vt in potu detur de murinabati aliquid post aliquid, & de baurach: & mel iterum est theriaca eis. Et stercus gallinæ, est iuuamenti maximi eis si in potu tribuatur cum syrupo acetoso & baurach iterum & sal Indus, & succus calamenthi cum syrupo acetoso & baurach, & confectiones calidę, sicut diapipereon, & vinum antiquũ forte & aristolochia & radix opopanaci & fæx vini & sinapi & iterum absinthium & origanũ montanum & decoctio amborũ & decoctio ficuũ, & oportet, vt vaporetur quod est sub hypocõdrijs eius semper.

Auerrois quinto Colliget, cap. de Narratione medicinarum absolutè & earum operationibus: Balsamus, calidus est & siccus in secundo gradu & oleum suum est subtile, nec habet multum calorem: & eius proprietas est, quia est magna theriaca venenis, & valet contra fungos venenosos &c. Et dosis eius est à tertia parte drachmę vsq; ad vnam. De Narratione quarundam medicinarũ simplicium, quæ sumuntur ex animalibus. Stercus gallinaceum valet ad suffocationem, quę prouenit à malis fungis comestis: ideo quia facit ipsos euomi, & debet propinari cum aceto & aqua mistum siue distemperatum.

Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 20, cap. de Raphano syluestri & satiuo: salutares esse contra fungorum venena traditur.

De Porro

De Porro satiuo. Esui verò contra fungorum venena apponitur.

De generibus Brassicæ. Apollodorus aduersus fungorum venena semen aut succum bibendum censet.

De Ruta. In præcipuis medicaminibus rutæ est ratio: quæcunque autem ruta valet contra fungos siue in potu siue in cibo.

De Sinapis tribus generibus. Sinapis, cuius in satiuis tria genera diximus, fungorum venena discutit. Libro 21. cap. de Lilij radicibus: Lilij radices multis modis florem suum nobilitauere contra serpentium ictus ex vino potæ & contra fungorum venena.

De Corcoro. Corcorum Alexandrini cibi herba est, conuolutis folijs, ad similitudinem muris: præbet auxilium aduersus fungos. Libro 22, cap. de Vrtica. Semen eius siccum contrarium esse Nicander affirmat fungis.

De Natura mellis. Non esset mellis auctoritas in pretio minor quàm laseris, id est asse, nisi vbique nasceretur &c. vtilissimum contra venena fungorum. Libro 23, cap. de Vino Cæcubo & viribus vini. Merum, id est vinum purum & potens, remedio est priuatim contra fungos.

De fæce Vini. Fungorum naturæ contraria est pota, sed magis cruda.

De Pyris. Ipsa aduersantur boletis atque fungis, pelluntque põdere & pugnante succo. Pyrorum ligni cinis contra fungos etiamnum efficacius proficit.

De Myrto satiua. Myrtus satiua candida, minus vtilis est medicinæ quàm nigra: semen eius medetur contra fungos in vino potum, folia ipsa fungis aduersantur trita ex vino. Libro 25, cap. de Pericarpo. Pericarpum bulbi genus est, duæ eius species, alterum cortice rubro, alterum nigro. Vtrique autem excalfaciendo vis: ideo datur contra fungos. Libro 27, cap. de Absinthio. Absinthij genera plura sunt: Aduersatur fungis ex aceto. Libro 29, cap. de Remedijs aduersus morbos lacertarum, & veneficia & aconita &c. Contrarium est, gallinarum fimum duntaxat candidum in hyssopo decocto, aut mulso peculiariter contra venena fungorum boletorumque. Libro 31, cap. de Medicinis & obseruationibus ex nitro. Nitri probatio, vt sit tenuissimum, & quàm maximè spongiosum, fistulosumque. Succurrit venenis fungorum ex posca potum.

Libro 33, cap. de Remedijs cõtra venenata ex animalibus quibusdam: Contra venenata omnia auxiliatur mulus. Eiusdem recentis è capite cinis contra omnia venenata, priuatim contra fungos.

Haliabas in Regali dispositione quarto Practicę, cap. de Eius medicina, qui fungos comedit: Expedit vomitum cum aqua calida accelerare, in aqua fugiles, id est raphanos & sal decoxeris misto melle, aut squingibin melleo, id est oxymelle. Et post hoc fimi da illi gallinarum triti diligenter 3.ij. cum aceto & melle. Et vinum illi propina merum, id est purum, & potens: aut sume cinerem vitis, aut arboris fici addens modicum aceti & salis cum aqua calida. Et modicum da illi socriten, id est sagzeneæ cum vino: aut theriacan diatesseron cũ pigami, id est rutæ aqua calida: dabis quoque aristolochiam, absinthium cum vino & melle: aut iausirum, id est opopanacem cum vino. Radices illi comedendas porrige, quæ nimium pungunt stomachum & eius confinia cum aqua in qua chamæmillam decoxeris & satureiam & artemisiam cataplasma: vtãtur quoque hi clysteri cum aqua in qua absinthium decoctum sit, bersensanum, id est capillus Veneris, sedabun, id est rutaque cũ melle & buraco, id est baurach & zampachi, id est ieusemini oleo, aut alijs calidis oleis cum iausiro, id est opopanace & sequebenego, id est serapino.

Descriptio sagzeneæ, posita est superius in nono cap. primi libri auctoritate Albucasis tertia particula Azarauij, & descriptio theriacæ diatesseron posita est ibidem auctoritate Antidotarij vniuersalis & etiam alibi.

Antidotarium vniuersale: Theriaca diatesseron, quæ præcellit theriacas &c. datur in modum auellanæ contra malos fungos cum mulsa, id est aqua mellis facta ex duabus partibus aquæ & vna mellis.

Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Malis fungis datis seu comestis: Ante illud erit propinandum vinum optimum in quo piper nigrum sit bullitum, & deinde clysterizare ipsum cum aqua mellis & sale. Et fomentetur femur oleo nardino. Et eius bezaar est duplex, scilicet ante comestionem & post: bezaar ante comestionem est, quòd quando decoquuntur fungi, decoquantur cum eis pyra incisa in frusta. Alij verò ponũt allia & panem. Et bezaar post comestionem, est allium crudum.

LIBER QVARTVS DE VENENIS AC MORTIFERIS MEDICINIS SVMPTIS ex animalibus.

De Cantharidum quiditate, & earum natura, & accidentibus assumptionem ipsarum in quantitate notabili consequentibus, & eorum accidentium causis & assumptionis earum signis & præseruatione & cura. Cap. I.



CANTHARIDES sunt animalia volatilia nota, & sunt vermes virides auri colore superlucentes, & nascuntur in sumitatibus ramorum fraxini & quarundam aliarum arborum ex humore qui est in folijs, & conualescunt corrosione foliorum sicut erucę & sunt similes satis vespis & parumper, attamen longiores, quæ vaporibus aceti ad medicinæ vsum interficiũtur, & postea conseruantur, prout docent auctores.

NATVRA earum calida est & sicca in quarto gradu, & est acuta, adustiua, mordicatiua, putrefactiua, vlceratiua, & maximè diuretica & venenosa, adeò, ut iuxta Rasim 22. Cõtinentis, cap. de Cantharidibus, auctoritate Galeni in lib. de Venenis, si dentur in potu in pondere aur. i. inferunt corpori apostemata & faciunt mingere sanguinem: deinde interficiunt ipso die.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem ipsarum præcipuè in notabili quantitate, sunt punctio & dolor in membris præcipuè ab ore vsq; ad pectinem, & anchas, & genua & hypocõdria. Ex quibus sunt stomachus, intestina, pulmo, hepar, renes, porri vritides & vesica, inflatio in dextro latere, vlceratio viarum vrinæ & præcipuè vesicæ, apostematio earundem viarũ & præsertim vesicæ & pectinis & virgę & partium circunstantiũ, inflammatio vehemens præcipuè partium prædictarum, ardor oris & gutturis, febris, ardor vrinæ vehemens, retentio seu difficultas vrinæ, adeò vt non exeat nisi guttatim cum appetitu frequenti vrinandi, minctura sanguiuis, aut frusta eius cum dolore vehementi & aliquando solutio ventris cum excoriatione seu abrasione: verùm plurimum læsionis ex earũ assumptione est in vesica, adeò vt ex earum appositione ad extra corpus aliquando consequatur ardor vrinæ & minctura sanguinis, prout Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Sumptione cantharidum asserit se vidisse. Et ego etiam sæpius vidi & præcipuè consequi ardorem vrinæ pręsertim in pueris, permistio rationis, casus, cum surgit ad sellam, syncope & in ore assumentis perceptio saporis, sicut est sapor alkitran, id est resinæ cedri & picis. Causa pũctionis & doloris in mẽbris pręcipuè ab ore vsq; ad pectinẽ & anchas & genua & hypocondria &c. est ipsarum natura, siue complexio acuta, pungitiua, dolorosa, communicata dictis membris per vias manifestas & per venas magnas. Causa inflationis dextri lateris, videlicet hepatis, est apostematio eius ob materias multas acutas, præsertim

ſertim aut in ſe, aut virtute inflāmatiua cantharidū ductas ad ipſum ob earum
virtutem, quæ ob ve narum hepatis anguſtiam in ipſo aliquantulum commo-
rantes ipſum apoſtemant, & conſequenter inflationem & tumorem faciunt
in dextro latere. Cauſa vlcerationis viarum vrinæ, & præcipuè veſicæ & apo-
ſtemationis earum viarum, & præſertim veſicæ & pectinis & virgæ & partiū
circumſtantium, eſt ipſarum cantharidum virtus vlceratiua, ſingulariſsimam
proprietatem habentium ad dictas corporis partes ducentium ad eas etiam
alias materias acutas in corpore ſeminatas, quæ terminantes ad veſicam & ibi
dem moram amplius contrahentes ipſam præcipuè vlcerant & apoſtemant,
& conſequenter pectinem ſeu femur & virgā, & partes alias conuicinas, quā-
uis etiam, licet non tantum, alias vrinæ vias etiā apoſtement. Cauſa inflam-
mationis vehementis & præcipuè partium prædictarum & ardoris oris & gut
turis & febris & ardoris vrinæ vehementis, eſt cantharidum exceſsiua calidi-
tas, inflammatiua, & peracuta. Cauſa retentionis ſeu difficultatis vrinæ, adeò
vt non exeat niſi guttatim cum appetitu frequenti vrinandi, eſt apoſtematio
veſicę & præcipuè colli eius ad quam ſequitur retentio ſeu difficultas vrinę,
propter ſtricturam vię eius, adeò vt cum vrina exit, non exeat niſi guttatim, &
adeſt appetitus frequens vrinandi propter acuitatem vrinę ſtimulantis expul-
ſiuam veſicę et colli eius. Cauſa minctură ſanguinis aut fruſti eius cum dolo
re vehementi, eſt vlceratio viarum vrinę et pręcipuè veſicę et colli eius, prop-
ter quam mingitur ſanguis, cuius, cùm in veſica coagulatur, aliquando mingi-
tur fruſtum, et hoc non fit niſi cum dolore vehementi propter vlcerationem il
larum partium. Cauſa fluxus ventris cum excoriatione ſeu abraſione, eſt vir-
tus vlceratiua et excoriatiua ſeu abraſiua cantharidum peruenientium ad inte
ſtina, quauuis vt plurimum perueniant ad vias vrinæ propter maiorē proprie-
tatem earum deriuandi ad ipſas vias. Cauſa ardoris vrinæ et micturæ ſangui
nis ex earum appoſitione ad extra corpus, eſt ipſarum proprietas fortiſsima ad
partes vrinæ, propter quam exterius applicatæ vlcerando primò partes quib.
ipſæ applicantur per venas, penetrant in virtute ad dictas vias, ardorem et vl-
cerationem in ipſis cauſantes. Cauſa permiſtionis rationis, et eleuatio vapo-
rum calidorum ad cerebrum propter earum virtutem inflammatiuam humo-
res ebullire et conſequenter euaporare ad cerebrum facientem. Cauſa caſus
cùm ſurgit ad ſellam et ſincopes, eſt magna ſpirituum reſolutio. Cauſa perce-
ptionis ſaporis alkitrā et picis in ore aſſumentis, eſt humorum oris aduſtio fa-
cta ab aduſtiua virtute cantharidum alkitran, et picis ſaporem in ipſo re-
præſentans.

SIGNVM aſſumptionis earum, ſunt accidentia prænarrata et pręſertim ci-
ta læſio viarum vrinæ, et præcipuè veſicæ poſt aſſumptionē earum, et informa
tio habita de illarum aſſumptione.

PRAESERVATIO fit diligentem habendo cautelam, ne ipſe vllatenus
aſſumantur, nec ad manus ſeruientis perſonæ et præcipuè ſuſpectę perueniāt.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus infra deſcribam, ſub-
ueniendo accidentibus cōſequentibus cum his, quę ab auctoribus in proprijs
cap. deſcribuntur. Dioſcorides in lib. de Simplicibus, cap. de Axungia omni:
Omnis adeps ſine ſale recens malaxat, atq; dulcorat pinguedinis cauſa, obtun
dit etiam venena. Eius deniq; iuſculum non ſolùm his qui cantharides bibe-
runt iuuat, verùm etiam à quolibet veneno.

De Lacte.

Lac recens contrarium eſt venenis acceptis, & calorem habentibus, & bi-
bentibus cantharides, & morſibus inteſtinorum. Andromachus in libro dē
Theriaca. Primum & melius quod datur in potu de theriaca, eſt cum quanti-

tate trium cyathorum vini, id eſt ℥. iiij. s. vini ad potum medicinarũ interficientium, ſicut cantharides &c.

Galenus nono de Simplici medicina, cap. de Lemnia, id eſt terra ſigillata: Lemnia, id eſt terra ſigillata ponitur vomitũ prouocare, ſi quis adhuc exiſtente in ventre mortifero pharmaco biberit hoc ἀλεξητήριον, id eſt medicinam à morte liberantem. Sed huius quidem & nos etiam habemus experientiam in lepore marino, & in cantharidibus ſuſpicantibus quidem hominibus ſe ſumpſiſſe aliquid tale, mox autem euomentibus, eo quòd per lemniũ ſigillum pharmaco nullumq́ ſymptoma patientibus, poſtea ex his quæ ſequuntur & leporem & cantharides, quãuis perhibitio periculoſorum pharmacorum fuerit deprehenſa. Libro 10, cap. de Lacte: Sic deniq; videntur mihi medici contra pernitioſa pharmaca, quæ per corroſionem interimunt, ſuaſi fuiſſe propinare lac: ſicut marinus lepus interimit, & cantharis: ſed hæc quidem rationabiliter excogitauerunt &c. Excerpta ex lib. 10 Oribaſij: Contra Cantharides: Adiuuantur autem, ſi ſæpius reiecerint, paſſo, id eſt expreſſo ex vua paſſa cum oleo poto. Item humano lacte, & debent plurimum ſumere. Item proſunt ei nuclei pineæ per ſe ſumpti, vel ex aqua mulſa, id eſt aqua mellis facta ex duabus partibus aquæ & vna mellis, aut ex paſſo triti & dati. Item cucumeris ſemen purgatum & lini ſemen ex paſſo datum adiuuat bene: & ius pingue agninum vel bubulum, id eſt bouis acceptũ. Et farina triticea pultis more cocta plurimum anſerinum adipem habens prodeſt: & ſaniem excreãtes poſt xvij. dies cyathis tribus, id eſt ℥. iiij. s. aqua datum, irinum etiam oleum cum ruta tritũ & potatũ.

Raſis 20 Continentis cap. 2: Ego ſum expertus theriacam de terra ſigillata, his qui ſunt toxicati cum lepore marino, & qui ſumpſerint cantharides & ſimilia: veruntamen venenum nondum erat profundatum interius, & propter hoc euomuerũt totum venenum. Theriaca de terra ſigillata, deſcripta eſt ſuperius in 9 cap. primi libri, auctoritate Raſis octauo Almanſoris, cap. 1. Raſis: Ait filius Patriarchæ: cantharides faciunt multum vrinare &c. Cura, eſt prouocare vomitum cum aqua & oleo bene miſtis, & clyſterizare cum oleo, melle, vitellis ouorum, maluis & nitro: & cibetur frequenter ficubus, & bibat vinum lymphatum cum aqua decoctionis ficuum: & ſi dolor non ceſſauerit ſugat lac ex mamillis mulierum. Inquit Aaron: Iuuat contra ſumptionem cantharidum prouocare vomitum & poſtea propinare aquam hordei cum butyro vaccino & ſedere in aqua tepida, & comedat gallinas pingues pręparatas ad ſpidebeg, & carnes agnorum & comedat butyrum & bibat multum lac. Ait Dioſcorides: nitrum & folia aſſæ ſi dentur cum aqua valent contra cantharides, & ſimiliter oleum ſiſaminum & vinum dulce, & bibere multum lac & comedere pineas cum melle, & rutam cum oleo lilij. Ait Simeon: Cura cantharidum, eſt ſumere lac, butyrum & clyſteria lenia, & cibare cum brodijs vnctuoſis ex carnibus agnorum, & ponere ſyringam in veſica cum lacte, & quando mingit vrinam, reitera ſyringam & hoc fiat ſæpe: & ex cura iſta erit ſecurus, quòd non fient vlcera in veſica. Raſis 23 Continentis, cap. de Lacte: Lac recens valet ad ardorem & inflãmationem accidentes ex medicinis mortiferis ad modum canthatidum & ſimilium: lac vaccinum propriè confert his venenis.

De Butyro: Dixit Rufus in lib. Lactis, de Summa lactis: Lac ſummariè ſi bibitur, confert in potu cantharidum, & ſummariè in potu medicinarum putrefacientium, vlcerantium & corrodentium. Raſis 8 Almanſoris, cap. de His quibus cantharides & ſtaphiſagria datæ fuerint: Oportet, vt vomitus cũ aqua calida & oleo ſiſamino atq; aqua in qua ficus coctæ fuerint multotiens prouocetur. Deinde lactis multitudo multis vicibus ei ad bibendum tribuatur: & pſyllij mucilago cum iuleb ac ſuccus portulacæ ei tribuatur: de butyro quoq;

recenti multum comedat, & clysterizetur ex aqua hordei & maluauisci & albumine oui: virgę quoque immittatur per siringam oleum rosaceũ, eique in potu detur ius de pullis pinguibus & oleum amygdalarum & in tina sedeat, ac ficus comedat & aquam in qua ficus coctæ fuerint cum syrupo violaceo bibat: lac quoque frequenter bibat quandiu puncturam senserit, & incisionem. Quòd si in partibus fæmoris maximam senserit grauedinem, aut si est diu ex quo phlebotomatus non fuerit, ex basilica phlebotometur vena. Quod verò diximus virgæ esse immittendum, non per iniectorium, sed per instrumentum quod simitati paruæ rosæ, vbi semen existit, simile est, postquàm flores ablati sunt & sit factum ex cera pennam perforatam inferius habens, est immittendum. Rasis in Diuisionibus, cap. 143, scilicet de Remedijs venenorum: Qui cantharides in potu sumpserit iuuatur potu lactis & olei de amygdalis: deinde curetur cura vlceris vesicæ. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Sumptione cantharidum: Curatio earum, est per vomitum cum aqua calida & oleo sisamino & decoctione ficuum pluries: postea bibat multum de lacte & bibat mucilaginem psyllij cum syrupo iuleb, & bibat succum portulacæ & copiosè sumat ex butyro cocto, & fiat clystere cum aqua hordei althęę & albumine oui, & instilletur virgæ de oleo rosaceo, & bibat iura gallinarum cum oleo amygdalarum, & ingrediatur balneum aquæ calidæ, & comedat ficus & bibat syrupum violaceum & de sebesten. Vlceratio autem si contingat vesicæ, curetur cum his quæ dicta sunt in suo loco. Curatio autem eius ex appositione illarum extra corpus, est quòd statim abluatur locus, & ingrediatur patiens balneum, & superponatur loco multum olei, & regatur cum his quæ diximus. Auicenna secundo Canone, cap. de Baurach: Baurach bibitur cum aqua frigida propter potum cantharidum. De Luto sigillato, id est terra sigillata. Inquit Galenus: Medicamen gargarismatis facti ex eo expertus sum in lepore marino & in cantharidibus: & inueni ipsum vomitu educens ea statim.

De Lacte: Lac confert propriè ei, qui in potu sumpsit cantharides, & omnes medicinas corrosiuas putrefactiuas.

De Adipe: Adeps caprina confert cantharidibus. Auicenna quarto Canone, fen 6 cap. de Cantharidibus: Oportet, vt euomat & clysterizetur sicut scis, & oportet, vt ponatur in eo cum quo vomit & clysterizatur nitrum, & decoctio ficuum iterum, & sit vomitus continuus, aliàs, frequens. Et si viderit, quòd intendat ad conseruationem vesicæ faciat: deinde detur in potu lac frequenter, & iterum psyllium, & aqua portulacæ, & butyrum crudum plurimũ: deinde clysterizetur iste cum aqua hordei, & althææ, & albumine oui, & mucilagine seminis lini: aut aqua hordei, & aqua oryzæ, & decoctione fœnugræci: aut decoctione candarusi, id est farri, & iuribus pinguibus, & oleo amygdalarum, & adipe anseris, & vitellis ouorum sorbilium, & butyro cocto, & melle, aut iuleb, & oleo amygdalarum. Et lac acetosum vaccinum bonum est ei. Et confert ei aqua mellis & decoctio cum granis diureticis, sicut sunt grana melonis, & cucumeris: & decoctio ficuum cum syrupo violaceo: & sicut si in potu detur oleum de cidonijs, est theriaca ei, & oleum de lilio. Et similiter lutum Samium, id est gisamia apud Dioscoridem confert eius solutioni ventris cum syrupo hydromellis. Et oportet, vt distilletur in virgam bibentis ipsum oleum rosaceum, non cum clepsydra imò cum emboto subtili, & leuiore quod est: & administretur tina tepida.

Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 20, cap. de Ruta: Quæcunque ruta valet contra cantharides, &c.

De Atriplice: Lycus Neapolitanus contra cantharides bibendum dedit. Libro 23, cap. de Mustis: Mustum omne cantharidum naturæ aduersatur.

De Sapa, id est vino cocto: Vino cognata res sapa est, musto decocto, do-
nec tertia pars supersit: Ex albo hoc melius. Vsus contra cantharides.
De Oleo: Oleum valet contra cantharides per se potũ, redditumq; vomi-
tionibus. De Oleo myrteo: Oleum myrteum aduersatur cantharidi, aliisq;
malis medicamentis, quæ exulcerando nocent. Chamæmyrsines siue oxymir-
sines olei eadem natura. Cupressinum (id est de alcanna) oleum, eosdem ef-
fectus habet, quos myrteum. Libro 28, cap. de Medicinis ex lactis vsu: Da-
tur cantharidum aut salamandræ venenis.
De Remediis ad morsus bestiarum & ad venena. Contra ea quæ exulcera-
tione enecant, vitulinum seu bubulum auxiliatur: priuatim verò contra can-
tharides remedio est. Libro 29, cap. de Remediis aduersus omnia mala me-
dicamenta & venena. Caulis ius ex carne arietum priuatim aduersus cantha-
rides: Item lac ouium candidum.
Haliabas in Regali dispositione, quarto Practicæ, cap. de Eius medicina
qui cantharides bibit: Cum igitur intellexeris quoniam hominũ cuipiam pro-
pinatum est cantharidum aliquid, accelera vomitum cum aqua calida, buty-
ro, oleo, sisamino & ficuum decoctione: post vomitus purgationem diligen-
tem, lac propina in quo aliquid seminis psyllii percusseris & semen portulacæ
cum iuleb, cui amygdalarum oleum dulcium instillaueris, & oleum seminis cu
curbitæ, butyrum comedat & espidabagi, sorbeat ius cum pingui agni carne
aut porcellorum: ficus illi porrige cum amygdalis, medullam cucumeris & ci-
truli: clysteriza cum aqua hordei, in qua iuiubæ & sebesten succum posueris
cum oleo amygdalarum, aut rosarum, aut violarum optimarum. Super vere-
trum eius oui albumen & siafum, id est sief pone album rosarũ oleum, & puel-
læ lac: & quotiescunq; ardorem sentiet in vesica & puncturas lahaba, id est mu
cilagines propinabis, & amygdalarum dulcium oleum, rosarumq; cum iuleb,
sed & lac recens cum oleo amygdalarum prodest. Sief albi plures diuersæ de-
scriptiones ponuntur ab auctoribus, & quædam sunt cum opio, & quædam
sine opio: verùm à Rasi nono Almansoris, cap. de Ophthalmia, ponitur hæc
sief albi descriptio. ℞. Cerussæ ablutæ ʒ.x. sarcocollæ grossæ ʒ.iii. dragacanthi
ʒ.i. opii ʒ.i. fiant ex his formæ lenti similes. Haliabas decimo Practicæ, cap. de
Theriacæ magnæ vtilitatibus &c. Theriaca, omnes morbos qui corpori ac-
cidunt, sanat &c. Qui autem biberit venenum, aut medicamen lethale, sicut
est opium, cantharides & similia, hexagium semis de ea bibat, vsq; hexagium
cum vini vncia.

De Theriacæ Azeræ assignatione. Theriacæ Azeræ, id est Esdræ, assigna-
tio eius vtilitatis, quæ posita est superius in nono cap. primi libri, auctoritate
Haliabatis decimo Practicæ. Haliabas decimo Practicæ, cap. de Mithridati
nobilis assignatione: Mithridati nobilis assignatio &c. venenorum nocumen-
ta propellit: multisq; & pluribus, quibus theriaca magna, prodest &c. Gilber-
tus Anglicus septimo sui Compendii medicinæ, cap. de Cura cantharidum:
Contra potum cantharidum, fac vomitum frequentem cum nitri ℥.i. in aqua:
Et clysteriza cum aqua hordei, & albumine oui: Et bibat lac, & butyrum cru-
dum: Et soluat ventrem cum syrupo violaceo & hydromelle: & de oleo rosa-
ceo stilletur in virgam in balneo.
Guilielmus de Placentia, tertio suæ Practicæ, parte secunda, cap. 10: Cura
cantharidum & staphisagriæ & alkibekegi & earum signa communia sunt. Pri
mò necesse est, vt introducatur vomitus cum aqua ficuum, & anethi & oleo
violaceo & sale: & fiat clystere ex eisdem rebus, & sumat continuè in potu lac
calidum & aquam psyllii & portulacæ & butyrũ crudum, & clysterizetur post
ista ex aqua hordei & althææ, & mucilagine seminis lini & albumine oui, aut
cum

cum aqua oryzæ & aqua hordei aut decoctione fœnugræci, aut decoctione pultis factę ex farina frumenti & cum iuribus pinguibus & oleo amygdalino & adipe anseris & vitellis ouorum sorbilium & butyro cocto & melle, aut iuleb & oleo amygdalino: & lac acetosum vaccinum bonum est in hoc, & etiam confert eis aqua mellis, & decoctio seminum cucumeris, melonis & ficuũ cum syrupo violaceo: & quando talia bibuntur sunt vtilia, & etiam oleum de cidonijs, & ponatur cum syringa continuè oleum rosaceũ in virgam, vel cum alio instrumento leuiori modo quo fieri potest: & sæpe ponatur in balneo aquæ tepidæ decoctionis violarum & ficuum, & nutriatur cum iuribus pinguibus, & vtatur pro potu rob, id est sapa cum aqua decoctionis lactucarum vel endiuiæ. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Cantharidibus datis: Eius cura, est vt sumat in potu lac ouinũ cum oleo amygdalino: deinde curentur vlcera vesicæ, & eius bezaar, sunt grana alkekengi numero decem.

De Lepore marino. Cap. II.

LEpus marinus, est animal ostracum, lutosum, declinans ad rubedinem aliqualem.

NATVRA eius, calida est & sicca valde & adustiua & mordicatiua & corrosiua & putrefactiua & vlceratiua, & præcipuè vlceratiua pulmonis, sicut natura cantharidum est, præcipuè vlceratiua vesicæ.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius, sunt constrictio anhelitus & difficultas eius, seu asthma & tussis sicca & sputum sanguinis & rubedo oculorum & difficultas vrinæ & minctus sanguinis & dolor renum & vrina violacea & dolor in stomacho fortis & vomitus superfluus, præsertim choleræ & aliquando sanguinis, & abhorrere cibum, et præcipuè pisces, imò cum videt eos, terretur ab eis, & cum non terretur ab eis, est signum sanitatis eius et aliquando solutio ventris et egestio violacea, et quandoque mucosa et sudor fœtidus et perceptio saporis piscis fœtidi in ore suo, et in eructuatione sua cum salsedine etiam et icteritia et angustia et casus in phthisim, nisi citius moriatur, et etiam quanuis euadat: & licet dixerim post huius assumptionem tot consequi accidentia, aduerte tamen sicut et in aliorum venenosorum assumptione similiter est aduertendum, quòd nõ semper consequitur quodlibet eorum ob varias dispositiones corporis: et si possit consequi, et vt plurimum consequatur: nisi mors præueniat. Causa constrictionis anhelitus et difficultatis eius seu asthmatis, est virtus ipsius adustiua adurens et exiccans humiditates musculorum pectoris, propter quod redduntur inepti dilatationi, constrictioni et anhelitui necessarijs. Causa tussis siccæ, est virtus mordicatiua et fortiter exiccatiua: quæ mordicando pulmonem incitat ad tussim et exiccãdo humiditates eius facit tussim siccam. Causa sputi sanguinis, est virtus ipsius corrosiua corrodens orificia aliquarum venarum et præcipuè pulmonis. Causa rubedinis oculorum, est adustio et ebullitio sanguinis faciens sanguinem ascendere ad partes superiores, et præsertim ad oculos ad quos venæ plurimæ terminantur. Causa difficultatis vrinæ et mincturæ sanguinis et doloris renum, est ipsius virtus adustiua et vlceratiua renum et viarum vrinæ. Causa vrinę violaceę, est resolutio caloris naturalis, et consequenter mortificatio eius pręcipuè viarum vrinæ. Causa doloris fortis in stomacho et vomitus superflui et præsertim choleræ et aliquando sanguinis, est virtus ipsius mordicatiua, corrosiua et vlceratiua, quæ vehementer lædendo stomachum incitat ad superfluum vomitũ, et præcipuè choleræ propter generationem eius in corpore factam ex ipsius calefactiua et adustiua virtute, et aliquando sanguinis propter apertionem alicuius orificiorũ venarum

factam præcipuè à forti vomitu, aut ab ipsius leporis marini corrosiua & vlceratiua virtute. Causa abominationis cibi, & præcipuè piscium, imò, cum videt eos terretur ab eis, est destructio siue corruptio naturalium virtutum stomachi & præcipuè virtutis appetitiuæ facta ab ipsius venenosa proprietate: qui, cum sit piscis, facit præsertim abominationem piscium, & ex visu eorum terrorem ab eis, & cùm non terretur ab eis, est signum sanitatis eius, propterea quia significat virtutem corporis naturalem superasse venenosam proprietatem ipsius. Causa solutionis ventris aliquando, est læsio & punctio in intestinis facta ab ipsius mordicatiua, corrosiua & vlceratiua virtute non semper, sed aliquando propter varias dispositiones corporis. Causa egestionis violaceæ, est mortificatio caloris innati à nimia resolutione facta, propter quam intestina infrigidantur, & inde fit egestio quandoque mucosa siue viscosa. Causa sudoris fœtidi & perceptionis saporis piscis fœtidi in ore suo, & in eructuatione sua, est virtus ipsius leporis marini putrefactiua. Causa perceptionis salsedinis etiam, est virtus ipsius adustiua in humoribus, præcipuè ori circumstantibus salsedinem faciens. Causa icteritiæ, est generatio & commotio choleræ facta ab ipsius excessiuè calida & adustiua virtute. Causa angustiæ, est virtutis resolutio. Causa casus in phthisim, nisi prius seu citius moriatur, & etiam cùm euadit, est virtus ipsius vlceratiua, præcipuè pulmonem aspiciens, sicut virtus vlceratiua cantharidum, est præcipuè aspiciens vesicam.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta, & præcipuè perceptio saporis fœtidi piscis in ore suo & in eructuatione sua & abominatione piscium, & terreri ab eis cum ipsi videntur.

PRAESERVATIO fit cautè se præcauendo ab assumptione eius, vtendo remedijs dictis in 8 cap. primi libri.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus statim infra describam, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Alismate, id est fistula pastoris. Alisma folia habet similia arnoglossæ, sed angusta & super terram spansa, hastam tenuē vnius cubiti mensura altam, & super ipsam capitellum florem croceum seu viridem valde clarū proferens: radices tenues habet sicut helleborum, odoratas & viscidas, id est mordicatiuas & pingues, nascitur in aquosis locis. Radicis eius bibita ℥. i. vel ij. bibentibus leporem marinum &c. medicatur.

De Cyclamino, id est pane porcino: Cyclamini, id est panis porcini radix cum vino bibita venenis contraria est: quàm maximè bibentibus leporem marinum: nam bibentes eam ab æstu illæsi manent.

De Cedro: Cedria, id est kitran seu alkitran percussum leporis marini ad sanitatem perducit.

Galenus nono de Simplici medicina, cap. de Lemnia, id est terra sigillata: Lemnia id est terra sigillata ponitur vomitum prouocare: si quis adhuc existente in ventre mortifero pharmaco biberit hoc ἀλεξιτήριον, id est medicinam à morte seu mortiferis liberantem. Sed huius quidem & nos etiam habemus experientiam in lepore marino & in cantharidibus suspicantibus quidem hominibus se sumpsisse aliquid tale, mox autem euomentibus, eo quòd per Lemnium sigillum pharmaco, nullumq; symptoma patientibus, postea ex his quæ sequuntur leporem & cantharides, quanuis perhibitio periculosorum pharmacorum fuerit deprehensa. Libro decimo, cap. de Lacte: Sic deniq; videntur mihi medici contra perniciosa pharmaca, quæ per corrosionem interimūt, suasi fuisse propinare lac, sicut marinus lepus interimit & cantharis &c. sed hęc quidem rationabiliter excogitauerunt &c. Kyrandus lib. 3, cap. de ἀλέκτορι,

id est

id est, gallo: Sanguis autem galli sanat eos, qui marinum leporem comederūt.

Libro 4, cap. de λαγωῷ θαλασσίῳ, id est lepore marino: Qui autem eum, id est leporem marinum biberit, sanguinem anseris calidum, vt exit à vulnere, da ei bibere & ilico sanabitur.

Rasis 20 Continentis cap. 2: Ego sum expertus theriacam de terra sigillata, his qui sunt toxicati cum lepore marino, & qui sumpserint cantharides & similia: verūtamen venenum nondum erat profundatum interius, & propter hoc euomuerunt totum venenum. Theriaca de terra sigillata, descripta est superius in nono cap. primi libri auctoritate Rasis 8 Almansoris, cap. 1. Rasis: ait Galenus in lib. de Venenis: Ex lepore marino accidit dolor stomachi &c. Et cura eius, est bibere lac aut vinum dulce, aut aquam decoctionis maluæ, & sumere hellebori nigri & scammoneæ tritorum an. ℈. i. cum aqua mellita, & dare ei bibere sanguinem hericij & panē tritici & pisces bene præparatos & coctos. Et signum liberationis illius, est si comedat de eis. Ait Dioscorides: contra leporem marinum iuuat sumere lac vaccinum. Ait Galenus: Et iuuat succus scariolæ syluestris cum vino dulci & oleo rosaceo & sanguis caprinus & semen raphani cum vino. Et contra achimeros, iuuat sumere aquam decoctionis virgæ pastoris, vel plantaginis, cum calamentho montano, hyssopum cum vino & brodium cancrorum fluuialium. Et similiter valent hæc contra leporem marinum & contra nigellum. Experimentum contra hoc, pix liquida cum vino. Et contra leporem marinum prouocare vomitum, & sumere lac asininum, & comedere maluas bene coctas & menthastrum fluuiale & panem porcinum pondere ℥. s. cum vino aut de pice liquida ℥. s. cum vino. Rasis 21 Continentis, cap. de Vrina: Vrina hominis diu mincta, valet contra leporem marinum exhibitum &c. Libro 22, cap. de Cancro fluuiali: Cancer fluuialis coctus & comestus cum iure ipsius confert vlceri pulmonis & potui leporis marini hic facit &c. De Serbin, id est arbore alkitran: Alkitran bibitum cum vino cocto confert potui leporis marini. Libro 23, cap. de Lacte: Lac mulierum, si sugitur de eo, confert punctioni accidenti in stomacho & vlceri pulmonis, & potui leporis marini. Rasis octauo Almansoris, cap. de His quibus lepus marinus datus fuerit: Cui hoc in potu datum fuerit, nisi pręoccupatus fuerit morte, incidet in phthisim, si non competenti medicamine ei subueniatur, & si non lac & vinum mista, aut vnumquodq; per se multoties datum fuerit, ante tamen istud dari conuenit, scilicet citrulorum succum, maluauisci viridis foliorum succum in potu sumat. In die autem secunda postquàm accidentia quieuerint pilulæ ex scammoneæ & hellebori nigri, & agarici, succi liquiritiæ & dragacāthi æqualibus partibus confectæ dentur pōdere ʒ. i. cum iuleb. Si aūt illud perduxerit ad tussim ac asthma superuenerit, eorum cura ex eo sumatur cap. prius tamen phlebotometur, & ex medicinis apostema in pulmone patiētiū curetur.

Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Potu leporis marini. Curatio ipsius, est quòd bibat lac & vinum simul mista, vel vnum post alterum pluries, & prius bibat succum citrulorum & foliorum althææ humidæ, id est maluauisci recentis. Secunda verò die, cum sedata fuerint huiusmodi accidentia, bibat parum de infrascriptis pilulis, & descriptio earum, est quòd accipiantur scammoneæ, hellebori nigri, agarici, succi liquiritię, gummi, dragacanthi partes æquales: fiant pilulæ & accipiatur de ipsis ʒ. i. cum syrupo iuleb: & si confirmata fuerit in ipso tussis & asthma, accipiatur earum curatio ex suo loco.

Auicenna secundo Canone, cap. de de Homine: Lac mulieris, est theriaca leporis marini. De Vrina: Vrina quę ex ea antiqua est, confert venenis omnibus & lepori marino.

De Fistula pastoris.

Fistula pastoris, calida est & sicca forsitan in principio secundi, & aureus aut duo aurei in potu accepti ex ea, conferunt ei qui bibit leporem marinum & opium & reliqua.

De Luto sigillato, id est terra sigillata.

Inquit Galenus: Medicamen gargarismatis facti ex eo expertus sum in lepore marino & cantharidibus, & inueni ipsum vomitu educens ea statim.

De Lacte.

Lac confert ei, qui in potu sumpsit leporem marinum & omnes medicinas corrosiuas putrefactiuas.

De Facaileso, id est pane porcino.

Facailesus dicitur, quòd est species buchormarien, & est genus id est species arthanitæ, id est panis porcini: bibitur cum vino ad medicinas mortiferas, & venena & propriè ad leporem marinum.

De Chitran, id est gumma cedri.

Chitran, id est gũma cedri, datur in potu cum vino ad potũ leporis marini.

De Serbin, id est cedro seu arbore alkitran seu chitran:

Datur in potu fructus eius cum vino ad potum leporis marini. Auicenna quarto Canone, fen 6, tractatu 2, cap. de Lepore marino: Confert ei potare lac caprinum iuuamentum vltimum, & lac asininum, iterũ & lac mulieris ex mammilla, & virgæ alcanne, & semen althææ humidum elixatũ, & ius cancri fluuialis propriè: quoniam ipse potest comedere ipsum sine reliquis lenificantibus & hericius assatus recens aut sanguis eius, & lacertum marinum non refugit & comedit ex eo: de medicinis verò fortibus, sunt calamenthũ fluuiale, calidum, recens, & sanguis anseris etiam & vrina hominis antiqua & radicis bucormarien oboli viij. id est ℈. iiij. cum vino aut kitran illa quantitas in vino & hellebori parum cum vino: & cum aduenit dies secundus excitationis accidentium & quiescunt, fiant pilulæ de hellebori nigri & scãmoneæ & agarici & succi liquiritiæ nigri partibus æqualibus: quarum dosis sit ʒ. i. & quod supra est parũ cum iuleb. Et signum sanitatis est, quòd videt pisces & non terretur ex eis & comedit: & cum cadit in phthisim, curetur phthisis.

Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 23, cap. de Malis Punicis. Punici mali nouem genera nunc iterari superuacuum. Ex acerbo fit medicamentum contra leporem marinum hoc modo. Acinis detracto cortice tusis, succoq; decocto ad tertias, cum croci, & aluminis scissi, myrrhæ, mellis Attici selibris.

Libro 24, cap. de Cedro: Cedri succum suadent & contra venenum leporis marini bibere in passo. De Cedride, id est fructu cedri. Cedrides contra lepores marinos. Lib. 25, cap. de Alismate. Vsus in radice vtriusq; generis alismatis, aduersus ranas & lepores marinos drachmæ pondere in vini potu. Lepori marino aduersatur & cyclaminus. Libro 28, cap. de Remedijs quæ sumuntur à corporibus mulierum: Lac mulierum peculiariter valet contra venena quæ data sunt cum marino lepore. De Medicinis ex lactis vsu: Datur priuatim bubulum lac his qui biberint leporẽ marinum. De Remedijs ad morsus bestiarum & ad venena. Asinino lacte poto venena restinguuntur: peculiariter si potus sit lepus marinus &c. Ossa quoq; asini confracta & decocta contra leporis marini venenum dantur. Omnia eadem onagri efficaciora: Lacte equino venena leporis marini & toxica expugnantur.

Libro 29, cap. de Remedijs aduersus mala medicamenta & venena. Sanguis anserinus contra lepores marinos valet cum olei æqua portione.

Libro 32, cap. de Lepore marino. Non sunt minus mira, quæ de lepore marino traduntur: venenum est alijs in potu aut in cibo datus: alijs etiam visus.

Siquidem

Siquidem grauidæ si omnino aspexerint fœminam ex eo genere duntaxat, statim nausea & redundatione stomachi vitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. Remedio est mas ob id induratus sale, vt in brachialibus habeant. Homines, quibus impactus est, piscem olent. Hoc primo argumento veneficium id deprehenditur. Cætero moriuntur totidem diebus, quot vixerit lepus, incertiq; temporis veneficium id esse, auctor est Licinius Macer. In India affirmant non capi viuentem, inuicemq; ibi hominem illi pro veneno esse, ac vel digito omnino in mari tactum mori: esse autem multo ampliorem, sicut reliqua animalia.

De Remedijs ex ranis marinis & rubetis contra venena: Ranę fluuiatilis si carnes edantur, iúsue decoctarum sorbeatur, prosunt contra leporē marinum.

De Cancris contra venena: Cancri fluuiatiles triti potiq; recentes ex aqua seu cinere asseruato, contra venena omnia prosunt, priuatim contra leporem marinum &c.

De Remedijs cōtra pastinacam & dorycnum. E lepore marino veneficium restinguunt poti hippocampi.

De Cancro marino & de ostrea, & natura eorum: Cancri marini decocti ius efficax habetur peculiariter contra leporis marini venena: & ostreæ aduersantur. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, cap. de Lepore marino aut rana. Eius cura, est festinus vomitus cum butyro & aqua mellis: deinde sumere post illud theriacam diatesseron per tres dies, & cibari carnibus passerinis, & potare bonum vinum. Et eius bezaar, est caro vulpis assata & comesta.

De Stellione. *Cape* III.

STellio est serpens quadrupes, qui in locis satis domesticis conuersatur, & cum videt hominem ipsum fixè intuetur, & est viridis totus, & ascalauotin seu asclauotin, est species eius, & ab aliquibus dicitur prasium: quia habet colorem similem in viriditate colori porri, quod Græcè dicitur prason: & in Marchia Anconitana, vulgariter dicitur raganus, Bononiæ verò & in partibus circunstantibus dicitur vulgariter ligorium.

NATVRA eius, est calida valde & adustiua, mordicatiua, & stomachi ex sui proprietate præcipuè nocitiua & venenosa, petens ex sui proprietate cor, sicut cætera venenosa.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius qualitercunq; siue in comestione carnium eius, siue in potatione vini vel aquæ, in quibus dissolutus aut decoctus fuerit, siue qualitercunq; aliter, sunt vomitus & dolor stomachi vehemens, & præcipuè oris eius. Comestionis autem eius accidentia propria, sunt inflatio linguæ, arsura, soda, obscuritas visus & pruritus: & hoc iuxta Rasim 20 Continentis, auctoritate filij Patriarchæ. Iuxta autem Plinium 29, de Naturali historia: Facies bibentium vinum, in quo stellio mortuus fuit, lentigine repletur. Causa vomitus & vehementis doloris stomachi & præcipuè oris eius, est præfatum eius venenum lædens & mordicans stomachum, & præcipuè os eius, quod inter cætera corporis membra est valde sensibile. Causa repletionis faciei lentigine, est generatio melancholiæ ex humorum adustione, quę ratione vini euaporās ad caput expellitur ad faciē seu ad cutem eius. Causa inflationis linguæ & arsuræ, est virtus ipsius adustiua, & mordicatiua, quę linguam mordicando inflat & apostemat, & adurendo humiditates oris præcipuè & gutturis arsuram facit. Causa sodæ, seu doloris capitis & obscuritatis visus, sunt vapores qui ob ipsius virtutem calidam eleuantur ad caput faciendo sodam & eleuantur ad oculos faciendo obscuritatem visus. Causa pruritus, est ipsius virtus calida choleram acutam generans, quam postea natura expellit ad cutem faciendo pruritum.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta, & diligens informatio habita de eius quomodolibet assumptione.

PRAESERVATIO fit cum his, quę in vniuersali superius dicta sunt in 8 cap. primi libri, & specialiter etiam se cautè præcauendo ab eius qualitercunq; assumptione.

CVRA verò fit cum his, quę ex auctorum mẽtibus infra describam. Rasis 20 Continentis, cap. 2, Ait filius Patriarchæ: Qui comederit stelliones, inflatur lingua eius, & accidit ei arsura, soda, obscuritas visus & pruritus: Cura. ℞. Sisamum, helleborum, fructum xylocaratte, id est carobbam, saccarum an. & informentur cum butyro vaccino, & bibat lac recens, & liniat corpus eius butyro & balneetur. Auicenna quarto Canone, fen 6, tractatu 2: cap. de Stellione & alharbe: Caro stellionis mortifera est: & quando cadit in vino & moritur in eo & dissoluitur, fit illud vinum sicut venenum: & accidit illi qui ipsum bibit vomitus & dolor oris stomachi vehemens. Cura eius, est cura communis, & est sicut cura cantharidum. Plinius Secundus de Naturali historia libro 29, cap. de Medicinis ex scorpione & stellione: Scorpio stellionum veneno aduersatur: Fit enim ex stellionibus malum medicamentũ. Nam cum mortuus est in vino, faciem eorum qui biberint lentigine obducit. Remedium est oui albumen & mel ac nitrum.

De Harbe seu alharbe. Cap. IIII.

HArbe seu alharbe, serpens est quadrupes sicut stellio faciens oua, quem aliqui ponunt speciem esse lacertæ: aut fortè est lacertus siue lacerta, quæ etiam est serpens quadrupes similis stellioni, sed non est ita magnus nec ita viridis: lacertus autem est masculus, lacerta verò est fœmina. Oua verò alharbe & lacertæ, sunt alijs ouis consimilia, licet sint parua, & inter se sunt consimilia & eiusdem speciei.

NATVRA alharbe & natura lacerti, siue lacertæ sunt consimiles naturæ stellionis prædictæ in præcedenti cap. sed non sunt ita malæ. Natura verò ouorum alharbe seu harbe, & natura ouorum lacertæ, est etiam consimilis & fortè est eadem: quia remedia quæ Auicenna ponit pro cura assumptionis ouorum alharbe. Rasis auctoritate filij Patriarchę, ponit pro cura assumptionis ouorũ lacertæ, vt infra patebit. Est autem prædictorum ouorum natura venenosa valde, adeò vt, si post eorum assumptionem non subitò subueniatur, interficiant in vna hora.

ACCIDENTIA cõsequentia assumptionem qualitercunq; alharbe seu harbe aut lacerti siue lacertæ, sunt consimilia accidentibus consequentibus assumptionem stellionis prædictis in immediatè præcedenti cap. licet sint aliquantulum remissiora, & consimiles sunt eorum accidentium causæ. Accidentia verò consequentia assumptionem ouorum alharbe siue lacertæ, sunt plurimum sæuiora, ex quibus, nisi subueniatur subito, citissima mors consequitur: verùm specialiter ex comestione lacertarũ dicitur generari tineam: cuius causa sunt humores adusti, corrupti, generati ex lacertarum comestione ob earum virtutem adustiuam & venenosam.

SIGNA consequentia assumptionem cuiuslibet prædictorum, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de eorum assumptione.

PRAESERVATIO verò fit se cautè præcauendo ab assumptione cuiuslibet prædictorum.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus, statim infra describam, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Rasis 20 Continentis, cap. 2, Ait Filius Patriarchæ:

chæ: Oua lacertæ occidunt, nisi eis citò succurratur cum stercore falconis & vino: & postea prouoces vomitum cum nuce vomica & vngas corpus cum butyro vaccino, & comedat butyrum recens, sebesten & ficus siccas: & calefac corpus eius cum sale. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2: cap. de Potu animalis quod dicitur athab, id est lacertus: Signum eius potionis est, quia citò necat, & curatio ipsius est, quòd bibat ℥.i.s. de theriaca alfarot, id est theriaca magna cum aqua decoctionis anisi: & epithimetur stomachus cum aqua decoctionis mēthastri montani & folijs altenad, id est althææ, & accipiat ex hoc puluere. ℞. Aristolochiæ, foliorum alger, id est lauri, seminis rutæ an. kirat i. id est pondus quatuor granorum hordei cum aqua calida. Auenzoar secundo Teysir, tractatu 3, cap. de Tineositate: Et dicitur, quòd hæc ægritudo etiam generatur ex comestione lacertarum, & tunc cōfert valde sumere de theriaca magna à quarta parte aur. i. vsq; ad aur. s. ieiuno stomacho cum aqua tepida: & non comedat postea quousq; transeant horæ viij. Et proprietas lacertæ, est quòd si quis comederit eam vel biberit de aqua in qua fuerit mortua, magnum corpori infert nocumentũ. Et mihi cum essem in Marastam accidit hoc, quòd in aqua, quam bibebam, percipiebam odorem horribilem, & omni die mihi videbatur multiplicare: quare ordinaui & feci hominem quendam intrare puteum, ad videndum quid hoc esse posset, credens quòd aliqua reptilia intus cecidissent. Et ille quæsitor inuenit lacertas multas mortuas, pars quarum erat dissoluta, & pars non: vnde timens ne inde possem habere nocumentum, incepi bibere de theriaca, & recepi de ea pluribus vicibus: & sic euasi à nocumento gratia Dei. Et post longum tempus orta fuit mihi pustula ad modum granulæ super pũctam nasi. Et ego desuper posui de theriaca: eo quòd cognoui, quòd illud erat ex humore venenoso à natura inde expulso, qui quidem humor generatus fuerat ab aqua lacertarum prædictarum. Auicenna quarto Canone, fen sexta, tractatu secundo, cap. de Stellione & alharbe: Cura, est cura cōmunis, & est sicut cura cantharidum. De Lacerto: Cura: Sumantur sisamum, & xylocaracte Nabati, id est carobbe de prouincia seu patria Nabati, & saccharum æqualiter, & dentur in potu cum butyro vaccino: & oportet, vt detur in potu lac dulce. De Ouis alharbe. Cura: detur in potu stercus ancipitris in vino: deinde euomat vomitu integro. Et inungatur corpus eius cum butyro vaccino cocto: Et emplastretur caput eius cum sale: & cibetur ficubus siccis & oleo, & gentiana. Auerrois in libro de Theriaca: Prima causa propter quam inuenta fuit theriaca, fuit, vt curarentur per ipsam nocumenta venenorum quæ sunt in animalibus, sicut in lacerta, vel cane rabido &c.

De Salamandra. *Cap.* V.

SAlamandra est animal seu serpens lacertæ simile, quæ si ponatur in igne, & ibi paruo tempore moram traxerit, non læditur ab eo, & hoc cōtingit propter maximam spissitudinem cutis suæ: & non propterea quia sit animal frigidissimum, vt esse asserit Albertus Magnus 25 de Animalibus.

NATVRA eius, vt præcipuè asserit Dioscorides, est calida & sicca, & vulneratiua, & similis naturæ cantharidum prędictæ in primo cap. pręsentis libri.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem eius, sunt dolores vehementes in ano, & apostema sub hypocondrijs, & in ventre spasmus & retentio vrinæ & apostema seu inflatio linguæ, & prohibitio sermonis cum grossitudine, & destructio rationis & mollificatio & amissio motus membrorum, & priuatio gressus & inflatio per totum corpus, & tremor & nigredo corporis & putrefactio membrorum, seu partium corporis & carnis, & casus earum & depilatio capillorum, & fluxus humoris putridi cum accidit mors. Causa dolo-

rum vehementium in ano, est virtus ipsius vlceratiua & adustiua adurens humores & vlcerans anum. Causa apostematis sub hypocondrijs, est prẹfata eius virtus adurens humores & apostemans ac vlcerans hepar, aut splenẽ, aut membra circumadiacentia. Causa spasmi in ventre, & præcipuè spasmi de inanitione, est virtus eius vehementer adustiua & exiccatiua, & humiditatum cõsumptiua. Causa retentionis vrinæ, est virtus ipsius adustiua & vlceratiua vlcerans vias vrinæ. Causa apostematis seu inflationis linguæ, est virtus ipsius vlcerans linguam, ad quod accidit ipsius apostema seu inflatio, aut est descensus humiditatum à capite ad ipsam factus vi nimiæ caliditatis salamandræ illas dissoluentis seu liquefacientis. Causa prohibitionis sermonis cum grossitudine, est apostema seu inflatio linguæ. Causa destructionis rationis, est ascensus multorum vaporum ad cerebrum factus vi vehementis ipsius caliditatis. Causa mollificationis & amissionis motus membrorum & priuationis gressus, est liquefactio multarum humiditatum à cerebro, & descensus vaporum multorum, qui ad caput ascenderant conuersorum ad naturam eorum humorum à quibus vi ipsius salamandræ caliditatis ascenderãt, qui humores seu humiditates descendentes ad membra & eorum neruos, causant accidentia dicta. Et hæc eadem, est causa inflationis totius corporis, ad quam etiam concurrere potest resolutio caloris innati, ad quam accidit multiplicatio ventositatum in toto corpore & prohibitio digestionis in eo, & prohibitio resolutionis superfluitatum eius. Causa tremoris, est descensus præfatorum humorum siue humiditatũ descendentium ad musculos corporis causa præfata, propter quod membra concurrentibus eorum motibus voluntarijs & non voluntarijs tremunt. Causa nigredinis corporis, est resolutio & mortificatio caloris innati. Et eadem resolutio & mortificatio simul cum virtute salamandræ putrefactiua, est causa putrefactionis membrorum seu partium corporis & carnis, & est causa consequenter casus earum. Causa depilationis capillorum, est consumptio vaporum fumosorum viscosorum coagulatorum in porositatibus cutis existẽtium materia & radices capillorum, quæ nempe consumptio fit ab excessiua & adustiua caliditate salamandræ. Causa fluxus humoris putridi, cum accidit mors, est virtus ipsius putrefactiua & debilitas retentiuæ, quæ adueniente morte maximè peraugetur.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & diligens informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit se cautè præcauendo ab assumptione eius.

CVRA verò, similis est curæ cantharidum prædictæ in primo cap. prẹsentis libri. Quæ tamen pro eius cura specialiter ab auctoribus describuntur, statim infra describam. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Lacte. Lac recens, contrarium est venenis acceptis salamandram & buprestim bibentibus &c. istis lac bubulum prodest. De Oleo irino: Qui salamandram biberit acceptione istius euadet. Descriptio autem Olei irini, posita est superius in 62 cap. tertij lib. auctoritate Dioscoridis cap. prẹdicto. Albucasis secũda particula Azarauij tractatu 2, cap. de Potu salamãdrẹ: Curatio ipsius, est cũ vomitu ex aqua calida & oleo cõmuni & baurach, postea bibat lac calidũ, & sorbeat de granis pini excorticatis & tritis cũ melle vel sanguine anseris, aut sanguine hericij, cum modico aceti: & bibat modicum de kitran cum vino: & bibat brodium carnium vaccinarum pinguium & brodium cancrorum fluuialium: & sit potus eius in horis suis rob de vino, id est sapa, lymphatus: Et hæc erit perfecta curatio ipsius. Auicenna quarto Canone, fen 6, tractatu 2, cap. de Potu salamandræ: Cura eius, est communis & cura opij: & dentur in potu theriacæ plures, sicut alfarot, id est theriaca magna & Mithridatum & similia. Atius autem

tem almedum dixit quòd cura eius est cura illius qui accepit cantharides. Et de illis quæ approximant ei, est ut sumantur ammoniacum & gluten albotin, id est terebinthina: & sumantur de eis aut ambo cum styrace. Et confert ei aqua decoctionis chamæpyteos in qua decocta sunt grana pini parua, & folia cypressi & semen vrticæ, & bibatur cum oleo oliuæ. Et similiter conferunt oua testudinis marinæ & ranæ coctæ cum calamento.

Plinius Secundus de Naturali historia, libro vigesim. capite de Ruta, Quęcunque autem ruta ualet contra cantharides ac salamandras, &c. Lib. 22, capite de Vrtica, Semen eius siccum contrarium esse affirmat Apollodorus salamandris cum iure coctæ testudinis. Libro 23, capite de Sapa, Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit, ex albo hoc melius vsus contra salamandras, &c. Capite de Oleo: Oleum contra salamandras per se potum redditumque vomitionibus ualet. Libro 28, capite de medicinis ex lactis vsu: Datur cantharidum aut salamandrę uenenis.

Libro 29, capite de Salamandra: Inter omnia uenenata salamandræ scelus maximum est: cætera enim singulos feriunt, nec plures pariter interimunt, vt omittam, quòd perire conscientia dicuntur homine percusso, neque amplius admitti ad terras. Salamādra populos necare pariter improuidos potest. Nam si arbori irrepserit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ederint necat, &c. Tamen talis ac tanta vis veneni à quibusdam animalium, ut suibus, manditur, domante eadem illa rerum dissidentia. Venenum eius extingui primum omnium ab his quæ vescuntur illa, verisimile est. Libro 32, capite de medicinis ex testudinibus marinis: Testudinum marinarum carnes admistæ ranarum carnibus, contra salamandras præclarè auxiliantur. Capite de remedijs ex ranis marinis & rubetis contra venena: Ranarū marinarū ex vino & aceto decoctarū succus bibitur contra salamandras. Fluuiatilis si carnes edātur iusue decoctarum sorbeatur, prosunt & cōtra serpentes supradictas. Pet. de Abano in tractatu de Venenis capite de Salamandra data: Ille qui biberit salamandram patietur accidentia cantharidum. Et eius cura, & bezaar sunt vna & eadem.

De Ranis Cap. VI.

RANARVM species quatuor principaliter esse ponuntur ab autoribus. Quædam nanque est rana lacualis, seu in aquis dulcibus degens, & hæc est uiridis. Quædam uerò est rana marina, in mari seu in aquis salsis degens, & hæc communiter est rubea, seu rubedini attinens. Quædam uerò est rana uocata rubeta, quæ ideò uocatur rubeta, quòd frequenter in rubo moratur, & aliquando in harundineto. Quædam uerò rana ponitur esse citrina, & ista moratur in campis. Quælibet tamen rana cuiuscunque prædictarum quatuor specierum est animal quadrupes.

NATVRA ranarum cuiuscunque speciei, est frigida valde, & venenosa: habēt autem aliquas alias virtutes, quas in proposito non expedit referare.

ACCIDENTIA consequentia earum assumptionem seu deglutiantur seu qualitercunque aliter assumantur, sunt obfuscatio coloris ad citrinitatem tendens, apostematio corporis secundum semitam mollicíei, tumefactio ventris, velut tumefit in hydropico, mollificatio, difficultas anhelitus, & quandoque spasmus, aut tetanus, nausea, vomitus, adustio in gutture & ore, tenebrositas oculorum, vertigo, permistio rationis, fœtor oris & anhelitus, & quandoque solutio ventris dysenterica & mordicatio in corpore & stomacho, & syncope, & quandoque expulsio seu egressio spermatis inuoluntaria, & casus pilorum & dentium, & nigredo corporis, seu terreitas eius. Causa obfuscationis coloris ad citrinitatem tendentis, est infranctio corporis, & oppilatio viarum ab

hepate ad chiſtim fellis facta ab humoribus phlegmaticis groſſis generatis, propter debilitatē pręſertim digeſtiuæ hepatis factam ab exceſsiua & venenoſa frigiditate ranarum, propter quam equidem infrigidationem corporis, obfuſcatur color eius, & propter oppilationē prędictam tranſit cholera ſimul cum ſanguine, faciens præfatum colorem ad citrinitatem tendere. Cauſa efficiens apoſtemationis corporis ſecundum ſemitam mollitiei, eſt debilitas digeſtiuæ hepatis immediatè, & mediatè ſtomachi, facta ab exceſsiua ranarum frigiditate venenoſa, propter quam accidit præfata corporis apoſtematio, ſicut accidit in hypoſarca. Cauſa verò materialis, eſt phlegma loco ſanguinis generatum ob præfatam debilitatem digeſtiuæ hepatis & ſtomachi, & hæc eadem eſt cauſa tumefactionis ventris velut in hydropico, aſclitico, & tympanitico. Cauſa mollificationis, eſt phlegma aquoſum generatum ob præfatam ſtomachi & hepatis digeſtiuæ debilitatem cõmunicatum nuce ac neruis prohibens ſpiritus ſenſitiuos & motiuos ad membra tranſire. Cauſa difficultatis anhelitus, eſt tumor ventris comprimens diaphragma & conſequenter anhelitũ difficultans. Poſſet etiam eſſe cauſa phlegma præcipuè groſſum cõmunicatum muſculis pectoris, propter cuius præſentiã præfati muſculi prohiberentur à debito dilationis & cõſtrictionis motu neceſſario facili anhelitui. Cauſa quandoq; ſpaſmi, & tetani eſt phlegma præcipuè groſſum communicatũ neruis & muſculis, generatũ ob ſupradicti ſtomachi & hepatis digeſtiuæ debilitatem. Cauſa nauſeæ, eſt phlegma generatum cauſa prædicta, quod à natura tranſmittitur ad ſtomachũ tanq; ad ipſius lacunam, & idẽ phlegma poteſt eſſe cauſa vomitus, cuius etiã vomitus poteſt eſſe cauſa cholera, quę ad ſtomachũ trãſmittitur propter oppilationẽ factã inter chiſtin fellis & hepar. Cauſa aduſtionis in gutture & ore, eſt cholera, quę propter præfatam oppilationẽ tranſmittitur ad ſtomachũ & cõſequenter ad guttur, & os faciẽs in ipſis aduſtionẽ. Cauſa tenebroſitatis oculorũ & vertiginis, ſunt vapores ſeu fumi aſcendentes ad cerebrũ, & cõſequenter ad oculos qui ob debilitatẽ cerebri & oculorũ factam præcipuè ab extinctione caloris innati, nõ poſſunt ab eis reſolui. Cauſa permiſtionis rationis, ſunt prædicti fumi ſiue vapores ad cerebrũ aſcendentes. Cauſa fœtoris oris & anhelitus, ſunt vapores corrupti qui præcipuè à ſtomacho & à pulmone ad os eleuantur. Cauſa quandoq; ſolutionis vẽtris dyſentericæ & mordicationis in corpore & ſtomacho, eſt cholera, quæ propter oppilationẽ factã inter hepar & chiſtin fellis tranſmiſſa ad ſtomachũ facit mordicationẽ in ſtomacho, & tranſmiſſa conſequenter ad inteſtina facit diſſolutionẽ dyſentericam & tranſmiſſa per corpus facit mordicationẽ in corpore: ſicut quandoq; accidit in icteritia. Cauſa ſyncopes, eſt ſuffocatio ſpirituum & caloris naturalis à materia multa multiplicata per viam indigeſtionis. Cauſa expulſionis ſeu egreſsionis ſpermatis inuolũtarie eſt ſpaſmus lacertorũ ſeruientiũ vaſis ſpermaticis ad quorũ ſpaſmũ ſiue cõtractionẽ inuoluntariã, ſequitur expreſsio ſpermatis inuoluntaria. Poſſet etiam eſſe cauſa paralyſis ſeu mollificatio dictorũ membrorum, aut debilitas retẽtiuę, propter quã ſequeretẽ egreſsio ſpermatis inuoluntaria. Cauſa caſus pilorũ, eſt priuatio ſeu paucitas vaporis fumoſi, viſcoſi, qui eſt materia eorũ ob frigiditatẽ inductã in corpore. Cauſa caſus dentiũ, eſt mollificatio ligamentorum eorũ, aut defectus nutrimẽti eorũ. Cauſa nigredinis ſeu terreitatis corporis, eſt mortificatio caloris innati à nimia & venenoſa ranarũ frigiditate.

SIGNA aſſumptionis earum, ſunt accidentia prænarrata, quamuis non ſemper omnia accidant, vt etiam de alijs in quibuſdam capitibus ſuprà dixi.

PRAESERVATIO fit cautè ſe cuſtodiendo ab aſſumptione earum & bene ſe præcauendo à potu aquarum groſſarum vbi ipſa conuerſantur & præcipuè exiſtentium in vaſis obſcuris.

CVRA verò fit cum his quæ ex autorum mentibus ſtatim infrà deſcribam

ribus in proprijs capitibus describuntur. Dioscorides in libro de Simplicibus capite de Sanguine: Testudinis marinæ sanguis cum vino bibitus, & cum coagulo leporino, & cum cymino his prodest qui biberunt. Macer in libro de Simplicibus capite de Artemisia:

Dicitur & cunctis nocuis obsistere ranis,
Succus ad hoc eius cum vino proderit haustus.
Si musto contrita recens seruabitur herba:
Vinum prædictis reddit medicabile morbis.

Rasis 20. Continentis cap. 2. Ait Galen. in lib. de Venenis. Si quis comedat ranas & bufones seu bottos, corpus eius tumefit: & accidit ei color terreus & inuoluntaria emissio spermatis et fœtor oris. Cura eius est prouocare vomitum frequenter cũ aqua calida & oleo, & multiplicare in ipso ambulationem, sudorem & balneum. Rasis 8. Almansoris, cap. de His quibus ranæ lacuales vel fluuiales datæ fuerint: Patientes multoties vomere sunt cogendi, donec scilicet mundificentur. Post vomitum & ventris fluxum, balneum ingrediantur, in quo tantam faciant moram vt bene in sudorẽ corpus resolui possit: dein de electuarium diacurcuma maius & dialacca detur. Quòd si illud perducit eos ad corruptionem complexionis ex eis, quæ in suo capite scripta sunt, curentur. Albucasis 2. particula Azarauij, tractatu 2. cap. de Potu raniculę aquaticæ: Curatio eius est, quòd euomat cum his quę diximus: deinde bibat vinum purum & bibat lac vaccinum, & exerceat ambulationem & cursum & ingrediatur balneum & vngatur cum oleo de kerua, & cum hoc curabitur. Auicenna 4. canone, fen. 6. cap. de ranis lacualibus, viridibus, & marinis rubeis. Cura: Euomat cum oleo & aqua calida, aut cum vino plurimo, & multum vtatur exercitio. Et appropinquetur balneo & tinnæ calidę & inunctioni cum oleis calidis: & confert ei diacurcuma, & omne quod confert hydropici: & confert ei vinum plurimum & pondus ʒ. iij. (al. iiij.) radicis harundinis, & similiter cyperus & calamus aromaticus cum vino. Capite de Ranis citrinis. Cura proxima est curæ ranarum lacualium & marinarum.

Plin. Secundus de Naturali hist. lib. vigesimo quinto cap. de Cynoglossa: Eius radix pota ex aqua ranis & serpentibus aduersatur. Capite de Alismate. Vsus in radice vtriusque generis alismatis aduersus ranas & lepores marinos drachmæ pondere in vini potu. Capite de artemisia. Artemisia ex vino traditur pota aduersus ranas. Lib. 28. de quibusdam sortilegijs, & de saliua hominis: Marcion Smyrnæus, qui de Simplicibus effectibus scripsit, rumpi scolopendras marinas sputo tradit: Item rubetas aliásque ranas. Libro trigesimo secundo, capite de Medicinis ex testudinibus terrestribus: Sunt ergo testudinum genera terrestres, marinæ, lutariæ, & quæ in dulci aqua viuunt. Terrestrium carnes contra venena salutares produntur, plurimæ in Africa. Hæ ibi amputato capite pedibusq́ pro antidoto dari dicuntur, & iure in cibo sumptæ. Et contra serpentium omnium & araneorum & similium ac ranarum venena auxiliantur sanguine seruato in farina pilulis factis, & cum opus sit in vino datis. Capite de Remedijs ex ranis marinis et rubetis contra venena: Ranarum marinarũ ex vino & aceto decoctarũ succus contra venena bibitur, & cõtra ranæ rubetę venenũ. Fluuiatiles si carnes edantur iúsue decoctarũ sorbeatur, prosunt cõtra serpentes supradictas. Sunt quæ in vepribus tantùm viuũt: ob id rubetarũ nomine, vt diximus, quas Græci phrynos uocant, grandissimæ cunctarum, geminis veluti cornibus plenę veneficiorum. Mira de his certatim tradunt autores. Contra venena quæ fiant ex ipsis auxiliantur. Capite de cancris contra venena. Cancri fluuiatiles triti potique recentes ex aqua seu cinere asseruato contra venena omnia prosunt. Eadem vis contra venenatorum o-

mnium morsus priuatim contra leporem marinum, ac ranam rubetam.

Gulielmus de Placentia 3 suę Practicę parte secunda. cap. 10. Cura ranarum est vt euomat cum oleo & aqua calida, aut vino plurimo, & vtatur diacurcuma, et omni re conferente ad hydropisim, & vino propriè & rebus assatis & calamo aromatico & cyperis cum vino, et vtatur exercitio & vnctionibus cum oleis calidis, vt oleo de spica & theriaca maiori cum vino decoctionis cyperi. Petrus de Abano in tractatu de Venenis capite de lepore marino & rana marina datis. Eius cura est festinus vomitus cum butyro & aqua mellis, deinde sumere post illud theriacam diatesseron per tres dies, & cibari carnibus passerinis, & potare bonum vinum. Et eius bezaar est caro uulpis assata & comesta.

De Bufone Cap. VII.

BVfo seu bottus animal est quadrupes, sicut rana, sed est maius, & habet ventrem magnum & pellem durissimam, adeò vt magnos sustineat ictus absque læsione, & reperitur diuersorum colorum, magis tamen reperitur cinericei vel terrei coloris tendentis ad citrinitatem vel viriditatem obscuram, cuius venter, cùm irascitur præcipuè, intumescit valde, & postea expirat acrem commistum vaporibus venenosis. Botrax verò seu borax, est species bufonis, & est coloris fusci & magnæ quantitatis, adeò vt aliquando præcipuè in terris calidis reperiatur quantitatis cubitalis. De cuius specie reperiuntur aliqui ferentes lapidem vnum in fronte, qui botrax seu borax à quibusdam lapidarijs nuncupatur, & est lapis qui diuersorum colorum reperitur, & dicitur multas habere virtutes, propter quem lapidem animal ipsum occiditur. Sanguis verò cuiuslibet prædictorum animalium quid sit, omnibus notum est.

NATVRA bufonis seu botti & natura botracis seu boracis est similis naturæ ranarum prædictæ in immediatè præcedenti capitulo: verùm specialis natura sanguinis vtriusq; animalium prædictorum, est magis venenosa quàm natura carnium eorum, et natura sputi eorum, est adhuc magis venenosa quàm sit natura sanguinis eorum, & natura vaporum eorum cum aere expulsorum per eorum expirationem, præcipuè cùm irati sunt, est stupefactiua.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem cuiuslibet prędictorum, sunt similia accidentibus consequentibus assumptionem ranarum prædictis in immediatè præcedenti capite. Et consimiles sunt eorum accidentium causæ: verùm accidentia consequentia assumptionem sanguinis cuiuslibet prædictorum, sunt sæuiora, & accidentia consequentia assumptionem sputi, sunt adhuc magis sæuiora, adeò vt ponatur interficere vt napellus. Accidens verò principaliter consequens assumptionem vaporum cum aere à prædictis animalibus expulsorum, præcipuè cùm irati sunt, est stupor. Cuius equidem stuporis causa, est excessiua frigiditas præfatorum vaporum. Et ego dum nuper à Bononia doctoratus in medicina accessi Pisaurum, vidi quendam iuuenem, qui interfecerat quodam lanceoto quendam magnũ bufonem, qui nulla præuisione vtens deuenit ad stuporem totius corporis, adeò vt steterit duobus diebus protinus absq; pulsu, & si tunc sciuissem quæ nunc scio, existimo quòd indubiè curassem eum.

SIGNA assumptionis cuiuslibet prædictorum, sunt accidentia prænarrata & informatio habita de eorum assumptione.

PRAESERVATIO fit cautè se pręcauendo ab assumptione cuiuslibet prędictorũ, aduertendo ꝙ si quis voluerit prædictorũ aliquod interficere, primò ipsum aqua perfundat: postea proijciat desuper copiosè multum de sale trito: quoniã iuxta Alb. Magnũ 26 de Anim. præfatũ animal crepabit & cõsumetur

usq;

vsque ad ossa. Insuper quòd præfata animalia multum saluia delectantur & & in locis ipsius commorantur, & rutam maximè fugiunt. cautela est morari in locis vbi ruta sit, et euitare loca syluestria præcipuè vbi saluię copia adsit, nisi fuerit ruta commista cum illa: et portare rutam, & præsertim in ore integram uel masticatam præseruat præcipuè ab aere eorum vaporibus venenosis admisto. Et similiter pręcomedere de ipsa, vel praassumere de theriaca. Insuper fugiendum est à quolibet prædictorum, cùm venter eorum appareat tumefieri: tunc nanque intendunt vapores venenosos cum praassumpto aere expellere expirando.

CVRA assumptionis cuiuslibet prædictorum similis est curę ranarum pręscriptæ in immediatè præcedenti capite. Quę tamen particulariter pro eorum assumptionis cura ab autoribus describuntur immediatè subscribam.

Rasis 20 Continentis cap. 2. Ait Gal. in lib. de Venenis: Si quis comedat ranas & bufones siue bottos, corpus eius tumefit & accidit ei color terreus & inuoluntaria emissio spermatis & fœtor oris. Cura eius, prouocare vomitũ frequenter cum aqua calida & oleo, & multiplicare in ipso ambulationem, sudorem et balneum. Plinius Secundus de Naturali historia lib. 32. cap. de Remedijs ex ranis marinis et rubetis contra venena. Sunt quæ in vepribus tantùm viuunt, ob id rubetarũ nomine, vt diximus, quas Græci phrynos, vocant, grandissimę cunctarum, geminis veluti cornibus, plenæ veneficiorum. Mira de his certatim tradunt autores. Contra venena quę fiant ex ipsis auxiliantur. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis cap. de Sanguine & sputo bufonis datis. Eius cura est potio smaragdi ℈. 1. deinde intrare corpus animalis quadrupedis magni, vt est bos, asinus, mulus, vel equus: et reiterare illud, deinde bibere theriacę ʒ. ij. Et eius bezaar est lapis inuentus in capite bufonis, qui apud lapidarios vocatur borax & vulgariter tripanide. Christophorus de Honestis in suis problematibus de venenis, problemate de veneno botracis. Nocumentum veneni botracis curatur cura generali stuporis, saluo, quòd cum omnibus medicinis assumendis debet componi virtus rutæ. Et de bonis medicinis ad hoc sunt theriacæ valentes ad puncturam scorpionis datæ in potu cum vino albo, subtili, fumoso decoctionis rutę: & similiter cõfectio anacardina eodem modo bibita valet, & diacostum: et huius veneni bezaar est ruta.

De Piscibus frigidis. Cap. VIII.

PIscium frigidorum quiditas omnibus nota est. Connumerantur autem ab autoribus inter venena, non intelligentibus absolutè de omnibus piscibus frigidis, quia falsum esset nobis, ut sic loquar, quotidie vtentibus ipsis absque aliqua læsione, verùm intelligunt de piscibus natura frigidis, humidis et viscosis, præcipuè aquarum stantium et stagnorum nõ exercitatis, qui primò ante eorum decoctionem steterint occisi per vnũ vel duos dies, postea decocti et præcipuè assati fuerint, & statim post cooperti seu suffocati, deinde repositi in loco humido vel humoroso frigido, & post eorum repositionem per vnum vel duos dies fuerint comesti: de quorum numero sunt anguillę, tenchę, et con similes acquirentibus ipsis exinde quendam putrefactionis seu venenositatis modũ, propter quem ex eorũ assumptione sequuntur accidentia infrà scripta.

NATVRA eorum similis est naturæ fungorum perniciosorum suprà dictæ in 63 capite tertij libri.

ACCIDENTIA uerò, sunt etiam accidentibus perniciosorum fungorum assumptione consequentibus consimilia: & consimiles sunt eorundem accidentium causę, & consimilia etiam sunt eorum assumptionis signa. verùm diligens informatio habita distinguere facit signa assumptionis fungorum perniciosorum & piscium præfatorum.

PRAESERVATIO verò & cura consimiliter, est consimilis præseruationi & curæ fungorum perniciosorum. Quæ tamen ab autoribus specialiter pro eorum assumptionis cura dicuntur, statim infrà describam: aduertendo tamen quòd pyra, quæ pro præseruatione & cura assumptionis fungorum perniciosorum ab autoribus collaudantur, non sunt vtilia pro præseruatione & cura assumptionis piscium prædictorum, propterea quòd pyra à proprietate solùm ponuntur id agere, quę nempe proprietas malitię & venenositati malorum fungorum & non præfatorum piscium aduersatur. Rasis 8 Almansoris cap. de comestione piscium frigidorum. Cùm pisces assantur & infrigidati in loco steterint humoroso, & sequenti die comesti fuerint, sæua accidentia, quæ ex malorum fungorum comestione solent euenire, accident. Is igitur cui, talia euenerint accidentia, vomere cogendus est: deinde vinum cum pipere ei dandum. Et ad vltimum ex medicaminibus eorum, qui fungos perniciosos sumpserunt, est curandus. Rasis in Diuisionibus cap. 143. s. de Remedijs venenorum: Et pisces frigidi cùm superueniunt eis vnus dies aut duo & sunt assati, faciunt simile illi, supple, quod accidit ex comestione assaturæ, quæ inuoluitur cum extrahitur ex furno in aliqua re, & non permittitur euaporare parumper cùm dimittuntur in loco humoroso frigido & sunt suffocati, & accidit ex eis sicut illud quod accidit ex fungorum perniciosorum comestione. Et cura eius est vt euomat & sumat in potu vinum purum cum pipere, & curetur cura fungorum. Albucasis 2 particula Azarauij tractatu 2. ca. de Comestione piscium assatorum frigidorum: Signum comestionis illorum post cōseruationem ipsorum per vnum diem & in loco humido est, quoniam contingit ex ipsis quod contingit ex comestione fungorum mortiferorum, suffocatio videlicet, &c. Et curatio ipsius est quòd vomat: deinde bibat vinum cum pipere: & curetur curatione comestionis fungorū. Auic. 4 ca. fen. 6. tra. 2 ca. de piscibus frigidis. Ex piscibus frigidis & propriè positis in loco humido, accidūt accidētia fungorū, et quandoq; nō apparet aliquid vsq; ad diem 1. aut 2. Cura eorum est mundificatio, & reliqua cura fungorum. Plin. Secundus de Naturali hist. lib. 32 cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: In summa, cōtra omnia venenata, vel potu, vel ictu, vel morsu noxia, succus earum, s. carnium stellarū marinarum è iure decoctarum, efficacissimus habetur. Sunt & seruatis piscibus medicinę. Halyabas in Regali dispositione 4 practicę cap. de Eius medicina qui assum aut piscem comedit corruptum: qui uerò comedit piscem qui vnius diei est & frigidus coopertusq; fuerit cū camino extractus est, accidit ei quòd & fungos comedenti. Ideoq; cum melle & sale ac calida aqua vomitus accelerandus est, deturq; vini meri modicum cum pipere aut aristolochia vel socrita i. sagzenea, aut musci medicamen, i. diamuscus iuxta quod opus intellexeris cum aqua in qua cyminum fautenegumq; montanum, i. origanum mōtanum decoxeris. Guliel. de Placentia 3 suæ practicæ parte 2, cap. 12. Ex piscibus frigidis & positis propriè in loco humoroso accidunt accidentia fungorum &c. Cura est eadem cum cura fungorum & specialiter sumere theriacam cum vino & pipere, vel pilulas fœtidas, vel puluerem ipsarum cum vino & melle. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis capite de piscibus frigidis, &c. Cura eorum est vt vomat, & sumat in potu vinum purum cum pipere & curetur cura fungorum præterquàm quòd non comedat pyra.

De Assaturis suffocatis. Cap. IX.

ASsaturas suffocatas intelligunt autores, omnia animalia assata, seu carnes eorum, quæ statim post remotionem ab igne cooperiuntur & pannis optimè reuoluuntur reuolutionibus pluribus.

Natu-

NATVRA earũ calida est & acuta, mordicatiua, & venenosa.

ACCIDENTIA consequentia earum assumptionem, sunt accedentia colericæ passionis & specialiter tristitia, nausea, vomitus, fluxus ventris, defectus rationis seu intellectus, vertigo, profunditas somni quandoq;, & aliquando syncope, & mors. Causa accidentium coliricę passionis, sunt vapores & humores adusti ob earum caliditatem acutam, mordicatiuã, & venenosam, conuersi ad naturam choleræ, quæ communiter est causa coliricæ passionis. Causa tristitiæ, nauseæ, & vomitus, sunt aliquæ earum partes igneæ, adustæ, venenosæ, stomachum molestantes & mordicantes, & consequenter contristantes. Causa fluxus ventris, sunt præfatæ earum partes igneæ, adustæ, mordicantes intestina & consequenter excitãtes expulsiuam eorum. Causa defectus rationis seu intellectus, qui post vnum vel duos dies aliquando de per se redit, sunt vapores mali, adusti, ad cerebrum eleuati, qui post vnum vel duos dies aliquã do de perse à naturali cerebri calido resoluuntur. Causa vertiginis, sunt vapores prædicti à cerebro descendentes ad oculos se reuoluendo. Causa profunditatis somni seu subetię, quandoq; sunt vapores grossi, qui simul cum vaporibus adustis ascendunt ad cerebrum, qui post resolutionem dictorum vaporum adustorum in cerebro remanent. Causa syncopes & aliquando mortis, est resolutio nimia spirituum facta ab acuta, & venenosa præfatarum assaturarum caliditate.

SIGNA assumptionis earum, sunt accidenia prænarrata, & informatio habita de earum assumptione.

PRAESERVATIO fit ordinando semper quod omnia assata aliquanto tempore discooperta remaneant, & postea cum cooperiuntur non reuoluantur pannis nec coopertorijs totaliter sigillantibus.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus statim infra describã, subueniendo accidentibus consequẽtibus cum ijs, quæ ab auctoribus in proprijs eorum capitibus describuntur. Rasis 20 Continentis cap. secundo: Ait Iudæus, Contra assata, quæ cooperiuntur, prouoca vomitum: postea sumat terram sigillatam. Rasis 8 Almansoris cap. de Assaturis suffocatis: Succurre cito & fac eum vomere multis vicibus. Et postquàm eum purgaueris da ei miuam & schœnãthum & vinum bene odoriferum cum succo cydoniorũ & malorum. Quòd si vomitus aut multus vẽtris fluxus acciderit, ex medicinis colericæ passionis ipsum cura.

Rasis in Diuisionibus cap. 143 s. de Remedijs venenorum: Quandoq; accidit ex comestione assaturæ, quæ inuoluitur cum extrahitur ex furno in aliquare & non permittitur euaporare parumper vertigo similis epilepsiæ. Euomat ergo, deinde sumat in potu rob fructuum acetosorum: & dentur deinde rob fructuum stipticorum & mumia: deinde saccharum rosaceum cum xyloaloes Indo .i. ligno aloes Indo & mastiche, & quęrat somnũ & ingrediatur balneum. Albucasis secunda particula Azarauij tractatu secundo cap. de Comestione alicuius assati quod fuit coopertum dum fuit calidum: Curatio ipsius est quòd vomat in sui principio sæpe, postea bibat syrupum de cydonijs, & quæ dicitur miua, vel vinum aromaticatum cum cydonijs & pomis. Et si superuenit ei vomitus aut fortis ventris solutio, curetur curatione lyenteriæ.

Auicenna 4 canone, fen 6 tractatu secundo, cap. de Assaturis suffocatis: Cura: euomat, & dentur in potu miua & almessus & vinum odoriferum cum succo cydoniorum & malorum: & terra sigillata est bona ei post vomitum: & curetur eius colirica passio. Halyabas in Regali dispositione 4 Practicæ cap. de eius medicina qui assum aut piscem comedit corruptũ. Accelerãdus est illi vomitus cum calida aqua & squingibin .i. oxymelle ac sale, stomachumq; pur-

get abinde post, quod aliquid vini accipiat ribani, aut aliquid miuæ recentis, aut syrupum pomorum optimum, balneumq́ ingrediatur: & infusionẽ aquæ calidæ super corpus frequentet ventremq́. Quòd si acciderit huic vẽtris perturbatio, cura perturbationis adhibeatur. Guilielmus de Placentia. 3. suæ Practicæ, parte secunda, cap. 12. §. de piscibus frigidis & assatis suffocatis &c. Cura fiat, vt dictum est in passione colirica, calida, & frigida: & fiat vomitus cum aqua calida & oleo, & sumat post vomitum theriacam cum rob vel syrupo cydoniorum vel de agresta, & terra sigillata cum eisdem syrupis, est bona valde, & eius theriaca similiter. Et cibetur iuribus pinguibus auium & gallinarum, & bibat rob de cydonijs vel de granatis seu de berberis cum aqua decoctionis cyperi.

Petrus de Abano in tractatu de Venenis cap. de Assatura suffocata: Eius cura est euomere: & postea sumat in potu rob fructuum stipticorum & saccharum rosaceum cum xyloaloes & mastiche, & quærat somnum & ingrediatur balneum. Christophorus de Honestis in suis problematibus de venenis, problemate de assaturis suffocatis. Bezaar huius veneni, est semen coriandri assatum.

De Bupresti. *Cap.* X.

BVprestis ab aliquibus bupristes dicitur. Est autem iuxta Galen. vndecimo de simplici medicina, genus quoddam animalis simile cantharidibus secundum formam & virtutem. Buprestim etiam vocat Plinius quandam herbam, quæ, quamuis à Græcis in cibo laudetur, tamẽ est venenum, de quo præsentialiter non est sermo.

NATVRA buprestis animalis, vt prædixi, auctoritate Galeni, similis est naturæ cantharidum supradictæ in primo cap. præsentis libri.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius consequentia cæteris paribus etiam sunt similia accidentibus consequentibus assumptionem cantharidum. Et consimiles sunt eorum accidentium causæ. Et consimilia sunt eius assumptionis signa præter quàm quòd informatio habetur de eius assumptione et nõ de assumptione cantharidum. Et consimilis est præseruatio & cura. Quæ tamen spiritualiter pro eius assumptionis cura dicuntur, infra describam. Dioscorides in libro de Simplicibus cap. de lacte Buprestim &c. bibentibus istis lac bubulum prodest. Plinius Secundus de Naturali historia libro. 23. cap. de Mustis: Mustum omne priuatim contra buprestim valet ex oleo potum redditumq́ vomitionibus, ad omnia infirmius album. Cap. de Sapa: Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit, ex albo hoc melius: vsus contra cantharidas, buprestim &c.

Cap. de Oleo: Omni autem oleo mollitur corpus & omnia venena hebetat. Contra cantharidas, buprestim &c. per se potum, redditumq́ vomitionibus. Cap. de oleo myrteo: Oleum myrteum aduersatur cantharidi, bupresti, alijsq́ malis medicamentis quę exulcerando nocent. Cupressinum, id est de alcanna oleum eosdem effectus habet quos myrteum. Libro. 28. cap. de Medicinis ex leporibus. Capræ auxiliatur lardum iusq́ decocti potum his qui buprestim hauserint. Libro. 29. cap. de Remedijs aduersus omnia mala medicamenta & venena. Pollet lac ouium candidum præsertim qui in cibis buprestim aut aconitum biberint. Libro. 31. cap. de Medicinis & obseruationibus ex nitro. Nitri probatio, vt sit tenuissimum, & quàm maximè spongiosum fistulosumq́. Succurrit, si buprestis ex pasta sit ex aqua, vomitionésq́ euocat.

De Papilione. Cap. XI.

PApilio seu campalio, est vermis, volans vt plurimum coram luminibus lucernarum & quandoq; candelarum, adeò vt quãdoq; alas suas comburat, & est plurium colorum: quidam nanq; est in alis sicut purpura, quidam est albus, quidam est hyacinthinus, & quidam est aliqualiter rubeus.

NATVRA eius est venenosa.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius præsertim in notabili numero, sunt valde mala: verùm qualia sunt ab auctoribus non asseritur. Causæ accidẽtium eius assumptionem in notabili numero consequentium, sunt ipsius mala complexio, & venenosa proprietas.

SIGNA assumptionis eius in quantitate notabili, sunt accidentia mala, & informatio habita de ipsorum assumptione.

PRAESERVATIO iuxta Rasim 20 Continentis cap. 2 auctoritate Democriti, fit apponendo crines equi in porta cameræ vel illius loci in quo vermes præfati capi debent: non enim, vt asserit, sic faciendo intrabunt cimices, neq; campaliones. Et similiter facere asserit auctoritate prædicta fumum nigellæ aut cicutæ & cautè se præcauendo ab eorum assumptione.

CVRA assumptionis eorum, est cura communis supra descripta in nono cap. primi libri. Plinius verò Secundus de Naturali historia lib. 28 cap. de Remedijs ad morsus bestiarũ & ad venena specialiter pro eius assumptionis cura sic inquit: Papilio quoq; lucernarum luminibus aduolans inter mala medicamenta numeratur. Huic contrarium est iecur caprinum, sicut veneficijs ex mustella rusticorum factis.

De Sanguisuga Cap. XII.

SAnguisugæ quiditas nempe omnibus nota est. Serpentium verò quiditates & cæterorum animalium venenosorum libro sexto, septimo, & octauo inferius sub compendio describentur.

NATVRA sanguisugæ quadam venenositate participat: quædã tamen sanguisuga maiori venenositate participat, vt præsertim illa quæ est magni capitis & coloris nigri cum filis diuersorum colorum & præcipuè coloris azurij lanuginem habens & habitans in aqua mala fœtente, cuius aluei limus est niger & cœnosus, qui motus statim aquam facit turbidam & fœtẽtem. Quędam vero minori venenositate participat, vt sunt illæ quæ sunt minutæ similes caudæ muris parua habentes capita & præcipuè habentes ventrem rubeũ, & dorsum viride & morantes in aquis currentibus. Natura aũt propria sanguisugæ, est sanguinem sugere: vnde & nomen assumpsit. Natura serpentis viui præsertim & alterius animalis venenosi diuersificatur secundum diuersitatem naturarum serpentium & aliorum animalium venenosorum, de quibus specialiter inferius faciam mentionem in sexto, septimo, & octauo præsentis libri tractatu.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem seu deglutionem sanguisugarum, sunt tristitia & angustia & sputum sanguinis. Accidentia verò consequentia assumptionem alicuius serpentium seu aliorum animalium venenosorum & præcipuè viuorum, sicut audiui aliquando cõtigisse dormientibus ore aperto in locis cãpestribus & syluestribus, sunt similia accidẽtibus consequẽtibus morsuras seu pũcturas eorũ infra descriptis in sexto, septimo, & octauo libris, & adhuc sæuiora præcipuè cum assumuntur viua. Causa tristitiæ & angustiæ consequentis assumptionẽ & præcipuè deglutionem sanguisugę viuę, est resolutio caloris naturalis & spirituũ facta ob sanguinis fluxũ, & ob ipsius sanguinis pro parte ad stomachum vel intestina descẽdentis postea corruptionẽ

& ob sanguisugæ venenositatem derelictam in loco morsuræ eius. Causa sputi sanguinis, est vulnus ex ipsius morsura factum in gutture. Causæ autem accidentium consequentium assumptionem alicuius serpentium seu aliorum animalium venenosorum, sunt consimiles causis accidentium consequentiũ morsuras seu puncturas eorum infrascriptis in sexto, septimo, & octauo libris.

SIGNA assumptionis alicuius animalium prædictorum sunt accidentia prænarrata & informatio habita de eorum assumptione & aliquando visio in gutture sanguisugæ ipsi gutturi inhærentis.

PRAESERVATIO fit cautè se præcauendo à potu aquarum & aliorum potabilium turbidorum, & pręcauendo à dormiendo ore aperto & præmuniendo se fugãtibus animalia venenosa, de quibus in sequentibus libris faciam mentionem.

CVRA verò præsertim deglutionis sanguisugæ & alicuius serpentis viui per os præcipuè ingredientis præsertim, cum ignoratur cuius speciei fuerit serpens ille, fit cum his quæ ex auctorum mentibus infra describam & cum his quæ in quinto libro immediatè sequenti scribentur. Si verò sciretur serpentis seu alterius animalis venenosi species sumpti viui vel mortui vltra ea cũ quibus curam fiendam esse prædixi, curetur cum his quæ in sexto vel septimo vel octauo libro pro eius morsuræ siue puncturæ cura describam, subueniẽdo accidentibus consequentibus cum his quæ ab auctoribus in proprijs capitibus describuntur. Dioscorides in libro de Simplicibus cap. Acte. Actis.i.sambuci duo sunt genera vnum arborosum est: alterum genus est quod chamęacte.i.ebulus dicitur. Succus acceptus sanguisugas bibitas occidit.

Capite de Lasere.i.assa. Laser.i.assa bibitus sanguisugas bibitas cum aceto mistus excludit. Galenus vndecimo de simplici medicina capite de Cimicibus. Scripserunt etiam de cimicibus, quòd si cum aceto bibuntur, extrahunt sanguisugas bibitas: sed nos per esum alliorum semper eijcientes eas non indiguimus cimicibus Oribasius secundo suæ practicæ, cap. de ad eos quibus serpens per os intrat &c. Ad eos quibus serpens per os intrat aut alios vermes in se viuos habent, atramentum spissum bibãt statim liberati sunt. Item marrubij, saluiæ, absinthij, apij. ana Ma. i. coques in aqua ad tertias faciens lixiuiũ de sarmenti.i.vitis cinere: quantum de succo habebis per linteum colabis, addes olei tertiam partem: dabis ei bibere sestariũ decurrẽtem.i. lib. ij. semis per dies tres aut plus cum opus ferit. Item ad eos quibus serpens per os intrat. Atramentũ spissum bibant: postea vini fortis sestarium vnum bibant.i.lib.ij.semis.

Rasis tertio Continentis capite de sanguisuga & de eo quod infigitur in gula. Dixit Galenus in de oppositione ægritudinũ: potio aquæ niuis & comestio eius valet ad sanguisugam. Quidam quoq; medicus curabat quendam habentem sanguisugam in gula intromittẽdo ipsum in balneo pluries & postea imponebat ori suo spongiam in aqua niuis infusam, & ob causam frigiditatis aquæ egrediebatur sanguisuga ipsa. Si verò debilitatum fuerat corpus in balneo post egressum eius dabat ei in potu de pulte facta de lenticulis & apponebat extra collum cum appositionibus frigidis, & dabat ei in potu de aceto potentissimo & sale, & ex huius cura sanguisuga egressa est & cecidit ab ore. Si verò sanguis inde manauerit ad ventrem, purgandus est inde per laxatiuas res. Aaron: Qui habet sanguisugam in gula, opponendus est radio solis & aperiendum est os eius declinando linguam ad partem inferiorem: quę si videtur & capi poterit, caput eius tenendum est cum tenaculis ne incidatur per medium & extrahatur: si autem neq; extrahi poterit neq; capi. ℞. synapis. ʒ. ij. baurach. ʒ. iiij. terantur bene & pluries sufflentur in gula, & etiam. ℞. absinthium & nigellam bene trita & suffla ea in gula & etiam coquantur & cum decoctione

ipsorum

ipsorum gargarismatio fiat. Si verò fuerit in stomacho, dandum est ei in potu de decoctione lupinorum & absinthij. Aut corina .i. medulla citri coquatur cum aceto, & detur ei in potu de eo ad modum dimidij calicis: quoniã interficiet eam & expelletur. Et etiã valet ad hoc vt sufflетur in gula de vitreolo: deinde non accipiat cibum per diem, & sitim patiatur: deinde ponatur in ore de aqua niuis ad tenendũ eam in ore: quoniã ex nimia siti egredietur ad aquã. Si verò post egressum sanguisugæ fuerit emissus multus sanguis, insistendum est cũ medicinis stipticis. Bilogorius, Sanguisuga si fuerit in foraminibus palati ad partes naris, imponendũ est nari de nigella & aceto, aut de succo cucumeris asinini: & requirenda est gula & postea naris in radio solis. Dico, quidam intromissus fuit in balneo ob causam sanguisugæ, & in tantum moram traxit in camera caloris, donec syncopen videretur pati: & postea implendo os de aqua niuis, statim egressa est. Badigorius, Proprietatis arboris salicis, est expellere sanguisugam de ore & gula, si gargarismus fiat cum succo illius.

Iudæus, Comedat de allijs, & sinapi, & nil postea accipiat in potu: deinde impleat os eius de aqua frigida: quoniam de necessitate egredietur ad aquam. Et sufflandum est de vitreolo in gula, quoniam eam interficiet. De libro venenorum, Galenus: Accidit habenti sanguisugam in gula sputum sanguinis, cum angustia & lamentatione. & curandus est cum aqua niuis, aut cum assa fœtida. Et accipiat in potu de aceto potentissimo frequenter. Et gargarisma fiat cum atramento.i. vitreolo rubeo, & aqua, & sedeat in vase pleno aqua calida nimis, & impleat os tunc de aqua niuis, & calefaciat corpus: quoniam sanguisuga egredietur ad os inde. Atharifcus: Singultus iuuatiuus est ad exitum sanguisugæ de gula. Rasis 22 Continentis cap. de Cimicibus: Dixit Dioscorides si bibuntur cum aceto aut cum vino forti, extrahunt sanguisugam de gutture. Capite de Salice: Dixit Bimasui quòd salix habet proprietatem extrahendi sanguisugam de gutture & glutinandi vulnus recens in sanguine suo. Rasis nono Almansoris capite de Sanguisugis quæ ingrediuntur in guttur: Cum aliquis in gutture suo senserit titillationẽ, & sanguis subtilis inde manauerit, existimandum est tunc sanguisugam in ore esse & præcipuè si aquam loci in qua sanguisugæ fuerint, biberit. Os igitur ægri est aperiendum & lingua extrahenda & inferius premenda, & guttur in sole est inspiciendum: & si sanguisuga in loco propinquo pendere visa fuerit, cum forficibus, quibus sagittæ educuntur, extrahenda erit, quod hoc modo fiat: Caput à quo pendet est stringendum & sic extrahatur. Quòd si non fuerit manifesta, ęger multotiens gargarizet sinapim cum aceto: quia de loco in quo est mouebitur. Aut fiat gargarismus ex aceto & assa, aut ex aceto & sale. Nigella præterea & sinapis trita insufflentur gutturi. Fiat etiam gargarismus ex succo cæpæ. Si autem post eius casum remanserit ægro sanguinis resudatio, fiat gargarismus ex decoctione, in quo cortices granatorum & balaustiæ & sumach cocta fuerint: & gutturi insuffletur puluis ex balaustijs, thure, sanguine draconis & amido. Si autem sanguisuga stomacho annexa fuerit, medicamina, quibus vermes expelluntur, in potu sumantur. Ex his etiam quæ sanguisugam exire faciunt, est vt æger balneum ingrediatur & moretur in eo donec sitim patiatur magnam: & tunc aquam in niue infrigidatam frigidissimam aliquandiu teneat, supple, in ore: cumq; cœperit tepefieri, eam expellat & aliam assumat. Sanguisuga enim quandoque venit ad os frigiditatem quærendo. Rasis in libro de Proprietatibus animalium cap. 12 f. de proprietatibus damæ: Lingua eius desiccata, si cum ea suffumigetur guttur, in quo est sanguisuga, cadet.

Albucaſis ſecunda particula Azarauij, tractatu ſecundo, cap. de Sanguiſu-
gis adhærentibus gutturi. Curatio eius eſt, quòd aperiatur os verſus ſolem &
attrahatur lingua cum tenaculis ferreis aut æreis, donec manifeſtetur ſanguiſu
ga, & tunc educatur manu vel paruis forficulis quæ dicuntur almatlab, vt de-
terminatum eſt in operatione manuali. Si verò non apparet ſanguiſuga, nec
valet vlla ingeniatio ad extrahendum eam, tunc neceſſe eſt fieri gargariſma cũ
aceto & baurach, vel aceto & ſinapi, vel aceto & aſſa, vel aceto & ſale, vel ſucco
expreſſo de cæpa: vel accipiantur de ſinapi & baurach, ſale ammoniaco & vi-
triolo an. partes æquales: terantur & inſufletur de eis gutturi, & prouocet ſe
patiens ad ſternutandum tota die: poſtea verò multum comedat de allijs: poſt
hoc verò ingrediatur balneum aquæ vel flumen vſq; ad mẽtum ſuum, & aper-
to ore in aquam ſtatim exibit ſanguiſuga, & irruet in aquam propter motum
aquæ: & ſi inſtillatur naribus & gutturi de ſucco herbæ ſanguiſugæ, quæ dici-
tur anagallis. i. morſus gallinę, ſeu apud Venetos Pauarina, ſeu apud Marchia-
nos Centundum, ſtatim operabitur & eſt expertum. Albucaſis trigeſima par-
ticula Azarauij, quæ eſt operatio manualis ſeu chirurgia ſua: Quandoq; medi-
catur ſanguiſuga cum eo quod dixi in diuiſione ex curatione cum medicinis
& non confert: ergo conſidera tunc in gutture infirmi apud ſolem poſtquàm
tu premis linguam eius cum inſtrumento quod narraui tibi. Si ergo cadit vi-
ſus tuus ſuper ſanguiſuga, extrahe eam cum vncino paruo, aut geſtis ſubtili-
bus decenter: quod ſi non eſt poſſibile cum eis, tunc accipe cãnulam concauã
& intromitte eam in guttur infirmi vſq; prope guttur: deinde intromitte in cõ
cauitatem cãnulæ ferrum ignitum cum igne, & fac id multoties, & abſtineat in
firmus ab aqua tota die: deinde accipiat ollam vitreatam plenam aqua frigida
& aperiat os eius in ea, & colluat os ſuum cum ea & nõ deglutiat ex ea aliquid
& moueat aquam vna hora poſt aliam cum manu ſua: ſanguiſuga enim illico,
cum ſentit aquam, cadit. Si autem non egreditur cum eo quod narrauimus,
tunc ſuffumiga infirmũ cũ cimicibus aut cum aſſa cum inſtrumento quod nar
raui in ſuffumigatione vuluę: & fac illud multoties, quoniam ipſa cadet. Et mo
dus operationis in ſuffumigatione eſt, vt accipias ollam in qua ſint prunæ vi-
uæ cum igne, & olla ſit cooperta cum coopertorio, in cuius medio ſit foramẽ,
& componatur in illo foramine extremitas inſtrumenti: deinde proijce ſuffu-
migationem, & ponat infirmus os ſuum in extremitate cannulæ, & claudat os
ſuum vt non egrediatur ſuffumigatio, donec ſcias quòd ſuffumigatio iam per
uenit ad ſanguiſugam: nam ſanguiſuga cadet ſtatim: quòd ſi non cadit, tunc i-
tera ſuffumigationem multotiens & toleret infirmus ſitim & comedat ſalſa &
allia & non bibat aquam: neceſſe eſt ergo vt egrediatur cum hoc regimine: &
hæc eſt forma inſtrumenti cum quo extrahitur ſanguiſuga ex gutture, quan-
do cadit ſuper eam viſus, & eſt ſimile forficibus ſicut vides, niſi quia ei eſt cur-
uitas quæ intromittitur ad guttur, & extremitas eius, eſt ſimilis ori auis quæ
nominatur ciconia, in qua eſt aſperitas limæ, & quando comprehendit ſuper
ſe aliquid, non dimittit ipſum omnino.

Auicenna tertio canone, fen nona, capite de Sanguiſugis bibitis. Quãdoq;
curatur illa quæ viſu comprehenditur curatione acceptionis & ablationis ſe-
cundum quod narrabimus, & quandoq; curatur cum medicinis gargariſma-
tum ſi fuerit prope guttur & vaporum, & ex eis ſunt quædam cum caputpur-
gijs ſi fuerit decliuis ad naſum, & ex eis quæ vomitu & ventris ſolutione edu-
cunt vermes, & quæ eis ſunt ſimilia ſi fuerit ſtans in profundo & in ſtomacho.
Et quandoq; ingeniatur aliud ingenium ei. Inde eſt, vt ſubmergat ſe homo in
aqua calida, aut moretur in balneo calido, & propriè poſt allia quæ aſſumpſit
.i. poſt comeſtionem alliorum: deinde nõ ſit deſes .i. piger, indeſinenter aquã
frigi-

frigidam infrigidatam in ore ſuo aſſumere hora poſt horam donec deſcendat ſanguiſuga quæ in ipſo eſt ſuſpenſa fugiens à calore & declinans ad partem frigoris. Si autem neceſſe fuerit vt ipſe expectet ſecundum illum calorem vſq; ſyncopem, expectet ſuper illum: eſt enim regimen valde bonum in extrahendo ipſam. Et multotiens quidem confert in ea vt ſit contentus comeſtione alliorum, & mora in ſole, tenendo os apertum iuxta aquam frigidam infrigidatam. Et quidam homines ſunt qui in potu tribuunt habenti ſanguiſugam alfeſeſim: & exiſtimo quòd ſint ſpecies cimicum rubeorum ſanguineorum ſimilium cechis debiles habentium cutes quos forſitan deſtruit tactus: & ſi fuerit facile, dentur in potu cum aceto aut vino: aut ſuffumigetur ex eis guttur cum tranſitorio aliàs traiectorio: & fortaſſe ipſi ſunt qui nominantur in terra noſtra alhabehal. Et acetum ſolum cum ſorbetur quādoq; extrahit eam ex gutture, & propriè cum ſale. Ex gargariſmis verò eſt gargariſma quod fit cum aceto: & gargariſma cum ſinapi cum duplo eius de baurach, aut ſinapi cum æqualitate ſui de nigella: aut cum aceto vini in quo decocta ſunt allia & ſecha. i. ſpecies abſinthij, quod dicitur ſantonicum, ſeu herba lumbricorū, & lupini & colocynthis & ſarachs. i. filix: Aut cum aceto vini ſecundum quantitatem. ℥. ij. in quo ponuntur baurach. ʒ. iij & ſalis ammoniaci, & aliorum duos dentes. Et gargariſmati quidem cum ſucco foliorum ſalicis ineſt proprietas in extrahendo ipſam, & ſimiliter gargariſmati ex aceto cum aſſa fœtida aut colcotar. i. vitriolo & aqua. Cum autem iam peruenerit in ſtomacho, oportebit vt in potu ſumat de hoc medicamine. ℞. ſceha. i. ſantonici ſeu herbę lumbricorū, abrotani, abſinthij, nigellæ, lupinorum, coſti, naſturtij, menthaſtri, alkebuli. i. ebuli, qui eſt ſambucus non arboroſus, ſarachs. i. filicis omnium an. pondus. ʒ. ij cum aceto commiſto. Et cibetur patiens cum allijs, cæpis, & porris & calamento fluuiali humido, aut ſinapi condito, & oleo calido acuto: deinde euomat poſtea, ſi facilis fuerit ei vomitus. Si autem non fuerit facilis, tunc res ſalitæ acutæ. ſ. ei valent. Et cum eius ſuſpenſio fuerit in naſo & diligatur eius caſus, fiat caputpurgium cum nigella & aceto & ſucco cucumeris aſinini & elleboro. Cumq; acciderit vt abſcindatur, tunc ſibi caueat ille in quo fuit à clamore & loquela. Si autem currat ſanguis aut euomat ipſum, aut ſolutione educat eum: curetur totum cum eo quod ſcies in cap. ſuo. Et hermodactyli quidem proprietatem habent in expellendo illum. Modus autem quo accipitur cum in inſtrumento chirurgico eſt, vt ſtet ille, qui deglutit ſanguiſugam in ſolè, & aperiat os ſuum & prematur lingua eius ad inferiora cum extremitate inſtrumenti chirurgici quod eſt ſicut cochlear. Cumq; videtur ſanguiſuga, ponatur inſtrumentum chirurgicum in radice colli eius vt non incidatur. Et hoc quidem inſtrumentum eſt inſtrumentum, quo remouentur hæmorrhoides.

Plinius Secundus de Naturali hiſtoria libro 28 cap. de remedijs ad morſus beſtiarum & ad venena. Contra ſanguiſugas potas butyrum remedio eſt cum aceto ferro calefacto. Lib. 20 cap. de ruta: quadrupedum morbis in maximo vſu ex aceto, ſi ſanguiſuga exhauſerit. Halyabas in Regali diſpoſitione 6 Practicæ, cap. de eius medicina qui ſpinam aut os aut hirudinem. i. ſanguiſugam tranſglutiuit. Si hirudinem. i. ſanguiſugam tranſglutiuit, & hæc gurgulioni eius adhæſit: patienti allia porrige, & muſcas propina quæ in fabis inueniuntur cum aceto, acetumq; illi porrige acerrimum. Quia ſi hirudo ore aperto videtur, cum forcipibus educatur.

Conſtantinus in Pantechni 6 Practicæ cap. de cura eorum quibus ſpina aut æs aut aliquid aliud ingreditur. Si autem quod inhæret ſanguiſuga extiterit dabis allia forteq; acetum: quæ ſi apparuerit cum forcipibus eſt extrahenda. Conſtantinus in Viatico libro 3 cap. de Screatu ſanguinis propter ſan-

guisugas. Opponant infirmum soli: os eius aperiatur. Si eas in palato videant vel in vicinis partibus, abstrahant cum forcipibus. Si non videant, dent medicinam gargarisma cum aceto & sale: nimirum allium cum aceto detur ad manducandum: prohibeatur aqua ad bibendum. Mittamus vasa vitrea in solea-qua plena & moueamus ante os infirmi, draganti. i. vitreoli puluerem insufflemus ori carbonum nigellæ vel absinthij: fiat ex assa & aceto gargarisma, sulfur & hyssopũ & sal cum vrina caprina misceamus & gargarisma faciamus, postquam exierit, si sanguis superabũdauerit cum medicina quam diximus in screatu sanguinis solidandus & restringendus erit.

Guilielmus de Placentia primo suæ Practicæ cap. 77 s. de Sanguisugis quæ bibuntur. Si post eius casum vel remotionẽ, sanguis à loco emanauerit, gargarizet infirmus aquam rosaceam cum aceto vel aquam decoctionis corticum balaustiorum & granatorum & sumach. Et insuffletur gutturi puluis qui sic fit ℞. sanguinis draconis, balaustij, thuris, amidi, an. ʒ ij Ad idem, ℞, aquam decoctionis balaustiorum & aluminis zucharini, stringet illum sanguinem. Si autem sanguisuga stomachum intrauerit vel ei annexa fuerit, medicamen bonum ad hoc sic fit. ℞, farinæ lupinorum, turbit, stœcados, polij, seminis nigellæ an. ʒ ij. incorporentur cum succo absinthij, & fiant trochisci: & sit vnusquisque horum ʒ. i. detur stomacho ieiuno cum aqua decoctionis nigellæ & videbis mirabile & bonum.

Guilielmus de Varignana in sua Practica, sermone primo, tractatu 7 cap. de sanguisugis adhærentibus gulæ &c. Educit autem illas & interficit medula citri quando cum aceto coquitur & ex illa in bona quantitate sumitur.

De Stupha animali Cap. XIII.

Stupha animal est reptile paruum, habens pedes cuius color est viridis, & inuenitur in hortis super folijs ficuum.

NATVRA eius calida est & sicca valde, adustiua, mordicatiua & vlceratiua & incisiua, similis naturę cantharidum dictę in primo præsentis libri cap. & est venenosa adeò quòd si non acceleretur eius cura, morietur infra septem dies.

ACCIDENTIA assumptionẽ ipsius consequẽtia, sunt dolor in orificio stomachi cũ forti indignatione, inflatio in corpore, inflatio linguę, & detruncatio in intestinis. Causa doloris in orificio stomachi, est ipsius virtus mordicatiua & vlceratiua mordicãs & vlcerans orificium stomachi. Ad quem dolorem sequitur fortis stomachi & eius orificij indignatio causa prædicta. Causa inflationis in corpore & inflationis linguæ, est ipsius caliditas adustiua & mordicatiua mordicans & consequenter inflans linguam, & adurens sanguinem & alios humores facientes eorum mordicatione corpus inflari. Causa detruncationis in intestinis, est ipsius virtus incisiua & vlceratiua & incisiua.

SIGNA assumptionis eius sunt accidentia prænarrata, & informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit cum remedijs suprascriptis in 8 cap. primi libri, videlicet pro præseruatione in vniuersali, præcauendo se pro posse ab ipsius assumptione.

CVRA verò iuxta præcipuè Albucasim secunda particula Azarauij, tractatu secundo cap. de Potu animalis quod dicitur stupha, est similis curæ cantharidum suprascriptæ præfato huius libri primo cap. subueniendo accidentibus consequentibus cum his quæ ab auctoribus in proprijs capitibus describuntur.

De felle Viperæ Cap. XIIII.

FEl iuxta mentes auctorũ & præcipue Galeni decimo de Simplici medicina cap. de felle, est cholera, & est calidissimus humorum qui sunt in animali: diuersificatur tamen in maiori vel minori caliditate, iuxta maiorem vel minorem animalis caliditatem. Cuius quidem fellis seu choleræ cistis sub hepate collocatur. Est igitur fel viperæ, cholera viperæ .i. tyri.

NATVRA eius sicut & cuiuscunq; alterius fellis, calida est in 4 gradu & est acuta valde & mordicatiua, & abstersiua, & maximè venenosa, adeò vt vix quis ab eius assumptione euadere possit, nisi virtus diuina ei maximè auxilietur, præcipue propter ipsius viperæ seu tyri caliditatem, & maximam venenositatem: de cuius equidem quiditate & natura inferius libro sexto tractabitur.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius consequentia, sunt frequens sincope, & mors. Causa prædictorum accidentium, est maxima ipsius venenositas simul cum virtute acuta, & mordicatiua, propter quam spiritus præcipuè cordis maximè resoluuntur, & vt plurimum consequitur mors festina.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata & diligens informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit cum his quæ supra dixi in octauo cap. primi libri, videlicet cum præseruantibus in communi & cautè se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit cũ his, quæ ex auctorum mentibus infra describam ipsis vtendo subito & sine mora. Rasis octauo Almansoris cap. de ijs quibus fel viperæ in potu datum fuerit. Is, cui hoc datum fuerit, vix euadere poterit, nisi virtus diuina ei auxiliata fuerit. Si tamen est aliquid quod ad hoc valeat, ipsum est theriaca de viperis & mithridatum, si tamen ei cito succurratur: de his tamen, quæ magis ad hoc conferunt, est bezaar si inueniri potest. Si verò inuentus non fuerit, butyrum calefactum vicissim ad bibendum detur, aut æger cum eo vomere cogatur: & si syncope ei frequenter acciderit, in ipsius os vinum & ius de carne pullorum projciantur cum pauca quantitate electuarij muscati & musci ipsius. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo cap. de Potu fellis viperæ. Curatio eius est per modum speciei &c. quod bibat ex theriaca alfarot .i. magna, vel ex compositione mithridati, & ex lapide albezaar si statim habere poterũt. Quod autem vltimi iuuamenti est in hoc, est potus butyri in illa hora qua sumpserit fel vna vice post aliam calidum, & postea vomat ipsum: & si diu permanserit in corpore & insurrexerit sincope, acceleret potare vinum & brodium carnium pullorum gallinaceorum cum modico diamusci & etiam ipsius musci.

Auicenna quarto canone, fen 6, tractatu secundo, cap. de felle viperæ: Hoc ex venenis, cum bibitur secundum modum quo interficit, frequens fit syncope & parum confert medicina. Si aliquid confert, tunc vomitus cum butyro cocto vna dispositione post dispositionem aliam: & illud quo succurritur post vomitum est theriaca & mithridatum: & albezaar est sublimis res ei & muscus & medicamen eius .i. diamuscus: & cum frequens sit syncope, dentur ad sorbendum vinum, & aqua carnis pullorum cum aliquo musci, aut medicaminis de musco.

Halyabas in Regali dispositione quarto Practicæ, cap. de Eius medicina qui fel biberit leopardi aut serpentium: Qui autem fel viperarum biberit ferè vix & quasi impossibile est ipsum liberari: medela tamen eius est butyrum, oleum, & lactis pinguedo cum aqua calida & vomitus frequens: & multa danda est illi aqua cum bezaar optimo, theriaca faruch .i. theriaca magna biben-

da & mithridatum: & post hæc hordei aqua, lac recens, semen portulacæ & similia prosunt. Guilielmus de Placentia tertio suæ Practicę, parte secunda, capite vndecimo, s. de fellibus: Cum fel viperæ bibitur, vel sumitur aliquo ingenio. Cura. Necesse est vt fiat vomitus cum butyro, aqua & oleo & similibus: & post vomitum exhibeatur theriaca continuè & mithridatum, diamuscum, & diamargariton cum vino odorifero: sorbeat iura gallinarum & pullorum & carnium in quibus aliquid musci, macis, & croci ponatur, & bibat vinum odoriferum.

De felle Leopardi *Cap. XI.*

FEl leopardi, est cholera leopardi, qui est animal notum.

NATVRA eius calida est in quarto gradu, & est adustiua valde & mordicatiua & maximè venenosa, adeò vt multotiens interficiat infra tres vel sex horas.

ACCIDENTIA assumptionem ipsius consequentia, sunt vomitus cholerę viridis vel citrinæ & perceptio odoris aloes in naso, & saporis eius in ore & icteritia & præcipuè citrinitas oculorum & minoratio eorum. Causa vomitus cholerę viridis vel citrinæ, est ipsius adustiua caliditas commouens & agitans & generans choleram viridem siue prasinam & choleram citrinam, & etiam ipsius proprietas consimiliter faciens, & præfatas choleras ad stomachum attrahens: propter quod stomachus ad vomendum ipsas incitatur. Causa perceptionis odoris aloes in naso & saporis eius in ore, est ipsius fellis substantia amarissima communicans vaporibus qui ad nasum & os eleuantur odorem & saporem similem odori & sapori aloes. Causa icteritiæ & præcipuè citrinitatis oculorum, est magna commotio facta in choleram: propter quam nempe commotionem accidit penetratio eius per venas in totum corpus, & præcipuè in oculos: quia respectu aliorum membrorum sunt maximè venis pleni. Causa minorationis oculorum, est præfata cholera ad ipsos terminans, quæ inflammata ab adustiua virtute præfati fellis humiditates oculorum exiccat & musculos eorum & neruos cõtrahit, quemadmodum accidit in spasmo de inanitione causato in febribus adurentibus.

SIGNA assumptionis ipsius, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit cum præseruantibus ab omnibus venenis in generali dictis in octauo cap. primi libri cautè se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus infra describam, subueniendo accidentibus consequentibus cum his quæ ex auctorum mentibus in proprijs cap. describuntur.

Rasis 8 Almansoris cap. de his quibus fel leopardi in potu datum fuerit: Huic de hoc medicamine dandum est quod sic fit. ℞ boli Armeni, baccarum lauri amborum an. partem .i. coaguli gazelis partes iiij foliorũ rutæ, myrrhę, amborum an. partes semis, conficiantur cum melle, & detur de eo ad nucis magnitudinem: & quandiu vomitus eum tenuerit de hoc medicamine ei detur quod in aqua ponatur in qua herbæ bene redolentes coctæ fuerint & sedeat in ea cum est calida, quem, si per tres horas diei vixerit, possibile est euadere. Curandus tunc igitur erit cum medicinis coliricæ passionis.

Albucasis secunda particula Azarauij tractatu secundo, capite de potu fellis leopardi: Curatio eius est quòd vomat in principio cum his

his quæ dicta sunt: deinde fricetur corpus cum aliquibus oleis aromaticis, & cibetur cibis temperatæ complexionis, & sumat de hoc electuario quod appellatur mahagon alan.i. electuarium de bolo. ℞. boli Armenici, baccarum lauri.an. par. i. & de congregatione cerui.i. coagulo cerui par. iiij, foliorum rutæ, mirrhæ. an. par. semis teratur totum & conficiatur cum melle & sumat de eo in quantitate nucis: & accipiat ex eo etiam post vomitum, & sedeat in aqua decoctionis medicinarum aromaticarum calida, & si pertransierint tres horę erit tunc spes liberationis suæ.

Aui. 4 canone, fen, 6, cap. de felle leopardi: Euomat sicut scis. Et detur in potu theriaca propria. Item, ℞, terræ sigillatæ, baccarum lauri. an. par. i. coaguli gazeli, par. iiij seminis rutæ, mirrhæ, an. par. semis, conficiantur cum melle: dosis sit quantum est nux, & cum hoc euomat iterum: & oportet vt fiat ei balneum ex aqua odorifera.

Halyabas in Regali dispositione, 4, Practicæ cap. de eius medicina qui fel biberit leopadi, aut serpentium. Vomitum cum aqua calida impera, & butyro & oleo. Et post hoc propinabis hoc electuarium. Assignatio eius. Terræ sigillatæ, baccarum lauri, cuiusq; ʒ. ij. coaguli caprioli, ʒ. v. seminis rutæ, mirrhæ, cuiusq; ʒ. i. hexagium. i. porrige vsq; ʒ. ij. distemperatas cum melle. Et si medicamen hoc euomet, dabis secundo. Et in aqua illum sedere fac calida, in qua chamæmillam decoxeris, & melilotum, violas, ac nenufar, sahafercmum. i. basilicon, & sampsucum. i. maioranam. Et si quatuor post potum veneni transierint horæ aut tres & non moritur, iam tunc illi salus speratur: deinceps ergo fructuum robum. i. rob. i. succum cocta ad spissitudinem vt seruari possit, bibere illum oportet, vt cydoniorum, aut pomorum, & huius modi robum.

Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de felle leopardi dato: Ille cui in potu datum fuerit fel leopardi, patietur accidentia napelli, & viperæ. Et eius cura & bezaar sunt vna.

De felle Leunzæ Cap. XVI.

FEl leunzæ est cholera leunzæ animalis noti.

NATVRA eius similis est naturæ fellis leopardi prædictæ in immediatè præcedenti cap. Et accidentia assumptionem ipsius consequentia & eorum accidentium causæ, & eius assumptionis signa, & præseruatio & cura etiam, sunt similia: quæ tamen specialiter pro eius cura dicuntur, infra describã. Rasis 20 Continentis cap. secundo. Ait filius Patriarchæ: Fel leunzæ occîdit, nisi cito ei succurratur.

CVRA est sedere in aqua decoctionis herbarum calidarum odoriferarum & bibat theriacam de terra sigillata: aut, ℞. baccarum lauri, coaguli capreoli, seminis rutæ, an. informentur cum melle.

De felle piscis Canis Cap. XVII.

FEl piscis canis, est cholera piscis canis qui est piscis notus, qui ad grandem magnitudinem peruenit.

NATVRA eius calida est in quarto gradu & est maximè venenosa, adeò vt si quis de eo assumat vnius grani lentis quantitatem, morietur & præcipuè post hebdomadam, nisi prius debitè succuratur ei.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt fœtor oris, corruptio coloris & emissio spermatis inuoluntaria. Causa fœtoris oris, est ipsius venenosa caliditas resoluens calorẽ innatũ, propter quod humores à debito naturæ regimine derelicti ab extraneo calore corrumpuntur, & præcipuè

humores in stomacho existentes qui euaporantes ad os, ipsum reddunt fœtidum. Causa corruptionis coloris .i. icteritiæ, est ipsius adustiua caliditas generans & commouens fortiter choleram, propter quod penetrans per venas in totum corpus, corrumpit colorem causando icteritiam. Causa emissionis spermatis inuoluntariæ, est spasmus musculorum seruientium vasis spermaticis factus ab adustiua ipsius caliditate consumēte humiditates eorū, propter quod musculi præfati contracti exprimunt inuoluntariè sperma quemadmodum accidit in epilepsia.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata & informatio habita de ipsius assumptione.

PRAESERVATIO fit cum præseruantibus à venenis in generali dictis in octauo cap. primi libri, & præcustodiendo se bene ab eius assumptione.

CVRA verò assumptionis eius particularis fit cum his quæ ex auctorum mentibus infra describam.

Rasis vigesimo Continentis cap. secundo: Ait filius Patriarchæ: Qui sumeret de felle canis aquatici .i. piscis canis quantitatē vnius lenticulę moreretur. Cura eius est sumere butyrū vaccinum cum gentiana Romana, cinamomo & coagulo leporis: & vngatur corpus eius cum oleo odorifero, & cibetur cibarijs subtilibus, & fugiat cibaria grossa: & signum ad hoc est os fœtidum & corruptio coloris & emissio spermatis inuoluntaria. Auicenna quarto canone, fen 6, cap. de felle canis aquæ. Dixerunt quidam si comederit aliquis de felle canis ad quantitatem lentis vnius, interficit post hebdomadam. Cura: detur in potu butyrum vaccinum coctum cum gentiana Romana & cinamomo, & iterum coagulum leporis, & inungatur cum oleo aromatico, & subtiliet regimen.

De extremitate caudæ Ceruī Cap. XVIII.

EXtremitas caudę cerui, est res generata ex superfluitate venenosa ipsius animalis noti.

NATVRA eius est excessiuè calida & adustiua & mordicatiua & venenosa.

ACCIDENTIA consequentia assumptionē ipsius, sunt calor & inflammatio, dolor per corpus, molestia seu angustia vehemens, sincope & mors. Causa caloris & inflammationis & doloris per corpus, & molestiæ seu angustiæ vehementis, est ipsius excessiua & adustiua & mordicatiua caliditas. Causa verò sincopes & mortis, est eadem excessiua & venenosa caliditas spiritus resoluens & præcipuè spiritus cordis.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata: & informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit cautè se præcauendo ab eius assumptione & vtendo remedijs in vniuersali præseruantibus à venenis dictis in octauo cap. primi libri.

CVRA verò fit cum his quæ ex auctorum mentibus infra describam subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs capitibus describuntur. Rasis vigesimo Continentis capite secundo: Ait filius Patriarchæ: Extremitas caudæ ceruinæ, est venenum mortale. Cura eius, est vt prouocet vomitum cum butyro & aceto & aqua calida, & comedat auellanas & fisticos incorporatos, cum felle elephantis aut cum succo tassi barbassi.

Rasis 8 Almansoris cap. de His quibus caudę ceruinę summitas data fuerit. Is cui caudæ ceruinę summitas data fuerit, multoties vomere cum butyro veteri multo & melle tepefacto & aqua rosacea, est cogendus: ad quod exercendū multoties est redeundum: deinde auellanæ, & fistici & bezaar sumantur: & ex omnibus istis simul mistis ad auellanæ magnitudinem quotidie quater in die donetur. Albucasis 2 particula Azarauij tract. 2, cap. de Potu extremitatis caudæ cerui: Curatio ipsius, est quòd bibat multum de butyro antiquo & melle tepidum cum aqua rosacea: postmodum verò accipiantur auellanæ & fistici & bezaar, & terantur & misceatur totum: & accipiat ex eo ad modum auellanæ quolibet quarto die. Auicenna 4 can. fen 6, cap. de Extremitate caudæ cerui: Euomat bibens ipsam sicut scis & melius est cū butyro & anetho: deinde dentur in potu auellanæ, & fistici, & feluzeharagi, i. arbusto vnde fit litium cōfecta simul, omni hora. auellana magna detur in potu omni die quater. Halyabas in Regali dispositione 4 Practicæ, cap. de eius Medicina qui caudæ cerui extremum aut animalis sudorem biberit: Extremum caudæ cerui qui bibit vtendum vomitum cum butyro & aqua calida sæpius multoq; auellanas comedat, & pistacia: & propina illi filzabarem, i. vt credo, zabared, i. smaragdi calcos ij. i. karates ij. i. pondus viij. gra. hordei, usq; 3. s. cum vino. Guliel. de Placentia 3 suæ Practicę, parte 2, cap. 11. Extremitas ceruinæ facit accidere vehementem angustiam, &c. Cura: fiat vomitus cum butyro, & aqua anethi. Sumat post vomitum theriacam cum aqua decoctionis fisticorum, vel auellanarū quater in die: vel detur id quod sic fit. ℞. auellanæ, fistici, fellis elephantis, vel equi an. misceantur: detur cum vino odorifero. Petrus de Abano in tractatu de Venenis, capite de Extremitate caudæ cerui data: Ille, cui extremitas caudæ cerui data fuerit, patietur accidentia napelli. Et eius cura, est potio smaragdi triti & dati in potu cum vino, & deinde fricatio totius corporis cum oleo facto de semine citri. Et eius bezaar, est theriacæ magnæ. ʒ. ij.

De Castoreo malo Cap. XIX.

CAstoreum est testiculus siue testiculi castoris: qui nempe castor est animal habens pedes posteriores vt anser commodos ad natandum, & pedes anteriores vt canis commodos ad ambulandum, eo quòd viuit in aqua & in terra, & frequenter piscibus nutritur. Et dicitur castor à castrando, eò quòd propter castrationem maximè quæritur, & non propterea quòd se castret vt quidam asserunt.

NATVRA castorei boni, est calida in fine tertij vsq; ad quartum, & sicca in secundo. Natura verò castorei mali videlicet nigri, seu cinericei, seu terrei, aut rancidi, aut corrupti, est calida in 4 & mordicatiua & venenosa.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionē, sunt alienatio, phrenesis, birsen, i. apostema pectoris calidum cum strangulatione cordis, tristitia, siccitas oris, febris, pustulę in lingua, & mors aliquando in die vna, & pręcipuè si ex eo sumitur vltra 3. s. & præsertim 3. i. Causa alienationis & phrenesis, id est apostematis calidi cerebri, sunt vapores multi calidi eleuati ad cerebrū ab excessiua ipsius caliditate, qui primò generant alienationem, postea verò conuersi ad naturam humorum calidorum ibidem calidum generant apostema, quod scirsen seu phrenesis dicitur. Qui humores calidi descendentes ad pectus, sunt causa birsen, i. apostematis pectoris calidi, & consequenter sunt causa strangulationis & tristitiæ cordis. Causa siccitatis oris & febris, est ipsius caliditas excessiua & adustiua. Causa pustularū in lingua, est ipsius natura seu virtus mordicatiua. Causa mortis & etiam tristitiæ cordis, est ipsius excessiua & venenosa caliditas resoluens calorem naturalem & spiritus præcipuè cordis.

SIGNA aſſumptionis eius, ſunt accidentia prænarrata, & informatio habita de eius aſſumptione.

PRAESERVATIO fit cautè ſe præcauendo ab aſſumptione eius.

CVRA verò fit cum his, quę ex autorum mentibus ſtatim infrà deſcribam, ſubueniendo accidentibus conſequentibus cum his quę ab autoribus in proprijs capitibus deſcribuntur. Raſis vigeſimo Continentis, capite quarto: Ait Galenus in libro de Venenis: Caſtorei bruni mala doſis eſt. ʒ. 1. Interficit etenim ipſo die. Cura, eſt ſumere eodem die ſuccum pomorum acetoſorum cum lacte aſinino. Ait filius Patriarchæ: Qui ſumpſerit de caſtoreo coloris terrei ʒ. i. morietur. Cura, prouoca vomitum frequenter: deinde ſumat ſuccum pomorum acetoſorum cum lacte aſinino. Raſis octauo Almanſoris, capite de His quibus malum datum fuerit caſtoreum: Poſtquàm vomitus ei prouocatus fuerit, ſuccum acetoſæ herbę, aut acetum vini, aut lac vaccinum acetoſum aut malorum acetoſorum ſuccum ſumere debet. Eſt nanque acetoſorum pomorum proprietas eis, quibus caſtoreum datum fuerit, conferendi, etiam lac aſininum ad idem prodeſt. Albucaſis 2. particula Azarauij, tractatu 2, cap. de Potu mali caſtorei: Poſsibile eſt quòd interficiat, & hoc quidem ſi ſumitur ex eo vltra ʒ. ſ. Curatio eius, eſt cum vomitu: deinde bibat acetoſitatem citri, vel acetum vini, aut lac vaccinū acetoſum, vel ſuccū malorū acetoſorū: habet. n. ſuccus malorū proprietatē mirabilem multi iuuamenti contra potum caſtorei, & ſimiliter lac aſininū. Auicenna 2 canone, cap. de Caſtoreo: Caſtoreum quod ex eo eſt varium declinans ad nigredinem, eſt venenum & quandoq; interficit in die vno. Eius verò bezaar, eſt acetoſitas citri & etiam acetum de vino & etiam lac aſinæ. Auicenna quarto canone, fen, 6, tractatu primo, capite de Caſtoreo: Cura, oportet vt euomat ex eo cum aqua anethi & calamenti & ſebeſten cum melle & vino: deinde dentur in potu acetoſa ſicut acetoſitas citri & robub fructuum acetoſorum & acetum vini ſolum, & lac vaccinum acetoſum, & ſuccus malorum & lac aſininum.

Halyabas in Regali diſpoſitione 4 Practicæ capite de Gendebedaſtum, id eſt, caſtoreo, & beladaro, id eſt, anacardo. Si quis Gendebedaſtum, id eſt, caſtoreum bibit, vomitus cum lactis pinguedine accelerandus eſt, & butyro & aqua calida & ſiſami oleo, & ſtomachum diligenter mundet, & ſi nulla eſt febris, lac propina recens. Si febris fuerit lahabum, id eſt, mucilaginem ſeminis ſefergeli, aut bezercatune cum amygdalarum oleo dulcium & roſarum bibat. Gilbertus Anglicus ſeptimo ſui Compendij medicinæ, capite de Veneno caſtorei: Caſtoreum interficit ſtatim: cōtra hoc da lac acetoſum, & fiat vt vomat. Gulielmus de Placentia tertio ſuæ Practicæ cap. 8: Quando quis ſumit de Caſtoreo plus debito & ſpecialiter nigro fœtido, conuenit vt prouocetur vomitus cum aqua decoctionis anethi, ſebeſten, paſſularum & calamenti miſta cum vino & melle, & poſt vomitum vtatur agreſta, vel acetoſitate citri & ſucco fructuum acetoſorum & aceto vini per ſe & lacte vaccino acetoſo, & theriaca cum ſucco acetoſorum malorum. Petrus de Abano in ſuo tractatu de Venenis capite de Malo caſtoreo dato: Cura erit vomitus cum butyro & aqua mellis donec vomitus nō habeat odorem caſtorei. Deinde detur in potu rob mororum aut limonum. Et eius bezaar, ſunt ſemina coriandri aſſata & trita ʒ. ij.

De corruptione lactis, carnis & ſanguinis, à quacunq; cauſa Cap. XX.

CVm lactis, ſeu carnis, ſeu ſanguinis proprium & innatum calidum à continenti caliditate corrumpitur, accidit cuilibet eorum putrefactio ſiue corruptio.

NATVRA cuiuslibet prædictorum taliter corruptorum, eſt calida mordicatiua & venenoſa.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem cuiuslibet prędictorum, sunt vertigo, perturbatio intellectus, indignatio siue nausea stomachi, punctura in ore stomachi, & duricies siue compresio eiusdem orificij stomachi, colirica passio fortis, lyenteria & syncope, & mors, nisi ei debitè succurratur. Attamen secundum Pet. de Abano accidentia consequentia assumptionem carnis corruptæ, aut à fulgure & tempestate mortuæ, aut morte pestilentiali peremptę sunt consimilia accidentibus consequentibus assumptionē malorū fungorum suprascriptis in 63 siue vlt. ca. 3 li. Et consimiles secundū ipsum debent etiam esse eorundē accidentiū causę, & consimilis etiā debet esse cura, pręter comestionem pyrorum. Causæ vertiginis & perturbationis intellectus, est eleuatio vaporum malorum caliditate venenosa participantium à stomacho ad cerebrum. Causa indignationis siue nauseæ stomachi, est commotio humorum seu humiditatum in stomacho existentium, facta à cuiuslibet prædictorum venenosa caliditate. Causa puncturæ in ore stomachi & duriciei siue compresionis eiusdem, est prædictorum mordicatiua compresio mordicans & pungēs os stomachi præfatum ad quam mordicationem sequitur dolor, & consequenter aliquando concursus humorum, qui resolutis eorū subtilibus partibus subintrantes duriciem et consequenter compresionem in ipso stomachi orificio causant. Causa coliricæ pasionis fortis, & lyenteriæ, est prædictorum caliditas siue natura mordicatiua et pungitiua stimulans expulsiuam stomachi & intestinorum. Causa syncopes & mortis, nisi ei debitè succurratur, est resolutio spirituum, præcipuè cordis facta à venenosa eorum caliditate.

SIGNA assumptionis cuiuslibet prædictorum, sunt accidentia prænarrata & informatio habita de alicuius eorum assumptione.

PRAESERVATIO fit cum his generalibus quę suprà dixi in octauo capite primi libri, & cautè se præcauendo à cuiuslibet prædictorum assumptione.

CVRA verò fit cum his quæ ex autorum mentibus statim infrà describam subueniendo accidentibus consequentibus, cū his quæ ab autoribus in proprijs capitibus describuntur. Rasis 8 Almans. cap. de Comestione lactis corrupti. Si quem ex corruptione lactis malum habentis odorem, nausea & vertigo ac oris stomachi compresio inuasissent cum hydromelle vomitus ei ilicò prouocetur. Deinde vinū purum cum diatriteon pipereon tribuatur: stomacusq; cum oleo de nereidem, i. spica nardi embrocetur. Rasis in Diuis. cap. 143. s. de Remed. venenorū: Lac habens odorē lini putrefacti, est malum valde: quare oportet vt curetur cum vomitu. Et detur post illud diacyminum & diapipereon: Et detur in potu vinū purum: & fomentetur stomachus cum oleo nardino. Albuc. 2 partic. Azarauij tract. 2, cap. de Comestione siue sumptione lactis corrupti: Curatio est quòd vomat in principio cum aqua calida & melle: deinde bibat vinū cum aliquo electuariorum calidorum. Et emplastretur & vngatur stomachus cum emplastris & vnctionibus calidis & aromaticis.

Auenzoar primo Teysir tractatu nono, ca. 8, s. de Epilepsia procedente ex colligantia aliquorum membrorum ad cerebrū: Iam recordor, cùm essem cum patre meo studens in medicina coram ipso, quòd vocatus fui ad eundū ad fratrem Debentanum dom. Sibiliæ, & inueni eum quòd iam cogitauerat ꝙ mors ipsum detinuerat, & non poterat loqui, neq; se mouere motu locali, sed pulsus eius minimè manifestabat priuationem motus ipsius, imò complexionē ipsam ex humore calido existente in stomacho demonstrabat. Cui propinaui ad bibendū aquam rosaceā cū succo pomorū & aquā menthæ cū modica quantitate pulueris sandalorū & masticbis: & exinde alleuiatus fuit aliquantulū ab ęgritudine, tamē ipsa imaginatio phātastica nō recessit: & ego nō poterā cogitare

quid hoc esset, & continuaui stare cum eo die & nocte: et cognoui quòd ægritudo ipsius aliquando augmētabatur, et alleuiabatur aliquando: quare autumaui quòd hoc esse non poterat nisi à re extrinseca, & quęrens toto posse non poteram inuenire, sed quadam die quærens bibere, porrexerunt mihi potum in vase ipso cum quo frater Debentanus bibere consueuerat, et percepi in aqua illa extraneum saporem: quare ipsam non modicum abhorrui: & dicta aqua erat aromatizata cū modico odore horribili: quare nō cessaui fortiter exclamare, dicens: Quomodo poterat ipse dominus liberari, cùm quotidie eum potetis toxico? Vnde quidam ex ministris suis mihi cœpit fortiter supplicare ut tacerem: et non abstinui propter hoc, eò quòd, si tacuissem, maxima fuisset proditio. Quare scitum fuit quòd in aqua cum qua ipsum potabant, ponebant carnem putridam & fortiter exiccatam, & tritam ligatam in petia: & quandiu aqua illa putrida morabatur in stomacho ascendebant ab ipsa vapores mali ad cerebrum et perturbabant intellectum, &c. Auicenna 4 canone fen 6, tractatu 2, capite de Lacte corrupto: Cura est vomere cum aqua mellis, deinde potare vinum purum cum diapipereon et vaporare eius stomachum cum oleo nardino. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, capite de Piscibus frigidis, & carnibus mortuis & percussis à fulgure, &c. Si quis carnes pridie vel ante tertiam vel quartam diem occisas aut mortuas aut percussas à fulgure aut tempestate, aut morte pestilentiali peremptas comederit, accidit illud quod superuenit ex comestione malorum fungorum. Et cura eorum est vt vomat, & sumat in potu vinum purum cum pipere: & curetur cura fungorum. Ego non inueni autores facientes mentionem de accidentibus consequentibus assumptionem sanguinis corrupti, neq; de eius cura, sed quia natura sanguinis & modus substantiæ eius satis lactis naturæ & modo substantiæ conformatur: idcirco arbitror quòd accidentia consequentia assumptionem sanguinis corrupti debeant esse lactis corrupti assumptionem cōsequentibus accidentibus consimilia, & similiter cura consimilis.

De Cerebro gatti, uel gattæ Cap. XXI.

CErebri gattæ, vel gatti, seu cati, à capiendo dicti, & præcipuè mures, quiditas nempe omnibus nota est, de quo ideò famosiores autores de Venenis tractantes non fecerunt mentionem, quòd ipsum non propriè est venenum, nec mortifera medicina: verùm quòd ipsum mortificat, hoc est, destruit intellectum per quem homo principaliter differt à brutis: idcirco dignum arbitror in præsenti opere de ipso facere mentionem.

NATVRA eius frigida est & sicca generatiua à proprietate humoris melancholici cerebrum petentis, & præcipuè eius ventriculum medium vbi viget quidem intellectus.

ACCIDENTIA consequentia ipsius assumptionem, sunt stoliditas & corruptio intellectus siue amentia. Causa stoliditatis, id est, diminutionis intellectus et amentiæ siue corruptionis intellectus, sunt frigiditas & siccitas & mala proprietas præfati cerebri generatiua humoris melancholici petentis cerebrum & diminuentis præcipuè, vel corrumpentis intellectum.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prædicta, vel alterum ipsorum & informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit cautè se præcauendo ab eius assumptione.

CVRA verò fit cum his quæ infra dicentur, & cum remedijs positis ab autoribus pro cura stoliditatis & amentiæ siue corruptionis intellectus in capitibus proprijs, accelerando præ cæteris vomitum cum vomitiuis notis antequam præfatum cerebrum digeratur. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis,

nenis, cap. de Cerebro gattæ dato: Ille cui datum fuerit in potu cerebrum gattæ, patietur stoliditatem: & hystriosus videbitur. Et eius cura est terra sigillata, & vomitus cũ illa omni mense bis: & accipere de confectione diamusci omni die summo mane: & eius bezaar est muscus tritus ʒ. ſ. & datus in potu cũ vino albo. Christophorus de Honestis in suis Problematibus de venenis, problemate de assumptione cerebri gattæ, eadem omnino asserit quæ & Petrus de Abano.

De Lingua & Corde vespertilionis Cap. XXII.

QVid nempe sit lingua & cor vespertilionis, notum est. Est nanq; vespertilio auis de nocte volans, cuius caput est sicut caput muris: & est etiam in figura capitis canis, habens dentes duales anteriores longos vt canis, & imitatur voce exili latratum canum: & dicitur vespertilio quasi vespere, i. nocte alis vtens, eò quòd non nisi vt plurimum de nocte volat.

NATVRA cuiuslibet prædictorum, similis est naturæ veneni canis rabidi, inferius intimandæ, lib. 7, cap. 2.

ACCIDENTIA principalia consequentia cuiuslibet prædictorũ assumptionem, sunt timor aquę, seu potus aquæ & mors simili modo quo & in rabidi canis morsu accidunt, nisi quòd ex cuiuslibet prędictorum assumptione accidentia prænarrata citius adueniunt. Causę præfatorum accidentium, sunt etiam consimiles causis similium accidentium aduenientiũ ex rabidi canis morsu inferius narrandis præallegato capite.

SIGNA assumptionis cuiuslibet prædictorum, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita de alicuius eorum assumptione.

PRAESERVATIO fit cùm in vniuersali præseruantibus à venenis, & cautè se pręcauendo ab assumptione cuiuslibet prædictorum.

CVRA rationabiliter debet esse consimilis curæ morsus canis rabidi prę-ter ea, quæ localiter in morsus præfati vlcere seu vulnere commendantur: & ideo pro præsentis capitis perfecta notitia recursum habeas ad præallegatum caput infra descriptum. Quę tamen specialiter pro vtriusq; prædictorum cura ab autoribus specialiter enarrantur, statim infra describam. Rasis 20 Continentis, ca. 2: Ait filius Patriarchæ: Qui comederit linguam aut cor vespertilionis, fugiet potum aquę & morietur. Cura: Prouoca vomitũ cũ butyro & aceto, & funde lac recens super caput eius. Christophorus de Honestis in suis Problematibus de Venenis, problemate de Lingua vel corde vespertilionis assumpto: Dico de præseruatione quòd fit cum vomitu celeri cum aqua calida butyro & aceto: deinde infundatur lac recens super caput eius, & alia administrentur, quæ conueniunt in morsu canis rabidi interius approximata: dico de cura quòd completur eisdem quæ dicta sunt ibi. Bezaar sunt cancri fluuiales in isto sicut in illo.

De Sanguine bouis, siue tauri, præcipuè recenter extracto Cap. XXIII.

SAnguinis quidem bouis siue tauri præcipuè recenter extracti quiditas nota est.

NATVRA eius sicut generaliter cuiuscunq; sanguinis iuxta præcipuè Galenum decimo de Simplici medicina, cap. 2. ſ. de sanguine, calida est, & est substantiæ grossæ citò coagulabilis, propter quod redditur naturę quodammodo venenosæ.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem ipsius præcipuè recentis seu recenter extracti, sunt difficultas anhelitus, dolor in faucibus & meri & stomacho, rubedo & tumor linguę, apparitio frustorum sanguinis congelati in

dentibus & gingiuis, nausea vehemens & angustia, corrosio in lingua, præfocatio seu suffocatio, tumor in gutture, ita vt nihil possit transglutire cibi & potus, strictura anhelitus, spasmus .s. non proportionatus ad materiam, & mors, nisi acceleretur cura. Causa difficultatis anhelitus, est tumor membrorum anhelitui seruientium, & præcipuè gutturis causatus à mordicatione partiũ cholericarum seu nitrosarum eius. Cuius etiam difficultatis anhelitus, potest esse causa ipse sanguis præcipuè congelatus, aggrauans stomachum & consequenter comprimens diaphragma. Causa doloris in faucibus & meri & stomacho, sunt quædam partes cholericæ seu nitrosæ, subtiles in dicto sanguine existentes, quæ in ipsius congelatione exprimuntur mordicantes membra prædicta: & hoc pręcipuè verificatur in sanguine recenti assumpto ante eius cõgelationem. Causa rubedinis & tumoris linguæ, est mordicatio facta in lingua modo prædicto, ad quam nempe mordicationem sequitur concursus sanguinis propter dolorem & consequenter rubedo & tumor ipsius. Causa apparitionis frustorum sanguinis congelati in dentibus & gingiuis, est grossities & viscositas ipsius sanguinis, propter quas ilicò, cùm assumitur, congelatur. Causa nauseæ vehementis & angustiæ, est aggrauatio stomachi facta à grossitie & viscositate ipsius sanguinis. Causa corrosionis in lingua, sunt partes cholericæ & nitrosæ ipsius sanguinis expressæ in congelatione eius subitò in ore post ipsius assumptionem facta. Causa præfocationis seu suffocationis & tumoris in gutture seu anginæ transglutionem cibi & potus impedientis & stricturæ anhelitus, est consimilis causę difficultatis anhelitus quam prædixi. Causa spasmi, suple, non proportionati ad materiam, est nocumentum ex præfatis accidentibus cerebro cõmunicatum, ad quod sequitur cõtractio neruorũ ad cerebrum vnde fit ortus eorum quemadmodum accidit in epilepsia. Causa mortis, nisi acceleretur cura, est suffocatio, & consequenter mortificatio caloris innati.

SIGNA assumptionis eius sunt accidentia prænarrata & diligens informatio habita de ipsius assumptione: proprium tamen eius signum est apparitio frustorum sanguinis congelati in dentibus seu rimis dentium & gingiuis.

PRAESERVATIO fit cautè se præcauendo ab assumptione eius.

CVRA verò fit cum his quæ ex autorum mentibus infrà describam: subueniendo accidentibus consequentibus cum his quæ ab autoribus in proprijs capitibus describuntur, aduertendo quòd pro huius cura non debet subitò vomitus prouocari, sicut ferè pro cæterorum venenorum cura ab autoribus commendatur: quoniam ipso sanguine existente in stomacho congelato & gutturis ac meri partibus existentibus tumefactis ob causas præassignatas, non posset sanguis ipse taliter congelatus euomi absq; subita suffocationis periculo, aut alterius maximè læsionis: debent igitur statim in principio exhiberi quæ sanguinem discoagulant in præsenti capite & in immediatè sequenti ex autorum mentibus describenda, & postmodum ilicò debet vomitus prouocari, aut secessus, aut vrina, prout astanti perito medico melius & leuius fieri posse videbitur faciendo cætera quæ docent autores. Excerpta ex lib. 10 Oribasij: Contra sanguinem tauri potatum, adiuuantur aceto sæpius poto & reiectio per se vel cum nitro laserisq; radice, i. anuiden seu silphij, i. plantæ ex qua fit assa radice Rasis 20 Continẽtis ca. 2: Inquit Aaron: Accidit ex sanguine tauri strangulatio & constrictio anhelitus, & istis non debet prouocari vomitus, sed debent dari res dissoluentes sanguinem coagulatum: & postea laxetur venter cũ lacte ficuum & aceto & aqua calida & baurach: & sumere coagula cum aceto & lac cum semine caulium & cinerem ligni ficus cum baurach & piper & menthastrum cum aceto. Ait Diosc. Nitrum & folia assæ sunt cõtra sanguinem tauri. Dixit

ri. Dixit Galenus in libro de Venenis: Qui biberit de sanguine tauri, accidit strictura anhelitus, & angina, & tumor linguæ. Cura, est comedere ficus mat defactas in aceto, aqua & nitro: aut comedat radices assæ madefactas in aceto, aut de semine canapis, aliàs canabit, id est, vnius speciei caulis & pipere, an. & informentur cum melle, aut de succo frondium rubi cum aceto: quia hoc laxat ventrem: & ponatur supra pectus stomachum & gulam emplastrum ex farina hordei. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, capite de Potu sanguinis bouis: Curatio ipsius est quòd sumat id quod dissoluit condensationem sanguinis, & est vt sumat multum de aceto, & comedat ficus infusas in aceto per dies in quo dissoluatur nitrum: aut bibat baurach & andegan, id est, semen vrticæ, an. drachmas quinque trita & mista cum tribus drachmis vini, vel bibat desecaniabin, id est, oxymelle cum duabus drachmis cinerum vitis, & nullo modo faciat vomitum: duceret enim ipsum ad suffocationem: & emplastretur stomachus cum farina hordei & aqua & melle: & curetur qui bibit sanguinem bouinum cum medicinis prouocantibus vrinam: & quando eduxerit natura per secessum à causa potionis sanguinis bouini aliquid simile croco dissoluto, erit tunc signum quòd cum hoc perficietur eius curatio. Rabbi Moyses in libro de Venenis capite de Cura sanguinis bouini assumpti: Ex his autem, est sanguis bouinus assumptus: ipse enim est vnus de venenosis, quo quis celeriter defraudatur: & præsertim si cum cibis spissitudinem habentibus, aut cum ouis agitatis vsque ad coagulationem in sartagine decoctis cum carnibus, aut sine, sumatur. Interea cùm quis opinabitur se ipsum assumpsisse, procuret cito reiectionem ipsius per vomitum cum coagulo & aceto in quo decoquatur coagulum: deinde procuretur in eo adhuc vomitus cum drachma vna salis nitri bulliti in vncia vna vini. Consequenter sumat sequentem puluerem cum aceto. Recipe seminis caulium drachmas duas, assę fœtidę, salis nitri an. drachmam vnam, quem sumptum, si reiecerit, erit bonum: si etiam ad intestina descenderit, laudabile erit, ipsumq; à periculo liberabit: purgeturq; nihilominus consequenter cum agarico & hierapicra secundum ætatem & consuetudinem patientis, & secundum quod medico magis videbitur expedire. Auicenna secundo canone, tractatu secundo, capite de Baurach: Quod ex eo nominatur baurachium nitrum bibitum cum anuiden, id est, silphio, cuius gummi est assa propter nocumentum sanguinis tauri. Auicenna quarto canone, fen sext. tractatu secundo, capite de Sanguine tauri recenti: Cura, Oportet ut ipse properet ad clystere & solutionem ventris: nam vomitus timorosus est: quandoque enim expellitur, cuius expulsio non toleratur, quare præfocat. Et oportet vt in potu dentur medicinæ conferentes in congelatione sanguinis, sicut ficus immaturæ, plenæ, crudæ, & semē caulis & radix, alanuiden, id est, silphij, & assa, & baurach, & cinis lignorum ficus in aceto, & piper in aceto, & succus foliorum alausaich, id est, rubi in aceto. Cùm ergo abscinderimus sanguinem congelatum in ventre eius cum medicinis, soluatur tunc, & emplastetur venter eius ex farina hordei cum aqua alcarati, id est, fructus, ex quo fit acatia. Plinius Secundus de Naturali historia libro vigesimo secundo, capite de Soncho: Estur & sonchos, vterque albus & niger, lactucæ similes ambo, nisi spinosi essent, caule cubitali, anguloso, intus cauo: sed qui fractus copioso lacte manat. Albus bibitur contra serpentes scorpionésque. Agathocles etiam contra sanguinem tauri demonstrat nigri succum: Refrigeratoriam tamen vim esse conuenit nigro, & hac de causa imponendum cum polenta. Libro vigesimo tertio capite de Caprifico, Grossi caprifici resistunt & sanguini taurino poto poti. Libro vigesimo octauo, capite de Remedijs ad morsus bestiarum, & ad ve-

nena. Coagulum hœdi contra sanguinem taurinum: contra quem & leporis coagulum est ex aceto. Libro trigesimo primo capite de Medicinis & obseruationibus ex nitro: Nitri probatio vt sit tenuissimum, & quàm maximè spongiosum, fistulosumq; his qui sanguinem tauri biberint cum lasere datur. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, capite de Sanguine bouino, dato in potu: Eius cura, est acetum acerrimum calidum, deinde vomitus, deinde theriaca, deinde balneum aquæ calidæ. Christophorus de Honestis in suis Problematibus de Venenis, problemate de Sanguine tauri potato. Bezaar, est coagulum leporis, & lac fici cum aceto.

De Lacte, uel Sanguine coagulato, seu congelato, præcipuè in pectore, uel stomacho, uel intestinis, uel uesica. Cap. XXIIII.

SAnguinis & lactis coagulati seu congelati præcipuè in pectore, vel in stomacho, uel in intestinis, vel in vesica, nempe quiditas, omnibus nota est. Si autem contra hoc instetur quia Hippocrates 6 Aphorismorum aphorismo 2, asserit, quòd si sanguis in ventrem præter naturam effundatur, necesse est in saniem conuerti: ergo non coagulatur seu congelatur in præfatis locis vt præsupposui. Respondeo iuxta mentem Galeni in commento prædicti aphorismi quòd ibi per saniem non intellexit veram & propriam saniem: sed intellexit qualitatem extraneam, qua sanguis à sua natura mutatur.

NATVRA verò cuiuscunq; sanguinis in sua synceritate existentis, calida est & humida. Natura autem cuiuscunq; lactis in sua synceritate existentis, frigida est & humida, sicut clarè ex autorum mentibus declaraui in quæstione mea, qua quæsiui: vtrum lac in hydropisi à causa frigida competat. Natura verò sanguinis & lactis in corpore coagulati seu congelati & præcipuè in pectore, vel in stomacho, vel in intestinis, vel in vesica, est ferè consimilis, consimilem quodammodo propterea curam exigens: est nanq; venenosa præcipuè cum aliquod eorum notabili tempore in corpore seu in prædictarum concauitatum aliqua, moram traxit. In quacunq; nanq; earum potest sanguis coagulari, & moram trahere: lac verò non nisi in stomacho, vel intestinis, intelligendo de lacte ab extra corpus ad intra ipsum assumpto & non de in mulierum mammillis generato. Ibi nanq; lac multoties coagulatur: & quia locus ille lacti ipsi est naturalis, idcirco cùm ibidem coagulatur, moram adhuc contrahens, non tantam incurrit malitiam, quamuis tamen aliquando sæua faciat accidentia. Verùm quia præsentis propositi est solùm principaliter determinare de natura sanguinis & lactis quod ab extra corpus ad intra ipsum assumitur, & postea in ipso coagulatur cõtrahendo præcipuè notabili tempore in eo moram: quia de sanguine & lacte aliter in corpore seu ipsius partibus coagulatis famosi autores in proprijs capitibus specialem faciunt mentionem, ad quæ pro eorum notitia & cura debet haberi recursus, idcirco conclusiuè dico quòd nam sanguis & lactis assumpti & postea coagulati præcipuè in stomacho, vel in intestinis, postquam præsertim in ipsis notabili tempore moram traxit, est frigida & venenosa.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem ipsorum, seu alterius eorum postea in corpore præcipuè in stomacho, vel in intestinis coagulatorum, sunt infrigidatio corporis, & rigor, & aliquando febris, & mollificatio, & nausea stomachi, & tumor ventris, & color aliquando croceus, & sudor frigidus, paruitas pulsus, præfocatio, strictura anhelitus, syncope & pluries mors nisi acceleretur cura. Causa infrigidationis corporis, est eorũ frigiditas venenosa corpori cõmunicata. Causa rigoris, sunt vapores eorũ frigidi venenosi musculis cõmunicati, propter q̃d accidit impotentia continendi mẽbra ex frigore & tremore eueniẽte in eis motibus voluntarijs. Causa febris aliquãdo sunt humo-

res putrefacti defectu debiti eorum regiminis à natura ob extinctionem caloris innati factam ab eorum venenosa frigiditate. Causa mollificatiouis & nauseæ stomachi, est præfata eorum frigiditas ipsum mollificans, & eorum indebita corpulentia ipsum aggrauans. Causa tumoris ventris, est eorum frigiditas ob quam in ventre ventositas generatur. Causa coloris crocei, est oppilatio facta inter hepar & chistim fellis ab humoribus ingrossatis ab eorum frigiditate, vnde fit icteritia. Causa sudoris frigidi, est eorum venenosa frigiditas & debilitas contentiuæ membrorum. Causa paruitatis pulsus, est præfata eorum frigiditas spiritus & calorem extinguens. Causa præfocationis & stricturæ anhelitus, est præfata venenosa frigiditas musculis, anhelitui seruientibus communicata, congelans humiditates eorum & consequenter prohibens eorum dilatationem & constrictionem anhelitui necessariam. Causa syncopes & mortis pluries, nisi celeriter succurratur, est præfata venenosa frigiditas spiritus & calorem naturalem extinguens.

SIGNA assumptionis eorum, sunt accidentia prænarrata & informatio habita de eorum, vel alterius eorum assumptione.

PRAESERVATIO fit se cautè præcauendo ab assumptione cuiuscunque sanguinis grossi & similiter lactis grossi, quale est vaccinum, bubalinum, ouinum, & consimile: & præcipuè cùm ei permistum fuerit multum coaguli, vel alterius rei ipsum coagulantis. Et similiter præcauendo à faciendo clysteria ex lacte alicuius præfatarum specierum viscosi & grossi lactis. Et si quidem contingat velle vti aliquo prædictorum, fiat permistio salis, præsertim acuti, vel mellis, uel sacchari, vel alterius rei prohibentis coagulationem eorum qualitercunque assumendorum ad intra corpus.

CVRA verò sanguinis vel lactis coagulati in alijs partibus corporis præter quàm in stomacho, vel in intestinis, fit cum eis quæ ab auctoribus in proprijs eorum capitibus describuntur: quamuis etiam cum infra scribendis fieri consimiliter possit. Cura autem sanguinis vel lactis coagulati in stomacho, vel in intestinis, fit cum his quæ ex autorum mentibus infra describam, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab autoribus in proprijs capitibus describuntur. Dioscorides in libro de Simplicibus capite de Acte, id est, sambuco. Actis, id est, sambuci duo sunt genera, vnum arborosum est: alterum genus est quod chamæactis, id est, ebulus dicitur, succus acceptus, sanguinem & lac coagulatum soluit. Galenus sexto de Simplici medicina capite de Amaraco, id est cotula seu acauen: Amaracus subcalefactiuæ virtutis est: & incisiuè globos sanguinis consumere creditur, non solùm eos qui in ventre, sed & eos qui in vesica: oportet autem magis tunc cum vino, melle, aliàs hydromelle bibere. Galenus decimo de Simplici medicina, capite de coagulo: Coagulum omne acris virtutis est, & subtiliatiuæ, & diaphoreticæ, id est, resolutiuæ. Id quidem, quod leporis quidam scripserunt, si cum aceto bibatur, lac trombatum, id est, coagulatum in ventre resoluere, quod etiam experti sumus nos nedum in coagulo leporis solùm, sed etiam aliorum animalium: melius autem omnibus eis est leporinum. Dissoluit autem trombatum sanguinem in ventre similiter bibitum, fortassis quidem magis alijs leporinum, non tamen id solummodo, sicut quidam scripserunt, imò hoc commune est omni coagulo. Isaac in Diætis libro tertio, capite de Aceto: Acetum calefactum potui datum, sanguinem & lac in stomacho coagulatum dissoluit. Rasis vigesimo Continentis, capite secundo: Inquit Aaron: Contra coagulationem

lactis in stomacho non debent dari res salitæ, quia magis coagulant lac in stomacho, neque prouocare ei vomitum: quia propter vomitum lac coagulatum veniet à stomacho ad meri & faciet oppilationem, & accident pessima accidentia & angina. Ait Philaretus: Cura sanguinis coagulati in stomacho, est sumere mentham cum sale, vel stercus galli cum sale & melle, aut sal & mel, aut solùm sal grossum. Ait Philaretus: Quidam passus fuit fluxum sanguinis narium, & debilis factus fuit, & iacebat supinus, & ingrediebatur multitudo sanguinis per gulam, & coagulatus fuit in stomacho. Et quando vidi hæc signa cum inflatione ventris, dedi ei mel cum succo apij,: et euomuit sanguinem coagulatum & liberatus fuit: & ex hoc multoties accidit strictura anhelitus vehementer, & adducit anginam nisi succurratur cum vomitu. Ait Ruffus in libro de Nutriendis infantibus: Cura lactis coagulati in stomacho, est sumere succum menthastri cum lacte, quia velociter soluetur. Ait Ruffus in libro Nutrimenti puerorum: Caseus dissoluit subitò lac coagulatum. Aiunt Tabri, Ruffus & filius Mesuay: Acetum dissoluit lac & sanguinem coagulatum in vesica & in alijs partibus. Ait filius Mesuay & Dioscorides: Sumere drachmas duas cineris ficuum & aur. 1. medullæ leporis dissolutæ cum aceto vini dissoluit similiter, et aur. 1. stercoris galli cum aqua calida similiter, aut aur. 1. coaguli leporis & salis gemmę drachmam vnam similiter, et coagulum hœdi cum pauco sale & aqua calida. Dico, expertus sum quòd sal ammoniacum valet ad hoc. Ait filius Mesuay: Quando sanguis coagulatur in vesica, detur aur. 1. cordumeni cum aqua calida: aut drachmæ duæ Pæoniæ: aut drachmæ duæ carpobalsami: aut drachmæ duæ blattæ Bisantiæ cum aqua calida, aut coagulum leporis, aut agaricus, aut sisileos, aut aur. aristolochiæ: aut aur. semis assæ: & cibetur ex iure cicerum. Dixit Galenus in libro de Venenis: Quando lac coagulatur in stomacho: Cura, detur in potu acetum cum aqua, aut drachmæ quinque menthastri desiccati, aut drachmæ duæ cineris vitis cum aureo vno coaguli leporis cum aceto vini, aut aureo vno coagulati hœdi: & hæc dissoluunt & expellunt lac coagulatum, aut per vomitum, aut per fluxum. Ait Galenus, Sumere flores cotulæ rubeæ cum aqua mellita dissoluit sanguinem coagulatum in stomacho & in vesica. In libro Theriacæ: Bdellium dissoluit sanguinem coagulatum in vesica & in alijs partibus. In libro Memoriæ: Succus menthæ cum sale non trito, est fortis dissolutionis: et similiter semen nasturcij cum aqua calida, & folia assæ, & sulfur an. cum aceto. Ait Galenus & filius Patriarchæ: Assumptio cotulæ albæ cum aqua mellita, dissoluit sanguinem & lac coagulatum in stomacho & in omnibus partibus: et assumptio picis cum aceto similiter. Ait Christianellus Damascenus: Quando sanguis coagulatur in vesica, detur zaharach, id est, antilios, quæ multum confert: aut dissoluatur drachma semis salis in aqua: & siringetur virga, aut cum aqua cineris. Et assiduetur potus syrupi acetosi, & theriacæ & rerum prouocantium vrinam, & emplastretur vesica exterius ex medicinis educentibus lapidem & dissoluentibus sanguinem. Ait Paulus: Medicinæ quæ dissoluunt sanguinem in vesica, sunt arthemisia, semen radicum, assa, succus apij, acetum forte, coagula, & aqua cineris. Et euaporetur exterius cum spongia plena aqua maris calida, aut cum cinere calido, & si non dissoluitur, scindatur vesica, sicut fit in extractione lapidis. Ait Diotosius: Melior cura ad dissolutionem lactis & sanguinis coagulati in stomacho, est dare theriacam de terra sigillata. Medicina multùm iuuatiua ad hoc. Recipe terræ sigillatæ drachmas octo coaguli leporis drachmas triginta sex, Gentianæ, Aristolochiæ rotundæ

tundæ

tundæ, seminis rutę syluestris, myrrhę & assæ an. ʒ. iiij. informentur cum melle. dosis ad modum nucellæ cum aqua calida ieiuno stomacho, aut cum syrupo acetoso. Et si hoc non inueniatur, detur de cardamo cum aqua calida. Ait Abdus aliàs Abda: Succus menthæ cum modico salis non minuto iuuat. Rasis 21 Cont. cap. de Cotula minori, i. cotula alba & cotula maiori, i. cotula rubea, siue bihar, siue buphthalma, siue oculo bouis, vel vaccæ. De natura cotulæ minoris, i. cotulæ albæ, est incidere & subtiliare humores grossos, &c. Et firmæ opinionis hominũ hoc est, quòd dissoluit sanguinem coagulatum in stomacho & vesica, & debet exhiberi cum hydromelle: & desiccat omnes superfluitates fluentes ad stomachum, & hæc cotula quæ est alba, est calida in 3, & sicca in 2, Cotula verò maior & rubea incidit & subtiliat chymos, & prouocat menstrua: & quando sumitur cum vino & melle dissoluit sanguinem coagulatum in corpore. Cap. de Pomo paradisi, seu ficu Pharaonis. Et huius s, supple, cineris arboris ficus lixiuium recens datur in potu contra sanguinem coagulatum in stomacho propter casum aut aliud. Libro vigesimo secundo, capite de Ydirdachat, id est, vt credo, zahdarach, id est, antilios. Dixit Tabri: Si datur in potu succus foliorum ipsius, emittit sanguinem coagulatum de vesica. Rasis octauo Almansoris, capite de Lacte & sanguine quæ in stomacho coagulantur: Ex ijs quæ ad hoc valent est, vt succurratur, & detur de coagulo leporis pondus vnius aurei cum fortissimi aceti ℥. 1. aut donetur ei assa ad fabę magnitudinem, aut detur ei de lacte fici siccato, quantitas ʒ. 1. & cum pauco nasturtio & aqua calida bibatur, aut succus menthastri ei tribuatur vel syrupus acetosus ex melle factus, qui multum acer sit, ei donetur. Postquàm autem vomitu aut egestione lac expulsum fuerit ex illo, da illi hydromel cum aqua in qua apium coctum fuerit adbibendum. Aqua quoq; calida multoties est ei danda. In istis præterea accidentibus plerunq; contingit sanguinem in stomacho congelari, quod istis curis medicandum erit. Sed si sanguis in vesica congelatus fuerit, ex medicinis, quibus lapis purgatur, curandus erit. Rasis in Diuisionibus, capite centesimo quadragesimo tertio, s. de Remedijs venenorum: Ille autem qui bibit lac, & adueniunt ei post ipsum mollificatio, & nausea, & sudor frigidus, bibat acetum forte, deinde sumat ex assa, aut ex calamento, aut syrupum acetosum, ʒ. 1. vna vice post aliam. Albucasis 2 part. Azarauij, tract. 2, ca. de Lacte coagulato in stomacho: Curatio eius, est quòd euomat à vomitu, et bibat de coagulo leporis ʒ. i. ſ. cum ℥. i. aceti vini fortis, vel bibat pondus ʒ. i. altit. id est, assæ fœtidæ cum aqua calida, vel bibat ex stercore gallinaceo cum aceto, vel bibat mel cum aqua & niue, vel bibat pondus ʒ. i. lactis ficus sicci, vel bibat ex puluere nasturtij cum aqua calida. Auicenna quarto canone, fen sexta, tractatu secundo, capite de Sanguine congelato: Sanguis congelatus, cum congelatur in ventre, est proculdubio venenum huius generis, licet ipse non adeptus sit venenositatem extra corpus: quoniam ex ipso vbicunque congelatur in eo scilicet ex concauitatibus ventris. s. pectoris & stomachi, aut intestinorum & vesicæ accidunt accidentia mala. Medicinæ communes ad illud, sunt alachoen alba propriè, & rubea, id est, cotula alba, seu amaracum, & cotula rubea, seu bihar, seu buphthalmum, seu oculus bouis, etiam & bdellium & alhasce, id est, thymus, & coagulorum tres oboli, id est, ʒ semis & propriè coaguli leporis, & lac fici & acetum acutum, & altit. i. assa fœtida, & aqua cineris lignorum fici iterata, & ex eis quæ dixerunt, et est mirabile etiam lac caprinum. Dixerunt enim quòd ipsum liquefacit omne congelatum in concauitatibus. Et iterum sumantur anuiden. i, silphij, id est, plantæ ex qua fit assa & caulium partes æquales, & detur in potu cum aceto, & est medicamen mirabile. Cura congelationis san-

guinis in ſtomacho, & in veſica. Nos iam diximus iſtud in libro terito ſemel. Quare apponamus nunc duo capita, & dicamus quòd habens illud oportet vt euomat ſi poteſt cum melle, & ſucco apij, & confert ad illud theriaca de terra ſigillata. Et farina carthami, cùm ſoluitur in aqua calida, eſt iuuatiua valde. Et eſt hoc medicamen: Recipe terræ ſigillatæ viij, ſcilicet ſigilla, ſiue formellas, coaguli leporis, ℥.xxxvi. coaguli gazelis ℥.xxxij. gentianæ, ariſtolochiæ rotundæ, ſeminis rutæ ſylueſtris, myrrhæ omnium, an. ℥.iiij. conficiantur cum melle. Et ſit doſis eius ſicut nux in aqua calida, aut in ſyrupo acetoſo. Et iterum cineris ficuum ℥. ij. cum medullę leporis quantitate aur. 1. & exiſtimo quòd eſt coagulum liquefactum in aceto vini, & bibatur. Et ſal gemma cum coagulo hœdi iterum, aut aur. 1. ſtercoris canis. Et appropriatur ei quod de eo congelatur in veſica, vt infirmo detur ſuccus foliorum zedarac, id eſt, vt credo, zaharach, id eſt, antilios: ei enim proprietas ineſt mirabilis in hoc, & aſſiduet potum ſyrupi acetoſi aut in aceto iterum: acetum enim eſt bonum huic rei. Et ſimiliter aur. 1. cordumeni cum aqua calida & medio aur. altit, id eſt, aſſæ fœtidæ. Aut detur ei in potu agaricum, aut ſiſeleos aut aliquid coagulorum: aut ℥. ij. carpobalſami, aut ℥. ij. blattæ Biſantiæ, aut ℥. ij. ligni pæoniæ. Et adminiſtrentur medicinæ frangentes lapidem bibitę & clyſterizatę & linitę. Et initiatur in veſica eius pondus nuclei ſcilicet oliuæ vnius ſalis triti in aqua. Aut adminiſtretur aqua cineris vitis. Si verò hoc non valuerit, non erit excuſatio ſcindendi à ſanguine congelato, & extrahendi eum ſicut extrahitur lapis. Cap. de Congelatione lactis in ſtomacho: Oportet vt alienetur ille in cuius ſtomacho caſeatur lac à ſalitis: ipſa enim addunt ei caſeitatem: verùm oportet vt detur ei in potu acetum ſolum aut miſtum cum aqua. Et detur ei in potu calamenthi ſicci pondus ℥. 1. quoniam eſt mirabile reſoluens ipſum ſtatim: & propter virtutem ſuam in hoc prohibet lac multum à congelatione, & conſeruat ipſum. Et detur in potu de coagulis aliquid vſq; ad aur. 1. ipſa nanque reſoluunt ipſum, aut educunt ipſum per vomitum aut ſolutionem. Et dentur in potu iterum medicinæ prædictæ ad congelationem ſanguinis in ſtomacho, & propriè quæ fiunt de terra ſigillata, & de illis quas ſcis. Et medicamen alanuiden, id eſt, ſilphij, & caulium, & dentur in potu cum æqualitate in aceto. Et aqua cineris ligni fici iterum, quando iteratur & adminiſtratur cinis in ea. Plinius Secundus de Naturali hiſtoria libro 23, cap. de muſtis. Muſtum omne priuatim valet contra lactis coagulationem, etiam ex oleo potum, redditumq; vomitionibus. Cap. de Caprifico: Groſsi caprifici reſiſtunt lacti coagulato poti. Libro 28, capite de Remedijs ad morſus beſtiarum & ad venena. Aſinino lacte poto venena reſtinguuntur, peculiariter ſi coagulum alicui nocuerit: nam id quoque venenum eſt in prima coagulatione. Halyabas in Regali diſpoſitione, quarto Practicæ, capite de Eius medicina, cui lac in ſtomacho coagulatum eſt, &c. Lac quoque & ſi nimium bibatur, coagulatur in ſtomacho & maximè quod groſſum eſt, &c. Et eius cura, eſt propinare illi ſequebenegum, id eſt, ſerapinum lotum cum aqua calida & ſebeto, id eſt, anetho, & vomitus fiat vt ſtomachus mundetur: propinetur autem leporis coaguli obolus, 1. id eſt, ℈, ſemis, cum aceto, meliúſque leporis coagulum ſi cum cinere propinetur vitis, comedatq; piper cum melle: quia lac diſſoluit coagulatum & ſubtiliat. Gilbertus Anglicus ſeptimo ſui Compendij medicinæ, capite de Sanguine & lacte coagulato. Contra ſanguinem coagulatum in ſtomacho mirabile eſt lac caprinum: ipſum enim ſtatim diſſoluit, &c. Si lac coagulatur in ſtomacho propter coagulum bibitum cum lacte, abſtineat à ſalitis, quia faciunt caſeitatem: detur acetum cum aqua in potu vel de ſucco calamẽthi ℥. v. al. ℥. v. quia reſoluit ipſum ſtatim: hoc etiam multũ prohibet lac à

coagu-

coagulatione. Guilielmus de Placentia tertio suæ Practicę, parte secūda cap. 13 insequitur protinus Auicēnam loco præscripto. Petrus de Abano in suo tractatu de Venenis, cap. de Lacte coagulato in stomacho. Si lac biberit aliquis fueritq́ coagulatum in stomacho, eius cura erit bibere acetum fortissimum: postea sumat de assa fœtida ʒ.1 aut de syrupo acetoso.℥.1. vice vna post vicem. Ioannes Gadesden, secundo suæ practicæ dictæ Rosa cap. vlt. in fine cap. Si sanguis coagulatus vel congelatus interius fuerit, detur coagulum leporis & vinum calidum & acetum acutum, lac fici & aqua cineris lignorum fici, aut sifeleos aut agaricum, aut carpobalsamum, & caueant à salsis. Sed contra coagulationem lactis, detur acetum solum aut mistum cum aqua: & detur in potu calamēthi sicci pondus ʒ v. quoniam est mirabile soluens ipsum statim: & aqua cineris ligni fici valet in omni coagulatione sanguinis & lactis: & oportet aliquando dare cinerem illum in ea: & in coagulatione sanguinis in vesica dentur diuretica, & clystere fiat de eis: & aqua cineris vitis optima est: nisi enim ista curent, oportet talem sanguinem extrahere cum incisione sicut lapis extrahitur, & in omnibus istis spongia infusa in aceto decoctionis calamēthi ligni pæonię, & blattæ bisantiæ superposita loco, dissoluit sanguinem & lac: vnde comedentes lac debent ipsum accipere cum melle, vel sale, vel cum mentha nisi stomachus sit cholericus valde: & nisi in lacte extinguantur lapides fluuiales vel ferrum candens.

De Sanguine menstruo & sanguine leprosi Cap. XXV.

SAnguinem menstruum voco non omnem sanguinem ex matrice manantem, sed tantummodo sanguinem naturaliter ex matrice mensatim ruentem seu emanantem, siue mensatim naturaliter ruere seu emanare ex matrice debentem. Sanguinem verò leprosi assero esse sanguinem ex leproso seu leprosa qualitercumq́ extractum.

NATVRA cuiuslibet præfati sanguinis, est frigida & sicca & melancholica & grossa.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem cuiuslibet prædictorum sunt quòd assumens videtur esse lunaticus seu facturatus seu maleficiatus, & fit obliuiosus & leprosus. Causa prædictorum accidentium, est eleuatio vaporū melancholicorum à dicto sanguine ad cerebrum, passionem melancholicam ibidem generantium: quare videtur lunaticus seu facturatus seu maleficiatus, & eorum grossitie oppilantium postremi vētriculi cerebri vias, vbi virtus memoratiua viget: quare fit obliuiosus, & generatio humoris melancholici ex eo conuertentis alios humores, eius malitia venenosa ad naturam ipsius disponēdo hepar ad generandum sanguinem similiter melancholicū: quia fit leprosus.

SIGNA assumptionis cuiuslibet prædictorum, sunt accidentia prænarrata & informatio habita de eorum assumptione.

PRAESERVATIO fit cum in vniuersali præseruantibus à venenis dictis superius in octauo cap. primi libri & cautè se præcauendo ab eorum assumptione.

CVRA verò fit in vniuersali cum supradictis in nono cap. primi libri. In speciali verò cum curantibus melancholiam & obliuionem dictis ab auctoribus in cap. proprijs, specialissimè verò cum his quæ infra describam. Geber in libro de Floribus naturarum: Si seruaueris menstruum mulieris & dederis alicui ad bibendum, fiet leprosus, & si dederis in balneo cito morietur. Remedium ad hoc. Accipe sperma hominis & da illi cui datum est menstruum, & cui male herbæ datæ fuerūt & sanabitur. Rabbi Moyses in libro de Venenis cap. de sanguine menstruo: Retulerunt mihi quidam medicorum quòd

ipsi inuenerunt cum magno scrutinio, & sciuerunt tam à seipsis quàm à suis antecessoribus, quòd quædam meretrices deceperunt sic plures manifestè. Fuit autem illud in quo fefellerunt eos sanguis menstruus in parua quantitate in cibis propinatus: & inde passi sunt cruciatus maximos: hoc autem nunquam inueni scriptum in libris medicorum quos vsq; ad hunc diem legi: & multo minus inueni tractatum seu cap. speciale de regimine & cura ipsius: retulerunt nihilominus mihi præfati medici quòd ipsi liberauerunt plures in principio ab huiusmodi langoribus cum regimine generali supradicto asserentes quòd eorum cura fit, si sumant sequētes medicinas per se vel simul mistas. s. coagulum, sal nitrum, semen caulium, cinis ligni ficus, succus arboris mori. Accipiantur ergo per se vel simul mista secundum exigentiam temporis præsentis & ætatis: horum tamen nullam habeo experientiam: videtur tamen mihi expedire vt referem ea quibus alij à me possint consequi iuuamentum, vt experiatur prudens & probet ea secundum quod sibi videbitur expedire: & mihi quidem videtur expedire vt non sumatur cibus de manu suspecti nisi prius ipse comederit ex eo etiam in magna quantitate sicut faciunt coci quorundam regum quos ego vidi. Petrus de Abano in tractatu de Venenis cap. de Sanguine menstrui aut leprosi. Eius cura, est potare margaritas tritas ℥.i. cum aqua melissæ & balneari in aqua tepida & coire cum puella secundum legem, & amplexari & conuersari cum puellis & iuuenculis; & eius bezaar, est comedere serpentes à quibus capita & caudæ per palmum sint abscisa.

De sanguine hominis cholerici rufi, extracti tempore rixæ seu furoris sui, Cap. XXVI.

SAnguinis hominis cholerici rufi tempore rixæ seu furoris sui extracti nempe quiditas, nota est.

NATVRA eius calida est & sicca valde & generatiua humoris calidi & sicci valde, adeo vt dici possit quodammodo venenosa.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem ipsius, sunt furor mentis, permistio intellectus seu alienatio & inuerecundia. Causa prædictorum accidentium, sunt vapores furiosi excessiuè calidi & sicci eleuati ad cerebrum, se spiritibus præcipuè animalibus commiscentes.

SIGNA assumptionis eius sunt accidentia prænarrata & informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit cautè se præcauendo ab assumptione eius.

CVRA verò eius fit cum vomitu celeriter facto post ipsius assumptionem & postea cum rebus valde frigidis & humidis notis à perito medico: quæ tamen specialiter pro eius cura dicuntur infra describam, Petrus de Abano in tractatu de Venenis cap. de Sanguine hominis cholerici rufi, &c. Ille cui in potu datus fuerit sanguis hominis cholerici rufi extractus in tempore rixæ suæ aut furoris, patietur furorem mentis & permistionem intellectus & inuerecūdiam: & eius cura, est bibere aquam cucumeris Palestini, & masticare grana ipsius, & deglutire succum eius & potare syrupum nenufarinum: & eius bezaar, est trochiscus vnus de tyro.

De sudore bestiarum, & specialiter equorum: Cap. XXVII.

SVdor bestiarum seu equorum sicut quorumcunq; aliorum animalium, est aqueitas sanguinis, cui pus cholericum est admistum superfluens ex vltima eorum digestione.

NATVRA eius calida est & sicca, mordicatiua & venenosa.

ACCIDENTIA consequentia assumptionem ipsius, sunt viriditas faciei, tumefactio eius, angina, præfocatio, & exitus multi sudoris fœtidi ex corpore, & præcipuè ex sub axillis. Causa viriditatis faciei & tumefactionis eius, est resolutio spirituum, & caloris innati præcipuè faciei, ad quam sequitur infrigidatio eius, & consequenter ipsius viriditas: ad quam infrigidationem & resolutionem caloris innati, sequitur etiam tumefactio eius propter irresolutionem superfluitatum ipsius: prædicta autem spirituum & caloris innati resolutio fit principaliter à præfati sudoris venenosa qualitate occulta, seu proprietate, & non à qualitate manifesta. Causa anginæ & præfocationis, est venenosa ipsius caliditas & siccitas mordicatiua mordicans gutturis partes, ad quod sequitur cõcursus ibidem humorum facientium anginam & præfocationem: posset etiam esse causa descensus catarrhi factus ob irresolutionem superfluitatum cerebri factam propter resolutionẽ spirituũ & caloris innati causa prædicta. Causa exitus multi sudoris fœtidi ex corpore & præcipuè ex sub axillis, est prædicta resolutio spirituum & caloris innati, ad quam sequitur irresolutio superfluitatum & corruptio earum non debitè regulatarum à calore naturali ob ipsius resolutionem: propter quod membra conantur ea expellere per sudorem. Et quia cor est membrũ quod principalius patitur: idcirco ex sub axillis, quę sunt ipsius emunctoria præcipuè, multus fœtidus sudor egreditur.

SIGNA assumptionis eius, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita de eius assumptione.

PRAESERVATIO fit cum præseruantibus à venenis in generali supradictis in octauo cap. primi libri; & cautè se præcauendo ab assumptione eius.

CVRA fit cum his quæ ex auctorum mentibus infra describam, subueniendo accidentibus consequentibus cum his quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Rasis 20 Continentis cap. secundo: Ait Iudæus: Si homo biberit sudorem equorum, fiet facies sua viridis & tumefacta, & egredietur sudor sub axillis: & tunc prouoca vomitum cum aqua frigida: & sumat sapam. i. vinum mustum coctum vsq; ad consumptionem duarum tertiarum partium eius cum oleo rosaceo & modico aristolochiæ & sale cum tepida. Rasis 8 Almansoris cap. de his quibus sudor bestię in potu datus fuerit: Eum vomere fac cum aqua & melle multotiens, ac deinde rob de musto & oleum rosaceum sępe sunt tribuenda. Quin etiam aristolochiæ põdus ʒ. semis & salis gemmę tantundem cũ aqua tepida propinetur, ac de theriaca terræ sigillatæ detur. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu 2 cap. de Potu sudoris bestiarũ: Curatio eius, est quòd vomat cum aqua & melle pluries, & bibat pondus ʒ semis *aristolochię*, & tantundem salis Adriani cum aqua tepida. Et sumat de electuario boli suprascripto in 15 cap. pręsentis libri, auctoritate Albucasis loco præallegato, cap. de Potu fellis leopardi. Auicenna 4 canone, fen 6, cap. de sudore animalium. Euomat cum aqua tepida, & detur vinum cum olei rosacei pondere ʒ semis, & rheubarbari ʒ semis, & salis gemmæ. Et cõfert ei *theriaca de terra sigillata*. Halyabas in Regali dispositione 4 Practicæ, cap. de eius medicina qui caudæ *cerui extremum, aut animalis sudorem biberit: Patienti* aquam propina calidam & mel, oleumq; violaceum, aut amygdalinum cum vino rubeo. Aristolochiæ & salis æqualiter bibat ʒ semis cum aqua calida; & tantundem magnæ da theriacæ, quoniam proderit.

LIBER QVINTVS DE VENENIS EXTERIVS APPROXIMATIS IN GENERALI: & præsertim de morsuris & puncturis animalium præcipue uenenosorum in generali: & de gladio & sagittis uenenatis in generali: & de sagittis Armenis in speciali.

De Modis quibus uenena exterius approximata corpus humanum interimunt, & de quiditatibus morsuræ & puncturæ animalium uenenosorum serpentium & repentium, & de naturis earum morsurarum & puncturarum in generali, & de accidentibus ipsas consequentibus, & eorum accidentium causis, & ipsorum signis in generali, Cap. I.



Eterminaturus in præsenti quinto tractatu de venenis exterius approximatis in generali: & præsertim de morsuris & pūcturis animalium præcipuè venenosorum in generali: & de gladio & sagittis venenatis in generali: & de sagittis Armenis in speciali, præmitto quòd venena exterius approximata principaliter tribus modis corpus humanum interimunt: Primo modo mediante solutione continui per venas & arterias penetrando ad cor, corrumpendo spiritus præcipuè vitales, & ipsum cor quod est vitæ principium, & consequenter alia, vt contingit in morsuris & puncturis animalium præcipuè venenosorum: quorum venenum principaliter in eorum saliua consistit: & in solutionibus continui factis à gladijs & sagittis venenatis: Secundo modo penetrando in porositates corporis & consequenter per venas & arterias ad cor: vt contingit militi cuius ex tactu basilisci cum lancea mediantibus vaporibus ab eius corpore eleuatis, manus & totum corpus fuerunt mortificata: Tertio modo penetrando per os & nares ad pulmonē & consequenter ad cor: vt contingit ex insufflatione botracis seu botti, siue bufonis cum maximè commouetur ad iram: & ex mora prope basiliscum, præcipuè cum quis intuetur ab eo, & ex sibillatione reguli qui est species basilisci: quorum vapores venenosissimi per os vel nares penetrantes ad pulmonem & consequenter ad cor interimunt. Morsura propriissimè dicta, est solutio continui ore & dentibus facta: minus verò propriè dicta, est solutio continui ore quomodocunque facta. Punctura est solutio continui à re multùm acuta, vt est aculeus vespę vel apis & scorpionis cauda qualicunque facta. Animalia venenosa, sunt animalia quæ respectu hominis venenositate participant. Serpentes propriè dicuntur animalia quæ non habentia pedes, serpunt motu corporis per inflexuras, aut per motum costarum. Repentes propriè dicuntur animalia, quæ, licet pedes habeant, his tamen potius repunt quàm ambulent, eo quòd tam pedes eorum quàm crura & coxæ iacent super terram quando ambulant sicut patet in lacerta & consimilibus. Et licet propriè serpentes à repentibus differant: communiter tamen auctores repentes etiam serpentes appellant. Morsura autem dicitur à mordendo, punctura verò à pungendo. Animalia venenosa dicuntur à venenositate participando, respectu hominis, quanuis fortè non respectu alterius animalis, vt facit scorpio respectu hominis & non respectu gallinæ. Serpentes dicuntur à serpendo, & repentes à rependo.

NATVRAE morsurarum & puncturarum, variæ & diuersissimæ sunt iuxta varietates & diuersitates animalium mordentium & pungentium, quæ in tribus sequentibus libris patefient. Ipsa autem animalia venenosa in eorum naturis principaliter tripliciter variantur. Quædam enim interficiunt infra

fra tres horas: quædam verò interimunt in valde longo tempore: aut nequaquàm interimunt eo quòd non habent venenum de quo sit curandum: idcirco faciunt suo morsu vlcus tantùm, & tumorem in eo. Quędã autẽ medio modo se habent. Insuper prędicta animalia in speciebus eorum etiã non modicũ variantur iuxta varietatem regionum eorum locorum, temporum anni, ætatum, sexuum, quantitatum corporum, repletionum & vacuitatum, passionum animalium virtutum, & consimilium. Animalia nanq; prædicta venenosiora sunt in regionib. calidis quã in frigidis, in locis mõtuosis & siccis quã in planis & aquosis, in æstate, quã in hyeme, in senectute, quã in iuuẽtute, existẽtia masculi quàm existentia fœminę, existentia magni corporis quàm existẽtia parui corporis, existẽtia famelica quàm existentia repleta, existentia irata seu furiosa, & ad coitum incitata, quàm existentia quieta in præfatis passionibus, existentia ferocia, & robusta quàm existentia imbecilla, & infirma, & consimilia. Albucasis tamen secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Morsu viperę & serpentis in tribus ex supradictis discordare videtur, dicens quòd viperę & serpẽtes fœminę peiores sunt masculis, & quòd minores in suo tẽpore & iuuenes peiores sunt maioribus, & antiquis. Nõ tamen in rei veritate discordat, si cætera ponantur paria, vt poni debent, & si bene intelligatur: vult enim quòd fœminę peiores sunt masculis quia plura vulnera faciũt, propter plures habere dentes, & quòd minores, præsupposita virtutis paritate, sint peiores maioribus, quia virtutem habent magis vnitam: & quòd iuuenes peiores sunt antiquis, quia iuuenes maiorem habent virtutem vt plurimum quàm antiqui. Sed pręsupposita in cæteris paritate, antiqui peiores sunt quàm iuuenes: quia venenũ magis malignum habent, videlicet, magis grossum, & tardius resolubile. Et maiores, peiores sunt minoribus: quia maiorem virtutem habent. Et masculi, peiores sunt fœminis: quia calidiores & ferociores sunt.

Serpentes autem pręsertim à præclaris auctoribus, vt de venenosis animalibus supradixi, triplici ordine collocantur. In primo nanq; ordine ponũtur serpentes eorum morsus venenositate interficientes infra tres horas, aut ad plus infra tres dies: nisi diligentissimè succurrat, vt basiliscus. In secundo ordine ponuntur serpentes interficientes eorũ morsu infra septem horas, aut ad plus infra septẽ dies vt plurimum: vt vipera. In 3. verò ordine ponuntur serpentes potius eorum morsu solutione continui quàm venenositate lędẽtes, vt draco.

ACCIDENTIA morsuras & puncturas præfatas consequentia similiter, sunt diuersa iuxta diuersitates naturarum animaliũ prædictorum inferius scribendarum, & iuxta diuersitatem locorum, in quibus morsuræ accidunt. Si enim acciderint in venis pulsatilibus, citius perueniet nocumentum ad cor faciendo syncopen, &c. Si in venis non pulsatilibus, citius perueniet nocumẽtum ad hepar faciendo icteritiam, &c. Si in neruis, citius perueniet nocumentum ad cerebrum faciendo permistionẽ intellectus, &c. Si in carne, citius corrumpendo carnẽ, &c. Si prope cor aut hepar aut cerebrum, citius inducendo in eis læsionem, & mala accidentia illis proportionabilia. Si longe tardius inducendo &c. & sic de alijs: & consimiliter diuersificantur eorum accidentium causæ.

SIGNA verò ipsarum ex sæuis accidentibus comprehenduntur. Si nanque fuerint morsuræ vel puncturæ animalium venenosorum frigidorum, sequentur accidentia frigiditatis similia accidentibus consequentibus assumptionem venenorum frigidorum descriptis in libris præcedentibus. Si verò fuerint morsuræ vel puncturæ animalium venenosorum calidorum, consequentur accidentia caliditatis similia accidentibus consequentibus assumptionem venenorum calidorum, & sic de alijs.

De Præseruatione in generali à morsuris & puncturis animalium præcipuè uenenosorum, fugando, uel occidendo, uel prohibendo fieri morsuras siue puncturas, uel qualitercunq; aliter faciendo: & de præseruantibus in generali à nocumentis earum,

Cap. II.

QVoniam semper præstãtius est ab ægritudine præseruari, quàm ægritudinem incurrere & post curare: idcirco vtile fore prospexi inserere in præsenti cap. ea quæ illustres ac præclarissimi medicinę auctores asseruerunt esse in generali præseruantia à morsuris & puncturis animalium præcipuè venenosorum, ea fugãdo vel occidendo vel mordere siue pungere prohibendo, vel qualitercumq; aliter faciendo: & etiam inserere ea quæ præfati auctores asseruerunt esse in generali præseruantia à nocumentis prædictarum morsurarum & puncturarum. Multo nanq; melius est, postquàm quis morsus seu punctus fuerit, ipsum à nocumentis communiter consequentibus præseruare quã dimittere nocumenta consequi & post curare, aduertendo quòd plurima ex præseruantibus in generali à venenis & à mortiferis medicinis, quæ per os cõmuniter assumũtur, suprascripta sunt in octauo cap. primi libri. Sunt etiam partim præseruantia à morsuris & puncturis animalium venenosorum & partim à nocumentis earum.

Dioscorides in libro de Simplicibus cap. de axungia omni: Ceruino adipe homo perunctus bestias expellet omnes: est repercussibilis causa odoris quo serpens fugatur. Cap. de Acanthaleuce. i. bedeguard. Spina alba. i. bedeguardi, seu bedeoard, nascitur in montibus, &c. Semen eius bibitum, morsibus venenatis occurrit. Et qui eam in collo portauerit incursum serpentium nõ timebit. Cap. de Abrotano: Abrotanum fumigio suo serpentes de domibus excludit. Cap. de Anchusa. Anchusæ duo sunt genera: quarum vna habet folia lactucæ similia, scilicet acuta & aspera & nigra & spinosa. Radix est ei, digiti habens in gyro grossitudinem, & coloris sanguinei æstate, inficiens digitos: nascitur locis cultis, folia habens in gyro super terram spansa. Alia anchusa (quam multi albicidion aliàs alcibiadion dicunt) suprascripta minor est, quę folia minora habet & asperiora superiore, virgas similes supradictæ, sed tenues, super quas florem purpureum, aut phœniceum profert: radices habet rufas & oblongas: nascitur locis arenosis. Virtus est radici & folijs eius vt morsibus venenatis occurrant. Si manducata fuerit, & bibita, & in collo ligata, vim venenosorum non admittit. Cuius folia, si masticata conspueris, serpentem occides. Est alterum genus anchusæ simile suprascriptæ, sed minus semen habet, & colorem phœniceum: & istud similiter masticatum & consputum, celerius serpentibus infert mortem. Cap. de Ampelo leuce, seu bryonia, seu vite alba. Ampelos leuce, tam laudabilis est, vt in theriacas potiones mittatur. Item si tecum eam portaueris, omnia mala à te fugiẽt. Cap. de Agno vitice. Agnus siue agnus castus, duas habet species: altera est cum flore purpureo: altera est cum albo. Sub lecto positus, serpentes longius arcet, & fumigatione sua id præstare nouit. Cap. de Cardamo. i. nasturtio: Fumigatio eius, serpentes fugere facit. Cap. de Calamẽtho. Calamenthum multi pulegium agreste vocant. Eius species tres sunt. Est enim syluestre cum folijs ozimo similibus atq; subalbidis, & ramis geniculatis vel angulosis cum flore purpureo: folia eius odore pulegio similia sunt, folia tamen maiora. Item secunda species appellatur agreste pulegium, quam specialiter latini nepitã vocant. Tertia species est similis menthæ agresti cum folijs oblongis: cuius virga & rami maiores sunt, sed virtute inferiores: virtus tamen omnium calida & sicca nimis est, & viscida. i. mordicatiua, partem habens extenuatoriam, radix autem inutilis est: nascitur in campis apertis

apertis, & locis aquosis. Bibita & imposita morsibus venenatis occurrit: venenis potestatem amputat: fumigio suo serpentes de domibus excutit. Cap. de cornu ceruino. Cornu ceruinum, si fumum fecerit, serpentes longius arcet. Cap. de conyza. i. pulicaria. Conyza. i. pulicaria, alia est maior atq; odoris grauis, alia parua & odoris iocundi. Inter has alia est media grauabilis odoris. Radix est illi inutilis. Omnis frutex cum folijs suis fumigatione adhibitus & suppositus, venena longius arcet. Folia eius in cataplasmate adhibita, morsus venenatos mitigant. Media verò conyza, hastam habet grossam, & leuia folia, & paulò maiora. Maior verò non pinguia, nec maiora habet folia, sed grauem iactantia odorem. Viperas & serpentes fugat. Cap. de Dragontea: Dragontea, siue vt alij asclepias, siue vt Latini colubrina vel viperina: Radix eius, bulbi habet rotunditatem. Dicitur, quòd si quis ex ea radice se vnxerit, tutus ab incursu serpentiũ seruatur. Cap. de dictamno. Dictamnũ odore suo incensum, viperas & serpentes interficit. Cap de Galbano: Galbanum fumigio serpentes excludit, oleo mistum & perunctum serpentium vim non admittit. Item cum oleo & spondylio mistum & à serpentibus comestum, ijsdem infert necem. Cap. de Gentiana: Gentianæ radix, acrimonia & amaritudine sua serpentes fugat. Cap. de sacra herba: Hierobotane, herba est porrecta virgultis vltra cubitum geniculosis cum folijs per interualla distantibus tanquam quercus incisis, & subalbidis. Radix eius in collo ligatur: hanc qui secum habuerit, à serpente tutus erit. Cap. de Iunipero: Iuniperus arbor est: alia est parua, alia magna. Prunis impositæ fumigio suo serpentes fugant. Cap. de Lysimachia. Lysimachia hastas habet altas, tenues & fructicosas, circa quarum nodos folia minuta habet salicis similia, gustu styptica, & florem purpureum, aut luteum: nascitur in locis humectis. Herba suffumigatione adhibita, vim veneni longius arcet. Cap. de Leuce: Leuces duo sunt genera: vna est montana, & alia est satiua. Ambæ verò cum vino bibitæ, morsus venenosos prohibent. Cap. de Lapide gagate. Gagati virtus est malactica, & diaphoretica. Venena excludit. Accensus in aqua ardet: solùm oleo extinguitur. Incensus serpentes fugat. Cap. de Melanthio: Melanthium fumigio suo, serpentes de domibus excludit. Cap. de malis æstiuis. Folia (supple malorum matianorum) siccata & fumigata in carbonibus serpentes fugant. Cap. de Medulla omni: Medulla ceruina peruncta, omnium bestiarum venena expellit. Cap. de Origano: Origano Græci tria nomina posuerunt: ex quibus vnum tragoriganum vocauerunt, quod maioris virtutis atque efficaciæ sentitur in ratione medicinæ: hoc serpentes fugat. Cap. de opopanace: Opopanax, fugat serpentes suo suffumigio. Cap. de Polio: Polium strato compositum, serpentes longe arcet. Cap. de Peucedano: Peucedanum suffumigatione sua, de domibus serpentes excludit: Radix incensa, viperas & serpentes fugat. Cap. de Pastinaca: Pastinacæ omnis vis in radice & in semine constituta est. Negant percuti à serpentibus, qui pastinacam secum ferunt, vel antè gustauerint. Cap. de Scordeo. Scordeon magnam habet vim: omnibus quippe pernitiosis hominum malis, vehementer resistit. Scorpiones & serpentes, itémque & alias latentes bestias odore solo fugat. Cap. de Serpyllo: Serpentes & omnia animalia venenata adusti serpylli odor repellit: ideo & messoribus in cibo miscetur, vt fatigatos fortis somnus cum oppresserit, tuti quiescant contra animalia, quæ his temporibus venenatis morsibus sæuire consueuerunt. Atque vt serpylli potentiam intelligas, subdidi theriacam in templo Aesculapij ab Antiocho rege Syriæ versibus dedicatam, in qua non leuem sibi meruit portionem. Est autem compositio hæc: Trifolij, opopanacis, serpylli,

an.ʒ.v.aliàs.ʒ.viiij.aniſi,fœniculi,amili,apij ſeminis an. ʒ. x. aliàs ʒ.xiij. orobi fa
rinæ ℥. i.aliàs ʒ.xij.hæc ſimul trita vino quàm poteſt optimè colligũtur,& in pa
ſtillos victoriati ponderis ℈.iiij.aliàs v.digeruntur.Ex his ſingulis dantur ex vi
no miſtis cyathis tribus.i.℥.iiij ſemis.Hac theriaca magnus Antiochus ſemper
eſt vſus aduerſus toxica,& potionem malam,& animalia venenata.Cui quan-
tum debuerit, ex eo licet colligere, quòd teſtimonij ſui arbitrum medicinæ
deum fecerit. Cap.de Betonica:Quiſquis hanc herbam biberit,vim veneni
non admittet.

Andromachus in libro de theriaca: Primũ & melius quod datur in potu de
theriaca,eſt ad prohibendũ nocumentum medicinarum nocentiũ,ſiue interfi
cientium propter id quod iam bibitum eſt,aut propter id de cuius potu time-
tur,& ad puncturã reptilium habentium venenum cum quantitate trium cya-
thorum.i.℥.iiij.ſemis vini:& qui bibit ante puncturam alicuius reptilium, &c.
prohibet cauſas vniuerſas,ex quibus timetur generatio ægritudinum in cor-
poribus.

Galenus nono de Simplici medicina cap.de Lemnia ſiue terra ſigillata:Li-
brum accepi ſcriptum à quodam localium virorum,in quo docebat totum v-
ſum Lemniæ terræ: vtebatur autem ipſe libri conditor hoc pharmaco in mor-
ſis à ſerpentibus & omnino in morſis à feris, & in pernitioſis pharmacis non
tantùm in prædonando,ſed & etiam ſuperdonando.Libro decimo de Saliua:
Secundum totam ſubſtantiam verò ſaliua contrarijſſima eſt feris interficienti-
bus homines.Galenus in libro de Facilè acquiſibilibus ad Solonem cap. vlti-
mo:Fumigationes fugantes venenoſa de domo: Pyrethrum & ſulfur fumiga,
& fugient.Aliud:Cornu cerui & pinguedo idem facit:pellis etiam eius & pe-
des dextri,ſi infigantur in porta, prohibent ingreſſum cuiuslibet venenoſi.
Aliud:Pulmo aſini,ſi fumigetur,omne venenoſum fugat. Galenus in libro de
Simplicibus ad Paternianum:Conyza.i.polycaria eſt omnibus nota,cuius fo-
lia præ acrimonia ſua viperas & ſerpentes fugãt, & ad morſus eorum faciunt.
Cornu ceruinum,ſi ſuffumigatur,viperas & ſerpẽtes fugat.Dictamnum,odo-
re ſuo viperas & ſerpentes occidit.Erice ſimilis eſt myricę,ſed multò breuior
eſt,& acris valde,propter quod & comulæ illius,ſerpentes & viperas fugant.
Gentiana acrimonia & amaritudine ſua poteſt omnem ſerpentem fugare, &
aduerſus venenoſa prodeſſe.Origanum,ſerpentes fugat.Tertium quidem ſa-
tyrium,aliqui herbam baſilicam appellant,cuius folia priori ſatyrio ſ.habẽti ra
dicem duplicem quaſi teſticulos ſunt ſimilia,ſed grauiora & leniora,pũctis a-
peris nigrioribus.Radix eius,pedis vrſi habet ſimilitudinem, florem croceũ:
&,ſi cum aqua vel vino fuerit trita,croceatum efficit colorem : vires habet ex-
calfactorias,& aduerſus venena facientes.quam herbam,ſi quis ſecum habue-
rit,ab omni generatione ſerpentum erit ſecurus.Galenus in libro de Theriaca
ad Pamphilum principem. Si enim,ſicut eſt fama,quæ habetur à multis ad ſo-
las morſuras venenoſorum & ad potiones,deliteriorum.i.mortalium pharma
corum ageret hæc antidotus.i.theriaca,oporteret, ſicut aliquod iocale in do-
mo conſeruatam tenere eam non conſumptam à tempore reuocante vtilitatẽ
quanto verò magis cum his bonitatem habitus promittit & longitudinem vi-
tæ & vigorationem ſenſuum & procurationem ſanitatis? Sed etiam vtiliſſimũ
eſſe puto & in ſanitate non auertere vſum eius , eligendo magis non pati quã
liberari à moleſtantibus paſſionibus:datur aũt ad potationem quidem morta-
lium pharmacorum & ad plagationes venenoſorum de hoc pharmaco auella
næ magnitudo,id eſt aur.1.i.ʒ.1.ſemis cum vini cyathis tribus,i.℥.iiij ſemis & ſi-
militer datur eis qui habent ſuſpicionẽ pharmacationis,& illis qui à cauſa ma-
nifeſta periclitantur.Hoc autem pharmacum datur in matutinis.

Ori-

Oribasius secundo suæ Practicæ cap. ad serpentium morsum: De portulaca serpentem circunda: pro illius virtute serpens non egredietur. Cap. ad fugandum serpentem. Ad fugandum serpentem: Terra ex Hybernia.i. terra Scotorum de ipsa terra serpentem circunda, de eo loco non egredietur. Et in quacunque domo aut agro si ipsa terra aspersa fuerit, nullū genus serpentium intrare poterit. Item de corio ceruino substratum facies, fugat serpentes. Similiter pilos ceruinos in domo mittes, fugant serpentes. Similiter portulaca fracta aut posita per terram, serpentes eijcit: cui tanta virtus est, si serpentē de ipsa circundas, pro eius virtute de eo loco non egredietur. Oribasius 5. suæ Practicę cap. 38. s. ad lapidem gagatem. Ad lapidem gagatem, qui primus in Sicilia inuentus est, ex fluuij fluore reiectus exinde nomen accepit: postea in Britannia plurimus inuentus est, similiterque in India: est enim niger, planus lenis. Incensus, serpentes fugat: vbi ipse lapis in domo erit, nullus maleficus præualebit. Quicunque ipsum lapidem super se habuerit, nullam potionem mortiferam timebit, nec vllum periculum incurret. Similiterque, qui eum secum habuerit, serpens ei non nocebit. Probatus est ab Alexandro & à multis doctissimis medicis. Excerpta ex libro decimo Oribasij: Herba basilisca, Itali enim regulam dicunt, nascitur vbi fuerit serpēs basiliscus. Cuius tria sunt genera. Hęc herba basilisca superat facilè, si quis eam secum habuerit, hos omnes qui sui malitia nocere possint. Hæc herba omnes violentias eorum obtinet. Si quis homo eam secum habuerit, ab omni genere serpentum tutus erit. Est autem herba similis rutæ, lac habens aurosum, simile chelidoniæ, florem aūt chrysocroceum, radicem verò eius quasi pedi vrsi similem: quam qui legit mundus sit & veste munda circumscribat eam auro, argento, cornu ceruino dextro, elleboro, dente aprino dextro, vel cornu taurino dextro, & fruges mellitas alias mellicas, in vestes pone: dum veneris ad legēdum fumum, facias de cornu ceruino & lapide gagate, vt ventus ipsum nidorem portet, vbi fuerit herba, vt ipsius fugatis serpentibus eam legere possis.

Macer in libro de Simplicibus cap. de Arthemisia.

Affirmant quidam quisquis gustauerit illam,
Quòd nullo ualeat nocuo medicamine lædi,
Et quòd eum morsu non appetat ulla ferarum.
Si musto contrita recens seruabitur herba:
Vinum prædictis reddit medicabile morbis.

Cap. de Abrotano:

Serpentes nidore fugat: bibitumque uenena, illorum extinguit.

Cap. de allio:

Et nocui uermes triti pelluntur odore.

Cap. de Betonica:

Si de betonica uiridi fit facta corona,
Circa serpentes, ut Plinius asserit auctor,
Audebunt nunquàm positam transire coronam:
Sed morsu proprio pereunt & uerbere tandem.
Plinius hanc inquit qui secum gesserit herbam,
A nullo poterit nocuo medicamine lædi.

Cap. de Nepita:

Serpentium morsus superaddita trita nocere,
Non finit, & pellit cum uino sumpta uenena.
Fumus de domibus serpentes effugat eius.

Cap. de Nasturtio:

Fortius est herbæ semen, depellit abortum:
Et sic serpentis dicunt obstare uenenis.
Solis odor positus carbonibus effugat illos.

Cap de Pastinaca:

Qui pastinacam fert, aut qui mandiderit illam,
Dicitur à nullo serpentum posse noceri.

Cap. de Serpyllo:

Nidor combusti, serpentes effugat omnes.
Et quoduis animal infundens ore uenenum,
Hoc ideo miscere cibis messoribus est mos,
Vt si fortè sopor fessos depresserit illos,
Vermibus à nocuis, tuti requiescere possint.

Cap. de Dragontea:

Quisquis se trita radice perunxerit eius,
Tutus ab incursu serpentum dicitur esse.

Euax in libro de Lapidibus preciosis cap. de Lapide Orites:

Letiferos morsus orites niger atq; rotundus:
Quos fera uel cornu uel diro dente peremit,
Cum roseo mistus perfectè curat oliuo.
Per uastos heremos interq; feras gradientes,
Illæsos seruat, morsus leuians bestiarum.

Chirandus libro primo cap. 7: In lapide autem Vulcani qui etiam pyrites dicitur. i. lapis marchasita si sculpseris phylincopterō. i. vpupam auem, quæ est septicolor, coronam habens in capite altitudinis duorum digitorum, quæ aperitur & contrahitur, quę etiam ab aliquibus vocatur cucufas, & secus pedes eius scorpionem: & miseris sub lapide radiculam herbæ vringi, & portaueris philacterium, & custodia vel rheriaca est cōtra omnes venenosas puncturas. Fugat quoq; phātasmata nocturna, omnēq; fascinationem: & prodest etiā lapidosis & facit hominem prudentem & virtuosum in omnibus, &c. Cap. 21. In lapide phrimos, quem quidam dicunt varitrachus, vel vatrachus, sculpe accipitrē, & secus pedes eius vitulum piscem. i. vitulū marinum: & reclude de lingua phocæ. i. vituli marini, & radiculā herbæ apij ranini, & extremitatem linguę auis, quæ est viridis, & magnitudinem habet vt passer: & da portare cui vis. Sistit autem fluxum sanguinis, &c. seruat autē & à venenosis puncturis. Cap. 24 siue vltimo: In lapide ochitorio. i. echite. i. lapide prægnante sculpe hirundinem & ad pedes eius scorpionem, & super mænidam. i. piscem marinum qui dicitur męnula stantem: & sub lapide reclude oculos scorpionis & mænidæ & herbæ scorpionis. i. basiliconis radiculam, & porta. Auertet enim omne venenum animalium: inimicos & insidiatores humiliabit, &c. Libro 3 cap. de Alectore. i. gallo: Si quis autem prægustauerit allium, & prægustauerit vel biberit calidum sanguinem, supple, galli cum vino, nullum reptile timebit. Cap. de Mergo: Huius autem sanguis antipharmacum, & bonus est venenosis feris obuius. Geber in libro de Floribus naturarum: Saliua hominis seu mulieris in capite serpentis posita, siue in ore, ieiuno stomacho, madefacit serpentem.

Serapio in libro de Simplicibus, parte secunda, cap. de Vsuen. i. alkali seu kali auctoritate Alkangi: Vsuen. i. alkali seu kali, expellit animalia venenosa, facta fumigatione cum eo. Cap. de Raphano auctoritate Aseros in libro de Agricultura: Raphanus defendit corpus à morsuris venenosorum, quando linitur cum eo. Cap. de Argento viuo auctoritate Albugerig: Fumus eius, expellit omnia venenosa. Cap. de Lapide albezaar auctoritate Asij. Si teritur ex eo pondus duorum aliàs trium granorum hordei & dissoluitur in aqua, & ponitur in ore serpentis, suffocat eum statim & occidit. Cap. de Squilla: Quando squilla suspenditur integra super limine hostij domus, prohibet venenosa & nociua omnia à domo illa.

Raſis 20 Continentis cap. 4: Ait Sarach: Qui timet venenum aut morſum venenoſum, ſuſpendat in collo ſuo ſmaragdum aut praſium. i. domum ſeu palatium ſmaragdi, &c. lapis ſerpentinus habens colorem foliorum porri, dicitur Græce πράσιος, aut corallum aut lapidem bezaar. Ait filius Patriarchę: Debes ſternere domum ex vitibus albis, quia reptilia fugiũt. Et fumigium ex thure valet. Dictum eſt in libro de agricultura Perſarum: Fumus cornu ceruini, aut radicis lilij aut ſalicis, expellit omnia reptilia. Et ſimiliter fumus opij, nigellæ & galbani, ſulfuris, & vngulæ caprinæ, & ligni granati. Ait Tabri: Si herba tribuli marini ponatur in cauernis ſerpentum & reptilium, fugient ab eis. Et ſimiliter facit eius decoctio, ſi ex ea roretur domus. Et fumigium radicis lilij, fugat omnia reptilia de domo. Fumus galbani, fugat ſerpentes: pellis leunzę poſita in camera, fugat reptilia. Fruſtum ſalis ammoniaci retentum in ore, quouſq; diſſoluatur cum ſaliua, ſi exprimatur in ore tyri aut ſerpentis, morietur. domum, in qua eſt bubo viuus, effugiunt reptilia: & ſimiliter facit vermis lignorum. Idem facit fumigium ex pennis ciconiæ, & oſſibus eius. Si vngatur corpus ex ſucco colocynthidis, non nocebunt ei ſerpentes. Fumus ſerpentis occidit ſerpentes. Inquit Paulus: Oppilanda ſunt foramina domus, in qua eſt ſuſpicio reptilium, & ponenda ſunt in eis allia trita: deinde fumiganda cum cornu ceruino, vel vngulis caprinis, vel pilis, aut pice, aut bdellio, aut galbano, aut ſerapino, aut pice liquida. Et omnia reptilia, fugiunt ignem, agnum caſtum, menthaſtrum, abrotanum, & aſſam. Ait Democritus: Abſinthium fugat ſerpentes & ſimiliter arthemiſia, & fumus malorum granatorum. Ait Rufus in libro animalium: Si cæpe ſquiliticum ſuſpendatur ad hoſtium domus, non intrabunt reptilia. Si vngatur corpus ex ſepo arietino vel ceruino diſſoluto cum puluere nigellæ, nõ appropinquabunt ei reptilia. Et ſimiliter ex ſepo elephantis, & nigellæ. Et ſi roretur domus ex aqua decoctionis ellebori nigri, fugient reptilia. Aſpectus ſmaragdi, facit eliquari & fluere oculos ſerpentium. panis porcinus fugat reptilia. Fumigatio expellens velociter reptilia. ℞. corticum ouorum aduſtorum, cornu ceruini combuſti, ſeminis coriandri ſicci, & ſulfuris an. & fumiga ex eis. Ait Hippocrates: Domum, in qua ſunt mures, fugiunt reptilia. Fumus pilorum muſtelæ aut elephantis, aut eboris, expellit ſerpentes, & ſimiliter cornu ceruini. Et ſi vngatur penna ex ſepo ceruino & liniatur aliquis locus, non appropinquabunt ei ſerpentes. Aqua decoctionis centaureæ maioris, aut rutæ, expellit ſerpentes. Galbanum & arſenicum tritum & miſtum cum butyro, ſi ex eis fumigium fiat, fugabunt ſerpentes. Satureia, ſi ſternatur per domum, fugat ſerpentes, & omnia reptilia. Et idem operatur fumus galbani, & ammoniaci. Ait Abumarig: Pix liquida occidit cunctos ſerpentes, & omnia reptilia. Ait Ioannitius: Sal communis aut ſalal ammoniacus diſſolutus in ore, ſi ponatur in ore ſerpentis, occidit eum. In libro agriculturæ Romanæ: Nullum reptile appropinquat ad arborem granati, & propter hoc plures aues nidificant in arbore granati. In domo ceruorum, hericiorum, & pauonum, non poſſunt habitare reptilia Ait Galenus. Si ſternatur domus ex vitibus albis, non appropinquabunt reptilia.

Raſis 21 Continentis, cap de Oſuen. i. vſuen. Oſuen, hoc eſt pratellum. i. vſuen, cuius vna ſpecies eſt alkali, dixit Alchuz: Ex fumo eius fugiunt reptilia: & cum eſt viridis, eſt maioris virtutis. Cap. de Ceruo: Fumus cornu ceruini factus in domo, expellit ab ea reptilia. Cap. de Pomo paradiſi ſeu ficu Pharaonis: Pomum paradiſi ſeu ficus Pharaonis, cum ſumitur vel linitur ex eo corpus, non poſſunt reptilia mordere. Cap. de Lapide ſerpentino. i. lapide praſio, qui eſt domus ſeu palatium ſmaragdi. Inquit Galenus: Narrauit mihi homo veridicus, multæ auctoritatis, quòd hic lapis ſuſpenſus

vel portatus sanat morsum reptilium: & non possunt portantes ipsum lædi aliquo nocumento. Cap. de Lapide qui, cum spargitur supra ipsum aqua, accenditur: si verò oleum, extinguitur. i. lapide gagate. Lapis, qui cum spargitur super ipsum aqua, accenditur, si verò oleum, extinguitur. i. lapis gagates, qui secundum aliquos est lapis vulgariter dictus ambra, ex qua fiunt pater nostri: de proprietate eius, est fugare omnia reptilia generata in aquis, in quibus positus est. Cap. de Sinapi. Ait Const. in libro de Agricultura: Ex eius, supple, seminis sinapis fumo, fugantur omnes serpentes. Cap. de Gagate: Gagates lapis, est lenis habens odorem ad modum asphalti. Si fumigium fit de eo, effugat furuncula. i. serpentes seu reptilia venenosa. Cap. de Radice. De filaha Fastix dixit: Radix prohibet morsum furunculorum, id est serpentium siue reptilium. Rasis octauo Almansoris cap. de His quæ venenosa animalia & serpentes & beluas rapaces & lupos fugant. Cati & furones ac pauones necnon grues & aquatica volatilia, quorum natura est venenosa capere animalia, in cortibus sunt nutrienda & tenenda. In locis verò valde timorosis & putridis alendi sunt cerui ac furones, id est martarelli, ac smaragdus melior quæ potest haberi tenenda est. Lampas quoque valde luminosa longe à lecto remota, ibi est ponenda, iuxta quam sint homines, qui vicissim dormiant super lectos iacentes, qui legant & loquantur vocibus tamen mediocritatem non egredientibus, venenosa nanque animalia ad eos ibunt. De his autem quæ præcipuè serpentes expellunt, est vt domus cum cornibus cerui, aut vngulis capræ & sulfure & cum capillis humanis suffumigetur. Hasech quoque. i. tribulus marinus in serpentium foraminibus mittatur. Et, si domus cum galbano suffumigata fuerit, serpentes fugient. domus etiam si ex aqua, in qua sal ammoniacus fuerit dissolutus, roretur, serpens nullo modo ei appropinquabit: & si de hac aqua in eorum fundatur foraminibus, moriuntur. Si quis etiam salem ammoniacum in ore tenuerit, donec dissoluatur, & postea in os spuerit serpentis, morietur. Domus præterea si ex pice, aut bdellio suffumigata fuerit, fugabuntur serpentes. Similiter etiam fugiunt, si ex serapino fiat suffumigatio. Ex pannis quoque ex alkitran. i. gummi resina cedri inunctis, & in ipsorum foraminibus missis expelluntur. Locus itidem si ex abrotano stratus fuerit, fugient ab eo serpentes. Ideoq; si in horto ex eo multum fuerit, fugient ab eo. Fumus quoque, qui fit de lignis granatorum, expellit serpentes, & venenosorum animalium plurima. Sinapi itidem tritum & in ipsorum foraminibus positum, fugat serpentes. Domus præterea, si cum sulfure & vngula asini & galbano suffumigata fuerit, fugabuntur. Oleum quoque in ipsorum foraminibus, si infusum fuerit, non vlterius exibunt imò fugient. Assa quoque si in aqua dissoluatur & ex ea locus roretur, non ibi approximabunt. Et si pennæ liniantur ex alkitran aut ex assa resoluta, & ipsorum foramina ex eis inungendo circundentur, non exibunt inde vlterius. Rasis in libro de Proprietatibus animalium cap. de Proprietatibus cerui: Serpentes fugiunt odorem fumi cornu ceruini.

Albucasis quarta particula Azarauij: Nominatio medicinæ ex nucibus & ficubus, quæ omnes venenorum species & venenosorum animalium morsus nocere prohibet, cuius descriptio posita est superius in nono cap. primi libri auctoritate Albucasis quarta particula Azarauij. Nominatio Mithridati probati à summis medicis, quod est medicamen nobile, quòd si eo assiduè quis vtatur, potio mortifera non ei nocebit, appetitum fortiorem &c. Hoc audito tūcausa Mithridatis regis medici composuerūt: & Mithridates vtebatur hoc ad

præ-

præseruationem venenosorum. Albucasis 18 particula Azarauij: Fumigium
ad serpentes de domibus expellendos: Suffumigentur domus serpentibus ple
næ cum cornu ceruino, & vngula caprina, & sulphure, aut cum capillis huma-
nis, aut cum galbano, aut cum pice nauali, aut cum bdellio, aut cum serapino,
aut cum ligno malorum granatorum, solis, aut compositis: & postea non ap-
parebunt in domibus serpentes. Albucasis 25 particula Azarauij: Modus olei.
quando ex eo inungitur homo, & acceperit viperas & omnia reptilia, ei non
noceret. Recipe olei cuiuslibet, & in eo infunde turiones, pini teneres & sum-
mitates spinæ, quæ dicitur chay, id est, spina alba, seu ἄκανθα λευκή, & hyoscya-
mi parum & galbani, & ad solem per duos menses ponantur, deinde reponan
tur: & cùm opus fuerit administretur, & ex eo puncturæ reptilium inungan-
tur. Modus olei ad idem ex quo inungitur: Accipe ceram, oleum rosaceum,
parum galbani, limaturam cornu cerui: & cyminũ, aggregentur, & ex eo inun-
gatur. Auenzoar primo Teysir tract. 1: Rememorati sunt medici quòd qui
biberit ʒ. 1. theriacæ alfarot, id est, liberatricis, id est, theriacæ magnæ ante ci-
bum cum aqua calida omnibus decem diebus tempore hyemis, euadet nutu
Dei à febribus putridis, & ab epilepsia, & à colica: & conseruabitur sanitas
omnium membrorum. Et dicunt quòd tardat canos. Et qui hoc continuabit
per annum, non lædetur à morsu animalium venenosorum, neque à veneno,
neque à medicina mortifera cum adiutorio Dei. Rabbi Moyses in libro de
Venenis, tractatu primo, capite sexto, siue vltimo: Concordati sunt omnes
medici, quòd fumigium factum ex cornu cerui, fugat omnia animalia vene-
nosa, & maximè viperas, & serpentes. Retulerunt etiam quòd fumigium fa-
ctum ex quolibet sequentium, scilicet vngulis caprarum, sinapi, aut sulphure
siono, id est, nasturtio, vel sisymbrio, opio, aut capillis, fugat omnia animalia
venenosa. Fumus etiam resolutus à pluribus scorpionibus combustis, fugat o-
mnes scorpiones abinde. Fumigentur ergo loca ex prædictis, in quibus opina
bitur esse aliquod animalium venenosorum. Auicenna 2 canone, tractatu 2,
capite de Squilla: Squilla, est cæpe muris cùm suspenditur eius totum super
portas secundum quod dicitur, prohibet venenosa ab eis: & est theriaca vene
nosis. Cap. de Vsuen: Vsuen, id est, plantæ, de cuius specie est bali, pondus 3.x.
est venenum perniciosum. Et ex fumigatione eius quod ex ipsa est viride effu
giunt venenosa parua. Cap. de Abugilisse: Abugilisse, id est, species vna an-
chusæ, est lactuca asini, & est pilosa, spinosa, aspera, nigra, plurima habens fo-
lia super radicem annexa ei, & eius radix in grossitudine est digiti, coloris ru-
bei valde, quæ tingit cùm tangitur in æstate. Et ex ea est alia species citrina
habens folia coloris rubei. Et eius species sunt quatuor: fortiores omnibus
sunt duæ primæ species. Dixit Galenus, quòd ex Abugilisse, quæ est cali-
da & sicca, cùm masticatur ex citrina habente folia citrina rubei coloris, &
proijciatur super venenosa, interficit ea. Cap. de Homine: Eius sputũ dum est
ieiunus, interficit scorpiones & serpentes. Cap. de Agno casto: Agnus castus,
suffumigatione facta ex eo, & eius folia fugant venenosa. Cap. de Saliua: Sali-
ua fortis operationis est illa, quæ est famelici, & ieiuni, & propriè cuius com-
plexio est calida: interficit venenosa omnia, & serpentem & scorpiones. Cap.
de Argento viuo: Ex fumo eius fugiunt venenosi vermes & serpentes. Cap.
de Stercore: Stercus tauri propriè effugat vermes venenosos & cimices, quan
do cum eo fit fumigatio. Cap. de Nasturtio: Nasturtium confert puncturæ ve
nenosorum vermium bibitum, & more emplastri superpositum cum melle, &
cũ ex eo suffumigatur, effugat eos. Cap. de Lapide qui extinguitur in oleo &
inflammatur aqua, i. lapide gagate. Ex lapide qui extinguitur in oleo et in-
flammatur aqua, id est, lapide gagate, seu specie eius fugiũt vermes venenosi,

Capite de Luto ſigillato, id eſt, terra ſigillata: Lutum ſigillatum, id eſt, terra ſi-
gillata, reſiſtit venenis & morſibus bibitum cum vino & linitum cum aceto, &
quod ex eo purum eſt, cùm bibitur, non ceſſat facere nauſeam: & facit vene-
num vomitu exire, & propriè cùm ante ipſum bibitur. Cap. de Mezerio, id
eſt mezereon. Mezerium, id eſt, mezereon, ſiquidem miſceatur cum ſauich &
coniungitur cum oleo & aqua, interficit vermes & canes. Cap. de Medulla:
Dicitur quòd linimentum ex medulla & propriè ex medulla cerui, fugat ver-
mes venenoſos. Capi. de Iunipero: Iuniperus eſt cypreſſus ſylueſtris, & eius
quidem alia eſt parua, alia eſt magna. Suffumigatio ex qualibet earum & ex
qualibet parte arboris eius facta, effugat vermes venenoſos. Cap. de Cala-
mentho: Suffumigatio ex folijs eius fugat vermes venenoſos, & quando ſter-
nitur etiam. Cap. de kitran: Soluitur in adipe cerui & liniuntur ex eo membra,
& non approximant ei venenoſi vermes. Cap. de Galbano, Fumus eius fu-
gat venenoſos vermes. Et quando fit ex eo linimentum non approximant
ei qui linitus eſt, & quando fit ex eo linimentum cum ſacuduleon, id eſt,
ſpondylion, & oleo, interficitur ille qui de vermibus venenoſis ei qui linitus
eſt appropinquat, & ipſum quidem cum omni veneno reſiſtit, minus tamen
quàm ſit reſiſtentia ſerapini. Cap. de Abrotano, Abrotanum, quando ſterni-
tur, interficit vermes venenoſos, imò fugat. Cap. de Nigella: Nigellæ ſuffumi-
gatio, vermes fugat venenoſos, & exiſtimauerunt quidã quòd de ea multitu-
do interficit eos. Cap. de Scerbin, Scerbin, id eſt, arbor alkitran, id eſt, cedrus:
Si miſceatur cum adipe cerui, ſupple, alkitran, & inungatur ex ea corpus, non
approximant ei vermes venenoſi. Cap. de Gagate, Gagates eſt lapis lenis ha-
bens odorem aſphalti: effugat fumus eius vermes venenoſos. Auicenna 4 ca-
none, fen 6, tractatu 3, capite de Epithematibus ex quibus cùm corpora liniun-
tur non approximant eis venenoſa. De illis quæ dicta ſunt ad hanc rem, ſunt
cerebrum leporis cum aceto & oleo, & ſtyrax, quando ſoluitur in oleo, & o-
leum in quo infuſa ſunt folia pini recentia trita, aut flos cupreſsi & grana iuni-
peri, & ſimiliter folia agni caſti in oleo, & abrotanum, & radix anuiden, id eſt,
ſilphij, id eſt, plantæ, cuius gummi eſt aſſa, & aſphodelus, & daucus, & carpo-
balſamum, & radix naſturtij, & omnia illa cum oleo, & compoſita, de quibus
eſt, vt ſumantur radicum anuiden nigri, & floris alſegi recentis, id eſt, naſturtij
recentis, & granorum iuniperi omnium an. p. ij. radicum mandragoræ, part.
ſemis, carpobalſami & cordumeni omnium an. p. iij. terantur & cum oleo tan-
diu benè coquantur donec habeant ſpiſsitudinem ſordis balnei, & inungatur
cum oleo, & iterũ aſphodeli ℥. 1. carpobalſami, ſeminis hyoſcyami albi an. aur.
ſemis cum oleo & aceto: miſceantur &, liniatur cum eo, & iterum floris pini
p. 1. radicis mandragoræ p. ij. ſeminis hyoſcyami albi p. iij. miſceantur omnia
cum oleo, & liniatur cum eo: & hoc iterum cõueniens eſt ad ſuffumigandum,
& iterum granorum iuniperi p. ij. ſtyracis p. 1. miſceatur totum cum oleo & li-
niatur cum eo. Cap. ad effugandum venenoſa vniuerſaliter. Oportet vt aſper-
gatur domus eis quæ dicemus, & ſternatur eis, & liniantur foramina & fene-
ſtræ eis quibus embrocatur: & ex illis quæ dicemus in ſuffumigationibus, &
alijs, vt non approximent eis venenoſa. Suffumigationes verò ſunt ſicut fu-
mus ligni granati: quoniam ipſe effugat venenoſa. Similiter radix lilij cœleſtis
& virgæ granati ſunt mirabiles in hoc. Et ſimiliter galbanum, & cornua, & vn-
gulæ quæ finduntur, vt bouis, & vngulæ quæ non finduntur, vt equi, & pili, &
ſerapinum, & aſſa, & folia lauri, & grana eius, & calamenthum, & ſceha, id eſt,
ſpecies abſinthij, quæ vocatur ſantonicum, quæ eſt herba lumbricorum & ſtra-
mentum cum eis, et ſimiliter naſturtium, et ſimiliter cinis ligni pini, et propriè
cum galbano ſi fiat ſuffimigium ex opio, et nigella, et cornu ceruino, et ſulphu

re, &

re, et cornibus capræ. Et iterum ſtyrax, et cornu ceruinum, et nigella, et aſphaltum, de vno quocꝫ pars 1. & ſuffumigetur cũ eo lectus. Aliud: Cordumeni, radicis anuidem nigri, ſtyracis an. ʒ. 1. corticum oui ſtruthij, nigellæ, ſeminis harmel an. ℥. ij. & iterum ſeminis hyoſcyami albi, foliorum cupreſsi, pini, & nigellę omniũ an. aur. 1. corticis radicis mandragoræ, aur. 1. pilorum capræ, aur. iij. calamenthi ʒ. i. aſphalti aur. iij. aliàs aur. iiij. miſceatur totũ & fiat ſuffumigatio cum eo ſuper os feneſtrarũ, & in eius ſuffumigatione eſt ſecuritas. Et de illis ex quibus fugiũt plura venenoſorum animalium, quando cũ eis ſternitur locus, ſunt ſiſymbrium, & ozimus, & agnus caſtus, quando ſternitur in circuitu dormitorij, & ſceha iterũ, & aſſa iterum, & laurus eſt mirabilis in hoc: & quando ſimiliter ponitur in circuitu loci in quo ſedetur mantile ex cinere ligni pini, & de illis quibus eſt apparitio in elongãdo ea, eſt vt ponantur cerei & cãdelę in loco longinquo à dormitorio, quoniam declinant ad ipſum: & de illis quibus eſt apparitio in expellendo venenoſa quæcꝫ, eſt tenere ea quæ ſunt ſicut grues, et pauones, & cigni, et ceruus, et catus, et muſtella, et quæ currunt curſu eorũ: venenoſa enim animalia terrentur ex iſtis cùm apparent & mordent ea. Et quidam dixerunt, ei qui facit ſtratum ex corio leopardi, non approximat ſerpens: & ſimiliter ſi de eis coopertorium fiat: hic autem narrauit, in cuius ſermone nõ eſt fiducia. Cap. de effugatione ſerpentum: De illis quæ fugant eos ex ſuffumigationibus, ſunt cornua cerui, & radix lilij, & pyrethrum, & ſulphur, & aſperſio loci ex aqua in qua ſolutum eſt ſal ammoniacum, eſt ex eis quo terrentur, et ſinapis interficit ea: & quando ponitur ſuper ſemitas eius, refugit ab eo, ſupple, ſerpens: & de illis quæ interficiunt ſerpentes, eſt ſputum ieiuni proiectũ in os eius, & propriè quando ſumit in ore ſuo ſalem ammoniacum. Plin. Secundus de Natur. hiſt. lib. 20, cap. de Paſtinaca domeſtica: Folia eius ex aqua potata, aluum ſoluunt, ſerpentes abigunt. Cap. de Paſtinaca erratica: Habentes eam feriri à ſerpentibus negantur, aut qui antè guſtauerint, non lædi. Cap. de Allio: Allio magna vis. Serpentes abijcit & ſcorpiones odore. Cap. de Naſturtio: Adijcitur ſerpentes fugare, & ſcorpionibus reſiſtere, &c. Cap. de Nepeta: Nepeta quoque vires contra ſerpentes habet. Fumum ex ea odoremcꝫ fugiunt: quam & ſubſternere in metu dormituris, vtile eſt. Cap. de Cunila. Tertium genus cunilæ, quæ à Græcis maſcula, & à noſtris cunilago vocatur, odoris fœdi, radicis lignoſæ, folio aſpero. Priuatim tribus folijs ex oleo peruncto homine, fugari ſerpentes tradunt. Cap. de Heraclio: Heraclion quoque tria genera habet: communis autem vſus ſerpentes fugare. Cap. de Gith, id eſt Nigella: Gith, vt Græci, alij melanthium, alij melaſpermon vocant: Optimum quàm excitatiſsimi odoris, & quàm nigerrimum. Reperio eo incenſo ſerpentes fugari. Cap. de Serpyllo: Serpyllum à ſerpendo putant dictum. Aduerſus ſerpentes efficax: fugat & odore omnes ſi vratur. Libro vigeſimo primo, capite de Saliunca, id eſt ſpecie ſpicæ, pro qua ponitur ſpica Celtica. Contra ſerpentes ſubſterni medici dixerunt, illinirique. Cap. de Abrotano: Abrotanum duorum traditur generum, campeſtre ac montanum: Serpentes fugat. Libro vigeſimo ſecundo, capite de Pſeudanchuſa: Eſt & alia ſimilis Pſeudanchuſa ob id appellata à quibuſdam enchuſa: ſerpentes fugat. Cap. de Onochilo. Eſt & alia herba proprio nomine Onochilon, quam aliqui anchuſam vocant, alij arcebion, efficax contra ſerpentes. Folia trita odorem cucumeris reddunt. Habentes eam à ſerpentibus feriri negantur. Eſt & alia, huic ſimilis, flore rubeo, minor, & ipſa ad eoſdem vſus, tradúntque commanducata ea ſi inſpuatur, mori ſerpentem. Cap. de Aſphodelo: Aſphodelum Nicander contra ſerpentes ac ſcorpiones dedit: vel caulem quem anthericon vocauimus, vel ſemen, vel bulbos in vino tribus drachmis, ſubſtrauitque

ſomno contra hos metus. Cap. de Laſere: Laſer inter eximia naturæ dona numeratum, ſerpentes auidiſſimas vini admiſtum rumpit. Lib. vigeſimo tertio, capite de Malis punicis: Rami punicorum, ſerpentes fugant. Capite de Lauro: Cutis pruriginem ſuccus baccarum emendat. Cum vino vetere & roſaceo perunctos eo fugiunt venenata omnia. Libro vigeſimo quarto, capite de Cedro: Cedri ſcobe ſerpentes fugari certum eſt. Item baccis tritis cum oleo, ſi perungantur. Cap. de Galbano: Fugiunt & perunctos galbano: ſerpentes oleo & ſpondylio miſto tactu necat. Cap. de Iunipero: Iuniperi duo genera, altera maior, altera minor, vtraꝗ accenſa ſerpentes fugat. Sunt qui perungunt corpus è ſemine eius in ſerpentium metus. Cap. de Amerina, id eſt, agno. Duo genera eius. Perunctis tantùm, ſuffitu quoꝗ, aut ſubſtratu, fugant venenata. Cap. de Silere: Serpentes hunc fruticem fugiunt, baculumꝗ ruſtici ob id ex eo gerũt. Cap. de Smilace, Smilax quoque, qui & nicophoros cognominatur, ſimilitudinem hederæ habet tenuioribus folijs. Quidam duo genera Smilacis dixere. Alterum immortalitati proximũ, in conuallibus opacis, ſcandentem arbores comantibus acinorum corymbis, contra venenata omnia efficaciſſimis in tantum, vt acinorum ſucco infantibus ſæpe inſtillato, nulla poſtea venena nocitura ſint. Alterum genus culta à mare, & in his gigni, nullius effectus. Illam eſſe ſmilacem priorem, cuius lignum ad aures ſonare diximus. Cap. de Aro, & dracunculo, & dracontio: Græci aron miris laudibus extulere. Serpentes nidore cùm crematur, priuatimꝗ aſpides fugat aut inebriat, ita vt torpentes inueniantur. Dracunculus hordeo matureſcente effoditur, luna creſcente. Omnino habentem ſerpentes fugiunt. Cap. 17. Crateuas œnotheridem refert aſperſam è vino, omnium animalium feritatem mitigare. Libro 25, cap. 8. Angues lyſimachiæ odore fugiunt. Morſibus imponitur betonica, cui vis tanta perhibetur, vt incluſi circulo eius ſerpentes, ipſi ſeſe interimant flagellando. Piſtolochia omnino ſuſpenſa ſupra focum, fugat è domibus ſerpentes. Cap. de Quinquefolio: Quinquefolium adhibetur purgandis domibus aduerſus ſerpentes. Cap. 9. Therionaca alia quàm magica, & in noſtro orbe naſcitur, fruticoſa, &c. Serpentes necat: cuicunꝗ admota feræ & hæc torporem affert. Cap. de Cyclamine: Cyclamini radix contra ſerpentes in omnibus ſerenda domibus: ſi verum eſt, vbi ſata ſit, nihil nocere mala medicamenta. Cap. de Ebulo: Ebuli quoque, quem nemo ignorat, fumo fugantur ſerpentes. Cap. de Arthemiſia: Arthemiſiam quoque ſecum habentibus, negant nocere mala medicamenta, vel beſtiam vllam. Libro 26, cap. de Saluia: Contra ſerpentes ex oleo perungi ea prodeſt. Libro 27, cap. de Filice: Filicis duo genera, ſerpentes nõ recipiunt, ideo ſubſterni vtile eſt in locis ſuſpectis. vſtæ etiam fugantur nidore. Lib. 28, cap. de Quibuſdam ſortilegijs, & de Saliua hominis: Hominum verò in primis ieiunam ſaliuam contra ſerpentes præſidio eſſe docuimus. Marcion Smyrnæus, qui de Simplic. effectibus ſcripſit, rumpi ſerpentes ait, ſi quis in hiatum eorum expuat. Cap. de Remedijs quæ ſumuntur à corporibus mulierum: Capilli ſi crementur, odore eorum ſerpentes fugantur. Cap. de Remedijs ex menſtruo, & alijs. Adipe accenſo canis rabioſi, ſerpentes fugari dicunt. Capite de Medicinis ex Chamæleonte animali. Serpentes fugari liene Chamæleontis animalis inſtillato, cauda ſerpentes ſoporari. Cap. de Sanguine animalium. Vſus plurimùm contra ſerpentes. Exitio his eſſe ceruos, nemo ignorat. Nec verò ipſi ſpirantesꝗ tantùm aduerſantur, ſed membratim quoque. Fugari eas nidore, cornu ſi vratur, dictum eſt, at è ſummo gutture vſtis oſſibus congregari dicuntur. Pelles eiuſdem animalis ſubſtratæ, ſecuros præſtant ab eo metu ſomnos. Coagulum quoque ex aceto potum ab ictu, & ſi omnino tractatum ſit, eo die non ferit ſerpens. Sanguine quoque ceruino, ſi vnà vrantur dracon-

tion

tion quoq;, & cunilago, & anchusa, & lentisci lignũ, cõtrahi serpentes dicunt: dissipari deinde, si sanguine detracto adijciatur pyrethrum. Cap. de Medicinis ex capris: Caprarum cornu vel pilis accensis, fugari serpentes dicunt: Hœdorum pilos suffiunt: eodémque nidore fugant serpentes. Cap. de Medicinis ex leporibus: Aiunt autem non feriri leporis coagulo perunctos. Libro 29, capite de Remedijs ex vipera: Constat eos, qui aliquando viperæ iecur coctum hauserint, nunquam postea feriri à serpente. Cap. de Remedijs sumptis ex auibus contra serpentes: E volucribus in auxilio contra serpentes primum vultur est. Annotandum autem minus virium esse nigris. Item cor eius alitis habentes, tutos esse ab impetu non solùm serpentium, sed etiam ferarum, latronum, & regum ira. Libro vigesimo quinto de Bitumine: Serpentes nidore fugat accensum. Cap. vltimo de Terra Balearum, & Terra Busicana: Necat Balearis & Busicana serpentes. Libro trigesimo sexto, capite de Gagate lapide: Gagates lapis nomen loci & amnis habet. Niger, planus est, pumicosus, non multum à ligno differens, leuis, fragilis, odore si teratur grauis. Fictilia ex eo inscripta non delentur. Tritus odorem sulphureum reddit, mirúmque accenditur aqua, extinguitur oleo. Fugat serpentes. Iohannes Mesue in suo de Simplicibus capite de Luf, id est, serpentaria, seu dragontea. Luf dicitur, quòd fugat serpentes & viperas, & vermes venenosos. Constantinus in Pantechni quarto Practicæ, capite de Morsu serpentis vel tyriæ. Leonis adipe si totum corpus perunxeris, serpentes non timebis. Antidotarium vniuersale. Emplastrum diadictamum vtillimum, &c. Eius suffumigatione, venenosa animalia in domibus latentia fugantur. Mithridatum minus, &c. Qui hoc vsus fuerit, nunquma à veneno interimi poterit. Descriptio vera Mithridati posita est superius in decimo capite primi libri. Descriptio verò emplastri diadictami, posita est immediatè sequenti capite, autoritate Antidotarij vniuersalis. Albertus Magnus in suo de Animalibus, libro vigesimo secundo, tractatu secundo, capite de Animalibus quadrupedibus incipientibus à litera l. Adeps leonis, calidior est omnium animalium adipibus. Et perunctus eo, fugat omne animal, & etiam serpentes. Libro vigesimo tertio, capite de Auibus incipientibus à litera v. Cor vulturis secum ad latus suspensum portans, vt dicit Plinius, tutus est ab impetu ferarum & serpentium: & odor pennarum eius in igne combustarum, fugat serpentes. Albertus Magnus in suo de Mineralibus, libro secundo, capite de Lapidibus incipientibus à litera a. Adamas lapis, quando magneti superponitur, ligat magnetem & non permittit eum ferrum trahere. Maior autem virtus est in auro, vel argento, vel chalybe. Dicúntque magistri, quòd lacerto sinistro alligatus, valet contra hostes, & insaniam & indomitas bestias & feros homines, & contra iniurias & rixas, & contra venena, & incursus phantasmatum, & incuborum, & succuborum. Capite de Lapidibus incipientibus à litera c. Carbunculus qui Græcè Anthrax, à nonnullis Rubinus vocatur, lapis perlucidissimus est & solidissimus, habens se ad alios lapides sicut aurum ad cætera metalla. Hic solus omnium aliorum lapidum virtutes habere dicitur, specialis tamen effectus eius est, venenum aereum & vaporosum fugare: & quando verè bonus est, lucet in tenebris sicut carbo. Capite de Lapidibus incipientibus à litera d. Diamon fertur quidem lapis dæmonis vocari, bicolor vt arcus dæmonis, qui iris vocatur: dicunt venenosa pellere, & tutum viatorem reddere. Capite de Lapidibus incipientibus à litera g. Gagates est kakabre, id est, lapis ambra, est duplicis coloris, nigri, scilicet & crocei: confricatũ autem trahit paleas, & incensum ardet sicut thus: de expertis autem per suffumigationem fertur, quòd fugat serpentes. Cap. de Lapidibus incipientibus à litera o. Oritea

habet tres ſpecies, quarum vna nigra eſt & rotunda, alia viridis, maculas 222 habens albas. Tertia, cuius altera pars eſt aſpera, altera plana: & eſt color eius quaſi ferri lamina: & talis etiam eſt diſpoſitio corporis eius, de quo ferunt quòd vnctus oleo roſaceo & geſtatus præſeruat ab aduerſis caſibus, & peſtiferis morſibus reptilium, &c. Cap. de Lapidibus incipientibus à litera ſ. Succinum, lapis eſt crocei coloris, quem Græci electrum vocant. De expertis autem eſt, quòd fugat ſerpentes. Melior autem eſt qui fit de ſucco, qui in æſtate calida proſilit, obſcurior autem qui fit ex ſucco alterius temporis.

De Cura in generali morſurarum & puncturarum animalium, præcipuè uenenoſorum Cap. III.

QVoniam multoties contingit aliquem ab aliquo animali præcipuè venenoſo morderi vel pungi, ignorariq; ſpeciem ipſius animalis: idcirco opportunum extitit ponere in generali curam morſurarum & puncturarum animalium præfatorum, quatenus ars curandi venena exterius aduenientia, completiſsimè habeatur. Aduertendum eſt autem primò, quòd plurima remedia conferentia pro generali cura venenorum, quæ communiter oretenus aſſumuntur ſupradicta in nono capite primi libri, ſunt etiam huic capiti congruentia. Aduertendum ſecundò, quòd plurima remedia conferentia in generali cura præfatarum morſurarum & puncturarum, ſunt etiam conferentia pro cura particulari plurimarum ex eis, & quòd multa remedia poſita in immediatè præcedenti capite, ſunt etiam præſenti capiti congruentia, prout ex illuſtrium autorum mentibus patefiet. Quæ igitur pro cura in generali morſurarum & puncturarũ animalium præcipuè venenoſorum à præclaris autoribus dicta ſunt, ſtatim infrà deſcribam: aduertendo quòd prout ex præfatorum autorum mentibus infrà patebit, cura prædicta concluſiuè fit, primò confortando calorem innatum quatenus venenum à corpore, quanto citius eſt poſsibile, expellatur & conſumatur, quod fit cum theriaca & conſimilibus: ſecundò attrahendo venenum ad locum, quod fit aut cum ventoſa, aut ſuctione, aut ſcarificatione, aut ſimilibus attrahentibus, aut cum ſuperpoſitione rerũ attrahentiũ cauſa ſimilitudinis & proprietatis, vt theriaca & caro viperæ in morſu viperę aut cauſa exceſſiuæ caliditatis, vt alliũ tritũ & conſimilia: tertiò prohibendo ne venenũ per corpus penetret: quod fit cũ ligatura forti, aut inciſione, ſi locus eſt ligabilis vel inciſibilis, vt eſt digitus, aut cũ medicinis cõſtipantibus & conſtringentibus vias infra ex autorum mentibus enarrandis: et quartò prohibendo ne venenum quod in corpus penetrauit, ei nocumenta afferat, & faciendo quòd illata à veneno nocumeuta remoueantur, quod fit cum plurimis infrà ex autorum mentibus deſcribendis. Dioſcorides in lib. de Simplicibus, capite de Acoro: Acori radix calidæ & ſiccæ virtutis eſt nimium. Aqua verò, in qua decocta fuerit, diuretica eſt, & ad morſum ſerpẽtis efficax eſt. Cap. de Aſphalto. Epilepticos fumus aſphalti prouocat: cum caſtoreo, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Ampelopraſo: Ampelopraſon, i. vineę porrũ, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Allio: Allij duo ſunt genera. Comeſtum morſibus venenatis mirificè prodeſt. Folia eius ad ſerpentiũ morſus trita, cum oleo laurino ſubacta, et morſui impoſita, dolorem tollunt. Item eiuſdem ius decoctum cum vino potui datur, & contuſa folia eius in plaga ponunt. Cap. de Aſphodelo: Aſphodelus herba eſt omnibus nota. Partem radicis quiſquis comederit, lætam diem ducit, morſibus venenatis accepta occurrit. id facere poſſunt folia & radix eius cataplaſmate adhibita. Flos eius ſimiliter cum vino medetur. Cap. de Agrimonia: Agrimonia herba eſt omnibus nota, quæ viridis trita & potata, ad ſerpentium morſum & contra venena facit. In ſerpentium

morsu,ʒ.ij.cum vini cyathis tribus data,discutit mirificè venenum.Radix eius desiccata,puluere facto, & cum vino asperso,omnes serpentinas passiones liberat. Cap. de Anagallide:Anagallidis species sunt duæ, vna est quæ florem Hyacinthinum profert,quæ & fœmina est:altera est quæ florem dactyli colorem habentem profert, quæ & masculus est. Succus eius,morsibus venenatis bibitus medicatur. Cap. de Agarico: Agaricus morsibus venenatis occurrit, tribus obolis,id est,pondere xxxvi granorũ hordei, id est,℈.1.semis cum vino acceptus. Maximè omnes causas interaneorum curat,secundum virtutem hominis, vel ætatem datus, vires habens acriter relaxantes, & venenosis morsibus & puncturis resistentes. Superpositus extrinsecus in serpentium morsu, vt vulnus æqualiter cooperiat, & in potione cum vino acceptus ʒ.1. liberat. Cum aqua potatus omnibus venenis contrarius probatur. Cap.de Aristolochia. Sunt Aristolochiæ tria genera, rotunda,longa, & clematitis. Longa verò aristolochia masculus est. Illa quæ dicitur clematitis,habet radicem oblongam,& tenuem, corium habentem grossum & odoratum. Morsibus venenatis & potionibus venenatis cum vino data ʒ.1.medetur,& imposita idem pręstat. Aristolochia clematitis hæc omnia potest. Ad vsum tamen medicinæ,aptior est rotunda. Hæc enim in emplastris missa,caua vulnera replet. Facit etiã ad viperarum morsum,et ad alia venena extrinsecus. Cap.de Spina alba: Acantha leuce,siue vt Latini,spina alba,id est,bedegoard,seu bedeoard,&c. Semen eius bibitum morsibus venenatis occurrit. Cap.de Abrotano: Abrotanum bibitum morsibus serpentium & venenis medetur. Cap. de Anchusa: Anchusæ duo sunt genera: virtus est radici & folijs eius. Morsibus venenatis occurrit. si manducata fuerit,& bibita,& in collo ligata,vim venenorum non admittit. Cap. de Adianto: Folia eius cum vino bibita, morsibus venenatis opitulatur. Cap. de Althea: Semen eius viride & siccum cum aceto & oleo tritum & perunctum,morsibus venenatis occurrit. Elixatura seminis contra omnia venena cum posca bibita opitulatur. Cap. de Ampelo leuce, seu bryonia, seu vite alba: Radix maximè ʒ.ij.accepta,morsibus venenatis occurrit,plus verò accepta maniam facit. Hæc herba tam laudabilis est,vt in theriacas potiones mittatur. Item si tecum eam portaueris,omnia mala à te fugient. Cap.de Vite vinifera: Cineres sarmentorum siccorum & vinaciæ siccæ collecti, ex aceto cataplasmati impositi,morsibus venenatis occurrunt. Cap. de aqua salsa: Aqua salsa tepida accepta,morsibus venenatis occurrit. Cap.de Acte: Sambuci duo sunt genera: vnum arborosum est. Alterum genus est quod chamæacte, id est ebulus dicitur. Succus fomento adhibitus, morsibus venenatis occurrit. Cap. de Arnoglossa, id est, plantagine. In serpentis morsu plantago trita ex vino sumitur. Cap. de Vrtica: Vrtica altera est maior, quæ vsualis est, & simplex, cum tenui semine, ac folijs minus asperis: altera agrestis, cum densioribus, atque latioribus, & nigrioribus folijs, quæ cataplasmate imposita,medetur ijs,qui ab animalibus venenatis fuerint vexati. Cap.de Agno: Eius species duæ sunt. Virtutis est feruentis. Denique serpentium morsus mederi perhibetur. Item semen eius bibitum, morsibus venenatis occurrit. Sub lecto positus, serpentes longius arcet: & fumigatione sua id præstare nouit. Cap. de Rubo ferente mora. Elixatura eius, morsibus venenatis occurrit. Cap.de Bdellio: Bdellium miscetur theriacis medicaminibus. Morsibus venenatis occurrit. Capite de Asaro: Asari radix in aqua cocta, & bibita,morsibus venenatis occurrit: cum vino bibita idem præstat. Cap. de Butyro: Butyrum morsus serpentium longius arcet. Cap. de Brassica: Caulis thyrsus cum vino bibitus,morsibus venenatis occurrit. Cap. de Cardamomo: Car-

damomum ſerpentium morſibus occurrit. Cum vino, ictus ſcorpionum vel omnium ſerpentium ſalubriter curat. Cap. de Spica Celtica: Spica Celtica morſibus venenatis cum vino data opitulatur. Capite de Caſsia fiſtula, quam ſumit pro Caſsia lignea. Caſsia fiſtula cum aqua potata, morſibus venenatis occurrit. Capite de Cinnamomo: Cinnamomum venenatis morſibus occurrit. Cap. de Coſto: Coſtus morſibus venenatis bibitus ʒ. ij. opitulatur. Cap. de Chryſogono, id eſt, aureo ſemine: Chryſogonum, id eſt, aureum ſemen, alij chryſanthemon dicunt, virga eſt recta & alba, folia habens anguſta in circuitu, ſicut abrotanum, & coma in ſummo, & in gyro auroſa eſt, capitellum obrotundum, radix eius tenuis eſt: naſcitur locis aſperis: coma eius bibita cum vino, diſurijs & morſibus venenatis occurrit. Cap. de Cardamo, id eſt, naſturtio: Cardamum, id eſt, naſturtium, morſibus venenatis bibitum occurrit. Cap. de Cyclamino: Cyclamini radix cataplaſmate adhibita morſus venenatos curat. Capite de Cymino noſtro: Cyminum noſtrum, morſibus venenatis cum vino opitulatur. Cap. de Cymino agreſti: In hoc flos naſcitur niger, veluti ſemen, ſimilis melanthio, qui bibitus morſibus venenatis occurrit. Capite de Clinopodio: Clinopodion frutex eſt ſarmentoſus duobus palmis aſcendens de terra: naſcitur locis ſaxoſis: folia habet ſimilia ſepyllo, & florem praſio ſubſimilantem: Bibita herba & cocta morſibus venenatis occurrit. Capite de Chamædry: Chamæropa, id eſt, Chamædrys, morſibus venenatis cum vino bibita occurrit. Cataplaſmate adhibita, omnia ſupraſcripta facere poteſt. Viridis trita & pilula accepta, omnia ſupraſcripta facere poteſt. Capite de Calamentho: Calamenthum multi pulegium agreſte vocant. Eius ſpecies tres ſunt: virtus tamen omnium calida & ſicca nimis eſt. Bibita & impoſita, morſibus venenatis occurrit: venenis poteſtatem amputat. Cap. de Sycomoro. Sycomorus, aliqui ſycaminum dicunt, id eſt, ficus Pharaonis, arbor eſt ingens, ſimilis fico. Hæc arbor ſi lapide fuerit percuſſa, ſuccum emittit ſimilem gummi: qui contra morſus venenatos bibitur & vngitur. Cap. de Cochlea terreſtri: Cochlea terreſtris, id eſt, limacia, bona ſtomacho eſt: Tritæ etiam crudę, & cum lacte aſinino bibitæ, morſibus venenatis præſtolantur, &c. poſſunt hæc omnia & marinæ cochleæ facere, ſed minorem habent virtutem. Cap. de CaponCibus: apones viui aperti & impoſiti, morſibus & punctionibus venenatis occurruut, ſi aſsiduè mutentur. Cap. de Coagulo omni: Coagulum omne tamen plus omnibus leporis, triobolo 1. id eſt, pondere xxxvi granorum hordei cum vino acceptum, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Cedro: Cedria, id eſt, kitran, ſeu alkitran, morſibus ſerpentium cum ſale & dulcore, id eſt, ſapa, ſeu careon, bibita occurrit. Cap. de Conyza, id eſt, polycaria, Conyzę folia in cataplaſmate adhibita, morſus venenatos mitigant. Cap. de Clemati: Clematis naſcitur lo cis ſupra terram cultis, ſarmenta longa habens in longitudinem iunci, & folia lauri figura & colore, ſed breuiora. Folia eius & haſta maſticata, morſibus venenatis occurrunt. Capite de Dauco: Daucus, id eſt, baucia, id eſt, paſtinaca ſylueſtris: Semina omnium cum vino bibita contra venena, & ſerpentium morſum faciunt. Cap. de Helenio: Helenij radix tuſa, melle addito, morſibus venenatis occurrit. Crateuas etiam perhibet Aegyptum habere alterum Helenium. morſibus venenatis radix eius bibita medetur. Cap. de Elaphoboſco: Elaphoboſcos herba eſt quam alij elaphion, aliàs elaphon dicunt: Latini ceruiocellum, id eſt, ceruariam: virgam habet fœniculo aut roſmarino ſimilem, quæ nodis eſt plena: & folia eius duobus digitis ſunt lata & longa, ſicut terebinthi aſpera & fragilia. Virga prædicta, multos ex ſe emittit ramulos, in quibus capitella ſunt anetho ſimilia.

milia. Radix est illi duobus digitis longa, & lata, & alba, & odorata, apta escis. Hanc herbam cùm cerui comederint, cornua deponere dicuntur: quare ipsa cornua venenis occurrunt. Semen eius cum vino bibitum, serpentium vexationes curat. Capite de Fœniculo: Elixatura eius bibita, vrinam prouocat, morsibus venenatis cum vino occurrit. Aduersus ictus scorpionum itémque serpentium optimè semen ex mero sumitur. Cap. de Fœniculo agresti: Fœniculum agreste maius est prædicto, & semine, & frutice. Semen eius & radix, morsibus venenatis occurrit. Capite de Ferula: Ferula viridis, morsibus venenatis occurrit. Capite de Fimo: Fimus caprarum syluestrium impositus, cum vino aut aceto coctus, morsibus venenatis occurrit. Capite de Phalangio. Phalangion virgas habet duas, aut tres, aut plures, & flores albos similes lilio, cum multa diuisura. Semen est illi nigrum & grossum sicut lenticula: radicem habet tenuem, minutam & viridem, & postquàm de terra tracta fuerit, alterum colorem facit. Nascitur locis cultis. Huius folia, & radices, & semen, & flores cum vino bibita, morsibus venenatis occurrunt. Capite de Galbano: Galbanum oleo mistum & perunctum, serpentium vim non admittit. Capite de Gentiana: Gentianæ radix drach. duarum cum pipere, & ruta, et vino accepta, morsibus venenatis occurrit. Cap. de Verbenaca: Verbenaca, quã multi peristereon dicunt, species habet duas. Vna est supina, & altera recta. Radix & folia, morsibus venenatis occurrunt imposita. Tota herba ad omnia venena potui datur. Cap. de Eruo siue Orobo. Farina orobi mista cum vino, morsibus venenatis occurrit. Cap. de Hierobotane: Hierobotane herba est porrecta, virgultis vltra cubitum geniculosis, cum folijs per interualla distantibus, tanquam quercus incisis & subalbidis: facit autem ad serpentis morsum, etc. Vulnus recens superimposita curat. Capite de Eryngio: Radix est illi longa & lata, nigra foris, ac intus alba, aromate plena: Morsibus venenatis & potionibus occurrit, cum vino bibita: & melius id aget, si addatur seminis pastinacæ ℥.1. Cap. de Licina, id est, Lilio: Folia lilij cataplasmate adhibita, & eius semen morsibus venenatis occurrunt cum vino bibita. Cap. de Leuce: Leuce duo sunt genera, vna est montana, & alia hortiua: Ambæ verò cum vino bibitæ, morsus venenosos prohibent. Cap. de Libanotide: Libanotidis (cuius vilior species est rosmarinum) tria sunt genera. Radix eorum sicca, melle addito, morsibus venenatis occurrit. id et cum vino facere potest. Cap. de Lupino: Aqua lupini fomento adhibita, morsibus venenatis singulare præsidium est. Cap. de Lana succida; Succus lanæ comburitur sic. In teste noua supradictum succum refunde, & igni lento impone, quandiu pinguedo ipsa igne absumatur. Huius combustionis puluis collyrijs miscetur. Obolus vnus, id est, pondus duodecim granorum hordei, cum vino acceptus, morsibus venenatis occurrit. Cap. de Leptopodion: Leptopodion, id est, secundum aliquos artanitæ succus cum vino potui datus, serpentium venenis repugnat. Cap. de Lapide hæmatite: Lapis hæmatites, morsus serpentium cum aqua eximiè curat. Cap. de Lilio: Folia lilij cocta et imposita, vexationes serpentium curant. Semen eius potui datum, ad serpentis morsum facit. Cap. de Malo: Arboris pomorum foliorum succus cum vino bibitus, aut cataplasmate adhibitus, venenatis occurrit morsibus. Cinis corij eius bibitus, mori hominem citius facit. Cap. de melle: Mel morsibus venenatis occurrit. Cap. de Mandragora; Mandragoræ duo sunt genera, vnum fœmina, alterũ masculus. Radix eius trita cum melle rosaceo aut oleo, morsibus venenatis occurrit. Capite de Medulla omni: Medulla ceruina peruncta, omnium bestiarum venena expellit. Cap. de Melanthio: Melanthij semen morsibus venenatis occurrit, bibitum ℥.1. cũ aqua: & quidam dicunt quòd nimius vsus eius interficit.

Capite de Marrubio ſiue praſio : Marrubium Græci praſium dicunt : Exic-
cantur folia eius cum ſemine, & aptantur ſerpentibus. Cap. de Marrubiaſtro.
Marrubiaſtrum eſt ſubſimile marrubio, & notum, cuius vires faciũt ad ſerpen-
tium morſum. Cap. de Nerio: Nerion aut nerodendron, id eſt, ſecundum Aui-
cennam, oleander, frutex eſt omnibus notus: folia habet ſimilia amygdalæ, ſed
maiora & pinguiora, florem roſæ ſimilem, ſemen etiam patens, ſicut cornu, ve
luti lanam intus habens ſimilẽ hyacintho: radix eſt illi oblonga & anguſta, gu-
ſtu ſalſa: naſcitur locis aquoſis & maritimis: virtus eſt illi mortifera: nam come
ſta ab animalibus infert mortem: ſed hominis remedium eſt ſalutis, maximè cũ
ruta & vino bibita: morſibus venenatis occurrit: pecora minuta ſi illius odore
tacta fuerint, moriuntur. Cap. de Oleo Cinnamomino: Oleũ cinnamominum
morſibus venenatis occurrit, bibitum, aut perunctum. Cap. de Ouo: Ouum
crudum acceptum, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Oxalmo: Oxalmum
fomẽto adhibitum, medetur putredinib. vulnerum, & morſib. caninos ad ſani
tatem perducit, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Origano: Origanum o-
mnibus eſt notum: Virtus eſt illi calida. Elixatura eius cum vino data, morſi-
bus venenatis occurrit. Cap. de Opopanace: Opopanax acceptum cum ariſto
lochia morſibus venenatis occurrit. Cap. de Ocimoid : Ocimoides folia ha-
bet ocimo ſimilia, & ramos hirtos, cũ ramis ſemine plenis. vt eſt melanthiũ, q̃d
potui datum, medetur ſerpentium morſib. Cap de Ficu: Succus tam ſylueſtris,
quàm ſatiuæ ficus, inſtillatus plagæ, morſibus venenatis & rabidi canis occur-
rit, Cap. de Pice liquida: Pix liquida colligitur ex lignis pinguibus, ſed illa me-
lior eſt, quæ eſt lucida, lenis, & munda. Morſibus venenatis occurrit cum ſale
trita, & impoſita cũ cera. Cap. de Platano: Platani ſemen cũ vino bibitum mor
ſibus venenatis occurrit. Cap. de Paliuro: Paliurus (ab alijs acus palearis, ab
alijs cicer domeſticum vocatur) arbor ſpinoſa, cuius fructus rubeus eſt, &
eſt iocundus ac ſuauis in cibo. Semen eius bibitum, morſibus venenatis oc-
currit. Cap. de Porro: Porrum calefacit & deſiccat nimis. contra ictus vene-
natos cum mero, aut aqua mulſa, aut melle ſuccus datus, prodeſt venenatis
morſibus. Cap. de Pipere: Piper bibitum & comeſtum, morſibus venenatis
occurrit. Capite de Polygono: Polygonon maſculum, ſeu centumnodia, ſeu
corigiola, herba eſt, ſuccus eius morſibus venenatis cum vino bibitus mede-
tur. Polygonon verò fœmina frutex eſt. Omnia ſupraſcripta facere poteſt,
quanuis minorem virtutem habeat. Cap. de Polemonio: Polemonion Cap-
padoces, chelidoniam vocant, haſtas habet tenues, & quadratas, & folia te-
nuia, quadrata, & paulò maiora ruta, & oblonga, ſimilia polygono, aut cala-
mentho, & ſuper ipſa folia folliculi ſunt, & in omnibus ſemen eſt nigrum. Ra-
dix eſt illi longa, cubiti vnius, ſed ſubalbida, & ſimilis ſtruthio, id eſt, condiſi.
Naſcitur locis montuoſis & aſperis. Radix eius cum vino bibita, morſibus
venenatis ocaurrit. Cap. de Polio: Polij elixatura morſibus venenatis occur-
rit. Cap. de Phyllitide: Phyllitidis folia cum vino bibita, morſibus venenatis
occurrunt. Cap. de Praſio: Praſij folia ſicca, & ſemen eius elixum & bibitum,
morſibus venenatis occurrit. Capite de Piſtacijs: Piſtacia, quæ in Syria na-
ſcuntur euſtomacha ſunt; cum vino bibita morſibus venenatis occurrunt.
Capite de Panace chironio: Panax chironium naſcitur in monte Pelio: fo-
lia habet amaraco ſimilia, & florem auroſum, & radicem tenuem, & non
altam, guſtu viſcidam. Cuius radix talem habet virtutem, vt bibita morſi-
bus occurrat venenatis. Folia eius vt cataplaſma impoſita idem præſtant.
Cap. de Panace Aſclepio. Panax Aſclepij herba eſt virgam in medio tenuem
habens, vnius cubiti longitudine: Folia nodoſa, ſimilia fœniculo. ſed maiora
& aſperiora, & ſuper virgam capitellum habens, in quo flores ſunt auroſi & vi
ſcidi,

ſcidi & odorati. Morſibus venenatis occurrit maximè, cum vino & oleo trita & peruncta id præſtat. Cap. de Pulegio: Pulegium morſibus venenatis occurrit cum vino bibitum. Cap. de Ruta: Rutæ folia comeſta cum nucibus regalibus, omnibus venenis occurrunt, morſibus venenatis opitulantur. Cap. de Rhapontico: Rhaponticum naſcitur in Boſphoro, & ſic ad Græciam venit. Radix morſibus venenatis occurrit. Similiter vt agaricus datur in omnibus cauſis. Cap. de Radice rapę: Semen rapę ex vino vulneribus venenatis illinitũ ꝓdeſt: Contra ſerpentis morſum & toxica ſemen datur ex vino bibendũ. Cap. de Raphano: Raphanum Gręci, nos radicem vocamus: eius radix cũ melle miſta putredinem curat. impoſita venenatis morſibus medetur. Cap. de Sagapeno: Sagapenum vino acceptum, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Serpyllo: Serpyllum morſibus venatis occurrit bibitum & impoſitum. Cap: de Scordio: Scordion magnam habet vim: omnibus quippe pernicioſis hominum malis vehementer reſiſtit: ſcorpiones, & ſerpentes itemq; alias latentes beſtias odore ſolo fugat: ictibus eorum æque medetur, ſiue vulneri illinitum, ſiue in potione ſiue in cibo ſumptum. Si cum reſtibus ſuis oleo permiſtum fuerit, ictus venenatos efficaciter ſanat. Aliud ſcordion naſcitur locis montuoſis & in ſyluis, folia habens ſimilia chameleæ, ſed maiora, & non ſic diuiſa: Virga eſt illi quadrata, in qua florem rufum profert. Bibita viridis & ſicca cum vino, morſibus & omnibus generibus veneni occurrit. Succus eius bibitus omnia ſuprаſcripta facere poteſt. Cap. de Scilla: Medium ſcillæ cum oleo & reſina coctum, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Sanguine: Maritimæ teſtudinis ſanguis cum vino bibitus, & cum coagulo leporino & cymino, morſibus venenatis ſalutare præſidium eſt. Cap. de Salibus: Sal tritum & in linteolo ligatum, & aceto inunctum, & impoſitum, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Sinapi: Sinapi ſerpentium ictibus & ſcorpionum cum aceto tritum illinitur. Cap. de Smyrnio: Smyrnion, herba eſt ſimilis apio, ſed folia haber latiora, & ſubrufa, et quaſi pinguia, & ſuauiter olentia, cum aliqua acrimonia: ramulos & capitellum prout anethum, ſemen rotundum & nigrum, radicem lenem, mollem, & ſuccoſam, odore ſuaui, cum cortice nigro intus viridi aut exalbido. Guſtus illius fauces remordet, nam herba guſtu amara eſt. Ad morſus ſerpentiumfacit. Cap. de Satureia: Satureia contra animaila, quæ aculeatis ictibus ſæuiunt, non inutiliter adhibetur. Cap. de Terebintho: Semen Terebinthi morſibus venenatis occurrit. Cap. de Tribulo: Tribuli genera ſunt duo, terrenum & aqueum: Terreni ſemen ℥ ij. bibitum & impoſitum morſibus venenatis occurrit. Cap. de Tritico: Triticum cum ruta coctum, tumores ſpargit, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Trifolio: Trifolij genera ſunt quatuor. Folia ipſius cum oxymelle accepta, morſibus venenatis occurrunt. Omnis frutex cum folijs et radice fomento adhibitus venenis officit. Semen illius in emplaſtris mittitur, et radix in antidotis, vtraque tamen aduerſus venena ſerpentium faciunt. Cap. de Vetonica: Folia Betonicæ tribus drachmis in vini ſextario bibita, morſus ſerpentium ſaluberrimè curant, et ſuperponuntur. Quiſquis autem hanc herbam biberit, vim veneni non admittit. Ad morſum ſerpentis in vino trita et potui data potenter facit. Cap. de Vite communi; Vitis communis cinis ſarmentorum ſiccorum, et vinaciæ ſiccæ collectus, vexationibus et morſibus venenoſis impoſitus medeatur. Cap. de Xylobalſamo: Vtile eſt ſemen eius, id eſt, carpobalſamum potum morſibus venenatis. Virtus eſt autem Xylobalſami minor ſemine. Elixatura eius bibita, morſibus venenatis occurrit. Cap. de Iride Illyrica: Iridis Illyricæ radices datæ, beſtiarum venenis occurrunt. Cap. de Hippomarathro. Hippomarathron, ſiue vt alij marathron agrion, ſiue vt Latini, fœnicu-

lum ruſticum, poteſt à ſerpentibus vexatis mederi. Andromachus in libro de
Theriaca: Primum & melius quod datur in potu de theriaca, eſt ad prohiben-
dum nocumentum medicinarum nocentium ſiue interficientium propter id
quod iam bibitum eſt, aut propter id de cuius potu timetur: & ad puncturam
reptilium habentium venenum cum quantitate trium cyathorum, id eſt, ℥.iiij.
ſemis, vini: & ad reptilia quidem habentia venena. Et ratio propter quam fa-
cta eſt theriaca, eſt, quòd medici primi viderunt multorum nocumentorum &
magnitudinem iuuamenti quod ex ea eſt in corporibus ex potu venenorum
perniciosorum, & ex punctura reptilium habentium venena, &c. Galenus
ſexto de Simplici medicina capite de Lactuca aſini, id eſt anchuſa. Eius verò
(ſupple lactucæ aſini, id eſt, anchuſę, quæ Piſauri vulgariter nominatur criſpi-
gui, quæ enechilia, & alcibiadia vocatur, & ſecundum aliam translationem di-
citur abugelabus) virtus quidem eſt pharmacoſior: mox igitur & plus habet
acredinis quo ad guſtum. In morſis à ſerpentibus ſufficienter competit piſta-
ta, appoſita, & comeſta Cap. de Agarico: Agaricũ cõfert eis qui morſi ſunt, vel
percuſſi ab inferentibus frigiditatem feris, de foris quidem appoſitũ patienti:
intra corpus etiam ſumptum pondere 1.ʒ. cum vino limphato. Lib.7. cap. de
Calamentho: Calamenthũ vehementius, poſtquã exiccatur, efficitur, & prom
ptius iuuat: cumq́ fit hoc, ad morſus ferarum emittentium virus admittitur: ſi-
cut & cauteria, & quotquot medicinarum calidæ ſunt, & acres, & ſubtilium
partium, nec non facilius attrahentia ad ſe totam adiacentem humiditatem.
Cap. de Betonica: Betonica omnibus ferarum morſibus emplaſtrata, vlceri
præſtat opem. Lib. 9, cap. de Lemnia, i. terra ſigillata: Librũ accepi à quodam
localium virorum, in quo docebat totum vſum Lemniæ terræ, id eſt, terræ ſi-
gillatæ: vtebatur autem ipſe libri conditor hoc pharmaco in morſis à ſerpenti-
bus, & omnino in morſis à feris, & in pernicioſis pharmacis, non tantùm in
prædonando, ſed etiam ſuperdonando. Aſſerebat autem & experientiam ha-
bere pharmaci quod, puta, de Lemnia ponitur, vomitũ prouocare ſi quis ad-
huc exiſtente in ventre mortifero pharmaco biberit hoc alexiterium. Ille autẽ
aſſerebat morſum rabidi canis ſanare id bibitum per vinum limphatum: in vl-
cere autem poſitum per acetum acerrimum. Sed per acetũ quidem & aliarum
ferarum aſſerebat id morſus ſanare, appoſitis de foris herbarum frondibus:
quas didicimus opponi putredinibus: cõmendabat autem maximè ſcordium,
deinde centauream minorem, deinde verò praſium. Ego verò quando in ma-
lè morigeratis & putribilibus vlceribus Lẽnia vſus fui, profui nimis, &c. Cap.
de Lapide ophite: Lapidem autem ophitem vir re vera fide dignus ait confer
re ijs qui morſi ſunt à ſerpentibus applicatum. Libro decimo, capite de ſterco
re capræ. Ad morſus igitur viperarum, & multò magis adhuc aliarum ferarũ,
medicorum quis medentium in ruribus & villis, vtebatur eo cum aceto, & li-
berabat quàm multos. Libro vndecimo, cap. de impetigine equorum. Equo-
rum impetigines quidam epilepticos ſanare: quidam autem & contra cuiuſ-
cunque ferę morſionem vti ea conſuluit. Galenus in libro de Simplicibus ad
Paternianum: Agaricum vires habet acriter relaxantes, & venenoſis morſi-
bus & potibus reſiſtentes. Folia lilij potata, aut ipſum ſemen ad ſerpentis mor
ſum facit. Smyrnium ſimile eſt apio, ſed folia habet latiora, & ſubauroſa, & qua
ſi pinguia, & fortiora redolentia cum acrimonia: ramulum & capitellum pro-
ut anethum, ſemen rotundum, nigrum ferè guſtu, miraſtrum, radicem ſucco-
ſam, mollem, lenem, odore ſuaui, cortice nigro, intus viridem, aut exalbidam,
& ad guſtum fauces mordentem: vires autem habet acres, & ſudorẽ ſuſcitan-
tes, & ad ſerpentũ morſus facit. Trifolij herbę folia potata & pro fomento im-
poſita, viperæ morſui remediant. Item ſemẽ illius in emplaſtro mittitur, & ra-
dix in

dix in antidoto, vtraq; ad venenosorum serpentum morsum facientia.

Galen. in libro de Facilè aquisibilibus ad Solonem cap. vltimo. Ad morsum venenosorum animalium fraxini folia tere, & da cochlearia tria. i. ℥ semis, non febricitantibus cum tribus cyathis. i. ℥ iiij semis vini. Aliud: Corticem arboris glandis vel erucam vel chamæpyteos vel policariam, vel allium vnũ ex ijs terens da cum vino non limphato in ieiuno bibere. Aliud: Sanguis anatis contrariatur omnibus venenosis, & mortiferis. Hoc idem faciunt carnes gallinæ nouiter occisæ si cataplasmentur. Obsistunt enim omnibus venenosis, & curant præter aspidem. Aliud: Rutam da cum vino bibere. Aliud: Cerebrum gallinæ bibitum iuuat. Galenus in libro de theriaca ad Pamphilum principem. Si enim, sicut est fama, quæ habetur à multis ad solas morsuras venenosorum & ad potiones deliteriorum pharmacorũ ageret hæc antidotus. i. theriaca, oporteret sicut aliquod iocale in domo conseruatam tenere eam non consumptam à tempore reuocante vtilitatem, quanto verò magis quia cum ijs bonitatẽ habitus promittit, & longitudinem vitę, & vigorationem sensuũ, & procurationem sanitatis: &c. In morsis igitur à vipera & serpente & vniuersaliter in morsis vel percussis ab aliquo venenosorum, & ad vniuersa mortifera sufficienter valde ea, quę recẽs est, potest iuuare. Est aũt recens vsq; ad annos xxx, &c. Datur autem ad potationem quidẽ mortaliũ pharmacorum & ad plagatiões venenosorũ de hoc pharmaco auellanæ magnitudo. i. aur. id est, ʒ i semis cũ vini cyathis iij, id est, ℥ iiij semis. Hoc aũt pharmacũ datur in matutinis. Vniuersaliter autem dicendo in quibus alia auxilia nihil prosunt, sed vincuntur ab ęgritudinibus, in his hæc antidotus habita, mirabiliter operatur.

Galenus in libro da theriaca ad Pisonem, & in libro de Cõmoditatibus theriacę: Theriaca tempore non pauco eget vt congrua fiat ad vsum & digeratur bene: digeritur enim vt plurimũ duodecim annorũ tempore. Qui enim fortiori voluerint ea vti, tempus quinq; vel septem annorum habente vsi sunt, & maximè in morsis à feris & à canibus rabiosis, & in pharmacis deliterijs. i. mortiferis. Non solùm aũt ad theriorum & ad ferarum morsuras & ad deliteria pharmaca iuuare hęc antidotus nata est: verũ etiam & ad maximas alias passiones alexiterium. i. liberatiuum est pharmacum, &c. Accipere aũt hoc pharmacum tibi consulo cum bene digesseris, & non fueris cibarijs repletus. Et mensura etiam alia & alia vtens bene facies: aliquando quidem fabæ Aegyptiacæ magnitudinem, id est, ʒ i cum aqua assumes, quando paucum fuerit futurũ eius ad digestionem spatium: aliquando aũt auellanę magnitudinem, id est, ʒ. i. semis, faciens sic bibe quãdo plus ad digestionem pharmaci tẽpus habes, &c. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ ad Papiam. Succosatur centaurea minor modo tali: Lebes supraponitur igni, sicut cum fit vinum coctum, & intus ponitur centaurea minor, & aqua superinfunditur tanta, quanta sufficit continere herbam, & tunc supponitur ignis & coquitur sufficienter: deinde auferẽdo & exprimendo eam inciditur: & iterum coquitur in dicta aqua, attendẽdo quòd in decoctione non euisceretur: deinde exprimendo & colando eam mensuratur ipsa colatura, & in ea ponitur vini dulcis cocti optimi tertia pars, & coquitur quousq; mellis habeat consistentiam: post hoc dimitte infrigidari, & repone in vase & obtura diligenter. Est autem huius succositas stiptica, & siccatiua, & calefactiua cum virtute immanifasta operans, quam non est possibile exponere verbo, neque ad excogitationem venire, ita est vtilis ad multa. Confert autem & in feris venenosis interficientibus, & non interficientibus, &c. vsus autẽ est diuersus. Statim enim quòd plaga facta est vel mordicatio, scarificare oportet eũ, qui in circuitu est, locũ, & in ipso loco qui patitur facere vnã incisionẽ profundã, & sic mulgere & educere humorẽ: deinde in plaga super-

ponere collyrium, & deſuper bēdam de corio: & ſoluere poſt dies viij aut xliij ad plurimum, & vino abſtergere infuſo in ſpongia, &c.

Oribaſius ſecundo ſuæ Practicæ cap. ad ſerpentium morſum: Ad ſerpentium morſum carnes gallorum mox occiſorum calidas ſuperpones: venenum attrahunt & vulnus ſanant. Item remedium probatum: Statim ruta cum oleo trita ſuper vulnus imponatur. Item ariſtolochiam rotundam in puluere redactam cum tribus cytathis. i. ℥. iiij ſemis vini bibāt: validiſſimum remedium eſt. Item quincꝫ folij. i. pentaphilli ſuccum cum vino bibant. Item chamædryos puluerem cum vino vetere bibant. Item de petroſelini puluere ʒ. i. cum vino bibant. Et hæc herba viridis trita & ſuper vulnus impoſita ſanat. Item ſtatim ſi inuenire poteris butyrū librā & ſemis manducēt aut plus ſine vomitu, ſi vomūt, iterum manducent: ſuper omnia ad ſerpentium morſum validiſſimum adiutorium eſt. Item cancros fluminales in olla ignita vres, & ipſum puluerem cum aqua & vino bibant. Item portulacam cum vino tritam impones, & abſinthiū bibant. Item de folijs dragontææ ℥ ij cum vino bibant. Oribaſius 5 Practicę cap. 38: Ad lapidem gagatem, qui primum in Sicilia inuentus eſt, ex fluuij fluore reiectus ex inde nomen accepit, &c. Quicuncꝫ ipſum lapidem ſuper ſe habuerit nullam potionem mortiferam timebit, nec vllum periculum incurret. Similitercꝫ qui eum ſecum habuerit, ſerpens ei non nocebit. Probatus eſt ab Alexandro & à multis doctiſſimis medicis.

Oribaſius in libro primo de Dynamidijs, tractatu de Emplaſtris: Emplaſtrū diaphroditis, quod facit ad multas paſſiones ſuper cancrum & fiſtulas & canis rabidi morſum, aut ſerpentium vel ferarum hoc medicamen impones, tertio die tolles: inuenies ibi magnitudinem: mortiferum venenum inde exterges: iterum impones & ſanabitur, &c. ℞. lithargyri, galbani an. ℥ ij, & ʒ ij ammoniaci, ceræ Punicæ. i. de Barbaria, an. ℥ x æruginis Campanæ ℥ ij aliàs ʒ ij myrrhę ℥. i. Colophoniæ. i. picis Græcæ libr. 1 ſemis, olei libr. ij. primum in oleo tepido lithargyrum mittes, lento igne coques agitando vſque amolentum fiat vt digitum non inquinet postea ceram mittes, deinde ammoniacum ſicut reſinam: tunc myrrham, galbanum cum parte ipſius ceræ bene macerabis: deinde mittes æruginem Campanæ agitando donec refrigeret. Memineris, in tepidum ſpecies mittendæ ſunt, vt digitos non inquinēt: exinde facies magdaleones, in buxtra repones, & vteris. Emplaſtrum nigrum valde bonum quod Græci barbarum appellant, facit ad multas paſſiones: canis rabidi morſum vel ferarum curat, &c. ℞. lithargyri, ceruſſæ, aſphalti, picis Ponticæ, terebinthinę, olei an. librā i. opopanacis, libani. i. olibani, aloes an. ℥, iij ſemis, atramēti. i. chalcanthi, ſeu vnius ſpeciei vitrioli ℥. i. Prius lithargyrum cum aceto teres, oleum ſupraſcriptum addes, ad mellis ſpiſſitudinem coques: poſtea aſphalti puluerē mittes. poſtea reſinam: tunc ceram minutatam agitando commiſcebis, in mortario mittes, terendo refrigerabis, magdaleones facies, & vteris. Emplaſtrum vſia, quod habet ſubſtantiam magnam ad ſanandum canis rabidi beſtiarum & ſerpentium morſum, &c. ℞. terebinthinę ℥. xx, colophoniæ, ℥. x. & ſemis, aſphalti ℥. viij. libani ℥. iiij. lithargyri, ceruſſæ an. ℥. ij. ſemis, lapidis calcis ℥. i. piſcis ſiccæ libras ij, & ſemis, olei librā i. lithargyrum, ceruſſam, lapidem, calcem, libanum pulueriʒabis, cum aceto ſubtiliter teres, ſpecies reſolues, in olla rudi coques, aſphaltum in mortario teres: omnia fortiter terendo commiſcebis: exinde magdaleones facies, & vteris. Emplaſtrum, quod vocatur Melene, facit ad omnia vulnera percuſſa, ſiue morſus venenatos ſcorpionis, ſerpentis, canis rabidi, apri, leopardi, &c. ℞. reſinę frixę, aſphalti, an. libras ij ſemis, ſtiptereæ. i. aluminis. ℥. iij. ſemis, calcidij. i. floris calcis compaſtati cū fortiſſimo aceto, & ad ſolem exiccati, χαλκȣ̃ κεκαυμένȣ. i. æris vſti, lapidis calcis, opopanacis, miſei. i. vitrio-

li rubei, dicaminis, id est resinæ pini, aliàs ditaminis. i. dictamni, an. ℥. 1. olei veteris, ceræ an. ℥. iij, olei rosacei ℥. 1. semis, acetum ad puluerem conficiendū quod sufficit, & vteris. Emplastrum quod facit ad omnes infirmitates, &c. venenū, morsum ferarum rabidarum, scorpionis morsum, &c. ℞. lithargyri libr. 1 & ℥. iij. olei veterrimi libr. 1, colophoniæ, ʒ. lvi. ammoniaci, ʒ. xxviij, marmathuris, id est, thuris cum myrrha permisti, aliàs marmacoris, id est, melissę, bdellij, an. ʒ. xij iris, id est, ireos, myrrhæ, galbani, an. ʒ. viiij. ceræ ʒ. vi. opopanacis, aristolochię, an. ℥ 1. conficies, & vteris.

Oribasius libro secundo de Dynamidijs: Potio vtilis ad carbunculum quem clauum vocāt, & ad omnem venenatam potionem & ad serpentium ictus vel ad bestiarum morsum probatissima. ℞. &c. Antidotū Hiera, valde optimum quod contra omnes malas potiones vel venenatas, facit ad morsum rabidarū ferarum. ter aut quater in mēse dabis, aut cum necesse est, &c. Antidotum Musa quod serpentium morsum, & venenatam potionem ex maleficio datā extergit, &c. Antidotum quod facit ad omnem venenatam potionem & omnium ferarum morsum vel canis rabidi, siue serpentium, & omnes corporis occupationes mundat, &c. Antidotum Athanasia quod facit ad venena omniū serpētium, & contra morsum, &c. Antidotum Philantropus facit ad morsum serpentis, & ad eos qui venenum biberunt & ad omnē infirmitatem, &c. Auctor pręsentis operis: Descriptiones potionis & antidotorum pręnarratorum omnes positæ sunt superius in nono cap. primi libri auctoritate Oribasij in libro 2. de Dynamidijs. Oribasius libro secundo de Dynamidijs, tractatu de Antidotis: Antidotum Adrianū quod facit ad oēs passiones, & ad serpentiū morsum, & ad canis rabidi morsus, &c. ℞. amomi, cardamomi, rosæ siccæ, rutę agrestis seminis, myrrhæ, sagapeni, ameos, an. ʒ iiij, castorei ℈ v. pyrethri, costi, rheupōtici, dauci, anisi, acori, an. ℈ vi. calami aro. ℈ vi, xylobalsami, carpobalsami, opobalsami, petroselini Macedonici, zingiberis, styracis calamitæ, fœniculi, seminis spicæ nardi, an. ℥. 1. cyperi, cinnamomi, an. ℈. iiij, folij ℈ x, seseleos, cassiæ, apij seminis, an. ℈ xij. croci ℥. ij. piperis albi, ℈ xxij. euphorbij, ℈ xxij, hyoscyami, ℈, xxiiij, opij ℈ xxx. mel dispumatum quod sufficit, opium an. per vnam diem infundes, & cetera tundes, omnia cum melle cōmiscebis, & vteris. Antidotum Tryphera, quod facit ad omnem dolorem soluendum vt ipsa hora ægroti sudent, serpentium & canis rabidi morsum, &c. curat. ℞. acori. ʒ iij, & semis, spicę celticæ, fœniculi, anisi, apij seminis, panacis, radicis ireos, peucedani, opij, an. ʒ ij semis, piperis, gra. xl. mel quod sufficit. Dabis ex inde siliquas nouē. i. pondus xxxvi granorum ordei cum vino, & melle febrientibus cum aqua calida.

Macer in libro de Simplicibus, cap. de Absinthio, seu herba absinthij:

Obstat pestiferæ cum uino sumpta cicutæ:
Sicq; uenenatis occurrit morsibus hausta.

Cap. de Abrotano:

Serpentes nidore fugat, bibituq; uenena
Illorum extinguit.

Cap. de Allio:

Curat quos serpens uel scorpius intulit ictus,
Ex oleo cum testa sua si decoquis illud.
Morsus pestiferos reddes hoc unguine sanos.

Cap. de Aristolochia:

Aristolochiæ species tres dicimus esse.
Pestiferos morsus cum uino sumpta rotunda,
Curat, & assumptis prodest sic hausta uenenis.
Omnia longa potest quæ dixi posse rotundam:
Longa tamen uires habet illa debiliores.
Inde quidem si defuerit quandoq; rotunda,
Par pondus longæ ponatur dimidiumq;.

Cap. de Apio:

Tota uenenatis occurrit morsibus herba:
Sed semen potius uel apozima proderit eius.

Cap. de Althæa:

Cum posca potata potest obstare uenenis,
Decoctis oleo folijs factum cataplasma,
Quosuis pestiferos morsus combustaq; curat.

Cap. de Chamæmilla:

Pestiferos morsus serpentum pondere digno,
Cum uino prohibet anthemis sumpta nocere.

Cap. de Nepita:

Serpentium morsus superaddita trita nocere,
Non sinit: & pellit cum uino sumpta uenena.

Cap. de Pulegio:

Cum uino nigram choleram potata repellit,
Sicq; uenenatis serpentum morsibus obstat.

Cap. de Fœniculo:

Cum uino cunctis obstat hæc herba uenenis:
Cum uino fugat hydropicos potata tumores,
Sicq; uenenatis obstabit morsibus illa.

Cap. de Ligustico:

Tota uenenatis medicatur morsibus herba.

Cap. de Nasturtio:

Fortius est herbæ semen: depellit abortum,
Haustum cum uino, uentrisq; animalia pellit,
Et sic serpentis dicunt obstare uenenis.

Cap. de Eruca:

Cum uino tritum si semen sumitur eius,
Quosuis pestiferos ictus curare refertur.

Cap de Sinapi:

Maior uis eius in semine dicitur esse:
Morsus serpentum trito si iungis acetum,
Et super apponis, curat medicamine tali.

Cap. de Origano:

Illius in uino curat decoctio sumpta,
Quosuis pestiferos morsus, si sæpe bibatur.

Cap. de Serpyllo:

Pestiferos morsus bibitum iuuat appositumq;.

Cap. de Chamædry:

Chamedrys purgat cum uino menstrua sumpta,
Sic quoq; pestiferis occurrit morsibus illa:
Cunctis prædictis prodest superaddita trita.

Cap. de Dragontea:

Quisquis se trita radice perunxerit eius,
Tutus ab incursu serpentum dicitur esse:
Morsibus illorum cum uino sumpta medetur.

Cap. de Verbena:

Pestiferos morsus curat superaddita trita:
Cum renouauda quidem semper per quatuor ista,
Est medicina dies.
Occurrit cunctis cum uino sumpta uenenis.

Cap. de Malua:

Sumptam sicut olus multum prodesse fatentur.
Sicq; uenenosis occurrere morsibus illam.

Cap. de Gingibere.

Atq; uenenosis cũ uino morsibus ipsum: Præbet opẽ.

Cap. de Zedoaria:

Ad primæ sumptis zedoar obstare uenenis,
Affirmat, & reptilium morsus leuat haustum.

Cap. de cinnamo:

Cinnama tres species dicuntur habere:
Sed harũ est preciosa magis quæ plus subtilis habe-(tur,
Et quæ plus mordet mista dulcedine linguam,
Reptilium morsus curat, si iungitur illis.

Euax in libo de Lapidibus preciosis cap. de Lapide Hæmatite.

Sumpsit hæmatites Græcum de sanguine nomen:
Naturæ lapis humanæ seruire creatus.
Serpentis morsum uel quod fit ab aspide uulnus,
Egregiè curat, resolutus aquis & inunctus.
Hic ferrugineo rufóue colore notatur.

Cap. de Lapide Orite.

Letiferos morsus orites niger atq; rotundus,
Quos fera uel cornu uel diro dente peremit,
Cum roseo mistus perfectè curat oliuo.
Per uastos heremos interq; feras gradientes,
Illæsos seruat morsus alligando ferarum.

Chirandus libro primo cap. primo: Ampelos leuce. i. vitis albæ seu brioniæ radicis succi ℥. 1. data in potu cum oxymelle, morsum serpentis curat velociter. Libro secundo, cap. primo. s. de capra & hœdo. Stercus capræ dissolutum cum pultibus & superaspersum vlceribus percussos à sphalãgio. i. rutela vel serpente vel vipera perfectè sanat. Cum melle verò solutum & liquefactum & emplastratum eos, qui à serpentibus & venenatis morsi sunt, sanat, & omne venenum astringit. Hœdi autem pellis bibita eos, qui à serpentibus morsi sunt, sanat. Cap. de Lepore: Coagulum leporis cum polio solutum impositum, puncturam & morsum venenosum sanat. Libro secundo cap. de Alectore. i. gallo: Fimus autem eius cum aceto cataplasmatus, à feris rabidis morsus & vlcera sanat. Cerebrum autem eius bibitum cum condito. i. cum vino nectare à serpente morsos adiuuat. Cap. de crincos. i. gallina. Pulli scissi & calidi superpositi venenosis puncturis, attrahunt omne venenum. Oportet autem crebrius mutatos superponi, quousq; ipsi sunt recentes: deinde folia oliuæ viridia terimus cũ oleo & sale, & sic superponimus vulneri. Libro quarto cap. de Testudine marina: Chelones, id est testudinis marinæ sanguis, omnibus feris est remedium vel pharmacum & omnes ferè morsus magnificè sanat.

Ioannes Serapionis 5 Breuiarij cap. de Curatione morsuum reptilium: Qui mordetur aut pungitur à reptilibus, venenum oportet vt sugatur statim: & ille qui sugit eum sit ieiunus, qui nondum sit cibatus, & colluat os in primis cum oleo rosaceo & vino. & post, si possibile est, ponatur super locum ventosa, in

qua

qua est flamma multa, & scarificentur loca propinqua puncturæ etiam, & sugantur. Quod est quia venenum ipsum attrahitur cum attractione sanguinis, & ventositatis: flamma autem vt inflammentur partes expansæ à parte, & adurantur. Et fortasse inciditur membrum punctum, si animal quod pungit est magnum periculosum, aliàs, perniciosum sicut dipsas, & est serpẽs qui non audit, & serpens cornutus laboriosus, & viperæ similes istis, sicut narrat optimus Galenus de metitore quem momordit vipera, vt dixit, quia morsus fuit, & aspexit viperam, & cognouit ipsam & incidit digitũ suum morsum cum falcastro statim: & euasit ex timore magno. Quia si incipit venenum & profluit in reliquum corpus, extrahemus sanguinem statim, & propriè si est illic repletio. Et detur post cibum alium cum vino forti, puro, & bibat ipsum purum, vt eleuentur ex ipso vapores, & caliditates homogeneæ corpori, quibus calefit corpus: deinde ponantur super locum, post hoc emplastra. de proprietate eorum est vt calefaciant, & excorient & vlcerent cutem, sicut cinis caulium aut cinis lignorum fici mistus cũ aceto, aut massa vna, aut aqua cineris, & calcis: & emplastretur cum eo locus, aut muri, & cepę cum sauich, aut calx, aut pix liquida mista cum salgemma, aut cum kitran. i. alkitran. i. gumma cedri. Et confert etiã vt embrocetur locus cũ aceto acetoso calido, in quo decoctum est calamẽthum fluuiale, & ponantur super locum punctum galli aut gallinæ habentes ventrẽ scissum calidi, aut præter has species ex animalibus: ipsę enim attrahunt venenum, & sedant dolorem. Et administrentur etiam emplastra conuenientia, sicut emplastrum factum ex spuma maris & sale, & emplastrum factum ex cardamomo, & aladurochi: & est spuma quæ generatur in circuitu cannæ in mari. Et ad summũ curatur cum omni re calida forti. Et oportet vt sumat in potu quem pungit animal venenosum, aut mordet ipsum, si nocumentum non peruenit ad profundum corporis, aquã taraxacon. i. endiuiæ syluestris, aut bdellium Iudaicum, aut turturem decoctam cum aceto scillæ, quantitate aur. ij, cũ vino, aut sanguinẽ testudinis, aut castorei, quantitate aur. ij. cũ vino, aut baccas lauri, aut cancros fluuiales assatos, aut elixatos, aut theriacam de viperis, aut hanc theriacam. ℞. burame (& est alfesire. i. vitis alba) castorei, radicis liliȷ cælestis, radicis meu, gingiberis omnium, an. ʒ iiij, aristolochię, ʒ v, thuris, rutę syluestris, amborum, an. ʒ iij, farinæ kesule. ʒ ij, conficiantur cum aqua, & fiant trochisci, & detur ex eis, aur. semis cum vino. Et confert etiam mũdificatio per sudorem cum rebus quę mouẽt ipsum. Ioãnes Serapionis 7. Breuiariȷ, cap. 8 particula de hora seu tempore administrandi theriacam magnã: Iuuenescit quidẽ hæc medicina supple theriaca magna post xij annos. Quidam autem volũt administrare ipsam dum est propinqui temporis fortis: administrant ergo eam in quinto anno, & anno octauo, & plurimum illius apud puncturam animaliũ habentium venenũ, & potum medicinarum fortium interficientiũ. Malitia enim accidens ex istis, indiget medicinis fortibus. Particula de iuuamẽtis theriacæ, & quantitate sumenda ex ea. Primum iuuamẽtum theriacæ, & nobilius eorum, est iuuamẽtum quod facit ad medicinas perniciosas, & percussionem habentium venena. Et oportet quòd sit quantitas eius quod datur in potu illis ex ea sicut quãtitas auellanę. i. aur. 1, cum ℥ iiij, semis, vini. Particula de modo theriacę diatesseron. Modus theriacę diatesseron conferens ad mordicationẽ reptilium, &c. ℞. gentianę Romanæ, baccarũ lauri, aristolochiæ longę, & myrrhæ, an. partes ęquales: terantur & cribellentur, & conficiantur cũ mellis dispumati quãtitate necessaria, & detur vnicuiq; ægritudinum quas diximus supple in iuuamentis theriacę magnę cũ eo quod cõuenit ex potibus. Inquit Abrucalis: Minor potio eius est karat. i. pondus iiij. gra. ordei, & maior est aur. i. ʒ 1. semis vsq; ʒ ij, & nõ oportet vt transeat illud omnino. Particula de confectione

diasulfuris: Confectio diasulfuris confert morsui reptilium, & resoluit venena mortifera, &c. Particula de confectione luti lacunæ: Confectio luti lacunæ liberans ex venenis perniciosis, & à mordicatione reptilium malorũ sanat, &c. Descriptiones diasulfuris & confectionis luti lacunæ, positæ sunt superius in nono cap. primi libri auctoritate Ioãnis Serapionis septimo Breuiarij: Ioãnes Serapionis septimo Breuiarij cap. octauo. s. de trochiscis. Trochisci conferentes ad omnem ægritudinem stomachi debilis, &c. ad mordicationem omniũ reptilium quando sumitur cum aqua rutæ, &c. ℞. myrrhæ, spicæ, castorei, cassiæ ligneæ, terræ sigillatæ, corticum radicum mandragoræ, omnium an. ʒ iiij. croci, opij, costi, omnium an. ʒ. v. papaueris ʒ. vi. dauci, anisi, seseleos, seminis hyoscyami albi, styracis calamitæ, seminis apij, omnium an. ʒ. viij. terantur sicca & soluantur cum vino odorifero, & fiant trochisci, sitq; trochiscus ʒ semis, & exiccentur in vmbra & administrentur. Isaac in Diætis, libro secundo, cap. de Natura corticis tritici seu furfuris: Furfur si cum vino aqua misto coquatur, & cataplasma de illo superponatur, valet ad serpentis morsum. Libro tertio cap. de Porro: Porrus crudus cataplasmatus super morsus serpentiũ bene prodest. Cap. de Cæpis & allijs. Allia contra morsus serpentium valent.

Serapio in libro de Simplicibus parte secunda cap. de Citro: Aben Mesue: Grana eius sunt de numero medicinarum conferentium venenis quando ex eis sumitur aur. id est, cum aqua tepida, & ponuntur super locum morsus. Cap. de Zurũbet, id est species zedoariæ, mesarugiæ & bedigoras: proprietas eius est quòd confert morsui venenosorum. Mesehac. Resoluit multum & cõfert ventositatibus grossis & morsibus venenosorum, & retinet ventrem. Cap. de Gentiana. Abix: In gentiana est proprietas, quæ est contraria venenis mortiferis bibita aut imposita super locum morsuræ & morsui tyri & serpentum & scorpionis & aliorum venenosorum. Cap. de Pipere: Vnaym in theriaca: Piper confert morsibus venenosorum. Cap. de lapide Smaragdo: Natura smaragdi, est frigida & sicca: & quando sumitur in potu, confert venenis mortiferis & morsibus venenosis, & punctionibus habentium aculeos. Qui ergo dederit in potu de limatura eius pondus viij granorum illi, qui sumpsit venenum, antequàm fecerit in eo impressionem nec excoriabitur & est euasio sua. Cap. de lapide Albezaar: Asius: Proprietas eius est quòd confert venenis animalium omnium & plantarum, & morsibus & puncturis venenosorum, quando bibitur ex eo pondus xij granorum ordei, aut fit linimentum cum eo super locum morsus: liberat enim à morte, & expellit venenum per sudorem: & quãdo ponitur lapis in annulo & ponitur in ore ipsius, qui sumpsit venenum & sugit aliquantulum, confert ei: & si ponitur lapis ille super locum puncturæ & morsus animalis venenosi, confert iuuamentum manifestum: & si teritur & ponitur super morsum reptilium venenosorum, attrahit venenum per sudorem: & si locus, vbi est morsus, est putrificatus, & puluerizatur ex hoc lapide super locum, mundificat & curat Cap. de Sulfure: Omnis sulfuris substantia est subtilis: & virtus eius tertia est, quæ resistit venenis marinis & alijs similibus eis, quando teritur & puluerizatur super locum morsuræ, aut conficitur cum sputo, aut cum visco, aut cũ vrina, aut cum oleo veteri, aut melle, aut glutino albotin, id est terebinthina, & administratur.

Rasis vigesimo Continentis cap. secundo, in libro figurarum astronomiæ: Fel capreoli desiccatum in vmbra, si fiat ex eo collyrium, & aliquis fuerit morsus in quacunq; parte corporis, & ex eo apponatur loco, appositum morbo ter radiositate sanat. Ait Rufus: Aqua calida iuuat si in ea patiens balneetur, & fel bouinum inunctum, & similiter sisymbrium emplastratum, & ameos sumptum cum vino, & semen lilij. Et lilium emplastratum cum aceto iuuat: & can

cri flu-

cri fluuiales cocti cũ lacte & vino comesti iuuãt. Serapinũ, semẽ rutæ, sauina, mel dissolutũ cũ oleo rosaceo, fistici cũ vino, piper, rubea tinctoris, panis porcinus cũ vino, euphorbiũ, menthastrũ & sua decoctio, cordumenũ, abrotanũ, aliàs arthemisia cũ vino, pix aliàs asphaltum cum castoreo & vino, pix liquida cum sale mista & emplastrata: ranæ frixæ cum oleo & sale comestæ, sunt theriaca omnium reptilium. Agaricus si teratur & dissoluatur cum oleo & aceto, & vngatur supra corpus, destruit nocumentum reptilium. Et decoctio maluæ hortulanæ, valet contra mortifera acuta. Et acetum calefactum, si aspergatur supra morsum reptilium frigidorum, iuuat. Et similiter valet contra venenum calidum, si bibatur cum niue calidum vel frigidum: & similiter valet contra omne narcoticum. Et asphodeli, ʒ, iij, idem operantur si sumantur: & folia asphodeli emplastrata cum vino valent. Ait Abda. Si punctura reptilium fuerit in cuti & non profundetur, si spargatur calida & acetum, iuuat: & sugatur locus cum ore, & qui sugit non sit ieiunus, nec dentes habeat corrosos nec os mali odoris, & gargarizet prius cum vino multotiens: deinde ponat in ore suo butyrum aut oleum violaceum: & emplastretur locus cum cinere & aceto, & melior cinis est qui fit ex vitibus & ficu: &, si cum hoc dolor non cessauerit, ventosetur cum scarificatione: & si adhuc non cessat dolor, abscinde carnem quæ est in circuitu vulneris vsque ad os: deinde appone desuper gallum scissum per medium duabus vicibus, aut emplastra locum ex allijs, sale & stercore pecorino, aliàs, ouino: hoc quidem medicamen est vtile omnibus venenis: & si fuerit punctura cuiusdam reptilis quod dicitur asile, id est, serpens quidam venenum expuẽs, emplastretur locus cum calce, sale & melle simul decoctis: hoc tamen medicamen est vtile in omni veneno: & similiter iuuat fortis ligatura, & cerebella galli & gallinarum multum valent: similiter coagulum capreoli aliàs leporis potatum cum vino & castoreum & pisces marini saliti qui vocantur reth. i. crocodilus marinus. Theriaca iuuatiua contra morsum reptilium hæc est. ℞. Opij, myrrhæ, seminis cicutæ & cymini, an. ʒ, 1, piperis, ʒ, 1, semis, aristolochiæ longæ & rotundæ, gentianę, an. ʒ, iij, nigellæ, ʒ, v, rutæ, ʒ, ij, informentur cum melle & succo erucæ: dosis eius aur. 1, cũ sapa. i. musto cocto quousq; solùm tertia pars remaneat. Dixit Gale. Quãdo morsus nõ scitur cuius reptilis sit, prouoca vomitũ cum aqua & multo oleo communi, & prohibe penitus somnum. Narrauit mihi quidam iustus homo, quòd fecit suspendi ad collum cuiusdam hominis, qui morsus fuerat à serpente, lapidem serpentis, & liberatus fuit. Inquit Abrucali: Galbanũ est iuuatiuum contra omne venenum cuiuscũq; reptilis. Ait filius Patriarchæ: Medicina iuuatiua ad extrahendum venenum foras. ℞. seminis sinapis, calib. i. millij solis, calcis, & picis liquidæ. Fac emplastrũ, & appone loco: & euacuetur vẽter & prouocetur vrina & sudor: & detur aliqua de theriacis dictis. Et ne permittas toxicatum & quẽ aliquod reptile momordit, dormire: Confortetur calor naturalis cum vino: quoniam est valde conueniens eis. Et similiter iuuant altit, & allia. Ait Bedigorius: Panis porcinus habet à proprietate, quòd opponitur omnibus venenis reptilium. Ait Paulus: Allia, stipites rutæ & vinũ, sunt multum iuuatiua in morsu omnium reptilium. Ait Iudæus: Morsus ferarũ habet venenum: & omnium istorum cura est apponere ventosas cũ scarificatione & sugere locum: deinde vngas cũ oleo rosaceo. Ait Dioscorides: Auis laudula emplastrata supra morsum serpentis iuuat. Ait filius Mesuay: Litium dissolutum in aqua frigida, iuuat contra morsum cuiuslibet venenosi: & cibetur patiens ex cancris fluuialibus & aqua ordei. Ait Philaretus: Sumere cancros fluuiales & gentianam, & coquere, sunt de medicinis maximi iuuamẽti cõtra morsum cuiuslibet venenosi elargetur vulnus cum allijs & assa: & non permittas vulnus consolidari quo-

usque patiens fuerit liberatus: potus eorum sint vinum & lac: quia opponuntur omnibus venenis: & cibentur allijs & cæpis, quia similiter oppositionem habent cum venenis: & sumant theriacam & mithridatum: quia defendūt cor à nocumento veneni: & studium tuum sit in elargatione vulneris & extractione veneni in principio, sed pôst per aliquot dies minimè: quia venenum iam penetrauit per totum corpus: & bibere vinum remittit malitiam veneni & expellit extra, sumatq; elleborum.

Rasis 21, Contin. cap. de Pane porcino: Panis porcinus seu cyclaminum seu malum terræ, confert de sui proprietate venenis & morsui reptilium. Cap. de Citro: Filius Mesuay: Si sumuntur ex granis eius aur. ij, cum aqua tepida & vino, aut trita ponantur supra morsum cuiuslibet reptilis aut animalis venenosi, liberantur omnino, & laxant ventrem: & de proprietate granorum est, habere aspectum contra venenum. Cap. de Stercore humano: De proprietate eius est, valere contra venenum omnium reptilium & medicinas mortiferas. Cap. de Mustela: Mustela, id est, donnula, secundum Dioscoridem, syluestris excoriata & salita, eius interioribus amotis & desiccata & puluerizata, si sumantur ex ea aur. ij cum vino, est fortis & mirabilis theriaca contra reptilia: & si impletur eius corpus cum coriandro & desiccetur, valet contra morsum reptilium, &c. & si poneretur frixa aliàs scissa super quemcūq; morsum, liberaret ipsum: & idem testatus est Galen. & alij dicunt quòd stomachus huius animalis, habet proprietatē super venena omnium reptilium. Cap. de Ceruo: Ait Paulus: Virga ceruina, confert morsui reptilium, & ideo ponitur in theriacis. Cap. de Squilla: Ait Bedigorius, de proprietate eius est conferre tussi, asthmati et morsui reptilium. Cap. de vrina puerorū: Dixit: vrina puerorum, si effundatur super morsum reptiliū marinorum, confert. Cap. de allio: Dixit filius Mesuay: Allium valet loco theriacę contra morsum reptilium frigidorum & dolorem frigidū. Et remotio nocumēti ipsorum, cū sunt danda calidis, est elixare ipsa cū aqua & pauco salis: deinde suffrigere cum oleo amygdalarum, et comedatur, et post bibatur succus granatorum muzorum. Dixit Cōstan. in lib. de agricultura: Esus alliorum crudorū expellit lumbricos, et valet contra morsum reptilium. Cap. de Lapide Serpentino. i. lapide prasio. Inquit Galenus: Narrauit mihi homo veridicus multæ auctoritatis, quòd hic lapis suspensus vel portatus, sanat morsum reptilium, et non possunt portantes ipsum lædi aliquo nocumento. Cap. de Porco: Hepar porcinum masculinum recens et siccum sumptum cum vino, valet contra morsum reptilium. Libro 22. Continentis cap. de Arpa. i. aue alba: Arpa auis est alba, dixit Bimasui. Fel arpæ debet siccari in vmbra in vase vitreo obturato: & ad morsum viperæ, scorpionis, vel alterius animalis fricari in aqua dulci in concula, et imponi loco parti sanæ per oppositum, et sanabitur. Dixit: expertus sum illud, et inueni ipsum ad venenum serpentis, scorpionis et viperarum valde conferre. Cap. de palea camelorum, id est, squinantho. Dixit Dioscorides, quòd cameli quando pascunt hanc herbam. i. squinanthum, non patientur nocumentum alicuius veneni vel furunculi: ideo semen eius valet contra morsum reptilium. Cap. de Fœniculo. Dixit Bimasui et Massa: Semen, supple, fœniculi bonum est dolori renum, morsui reptiliū et canis non rabiosi. Cap. de Ydirdarchat. Ydirdarchat, dixit Bimasui, proprietatem habet conferendi morsui animalium venenosorum. Cap. de Cancro fluuiali. Cancer tritus, crudus et bibitus cum lacte asinino, confert ictui furunculorum. Cap. de Serapino: Serapinum, dixit Tabri, quòd confert illinitum super morsum serpentium et scorpionum. Confert etiam bibitum ad hoc cum vino cocto in quantitate

aurei

aurei ponderis vnius. Cap. de Fisticis: Dixit Bimasui: Fistici si teruntur & bibuntur cum decoctione aut cum vino forti, cōferunt morsui furunculorum, id est, animalium venenosorum. Cap. de Pisce marino: Pisces marini recentes, ius habent laxans ventrem: & confert morsui furunculorum. Cap. de Radice: Defilaha Fastix dixit: Radix prohibet morsum furunculorum, aliàs reptilium: & semen ipsius confert venenis, & furunculis ad modum theriacę. capite de Euphorbio. Quidam existimauerunt, quòd si quis patitur morsum alicuius furunculi, et scindit pellem cranei capitis eius dum appareat craneum, & ponitur hoc gummi tritum in interiori parte ipsius fissuræ, & suit ipsam fissuram, non sequitur aliquod detrimentum horribile. cap. de Fat, seu fiak: Fat & dicitur etiam Fiak, est medicamen delatum de regione Turcarum: & valet ad morsum furunculorum, si bibitur cum aqua frigida. Dixit Cuzi: confert venenis & morsui furunculorum, & mitigat dolorem vehementem si bibitur cū aqua frigida. cap. de Pipere: Dixit Iohannitius de libro theriacæ: Piper confert contra morsum furunculorum. Lib. 23 Continentis, cap. de Arbore berberis. Semē eius bibitum, valet ad morsum furunculorum, & folia, & radix ipsius sunt stiptica: & si bibitur ipsorum decoctio, confert venenis mortiferis & morsui furunculorum. cap. de Sulphure: Dixit Galenus: Omne sulphur habet vires attractiuas, ideò resistit omnibus venenis furunculornm: & ego operatus sum sæpe in cura morsus tribuni marini, &c. Et ego sum expertus illud & experimentum inueni firmum: sed consulo quòd distemperetur cū vrina, & melius erit si fit cum oleo vetusto, aut cū melle & gummi grani viridis, id est, terebinthina. cap. de Chamædry: Dixit Bimasui: Si bibitur cum vino, aut emplastro ponitur, confert morsui furunculorum: potest etiam teri, & distemperari, et in pilulas redigi, & bibi ad morbos prædictos. Cap. de Butyro: Dixit Bimasui de Butyro cocto: Butyrum coctum vaccinum, calidum est in secundo, humidum in tertio. Confert morsui furunculorum, & propriè viperarum: quoniam conterit venenum ipsorum, & prohibet quòd non venit ad membra spiritualia, &c. cap. de Saliua: Summariè natura ipsius, supple, saliuæ resistit omnibus venenis furunculorum. Et quidam cū saliua sua interfecit scorpionem, & hoc fit magis per saliuam famelici, & sitibundi. cap. de Aqua: Si patiens ingreditur aquam maris calidam, sequetur iuuamentum eius in morsu viperæ: & furunculorum, ex quorum morsu accidit tremor, &c. Dixit Rufus: Si Balneatio fit in ea, aut calefactio, mitigat accidentia quæ fiunt ex morsu furunculorum, & excitat vomitum. cap. de Felle: Dixit Dioscorides: Fel taurinum ponitur in illinitionibus conferentibus morsui furunculorum. cap. de Nemicha, id est, ameos: Si effunditur decoctio ipsius super morsum scorpionis, dissoluit dolorem statim. Dixit Bimasui: confert morsur furunculorum. cap. de Endiuia: Dixit Bimasui. Balabsicuk, id est, taraxacon, id est, endiuia syluestris, frigidum est & siccum in principio secuudi: & siccitas in eo est cum dominatione: si comeditur, aut si aqua ipsius bibitur, confert morsui furi, id est, reptilis seu animalis venenosi. Dixit Iohannitius in Electionibus ipsius: Taraxacon, si bibitur, confert morsui scorpionis, & vespæ, & serpentum. cap. de Iambut: Iambut, dixit Bimasui, habet vim dispersiuam absque punctione, sed operamur flores, & folia magis quàm alia. Dixit Damascenus: Frigidum est & siccum: decoctio ipsius interficit pulices si spargatur in domo, & valet ad morsum furunculorum.

Rasis 8 Almansoris, capite 1: Venenosorum autem animalium punctura & morsus si cuius sit ignoratur, ilico ex quo morsum senserit patiens, ea pars quæ loco morsus superest, liganda est, locúsque sugendus, ventosa quoque vehementer ignita, aut ventosa cum scarificatione loco superponenda est,

atque ex pullis per medium ſciſſis calidis exiſtentibus emplaſtrum ſuper locum patientem eſt ponendum. Poſtquàm verò ęger dolorẽ iam quieuiſſe nec ad corporis profundum penetrando accedere præſenſerit, iam bonitatis ſpes aderit: quòd ſi non hoc modo fuerit emplaſtrũ ex fimo colũbino & menthaſtro, aut ex ſulfure & vrina, aut ex iſto emplaſtro ſuperponatur. Recipe caſtorei, ſerapini, aſſę, ſulfuris, fimi colũbini, menthaſtri, pulegij ceruini, omniũ partes ęquales, picis, & veteris olei quantũ ad eorum cõmiſtionẽ ſufficere poſſit. Ex his omnibus in mortario eouſq; conquaſſatis, donec vniantur, fiat emplaſtrum. Infirmus aũt, ſi cum prius in membro frigiditatẽ pateretur, ex huius emplaſtri ſuperpoſitione remedium ſenſerit, ex rebus calidis ipſum curare ſtude, & è contrario. Raſis in Diuiſionibus cap. 143. de remedijs venenorum: Cum autem morſus ſiue punctura animaliũ ignoratur cuius ſit, tũc ſtringatur quod eſt ſupra puncturam, & ponantur deſuper ventoſę, & ſugantur & ſcindantur pulli & calidi ſuperponantur, & vaporetur cũ eis, & ponantur deſuper cancri cõtriti. Quòd ſi locus incipit venire ad corruptionẽ & putrefactionem, eſt ſignificatio, quòd eſt punctura animalis pernicioſi, & tunc abſcindatur locus ſi fuerit locus pręparatus inciſioni, aut cauterizetur: dum aũt non incipit tendere ad putrefactionẽ & corruptionem, quanuis ſit vehemẽtis doloris, cũ nondum ſit ei velox perambulatio in corpore, nõ eſt bonum ęgro ex eo vti: & tũc eſt deterius cùm cadit punctura iuxta cor, aut vbi eſt arteria magna.

Raſis in libro de Proprietatibus animalium cap. de proprietatibus muſtelę: Caro eius deſiccata, ſi potetur cum ruta, valet contra morſuram omnium animalium, & vermium, & reptilium. Cap. de Proprietatibus crocodili: Si momorderit crocodilus aliquem, ſumatur ſepum eius & ponatur ſupra locum morſus, curabitur ſtatim: decoctio autem ipſius, iuuat contra morſum muſcarum & aranearum & vermium & huiuſm. Cap. de Proprietatibus locuſtæ: Cum ſumitur ex eis aliquid cum vino, iuuat contra morſum vermium præſertim locuſta quæ vocatur bariol, quæ non habet alas. Et ſecũdũ quòd narrauit Dioſcorides, quando deſiccantur & bibuntur cum vino non coctæ neque ſalſæ, iuuant plurimùm contra morſum vermium. Cap. de Proprietatibus auis alkakam, aliàs alkaram. Si ſumatur corium citrinum iecoris, id eſt, hepatis eius, & ſiccetur, & puluerizetur & bibatur cum rob vel cum vino, valet contra omnia venena. Cap. de Proprietatibus mulieris: Sepum hominis cõfert contra morſum paruorum animalium venenoſorum, ſicut eſt aranea & huiuſmodi. Raſis in libro de Experimentis: Oleum de auellanis extrahitur ſicut oleum amygdalarum, & eſt temperatum & ſubtile: valet contra venenum & morſum reptilium.

Albucaſis ſecunda particula Azarauij: Antidotum aliud muguet, &c. morſibus ſcorpionis & reptilium & ſerpentiũ confert. ℞. opij, croci, pyrethri, leucopiperis, ſeminis hyoſcyami, cardamomi, ſpicę, ellebori albi, euphorbij, an. partem. 1. balſami octauam partẽ: terãtur per ſe, & cum melle cõficiãtur, & poſtea cũ balſamo malaxẽtur: per ſex menſes reponatur: doſis minor in modũ ciceris cũ aqua calida: maior doſis eſt aur. ſem. Antidotũ aliud muguet valet ſupradictis paſſionibus. ℞. ſpicę, cardamomi, croci, euphorbij, pyrethri, ellebori albi, an par. 1. opij par. ſemis. Species per ſe terãtur & cũ melle cõficiantur, & reponãtur vt ſupra. Antidotum athanaſia minor valet hepaticis, &c. venenum reptilium excutit, &c. Antidotum dabit diaſulfur, quod antiqui cõpoſuerunt, valet morſibus reptiliũ, & ſerpentium, & venenoſis potionibus, &c. Auctor pręſentis operis. Deſcriptiones antidoti athanaſię minoris, & antidoti diaſulfur, poſitę ſunt ſuperius in nono cap. primi libri, auctoritate Albucaſis loco prędicto.

Albucasis quarta particula Azarauij: Prædixi in prologo huius particulę ar tē theriacę quę nominatur alfarot.i.theriacæ magnæ.dixit Vnaym filius Isaac, hæc medicina nominata fuit theriaca duabus de causis. Prima est, quia poten ter subuenit potioni, aliàs, morsui animaliū venenosorum, & hęc Gręcè dicun tur theria. Et secūda est, quòd cōfert omnibus medicinis venenosis, & istę me dicinæ dicuntur Græce ca: vnde hæc duo addita fuerunt: & nominauerūt the riacam. Nominatio Mithridati probati à summis medicis, &c. Hoc anditotū causa Mithridatis regis, medici composuerūt, & Mithridates vtebatur hoc ad præseruationem venenosorum. Theriaca Esdrę valet omnibus, quibus & the riaca maior, &c. Nominatio medicinæ ex nucibus & ficubus, quæ omnes ve- nenosorum species, & venenosorum animalium morsus nocere prohibet, &c. Alia theriaca Pauli morsibus scorpionum, & reptilium. ℞. fęcis vini, ℥ vi. sulfu- ris viui, ℥ vi. pyrethri, ℥ iiij, castorei, seminis erucæ, an. ℥, ij, de omnibus fiat pul- uis, & conficiatur cum sanguine testudinis marinæ, aut cum vino decoctionis gentianæ, dosis ℥, vna, cum v. ℥ vini puri. Alia theriaca ad idem. ℞. pyrethri, a- ristolochię, an. ℥ ij. piperis, radicis anuiden.i.silphij, an. ℥, ij, cum melle conficiā- tur, dosis in modum fabæ Aegyptiacæ.i.secundum aliquos, gra. xlviij, & secū- dum aliquos ℥, 1, semis. Theriaca morsibus omnium reptilium, & rabidi canis & fluxui sanguinis, &c. ℞. myrrhæ, croci, an. par. 1, macropiperis tertiam partem: piperis nigri, scordei, costi, opij, spicæ, castorei, galbani, an. quartam partem, mellis quod sufficit, & quanto vetustius tanto melius. dosis, aur. semis. Theriaca Ioannis Damasceni morsibus reptilium, serpentum & scorpionis, & mortiferis potionibus, &c. Theriaca propria morsibus scorpionum, & repti- lium, &c. ℞. aristolochiæ rotundæ, costi amari, ireos, cyperi, radicum capparis, an. ℥ x, piperis nigri, baccarum lauri, an. grac. hyssopi, agarici, an. ℥ vij, mellis, quod sufficit, dos. aur. 1. Theriaca Indica morsibus serpentum, & scorpionum ℞. salis nigri, turbit, ireos, radicis colocynthidis, piperis nigri, & longi, & albi, cinami ℥℥, rubei, an. partem. 1. mellis quod sufficit. in cornu bouino reponatur, dosis, aur. 1, cum tepida, & morsui reptilium superponatur. Theriaca cuiusdam Hispani morsibus serpentum, & scorpionum, & omnium reptilium veneno- sorum & potionibus mortiferis, &c. Nominatio medicinæ morsibus serpen- tum & scorpionum, & quibus data fuerunt venena, &c. Alia Digad medici de sulphure omnibus venenis venenosorum animalium, & mortiferis potioni- bus: & sicut aqua & ignem extinguit: sic & hęc medicina omnia venena mor- tifera fugat, &c. Alia Galeni, morsibus serpentum & scorpionum, & canis rabi di & mortiferis potionibus confert. ℞. &c. Alia Dioscoridis, valet fluxui ven- tris qui prouenit ex morsu reptilium. ℞. opij, myrrhæ, an. kyrat. iiij, id est, gra- na hordei, xvi. piperis aur. ij, mellis quod sufficit. Theriaca morsibus serpen tum & scorpionum, & canis rabidi & venenis mortiferis, &c. Alia theriaca Andromachi: Galen. ait quòd multum proficit morsibus viperæ & reptilium cum vino, & mortiferis potionibus, ante cibum accepta valde operatur, &c. Theriaca de alijs omnibus morsibus reptilium & omnibus venenis. No- minatio medicinæ omnibus morsibus, serpentum & scorpionum. ℞. gentia- næ, thymi, corticum radicum capparis, aristolochiæ rotundæ, botamæ nigræ, id est, canhæ radicum, an. par. 1, mellis quantum sufficit, quanto vetustius tanto melius: dosis ℥ 1, cum frigida. Alia theriaca completa morsibus serpentum & scorpionum & canis rabidi & mortiferis potionibus, &c. Theriaca mirabilis probata morsibus serpentum & reptilium, &c. Theriaca de bolo, valet morti- feris venenis & morsibus reptilium & venenosorum animalium, & est mira- bilis & probata, &c. Theriaca Indica quæ fuit inuenta in scrinijs regis Indiæ: omnia venena tam animaliū quàm hominum & venenosorum ciborū poten

ter fugat,&c. Alia theriaca morſibus reptilium & omnibus valet quibus & ſupradicta,&c. Accipiatur andacocha.i.trifoliũ, & in oleo coquatur & morſus reptilium cum iſto oleo inungatur:poſtea hoc emplaſtrum ſuperponatur. ℞. pulueris arboris celſi.i.mori,ſalis,ariſtolochiæ longæ & rotundæ, ſummitatũ lauri,porrorum,farinæ hordei:omnia coquantur in vino cocto vel aceto,& locus læſus emplaſtretur,& ſuper emplaſtrũ ſpõgia aceto infuſa ſuperponatur: patiens balneum ingrediatur,& vinum coctũ limphatũ bibat & liberabitur,ſi deus voluerit. Nominatio medicinę morſibus ſerpentum, ſcorpionum & viperę,& venenoſorum animalium & canis rabioſi:℞. ariſtolochiæ,pyrethri,an. ʒ,iiij, piperis albi & nigri,an.ʒ iij,ſeminis vel foliorum dauci.i.paſtinacę ſylueſtris,aſſæ fœtidę,an.ʒ,i,cum ſucco foliorum rutæ:conficiantur & fiant trochiſci penſantes aur.1.doſis vnus trochiſcus cum vino aut cum calida. Medicina morſibus ſerpentum & viperarum.℞.fellis gazeli maſculi ʒ,ij fellis galli,ʒ.1.ſemis 33 ʒ ij,omnia diſtemperentur cum ℥ ij.lactis mulieris fœminam lactantis, & ℥ ij,vini cocti:& in ipſa die totum bibat. Alia medicina valens his, qui biberunt venenum mortiferum,& morſibus ſerpentum & viperarum & omnium venenoſorum animalium. Alia morſibus ſerpentum & viperarum.℞.polij mõtani confecti cum butyro vaccino:doſis in modum fabæ in aqua tepida: poſt bibat ſuccum foliorum pomorum cum vino cocto temperatum. Et locus læſus de folijs pomorum epithemetur,aut ſuccum maioranæ bibat,aut ſcorpiones aſſos comedat aut bibat gẽtianam & piper cum vino aut vinum coctum. Alia medicina morſibus ſcorpionum & ſerpentum.℞.opij,opopanacis, caſtorei,ſeminis hyoſcyami,ſeminis paſtinacę agreſtis,an. mellis quod ſufficit.doſis aur.1.Nominatio theriacæ diateſſaron quæ puncturis ſcorpionum,& pernicioſis venenis aliorum venenoſorum animalium confert, &c. Alia theriaca quam oẽs philoſophi Romani,Indi & Fericini cõmendauerunt morſibus ſerpentum et ſcorpionum canis rabioſi,et veneno mortifero,&c. Alia theriaca leuis macdacti Arabicè dicta,id eſt,ſancta medicina,eius virtus theriacę maiori vicinatur,&c. Nominatio ſimplicium ſpecierum quæ venena animaliũ venenoſorum & omnium reptilium expellere conſueuerunt. Agarici aur. vnũ cum vino valet morſui animalium. Semen agni caſti qui biberit,& emplaſtrum fecerit,à morſu reptilium curabitur. Idem operatur gentiana cum pipere. Rheubarbari,aur.1,cum vino,ariſtolochiæ longę & rotundæ, ʒ,ij. cum vino cocto. Balſamum,xylobalſamum,fiſtici cum vino cocto, melanopiper,leucopiper, cum vino forti,cerebrum gallinæ,origanum montanum cum vino cocto,origanum agreſte cum vino, ammi cum vino. Omnes iſtæ ſpecies venena animalium venenoſorum fugabunt. Omnes medicinæ pręnarratæ quarum deſcriptiones omiſi,deſcriptæ ſunt ſuperius in nono cap.primi libri auctoritate Albucaſis quarta particula Azarauij.

Albucaſis quinta particula Azarauij:Omnes hierę in menſe iunij,& iulij cõfici debent: quoniã illo tempore omnes radices & ſemina in ſua virtute cõpleta conſiſtunt. Et cum antidota confecta fuerint,ſub ordeo reponi debent ſex mẽſes. Sed hîc obijcitur quare in ordeo,& in frumẽto. Ad hoc dicimus quòd ordeum frigidum eſt, & tempus calidum: vnde ex vtroque quædam fit temperantia: inde eſt quòd melius ſeruatur,& ſpecierum malitia reprimitur, & citius medicina incorporatur. In frumento non debent poni propter vtriuſq; caliditatem,vnde cito medicinę corrumperentur. Hiera Archigenis morſibus canis rabioſi & puncturæ animalium & ſuffocationibus matricis prodeſt,&c ℞. colocynthidis,aur. xxx. praſij, ſtœcados Arabicæ, ellebori nigri, chamedryos, diagridij, piperis longi, an. aur. iiij, ſquillæ, aſſæ, euphorbij, aloes,croci,gentianę,petroſelini,ammoniaci,opopanaci Arabici,an.aur.1,polij mon-

ij montani,ſerapini,cinami,myrrhę, ſpicæ,florũ ſquinanthi, menthaſtri aquatici,ariſtolochię longæ,an.aur.ij.gummi,in vino bono infundantur,& alię ſpecies terantur: & confice vt ſuprà,in ampulla vitrea per ſex menſes recondantur.doſis:an.aur. iiij. Albucaſis nona particula Azarauij: Electuarium Cæſaris venenis & morſibus reptilium ſubuenit. Albucaſis 25 particula Azarauij:Modus condiendi allia domeſtica, valet venenis reptilium, & morſibus ſcorpionum, & omnibus morbis ex frigiditate & humiditate, &c. Sumantur ex allijs purgatis libræ iiij.in olla munda ponantur,& cum eis butyri vaccini libræ ij.ponantur: deinde lento igne coquantur, donec allia à butyro imbibantur: ad cooperimentum ponantur: deinde lento igne bulliant, & incorporentur, ab igne deponantur,& infrigidentur, & in vaſe fictili reponantur. Albucaſis 17 particula Azarauij, Trochiſci de ſtella, ſecundum librum filij Meſaguę,conferunt ad morſum reptiliũ,quando fit epithema,& quando cum vino odorifero bibuntur,&c.℞.myrrhæ,caſtorei,ſpicæ Indicæ & Romanæ,gentianę,boli Armeni,terrę ſigillatę,caſſię ligneæ,caryoph.radicis mandragoræ an. ʒ.iiij. croci, opij, coſti amari, & dulcis an.ʒ.v.papaueris albi & nigri an.aur.vi. dauci, aniſi, apij, fœniculi, hyoſcyami albi, lactis granatorum,pulegij,meſcatrameſir,id eſt,dictamni,penidiorum an.ʒ.vij.cymini, ameos,calamenthi agreſtis,id eſt, montani,ocymi,caryoph.an.aur.v.terantur,& cribellentur:opiũ,& crocus,& myrrha terantur,& in vino odorifero infundantur,& cum eis medicinæ ſiccę conficiantur, & fiant trochiſci ad pondus aur.1. & in vaſe mundo reponantur,& poſt ſex menſes adminiſtrentur.Trochiſci ad morſum canis,& punctionem ſerpentis, & ſcorpionis. Recipe pyrethri,rheubarbari,ſeni,an.ʒ. iiij.piperis albi & nigri,ana.ʒ.iiij.aſſæ fœtidæ,ſeminis paſtinacæ,ana.ʒ.v.terantur,& cum ſucco foliorum rutæ conficiantur:& fac trochiſcos ad pondus aur. vnius,& bibat vnum cum aqua,& melle,aut cum tepida. Albucaſis 25 particula Azarauij, cap. 8: Ad morſum animalium:Accipe folia pentaphyllon, & tere,& pone ſuper morſuram. Aliud:Accipe corticem radicis,et tere cum farina orobi, et cum vino confice, et locum emplaſtriza. Aliud ad morſum animalium,et ſcorpionum: Allia ſola,aut cũ vino tere,et pone ſuper locũ morſus, aut puncturæ. Aliud ad idem quod venenum extrahit: Allia tere, & cum eis caſtoreum miſce, et cum oleo veteri confice, et pone ſuper locum: quoniam venenum extrahet. Aliud ad venenum animalium: Sagapinum, id eſt, ſerapinum tere,et fac emplaſtrum ſuper puncturas ſcorpionum, et reptilium. Aliud ad animalia venenoſa, et ad ſagittas venenoſas: Aſſa fœtida teratur, cum vino, et adminiſtretur. Aliud ad idem: Pix humida teratur cum ſale, et ſuper puncturas animalium ponatur. Aliud ad morſum reptilium: Accipe cinerem ligni ficus,et calcem kali, aggrega cum aqua calida, et ex eo emplaſtriza. Aliud ad puncturam animalium. Recipe ſerapini, caſtorei, aſſæ fœtidæ, ſtercoris columbini,calamenthi, pulegij ceruini,partes æquales, olei communis, et picis quod ſufficit ad medicinas conficiendas, et in mortario incorporentur,et adminiſtrentur. Ad morſuras viperarum, et ſerpentum: Emplaſtriza morſuram cum calamentho viridi recenti, et hoc ſæpe renonetur. Aliud: Accipe ſquillam, et coque cum aceto, et locum emplaſtriza cum farina orobi confecta cum vino et lacte. Aliud: Locum emplaſtriza cum ficubus, et allijs,et cymino. Aut emplaſtriza cum cinere vitis,et terra ſigillata cũ aqua confectis. Modus emplaſtri Galeni ad morſuram viperarũ et ſerpentum. Recipe ſerapini,piperis,aſſę fœtidę,opopanacis,ana.par.1.galbani,ſulphuris viui,an. par. ſemis, ſicca terantur,et cribellentur,et gũmę in vino infundãtur,et omnia incorporentur,et locus morſuræ ex eo emplaſtrizetur,& ſuperponantur folia vrticæ,aut folia ficus. Albuc.24 part.Azar.Ceroneum de euphorbio valet ad

percussiones neruorum, & ad percussionem rabidi canis, et ad puncturas scorpionis, & animaliũ, & omnes dolores frigidos. ℞. olei, lib. 1. ceræ, ℥. iiij, euphorbij, ℥. 1, liquefiat in oleo et cera, & administretur. Modus ceronei ad plebem, & est forte ad venenum extrahendum, & probibet illud penetrare, & ad remotas partes extedere. ℞. nitri, sinapis, salis, aliàs cineris kaly, salis ammoniaci: fiat ex toto linimentum cum aceto forti, & ex eo liniatur. Albucasis 25 partic. Azarauij: Oleum de sinapi calidum est, & subtile, &c. valet ad puncturam scorpionis, & omnium animalium excepto morsu viperæ. Et eius extractio est, vt accipiatur, & bene teratur, & in aqua calida infundatur cum oleo: deinde exprimatur cum stamine spisso, & vsui reserua. Oleum de auellanis mediocre est, & subtile: valet venenis, & puncturis animalium, & extractio eius est sicut olei de nucibus. Ioh. Mesue in suo Grabadin, seu antidotario, cap. vltimo, ponit oleum de sinapi fieri per resolutionem eo modo, quo fit oleum de frumento, quod asserit fieri duobus modis. Quorum primus est vt ponas frumentum super laminam ferream, & super ipsum ponatur alia lamina ferrea ignita nõ multùm, & exprimatur, & emanabit oleum. Secundus verò modus est, vt ponatur frumentum excorticatum in vase sublimationis. Albucasis: Nast duæ sunt species, naturalis, & artificialis, &c. naturalis exit de fontibus nigris, & fœtidis, sublimatur & dealbatur. Artificialis ex vnguentis sublimatur, & ambo administrantur, & sunt calida in 4 gradu, &c. Et quando bibitur cũ castoreo et vino, valet puncturis reptilium, &c. & permutatio eius est duæ tertiæ ponderis eius de balsamo. Modus olei Ioh. Damasceni, & cætera: valet venenis mortiferis quando bibitur, vel super locum puncturæ illinitur, & est probatum, & fuit compositum cum modis sapientiæ, &c. Modus olei quando ex eo inungitur homo, & acceperit viperas & omnia reptilia, ei non noceret. ℞. olei cuiuslibet & in eo infunde tyriones pini teneres, & summitates spinæ quæ dicitur chay & hyoscyami parũ, & galbani, & ad solem per duos menses ponantur, deinde reponantur: & cùm opus fuerit administretur, & ex eo puncturę reptilium inungantur. Modus olei ad idem ex quo inungitur: Accipe ceram, oleum rosaceum, parum galbani, limaturam cornu cerui, & cyminum, aggregentur, & ex eo inungatur. Omnes medicinæ, quarum descriptiones superius omisi, descriptæ sunt superius in 9 capite, 1 lib. auctoritate Albucasis, locis præallegatis. Auenzoar 1 Teysir, tract. 1: Rememorati sunt medici, quòd qui bibet ʒ. 1. ther. alfarut, aliàs alfarot, id est, liberatricis, id est, theriacæ magnæ ante cibum cum aqua calida omnibus decem diebus tempore hyemis, euadet nutu Dei à febribus putridis, & ab epilepsia, & à colica, et conseruabitur sanitas omnium membrorum, & dicunt quòd tardat canos. & qui hoc continuauerit per annum non lædetur à morsu animalium venenosorum, neq; à venenis, neq; à medicina pestifera cum adiutorio Dei: & est necessarium ei qui acceperit theriacam, vel smaragdum, vt tardet à cibo & potu vsquequo transeant horæ septem, vel parum plus, vel minus ab ipsorum receptione: & præmonitum est de theriaca vt non admisceatur cibo in corpore humano, intelligendum est, si necessitas non affuerit ex causis nociuis fortibus, velut est morsus serpentis, vel potus alicuius veneni, aut potus alicuius medicinæ mortiferæ: quoniam in istis & sibi similibus necessitas nos inducit ad ipsam propinandam: & causa motionis nõ miscendi theriacam cum cibo est, eo quòd Deus dedit sibi virtutem expellendi nociuas causas obuiando, & ipsa recepta non est obediens membris facientibus digestionem ad recuperandam digestionem, & cùm iam sit mista cibo, tunc recipit cibus dispositionem ex hoc quæ est difficilis digestionis: vnde accidit bibenti inquietudo & dolor, donec expellatur cibus, antequam corpus recipiat nutrimentum, & amittitur cibus præ dolore & angustia patientis, sed

tempore

tempore necessitatis leuiter poterit tolerare talē dolorem & inquietudinem. Rabbi Moyses 21 part. suorum Aphorismorum, auctoritate Gal. 4 miemur, id est, lib. 10 tract. Darsini, id est cinnamomum, est medicina multum subtiliatiua, &c. & adaptat medicinas mortiferas, & animalium venena, & post hanc in bonitate est selica, id est, cassia lignea bona, & post selicam, omnis species aromatica, quemadmodum spica, squinanthū, calamus aromaticus, & meu. Auctoritate Galeni 1 medic. competentium morbis. Datur in potu ex theriaca magna puncturis factis ab animalibus venenosis, plus hexagio, parum secundū quantitatem, scilicet auellanæ 1, cum ℥. v. vini temperati, fortiter permisti. Auctoritate Galeni in particula eius de theriaca ad Cæsarem: Sumitur ex theriaca ad curationem venenorum quantitas auellanæ vnius, id est, aur. 1, mista cum vino quantitate cochlearium iij. id est, ℥. ij. & in ægritudinibus alijs theriacæ quantitas, et fluentū miscendorū adinuicem est diuersa. Auctoritate Cōpluti Aphor. vlt. Dixit Cōplutus in Introductorio suo, quòd selica, id est, cassia lignea, expellit venenum scorpionum, & aliorum animalium, & est bona his, bonitate cognita. Partic. 22 suorum Aphor. auctoritate Compluti: Succus frondium arboris mali acetosi, remouet malitias veneni mortiferi, & punctionū omnium animalium venenosorum. Rab. Moyses in suo lib. de Venenis, tract. 1, cap. 1. scilicet de Regimine eius qui mordetur in generali. Decet ergo cum quis mordetur ab aliquo animali venenoso, vt immediatè ligetur bene locus supra morsuram existens, si possibile fuerit, taliter, scilicet ne venenum per corpus eius dispergatur, & tūc scarificetur locus eius morsus: & facta scarificatione, sugat scarificator, quantò plus poterit ore proprio locum morsum: deinde, quod suget, spuat: decet tamen, vt ante suctionem prædictam solum oleum commune, vel cum vino mistum gargarizet, & cum oleo violaceo, si possit haberi, vel in defectu eius, cum communi, labia propria liniat, seu inungat, & cōsequenter sugat, sicut dixi. Caueat autem sibi, debens sic sugere, ne dentē corrosum, aut corruptum, aut aliud ex morbis patiatur. Quidā etiā medicorū asserunt, ꝙ nō decet sic sugentem esse ieiunum, sed comedat aliquantulū, & post sugat. Mihi autem videtur, quòd ille qui mordetur consequetur amplius iuuamentum, si sugens fuerit ieiunus, sic tamen sugens maiori periculo exponetur, & è cōtra: quoniā si sugens comedit, minus periclitabitur, et morsus etiam minus multò iuuabitur. Saliua .n. ieiuni hominis, medicinalis est plurimùm morsuris venenatis, nec non etiam scissuris et ragadijs multis. Quòd si non affuerit qui sic sugat, apponantur ventosæ cum igne, vel sine, cum igne tamen vtiliores sunt, & magis efficaces: et post hoc prouocetur ad reijciendū quod habet in stomacho, vomitu leui, et facili, si possibile fuerit. Si tamen cū difficultate vomat, procuretur vomitus in eo cū oleo vel butyro. Caueat tamen ne ad laboriosum vomitum prouocetur, & cōsequenter sumat ex theriaca, vel ex aliqua ex nobilioribus confectionibus generaliter protegentibus à venenis. Ego autē referā qualiter sumi debeat cōsequēter: et postea superponatur morsuræ aliqua ex medicinis simplicib. vel compositis, conferentibus in hoc casu, & post horam 1. attēdatur diligenter de accidētibus patientis, an mitigetur dolor eius, & pulsus eius roboretur, & color ipsius naturalis incipiat reparari. Nam si sic, nihil erit amplius faciendum, nisi quòd sic morsus quantū poterit vitet somnum. Si enim dormiret calor naturalis ex fluxu, & reditu suo ad interiora, faceret vtiq; venenum in profundum corporis peruenire. Quòd si tunc ad membra principalia protraheret, interficeret proculdubio patientem, ideo decet, vt iugiter attendatur ne dormiat qui sic morsus est & oppressus. Attēdatur etiam ne claudantur ragadiæ, vel scissuræ, nec in eis crustulæ fieri permittantur, sed eimittanẛ apertę quatenus humiditas nociua fluat, et hoc donec morsus securus fuerit à no-

cumentis veneni illius. Similiter etiam violentia ligaturæ dilatetur, & amplietur aliquantulum, postquàm medicina assumpta ab eius stomacho exierit, & opus suum perfecerit. Ad hoc autem exigu- ur ad minus octo horæ. Reficiatur patiens cibis congruis in proposito, verum, si dolor patientis augeretur & valde fortificaretur, prius quàm comedat, medicina morsuræ superposita celeriter deponatur: & columbus immediatè post ipsius interitum per ventrem scissus, prædictæ morsuræ superponatur, & quàm citò patiens calorem columbi appositi infrigidari, vel tepefieri perceperit, tollatur, & alius eodem modo paratus superponatur & continuetur talis columborum appositio, donec dolor mitigetur, qui si non inueniatur, ponantur vice eorum pulli gallinacei iuuenes, aut antiqui, aut gallinę. Feruntur enim in hoc esse non modicum iuuamentum: nam ex hoc trahitur venenum exterius & dolor etiam mitigatur: vnde quidam medicorum proponunt appositionem auium prædictarum, applicationi medicinarum vtilium in hoc casu. Si verò præfatæ aues non posśint inueniri, infundatur acetum super morsuram, vel emplastretur cum farina in oleo communi decocta. Hęc enim sunt ex eis, quę dolorē mitigant antedictū. Verùm si dolor & cætera accidentia, posthæc omnia non mitigantur, sed potius augentur & intenduntur, constat quidem, quòd horum regimen in hoc libro nō debeat referari, vnde tūc exigitur & necessarius est medicus, qui regat patientem complexionem ipsius & alia particularia, canonibus in libris magnis huius magnæ artis memoratis. Cap. 2, scilicet de medicinis simplicibus vel cōpositis loco morsuræ apponendis. Ex simplicibus quoq; medicinis quodlibet venenum à corpore attrahentibus, cùm super morsuram venenatam apponuntur, sunt menthastrum, stercus columbi, stercus anatis, sulphur, assa fœtida, sal commune, allia, & lapis Iudaicus. Quodcunq; ergo ex istis prius inueniatur, benè tritum cum melle incorporetur, & post succesśionem ore factam, aut attractionem cum ventosis loco morsuræ more emplastri apponatur. Linimentum etiam ex felle bouis trahit abinde conuenienter venenum. Semen etiam pomi citri acetosi tritum & morsuræ superpositum, liberat à morte patientem: quippe cùm ipse obuiet omni veneno proprietate mirabili in eodem instanti. Ex compositis autem medicinis ad idem cōferentibus, sunt, vt allium, & sal, & stercus columbinum æquis assumantur ponderibus, & simul trita more emplastri morsuræ superponantur. Aliud, Semen althææ, id est, maluauisci recens, aut succus eius tritum, & cum oleo & aceto mistum morsuræ superponatur. Aliud vehementis attractionis: Sinapi, vel spica frumenti viridis tosta, & gypsum recens æquis ponderibus incorporentur cum oleo antiquo, & velociter super morsuram apponantur prius quàm venenum per corpus dispergatur. Aliud: Sal, & sal nitrum, cinis ficus, aut nitrum æqualiter sumpta cum aceto & felle bouis simul commista superponantur. Aliud, cuius rememorationem fecit Rasis asserens illud esse expertum in mitigatione doloris cuiuscunque morsuræ & tractu veneni ab eodem. ℞. sinapi, castorei, calamenthi, ana. terantur, & cum oleo antiquo diligenter incorporentur, & morsuræ superponantur, et cum calamenthum nō poterit inueniri, ponatur loco eius cinnamomum. Aliud etiam ex his, quæ conferunt in proposito, est, vt menthastrum in aceto bullitum, et coctum more emplastri super morsuram apponatur: hæc autem omnia de facili inueniri et haberi possunt, et cum hoc perutilia sunt in hoc casu. Cap. 3, scilicet de Medicinis simpl. & vsu earum conferentibus morsuris omnium venenosorum. Iam autem retulerunt medici multas medicinas, quæ interius assumuntur asserentes quamlibet earum conferre morsui animalis venenosi. Fuit ergo, mi domine, famulus tuus attentus super natura earum & inuenit ferè omnes eas calidas. Non enim inueni aliquam de conferentibus mor

sibus

sibus prædictis frigidam, excepta radice mandragoræ: non tamen est impossibile, seu absonum rationi, quin tam medicina calida, quàm frigida posset prodesse cuilibet veneno, tam calido, quàm frigido existenti. Nam operatio harum medicinarum theriacalium, non est per qualitates seu virtutes primas, sed potius à tota specie earũ, seu ab earũ proprietate, sicut dixerũt medici: philosophi autem intendẽtes declarare istud, dixerunt eas habere hanc operationem ab essentia, seu tota specie earundem. Harum verò medicinarum, quarum medici rememorationem fecerunt, sunt quædam, quas iusserũt sumi in potu cum vino, et quædam cum lacte. Ego autem dico, cum quis fuerit morsus ab aliquo animali venenoso quod ignorat, vt attendatur diligenter dispositio suorum accidentium. Si ergo calorem patiatur vehementer immensum, sicut contingit in eo qui mordetur à therio, seu basilisco, erit quidẽ melius, vt eligatur ex prædictis medicinis illa quæ cum lacte, vel aceto propinatur. Si verò frigus vehemens patiatur, sicut contingit in eo quem scorpius pupugit, vel momordit, eligatur illa ex prædictis medicinis, quę cũ vino ministratur. Cui verò non permissum est sumere ipsam cum vino, sumat ipsam cũm decoctione anethi. Concordati sunt enim omnes medici, quòd anethum cõferat omnibus venenis animalium venenosorũ. Post hoc autẽ paululum referam meliores ex simplicibus medicinis apud nos repertis, & maioris iuuamenti in proposito, quarũ quidem experientia est à pluribus approbata. Ex his ergo est semẽ pomi citri: ipsum enim resistit efficaciter omnibus venenis humanum corpus necantibus, siue offendat corpus prædictũ ex morsura animalis venenosi, aut quia per os interius assumitur. Est autem modus propinationis ipsius, vt ex eo trito & à cortice suo mundato, sumantur ʒ. ij. cum vino, vel aqua frigida, neq; est differentia siue fuerit semẽ pomi citri dulcis, vel etiam acetosi. Ex his etiam est smaragdus, ex quo eligatur ille, qui vehementis fuerit nitoris & diaphaneitatis: & sumatur ex eo bene trito pondus viij granorum hordei cum aqua frigida, vel cum vino: deinde, inquit Auenzoar, indubitanter expertum esse de obuiatione et resistentia ipsius omnibus venenis, pellendo cum vomitu, sicut facit terra sigillata: vnde ponitur vice ipsius in compositione theriacæ, cùm non reperitur. Et Galenus quidem fecit rememorationem lapidis bezaar animalis, & est similis glandi in figura, et color eius est valde viridis. Efficitur autem, vel generatur paulatim ingrossando, vel inspissando, & ob hoc reperitur in eo cortex super corticem. Ferunt autem quidam, quòd generatur in angulis oculorũ quorũdam arietum versus Orientẽ existentium. Alij autem dixerunt, quòd in sacculo, siue bursa fellis prędictorum animalium generatur, quod quidem dicimus esse verũ. Verũ bezaar minerale, est lapis in regione Aegypti in rupibus eius repertus plurium et diuersorum colorũ, de quo priores, alias, posteriores, in libris suis asserunt multa mira: nihil tamen ex eis est per experientiam approbatum. Ego aũt pluries expertus sum, omnes species lapidũ in mineris et saxis apud nos repertorũ in morsibus scorpionũ, & nihil penitus profuerũt. Quod verò bezaar animalis est relatũ, est per experientiam pluries approbatũ. Modus autẽ propinationis & præparationis ipsius est, quòd sekel, i. hexagium vnum ex eo cum sufficienti oleo dissolutum, liquefiat in patella, & coquatur donec 8 pars ipsius sit consumpta, & sorbeat totum ille qui morsus fuerit. Et si ex eodem idem morsuram linierit, curabitur et euadet auxilio dei. Harum autem triũ medicinarum, est experimentum veraciter approbatũ in omnibus venenis tam animaliũ quàm vegetabiliũ, ꝙ etiam mineralium, et sunt istæ, semẽ pomi citri, smaragdus et bezaar animalis: et retulerũt certificatũ esse experimentum oculata fide cuiusdam herbę repertę circa domum sanctam Hierusalẽ, & quidã dicunt, ꝙ sit tormẽtilla. Sumat ergo passionatus ab ʒ.i. usq; ad iij. cũ vino

vel aqua frigida, & liberabitur, ſeu euadet, non tamen attingit in hoc virtutem
ſeu potentiam ſmaragdi, nec potentiam bezaar animalis: pro tanto decet, vt
quilibet potens hæc habere teneat, & habeat ea parata ſecũ continuó. Retulit
mihi tamẽ quidam cognitor herbarũ, quòd radix prædicta eſſet radix coronę
regiæ, id eſt, meliloti. Rurſus ſi ſumatur à medietate 1.ʒ. vſque ad ſekel, id eſt,
hexagium vnum de quocunq; coagulo cum aceto, & maximè leporis, libera-
bit quidem à venenis animalium, & volatilium, & vegetabilium. Ex conferen-
tibus etiam ad hoc, eſt, vt ſumatur medietas ſekel vnius ſpicæ Roman[illegible] cum
vino diſtemperatæ. Prodeſt etiam valde ad hoc, ſi medietas vnius ſekel ſuma-
tur ex electo balſamo cũ lacte protinus mulſo. Item ʒ. vi. xylobalſami coquan-
tur in libra ſemis aquæ, donec tertia pars eius ſit conſumpta, & actu calida in
potu offeratur. Concordati ſunt etiam omnes medici ſuper alliјs, quòd loco
theriacæ maioris, offerantur ad reſiſtendum omnibus frigidis: cõferunt etiam
& protegunt à venenis calidis. Modus autem præparationis eſt, quòd ex den
tibus eorum excoriatis, ſiue ab eorũ corticibus extractis, & quaſſatis, ſiue con-
tritis, offeratur ad deglutiendũ ab vno ſekel, id eſt, hexagio vſq; ad ij. Item ſu-
mãtur ex gingibere condito, ʒ. ij. radicis mandragoræ tritæ, & cribellatæ, ʒ. 1.
cum melle incorporatæ. Item propinentur duo ſekel ex puluere darſeni, id eſt,
cinnamomi electi cũ frigida. Item propinetur ſekel 1. ex coſto amaro pulueri-
zato cum vino. Hoc etiam vno & eodem pondere offeratur ariſtolochia lon-
ga per ſe, vel agaricus. Item offerantur ʒ. ij. cum vino & aceto radicis iris, aut
pulueris ſeminis apij cum vino, aut propinẽtur ʒ. iiij. cum vino vel aqua cymi-
ni, vel aniſi, aut offeratur decoctio cancrorum fluuialium. Et hæc quidem me-
dicinæ poſſunt de facili vbicunq; reperiri, excepto balſamo, ipſe tamen de fa-
cili reperitur in Aegypto. Quæcunq; ergo ex eis reperta fuerit, attendat, quali
ter ilico poſt relatum vomitum aſſumatur. Confert autem multũ cuilibet mor
ſo ab animali venenoſo, ſi ʒ. iij. mellis calidi cum ʒ. 1. olei roſacei in potu aſſum-
pſerit. Hæ autem omnes quantitates relatæ, offerendæ ſunt eis qui ſunt aſſueti
accipere eas, ſeu diſpoſiti ad aſſumptionem earundem, ſicut habens xx annos
vel plus, in habentibus autem à x annis uſq; ad xx ſunt verè menſurandę præ-
dictæ quantitates ſecundum numerum annorum ipſorum: vnde quanto anni
ipſorum amplius minuentur, tanto etiam quantitates prędictarum medicina-
rum amplius minuantur. Nunquam autem viſum fuit, quòd ſi in habente mi-
nus quàm x. annos accidant punctiones vel morſuræ venenoſorum, quòd li-
beraretur, ſeu euaderet ab eiſdem. Decet nihilominus quòd ſumant quartam
partem dictarum quantitatum ex prædictis ſimplicibus medicinis. Et à quar-
ta parte vnius drachmæ vſq; ad quartam partem vnius ſekel ex theriacis me-
morandis. Et hoc breuiter ſecundum quod prudenti medico videbitur expe-
dire. Expedit etiam vt cùm hoc attendatur patientis complexio, & tempus
præſens. Cap. 4, ſcilicet de Theriacis & medicinis compoſitis, conferentibus
& liberantibus à venenis. Nobilior autem ex iſtis & efficacior eſt theriaca ma
gna, &c. Auctor præſentis operis: Quære reſiduum totius eius quod hîc non
eſt poſitum, ſuperius in 9 cap. 1 lib. aüctoritate Rabbi Moyſis, tractatu & ca-
pite præallegatis. Quod verò in præfato 9 cap. nõ deſcripſi, quia impertinens
erat ei, hîc, quia pertinens eſt, deſcribo. Rabbi Moyſes capite prædicto, & A-
uenzoar quidem meminerunt theriacæ cuiuſdam ex alliјs compoſitæ, aſſe-
rens certificatum eſſe apud eum per experientiam ipſius iuuamentum contra
morſuram animalis cuiuslibet venenoſi. Cuius compoſitio eſt hæc. Recipe al
liorum ſcorticatorum, iiij. foliorum necantis patrem ſuum, id eſt, pentaphyl-
lon, & ſecundum quoſdam oculi criſti, id eſt, oculi conſulis, ſeu ſecundũ quoſ-
dam, plantæ quæ dicitur antipater, gentianæ, omnium trium piperum ʒʒ. ana.

℥.1.agarici fœminę,stœchados,an.℥.semis opij ʒ.ij. Opium infundatur & mollificetur in vino , & tritis alijs solidis medicinis incorporentur omnia simul semper agitando cum conuenienti melle dispumato, & per decoctionem inspissato: cuius dosis est à ʒ.1. vsque ad ʒ.iij. Et Auenzoar quidem retulit perfectionem quandam morsuræ, vel puncturæ animalis cuiuslibet conferentem: cuius compositio est hæc. Recipe, Sinoni, id est, Petroselini agrestis, cymini, & seminis cicutæ, an.ʒ.iij. gentianæ, aristolochiæ rotundæ, an.ʒ.1.ſ. piperis albi, myrrhæ, an. iiij.semis, incorporentur omnia cũ melle dispumato: cuius dosis est ʒ.semis. alias ℥.semis. Galenus etiam fecit rememorationẽ cuiusdam medicinæ vniuersaliter conferentis omnibus necantibus & perniciosis animalibus, et suffocationi matricis. et est hęc. ℞.succi caulis sekel iiij.id est, hexagia iiij opij, castorei, piperis albi, costi, myrrhæ, an. sekel 1. quibus tritis & puluerizatis superinfundantur ℥.iij.vini dulcis, & consequenter ponantur ad solem, donec totum inspissetur, & fiant inde trochisci ad quantitatem fabę Aegyptiacę, id est, ponderis granorũ hordei xlviij. et propinetur tempore oportuno cum iij.℥.vini dulcis. Inquit Compilator: Ego quidẽ collegi ex dictis antiquorũ & posteriorũ huiusmodi medicinas cõpositas generaliter prędictis venenis conferentes, quæ quidem faciliores sunt, & tutiores, magisq; cõferentes, quarum efficacia magis est effectu subtili approbata: vnde propinentur ex eis quæ magis placebunt ministrari. Omnes autem theriacæ prædictæ, cũ vino vel decoctione anethi, vt prædixi, sunt sumendæ: & doses earum inter maiores & minores mediæ existentes, variandæ sunt penes ætatem patientis intensionem, vel remissionem accidentium, & penes regiones, & tempora anni: nam tempore & regione frigidis possunt patientes sumere fortes medicinas, non autem in calidis, cap. 6. Quicunque morsus fuerit ab animali aliquo venenoso, aut etiam venenum in potu assumpserit, vtatur micis panis cum oleo & butyro, & sumat in potu lac recenter mulsum, & comedat frequenter ficus, nuces auellanas, pistaceas, rutam, cępas, & allia: continuet ergo esum omnium istorum, vel alicuius ex eis per se sumpti, quodcunque, scilicet ex eis, primum inuenerit: & vitet omnes carnes in generali, tam ambulantium, quàm volatilium. Nam sanguis ex carnibus generatus, est dispositus suscipere corruptionem ex ventositate, seu vapore à veneno derelicto in sanguine eius qui morsus est ab aliquo venenoso, aut qui venenum assumpsit, vnde corrumperetur, & inde totus sanguis, perniciosaq; accidentia pateretur. Vtatur etiam multo sale in cibis suis: ipsum nanq; erit venenum, & desiccat. Congruit in proposito esus mellis, & maximè cum butyro. Ignoro autem rationem & causam, de qua sit cõfidendum huius quòd famosum est apud vulgus, ne scilicet aliquis comedat panem nisi azimum semicoctum: nõ enim inueni testimonium super hoc alicuius sapientis. Congruit etiam, vt in quantum poterint, vinum bibant, & etiam cum eorum cibis misceatur, & præsertim in eo qui à scorpione morsus fuerit. Et vinum quidem inebrians, est eis congruum. Si etiam morsus à scorpione repleretur, & reficeretur nucibus, ficubus, allijs, ruta, & vino, fortè mitigaretur illi dolor eius, nec alio regimine indigeret: hoc autem regimen congruit cuilibet morso, cùm ei accidit frigus forte, aut calor non fortis, seu non violentus. Verùm si quis à venenosis, vel ille qui venenum assumpserit, fuerit inflammatus, & multam aquam bibere appetierit, comedat panem mediocriter fermentatum per se, aut cum modico butyro, & fugat poma acria, & mala granata acetosa, et syrupum eorum bibat: et si fuerit vehementer inflammatus, comedat herbas frigidas, sicut rostrum porcinum, id est cichoreum, endiuiam, lactucam, et cucumeres: et sufficiat ei sumere in potu secaniabin, id est syrupum acetosum simplicem, et aquam mistam cum modico vino: non tamen

debet omittere omnino eſum nucum, & ficuum: ſumat tamen parum ex eis regulando hoc penes violentiam caloris, quem patiens patietur: caro autem cancrorum fluuialium, & ius decoctionis ipſorum, confert cuilibet morſo, ex ſui proprietate. De conferentibus etiam ſua proprietate, experientia approbata, ſunt cerebra gallinarum aſſata: ipſa enim, nedum conferunt morſis à venenoſis, ſed etiam eis qui venenum aliquod aſſumpſerunt, & cum hoc etiam ſanorum rectificant intellectum, ſicut & ius turturum. Hoc enim ius ex ſui proprietate depurat intellectum: cortex etiam limonis comeſtus, confert ſui proprietate contra omnia venena. Idem etiam operatur decoctio foliorum ipſius in potu ſumpta. Auicenna 2 canone, tractatu 2, cap. de Aniſo: Aniſum expellit, nocumentum venenorum, & venenoſorum. cap. de Squilla: Squilla, eſt theriaca venenoſis. cap. de Squinantho: Squinanthi ſpecies groſſa cum ex folijs eius recentibus, quæ ſunt iuxta radicem, fit emplaſtrum, eſt iuuatiua morſuræ venenoſorum. cap de Coagulo omni: Coagula omnia ſunt bezaard, & conferunt hyoſcyamo nigro, & magis iuuatiua ad illud ſunt coagula hœdi, & muli, & ceruorũ, & vituli, & agni: & ſanant à venenis, & morſuris omnibus iij. aur. caluſef: ſitq́ potio ipſorum decem karates, id eſt pondus quadraginta granorum hordei cum linimento. cap. de Adruma: Adruma, id eſt cyclamen, ſiue panis porcinus, confert venenis omnibus, & propriè morſioni. cap. de Bedegar: Bedegar, eſt ſpina alba: ſi bibatur ſemen eius, confert morſuræ venenoſorum reptilium. cap. de Balſamo: Eius oleum confert hyoſcyamo, ſi bibitur cum lacte, & venenoſis, & propriè ſcorpionibus. cap. de Berſtegaſcen: Berſtegaſcen, ſeu barſeoan, id eſt, capillus Veneris, cum vino, confert morſibus ſerpentum, & canis rabioſi, & venenoſis alijs. cap. de Auellana: Auellana, confert venenis, & morſibus. cap. de Agno caſto: Agnus caſtus, confert morſui ſerpentis cùm bibitur ex eo ʒ.i. cap. de Glande: Glans confert venenis venenoſorum: & caro quidem caſtaneæ eſt bona venenis. cap. de Vrina: Vrina hominis confert cum nitro ſuper morſum rabioſi canis: & omni morſui & puncturæ valet: & quæ ex ea antiqua eſt, confert venenis omnibus. cap. de Benecgariden: Benecgariden, id eſt, ſcarabeus, qui naſcitur in balneis, confert venenis quæ ſunt ex venenoſis morſibus. cap. de Caſtoreo: Caſtoreum confert morſui venenatorum paruorum. cap. de Opopanace: Opopanacum cum ariſtolochia ad puncturas bibitum, eſt theriaca, & ſimiliter eius fructus. cap. de Gentiana: Pondus ʒ. ij. ex gentiana cum vino, confert puncturæ omnium vermium venenatorum, &c. cap. de Polio montano: Confert decoctio maioris morſui vermium venenatorum omnium. cap. de Cinnamomo: Cinnamomum confert morſui vermium venenoſorum. cap. de Dirungi: Dirungi, id eſt Doronicum, eſt herba lignea radicalis, cuius quãtitas eſt nodus pollicis vſque ad extremum manus, & minus habẽs quod eſt interius album, & quod eſt exterius cineritium declinans ad duriciem & grauitatem, confert venenis & puncturæ vermium venenoſorum, & ſcorpioni, & rutelæ bibita, & emplaſtro facto ex ea cum ficubus. cap. de Verme olerum, aliàs arborum: Vermis olerum, aliàs arborum, contritus linitur ſuper puncturam vermium venenatorum, & confert ei. cap. de Gallina: Gallinæ fiſſæ, aliàs ſciſſę ſuper cor ſuum, aut gallus, ponuntur ſuper locum læſum à vermibus venenoſis, & permutantur quaque hora, & prohibent nocumentum venenorum. cap. de Cerebellis: Cerebella ſalubria ſunt in hauſtu venenorum, & morſibus animalium, cùm comeduntur. cap. de Dulb, id eſt platano: Fructus dulb, i. platani arboris, recens cum vino, confert puncturæ vermium venenoſorum. Et ex nuce eius cum adipe, fit emplaſtrum puncturæ & morſui. cap. de Oleandro: Oleander, eſt vene

num

num, & quandoque miscetur cum vino & ruta, & potatur, & liberat à venenis vermium venenosorum. Ego tamen dico quòd hoc est timorosum, & ipsa, & eius flos sunt venena hominibus, & bestijs, & canibus: veruntamen confert cũ bibitur cum vino decocta cum ruta, sicut dicitur. Cap. de Endiuia: Endiuia quando ponitur emplastrum cum radice sua super puncturam scorpionis vermium paruorum venenosorum, &c. confert, & similiter cum sauich. Cap. de Acoro: Acorus cõfert puncturę vermium venenosorum. Cap. de Gingibere: Gingiber confert venenis vermiũ venenosorum. Cap. de Zurumbet: Zurumbet, i. species vna zedoarię, cõfert mordicationi venenosorũ vermium valde, ita vt propinqua sit zedoariæ. Cap. de Stercore: Stercus caprarum & propriè montanarum decoctum cum aceto & bibitum, puncturę vermium venenosorum confert. Cap. de Aristolochia: Quidam autem dixerunt cùm ex longa bibuntur ʒ. ij. cum vino, aut fit ex ea emplastrum, confert puncturæ vermium venenosorum & venenis. Cap. de Nasturtio: Nasturtium confert puncturæ venenosorum vermium bibitum, & more emplastri superpositum cum melle. Aap. de Assa: Assa ponitur super morsum canis rabiosi & vermium venonosorum, & propriè scorpionis & rutelæ: & cõfert omnibus illis bibita. Cap. de Lapide serpentis: Lapis serpentis dicitur quod ipse confert sua supperpositione morsui serpentis. Inquit Galenus, Retulit illud homo verax. Capite de Taraxacon: Taraxacon, id est, endiuia syluestris, seu cichorea, seu grugnus porcinus resistit venenis, & ex ea fit emplastrum ad puncturas, & propriè ad puncturam scorpionis. Cap. de Luto sigillato: Lutum sigillatum, id est, terra sigillata resistit venenis & morsibus, bibitum cum vino, & linitum cum aceto. Et quod ex eo purum est, cum bibitur, nõ cessat facere nauseam, et facit venenũ vomitu exire, & propriè cùm ante ipsum bibitur, Cap. de Iabrol: Iabrol est radix mandragoræ syluestris, cum melle & oleo ponitur super puncturas. Et dixerunt quòd propriè species quæ videtur, habet alba folia. Cap. de Chamædry: Chadrys fit ex eo emplastrum morsibus vermium venenosorum. Cap. de Cymino Cyminum datur in potu cum vino ad morsum vermiũ venenosorum, est propriè syluestre simile semini lini. Cap. de keysim: keysim, id est, leuisticus, cõfert puncturæ vermium venenosorum. Cap. de Caule: Caulis succus cũ vino, confert morsibus, & est conferens morsui canis rabiosi. Cap. de Porro: Succus porri cum mellicrato est conueniens morsibus. Cap. de Carne: Caro arietum adusta confert morsibus serpentum, & caro ranæ puncturæ vermium venenosorum. Cap. de Mezerio: Mezerium, id est, mezereon, bibitur cum vino ad morsum vermium venenosorum, & propriè cùm est nigrum venenum mortiferum. Cap. de Bdellio: Bdellium confert morsui vermium venenosorum. Capite de Aqua: Ad morsum viperæ sedetur in aqua marina, & iuuantur ab ea: Et similiter fit in reliquis vermibus perniciosis. Capite de Felle: Fel hirci syluestris est theriaca morsibus venenosis, et similiter fel tauri. Cap. de Mum. Mum purum est paries domorum apum, in quibus faciunt oua & pullos, & aduenit in eis mel. Et mum quidem nigrum, est sordes fenestrarum forinsecarum: dicitur quòd ipsum extrahit venena, & ponitur super vlcera sagittarum venenosarum linita, & non nocent. Cap. de Nemen: Nemen, id est, serpyllum, confert puncturis. Cap. de Furfure: Furfur confert puncturæ scorpionis, & serpentis more emplastri superpositus. Cap. de Ameos: Decoctio ameos bibitur ad puncturam vermium venenosorum. Cap. de Petroleo: Petroleum confert puncturæ epithematum. Cap. de Lilio: Lilium confert puncturæ vermiũ venenosorum, proprie scorpionis: Ipsum & succus eius, & syrupus eius, et semen ipsius bibita, conferunt omnibus puncturis. Cap. de Serapino: Serapinũ in vino datur ad potandum ad puncturam vermium venenosorum, & ad o-

mnia venena mortifera: et eius operatio fortior est operatione galbani: et quã
doq; confert delinitum in omnibus illis. cap. de Testudine: Testudo quæ ma-
rina est, cum coagulo est bona vermium morsui venenosorum. cap. de Pisce:
Ius omnis piscis confert in venenis bibitis, & puncturis, &c. cap. de Iunipero:
Iuniperus est cypressus syluestris: & eius quidẽ alia est parua, & alia est magna.
Expellit nocumentum puncturæ vermium venenosorum. cap. de Artanita:
Artanitæ, id est panis porcini decoctio, valet puncturis venenosis, & similiter
syrupus eius. cap. de Melle: Si bibatur mel calefactum cũ oleo rosaceo, cõfert
morsui venenosorum. cap. de Rubea tinctorum: Stipites rubeæ tinctorũ, cum
folijs suis, conferunt morsui venenosorum vermium. cap. de Pipere: Longum
piper, confert morsui vermium venenosorum, linitum cũ oleo. cap. de Fesire:
Fesire, est vitis alba, id est bryonia: de radice eius aur. 1. cõfert morsui viperæ, &
similiter puncturæ omnium vermium venenosorum. cap. de Euphorbio: Di-
xerunt quidam, quòd si illius, quem aliquis vermium pupugit venenosorũ, cu-
tis capitis findatur, & quod eam sequitur vsq; craneum appareat, et ponatur in
ea hoc gummi tritum, & suatur, non eueniet ei nocumentum illius. cap. de Ca-
lamentho: Calamenthũ quando bibitur, aut fit ex eo emplastrum, cõfert pun-
cturæ vermium venenosorum, & approximat liniri ex illo operi cauterij. cap.
de Fach: Fach, est medicina Turcica, est bona ad puncturam vermiũ veneno-
sorum, data in potu cum aqua frigida, & confert omnibus venenis. cap. de Fi-
stico: Fisticum, id est pistachium, confert morsui venenosorum vermium pro-
priè decoctum cum vino forti. cap. de Fesefisi: Fesefisi, i. cimex lecti, qui est ver
mis paruus fœtens, quando degluttiuntur absq; faba, valent ad puncturam ver
mium venenosorum. cap. de Cordumeni: Cordumeni confert mordicationi
scorpionum, & reliquis puncturis. cap. de Costo: Costus confert morsibus o-
mnibus, scilicet morsui viperæ, & alijs, quando bibitur cũ vino, aut absinthio.
cap. de Galbano: Galbanum, est theriaca venenis quę imbibunt sagittas, quan
do bibitur cum vino, & venenis serpentum. cap. de Alcanabit: Alcanabit, id
est caulis caputius, est emplastrum cõueniens vermibus venenosis omnibus.
cap. de Hericio: Hericij caro, confert morsui vermium venenosorum. capite
de Rheubarbaro: Rheubarbarum confert morsui venenosorum vermium &
serpentis: & quantitas potus eius, est quantitas agarici, i. vsq; ad aur. 1. cap. de
Fœniculo. Confert fœniculi decoctio cũ vino morsui venenosorum. cap. de
Enula: Enula confert morsui venenosorum vermium, & propriè Aegyptiaca:
cap. de Chamath, aliàs alchamath: Chamath, aliàs alchamath, inquit filius Al-
patrich. Eius fel exiccatur in vase vitri in vmbra. Et quidam dixerunt quòd
expertum fuit ad venenum scorpionis, & serpentis, & vespæ maioris, & vi-
uit, & videtur mihi quòd liniendo factum est. cap. de Adipe: Adeps porci-
na confert puncturæ vermium venenosorum. cap. de Fico: Alumez, id est, vt
credo, cinis fici, confert puncturis venenosis, bibita & linita. cap. de Allio:
Allium confert puncturæ vermium venenosorum, & morsui serpentum,
quando bibitur cum vino, & nos quidem iam experti sumus illud. capite
de Althæa: Althæa, id est maluauiscus, quando linitur cum aceto & oleo, pro-
hibet nocumentum venenosorum vermium. cap. de Asphodelo: Dantur de
Asphodelo tres aurei ad morsum vermium venenosorum. cap. de Aceto: A-
cetum effunditur super morsus venenosorum. cap. de Rana: Dicitur quan-
do coquitur cum sale & oleo, & comeditur, est bezaar lepræ, & vermibus ve-
nenosis. cap. de Agarico: Quando ex Agarico in potu datur cum vino vsq;
ad aureum vnum ʒ. 1. semis, est magis iuuatiuum ad illud, id est ad venena, &
fit ex eo emplastrum ad puncturam vermium veneni frigidi. Auicenna quar-
to canone, fen sext. tractatu tertio, capite primo, scilicet de Regimine morsio-
nis vniuersali, Scias quòd canon maximus in curatione veneni, est conforta-

tio ca

tio caloris innati & exiccatio ipsius ad expellendum, sicut facit theriaca & napus Barbaricus, vt lubricare faciat venenum, & expellat ipsum ad exteriora, & consideratio confortationis viscerum: deinde expulsio veneni, & destructio operationis eius cum potionibus & epithematibus, quibus inest illud cum proprietate sua, aut natura sua cognita secundum quod dicam: et quandoq; ingreditur in istis intentionibus res alia, & est regimen in humiditatibus, quando inuenit eas, aut calcat eas, & ingrediuntur in hoc cap. phlebotomia & solutio ventris, & similia, & conuenientior hora phlebotomiæ est, cùm scitur quòd venenum iam sparsum est in corpore, & non est ex eis quæ attrahuntur, & propriè ei qui est repletus, & quandoq; ingreditur in hoc cap. res alia: & est facere humores moueri ad partem membrorum principalium. Et ea quæ bibuntur super venenum, aut sunt theriacæ & bezaar vniuersales, aut propriè illi veneno, aut medicinæ contrariæ veneno cum complexione, sicut altit, id est, assa fœtida, contraria est veneno scorpionum cum proprietate sua, aut perducentes venenum ad exteriora cum motione humorum ad exteriora, sicut medicinæ notæ, aut medicinæ remouentes humores à facie veneni. Non ergo inuenitur ex eis, quæ diximus, compositum, sicut solutiuæ medicinæ, & vomitiuæ, & diureticæ, & in medicinis quæ administrantur super morsiones venenosas, epithemate sunt intentiones, quarum vna est, vt penetrationem veneni in corpore prohibeant, & illud fit cum ligamentis, & constrictione extremitatum & prohibitione somni, vt moueatur calor naturalis ad exteriora & expellatur: & de hoc capite est incisio membri morsi, aut cum medicinis, & causis attractiuis: & propter illud stiptica nociua sunt eis: quoniam non est aliquid magis iuuatiuum quàm medicamẽ, quod trahit venenum ad exteriora & prohibet ipsum penetrare ad interiora: & propriè quando est venenũ ad exteriora, adhuc, & non spargitur, & huius quidem generis sunt ventosę, & forrasse indiget incisione si iam submersum est, et elogatur, et est firmum: et missio sanguisugæ, bona est, excusans ab illo, et à suctione dũ permanet in cute: nam suctio quandoq; sufficit: & oportet vt sugens sit non ieiunus, imo iam comederit, & abluat os suum, & habeat dentes non corrosos, & iam colluat os cum vino odorifero, & bibat ex eo aliquid, & teneat in ore suo oleum rosaceum, aut oleum violaceum: & cùm fuerit in ore suo aliud, & expellit totum quod sugit iste sugens, tunc oportet vt expuat. Medicinæ verò sunt sicut notæ ebibitæ, et rubificantes, & attrahentes venenum: aut sunt propter virtutem calefacientem trahentem, aut causa similitudinis ad attrahendum illud quod simile est ei, sicut facit adeps crocodili, ad morsum crocodili, & caro viperæ post abscisionem extremitatum eius in attractione veneni sui, ita, vt accidat medicinis valentibus ad venena, quòd sint venena iterum, verùm sunt debiliora: & quasi ipsæ sint inter complexionem corporis, & complexionem veneni: & sermo hic, est ex eis, in quibus oportet physicũ ex sapiẽtibus considerare, vt sciat q̃d est conueniens. Medico autẽ non nocet si non scit hoc. Et plures quidem embrocarum attrahentium exulcerant & vesicant: quare oportet vt currat, quod est in eis. Hoc ergo est ex conditionibus medicinę epithematę: & de cõditionibus eius est, vt sit medicina resolutiua naturæ veneni aliqua resolutione. Cõgelatio autem est sicut operatio radicis mandragoræ: adustio verò sicut operatio cauterij in igne, aut cum oleo, & pice, & propriè oleo feruente, & est operatio Aegyptiorum, aut cum proprietate materiei, aut cũ qualitate in calore & frigore contraria ei. Et quando administratur quod attrahit in principio, aut facis aliquid eorum, quæ diximus, & non confert, & est res maxima, incîde quod est in circuitu puncturæ, & accipe carnem totam vsque ad os, & si timor fuerit maior, incîde membrum, deinde cauteriza. Et de illis, quæ necessaria

sunt in omnibus medicinis venenorum, propriè in epithematibus, est, vt sint sedatiuæ doloris, & succurrentes accidentibus timorosis sequentibus mordicationem, sicut alcolcotar, id est vna species vitreoli ponitur in epithematibus mordicationum, vt retineat sanguinem cùm superfluit in cursu suo à morsu. Et de præceptis quæ oportet vt considerentur in venenis & morsibus, est, vt prohibeatur consolidatio vulneris, vsque ad horam sanatiouis ægri ex malitia veneni. Cap. de eis quæ bibuntur super morsionem: Ex medicinis bonis est vt in potu detur semen andacochæ, id est, trifolij, in aqua & vino, & decoctio specierum calamenthi trium, & castoreum est mirabile: lac verò alagiati, aliàs, altia, & existimo ipsum esse theriacam, nominatã alchusaki & alfarania, id est, vt credo, theriaca magna, sunt vehementis iuuamenti ad morsum omnis viperę, & aliuduar, i. albezaar, et alfara, i. alfesire, & alsemisk, i. sisamum, et aladrion, i. squinanthum, & albedegard, & nasturtium, & iterum illud quod assimilatur nigellæ, & alkeisim, i. leuisticus, et allium, & cortices, & folia iuniperi cum pipere, & piper ipsum. Inquit Galen. Vinum in quo cadit vipera confert mordicationi venenosorum, quomodo ergo theriaca. Et semen citri, contrarium est veneno omni, & dosis eius aur. ij. Et radix alanuiden, id est, plantæ silphij, ex qua fit assa, iuuatiua est ad omnia venena. Et fructus agni casti, & oleum balsami, & grana agni casti, & nux cum ficubus, & auellanis, et gentiana, et opopanacum, et aristolochia, et oleum de oleandro, & folia eius, & fructus adulb, id est platani arboris, recens, est mirabilis in hoc, & cinnamomum, & stercus caprinum adustum emplastratum, & in potu datum, & chamædrys, et keysim, et iterum cancri fluuiales, cum lacte, & ameos, et serapinum, et fistici cum vino, & calamenthum, et decoctio eius, bibendo, & emplastrando, & enula, & abrotanum, & cordumeni, & agaricum, & radicis alhasce, id est, thymi ʒ. iij. Et similiter ventres mustelæ vsque ad stomachum, suum cùm implentur coriandro, & exiccantur, et sumitur ex eis cùm necessarium est, & decoctio maluæ hortulanæ, & semen althææ, et cerebella gallinarum, propriè cum coagulo, & ius mustelæ morantis in domo, & ius muris morantis in domo, quando bibitur cum vino, et testudo magna salita, et decoctio cancrorum fluuialium, & testudinis, et galbanum est vltimum, & gentiana est mirabilis, et semen bauciæ, id est, pastinacæ syluestris iuuatiuum est. Et de illis quæ conferunt in hoc ex medicinis frigidis, est radix mandragoræ emplastrata cum melle: & endiuia syluestris mirabilis est in hac re, & capillus Veneris. Et quandoque agaricum cum aur. 1. aristolochiæ longæ. Et iterum theriaca mirabilis. Recipe opij, myrrhæ, ana. ʒ. 1. piperis ʒ. 1. semis, radicis aristolochiæ longæ, & rotundæ ana. ʒ. iij. vini. ʒ. ij. conficiantur cum melle & aqua erucæ. Cuius dosis sit aur. 1. cum decoctionibus bonis. Et iterum medicamen terræ sigillatæ, baccarum lauri, ana aur. ij. terræ sigillatæ, oboli ij. 1. pondus viginti quatuor granorum hordei: bibatur cum oleo, & sit dosis auellana 1. id est, aur. 1. in ℥. iij. aquæ mellis. Et iterum theriaca communis ad puncturam, et ea quæ bibuntur, piperis pondus ʒ. decem, spicæ, aristolochiæ, radicis bauciæ, omnium ana. ʒ. 1. Conficiantur cum succo xylocaratte, id est, carobbe, & ponatur in sole quadraginta diebus, & moueatur omni die semel, & quoties exiccatur, humectetur, & detur in potu cum aqua calida: & dixerunt, quia ipsa confert iterũ facto alcohol, & decoctio cancrorum fluuialium, & sanguis testudinis, & testudo magna salita. Medicamen iuuatiuũ ad omnem morsionem. Recipe seminis nigellæ, seminis alharmel, id est, vnius speciei rutæ, cymini, ana. ʒ. ij. gentianæ, aristolochiæ rotundę, ana. ʒ. 1. piperis albi, myrrhę, ana ʒ. semis. Conficiantur cũ melle: cuius dosis sit faba 1 Rom. i. aur. 1. in vino: et iterũ gentianæ aur. ij. piperis, rutæ, ana. aur. 1. conficiantur cum melle, & est dosis eius vna in vino, &

iterum

iterum amomi, carpobalsami, an. aur. iij, seminis erucæ, seminis porri, an. aur. ij, aristolochiæ, radicis alanuiden. i. silphij plantę ex qua fit assa fœtida, nigri, an. aur. 1, luti albezaard. i. terræ sigillatæ, aur. iiij: conficiantur cum melle dispumato, & sit dosis quantum est faba, id est, aur. 1. & iterum carpobalsami, hyssopi siccæ, seminis napi syluestris, piperis albi & nigri & longi, aliàs, macropiperis, id est, piperis lõgi, acori, anisi, petroselini, asari, cymini Carmeni, id est, de illa prouincia, seminis hyoscyami albi, an. ʒ iiij, picis, floris squinãth i, an. ʒ vi, conficiantur cum melle, & sit dosis faba Romana, id est, aur. 1. Cap. de epithematibus super puncturas. De eis quæ super eas liniuntur, est petroleum album aut subalbidum, aut allium sicut est, & elixatum cum butyro cocto aut castoreum cum oleo, aut succus porri quod non tetigit aquam. & calamenthum fluuiale optimè attrahit venenum, & sulfur cum vrina, & gallina & gallus scissi, dum viui sunt: & emplastretur cum eis punctura vel morsus & permutetur omni hora, & administretur emplastrum. Quidam autem dixerunt quòd gallina vehementis est caloris: & propter illud eliquat os deglutitum & arenam & lapidem, & videtur quòd sit illud in gutture & stomacho & non alibi. & ex eis quibus emplastratur, est sal aut acetum, aut fel tauri, aut sisimber. i. sisimbrium & folia asphodeli & cinis & acetum, & proprie cinis ligni fici & vitis & proprie in principio, et oleum et sal decoctum: et dixerũt quòd emplastrum cum allijs & sale & stercore caprino, iuuatiuum est in omni morsione, nisi in mordicatione aspidis. Et emplastrum cum calce & melle, & oleo, iuuatiuum est, ita quòd ad aspidem. Et iterum sumantur sinapis, & calx, & acetum, & liniantur desuper cum aqua saponis, & alkitran. i. gumma cedri, aut cum decoctione picis, & cum sale, & liniatur. Et pix feruens bona est in lana super morsionem, ita quòd morsui viperæ, & est ex curationibus Aegyptiorum: & est bona valde, & cæpe cũ sauich. i. polenta, seu ptissana ex ordeo fracto, decocto & colato facta, & emplastrum factum cum sale, & emplastrum de nitro. Et de embrocis bouis est aqua maris calida, singularis, & cum aceto, & decoctio muris habitantis in domo, & mustelæ.

Auicenna 5 canone, summa prima, tractatu primo, cap. primo. s. de theriaca magna: Hæc theriaca, est sublimior medicinarum compositarũ, & melior earũ propter multitudinem sui iuuamenti, & proprie in venenis, quæ sunt in pũcturis, sicut serpentium & scorpionis, & canis rabiosi, & venenis ebibitis interficientibus. Et oportet vt detur in potu morso de illa quæ est recens, & fortis, & reliquis quibus in potu datur de illa, quæ est debilior. Et fortasse est necesse vt in potu detur morso à medio aureo vsq; ad aur. 1, &c. Cap. de confectione mithridati nobilis: Confectio mithridati nobilis, est cõfectio quàm fecit Mithridates rex, & nominauit eam suo nomine, & composuit ipsam, & est ex medicinis expertis super venena propriè, & super ægritudines alias, vt esset aggregatiuum iuuamenti venenorum diuersorum, & ægritudinum diuersarum: fuit ergo ipsum theriaca in illo tempore: deinde postquàm accidit Andromacho illud quod expertum fecit ipsum super iuuamentum carniũ serpẽtum & aliorũ, addidit in eo trochiscos de viperis, & alteratum est parũ per additionem, & diminutionem. Fuit ergo theriaca magna in multitudine iuuamenti: verùm theriaca magna, est magis iuuatiua ipso in re vna, & est venenum serpentiũ. In reliquis verò rebus nõ minuitur mithridatũ à theriaca diminutione, de qua sit curandum, imò est magis additi in pluribus earum iuuamenti & confidentioris vtilitatis: & non prolongemus sermonem in numero illorum iuuamentorum quoniam ipsa sunt illa prędicta, quæ sunt theriacæ: & sit dosis copiosior parũper. Cap. de Sotera liberante magna: Sotera liberans magna, est aggregatiua iuuamenti, &c. & confert ad venena ex morsibus & ebibita, &c. Cap.

de confectione Hermetis. Confectio Hermetis: cuius dosis sit, ʒ ij, aut aur. 1, in hora veris, valet ad morsum serpentum cum aqua tereniabin, id est mannæ, & liniatur super locum morsum, & confert ad venena mortalia quando in potu sumitur cum aqua gentianæ, & ad morsum canis rabiosi, quando in potu datur cum lacte. Cap. de diasulfure: Diasulfur: Fortasse hæc medicina æquatur theriacæ, & confert ad puncturam serpentium, &c. Cap. de confectione de Assa: Confectio de assa, expellit nocumentum puncturæ propriæ scorpionis & rutelæ, & quæ sunt sicut illa duo, cuius permistio. ℞. assæ, piperis, myrrhę, & foliorum rutæ partes æquales. Conficiantur cum melle, cuius dosis sit pondus ʒ, 1, aliàs ℥ 1, in punctura scorpionum cum vino. Cap. de confectione quæ pertinet ad arstomachis. Confectio quæ pertinet ad arstomachis mirabilis ad venena ebibita, & ex percussione euenientia, &c. Tractatu octauo. s. de trochiscis: Consecutum est ex magnificatione antiquorum medicorum, quòd nominauerunt trochiscos stellæ alamirdacanek. s. trochiscos stellæ, qui non permittũt vitam recedere, & isti quidem trochisci conueniunt stomacho recipienti superfluitates expulsas ex reliquis membris, &c. ad venena ex percussione & ebibita cum aqua rutæ, &c. Omnes medicinæ, quarum descriptiones supra nõ posui, descriptæ sunt superius in nono cap. primi libri, auctoritate Auicen. locis præallegatis: ideo pro eis illuc recursum habeas.

Auicenna in libro de Viribus cordis, tractatu secundo, cap. tertio. s. de medicinis simplicibus cordialibus: Citri cortex est ex lætificãtibus theriacalibus, cuius proprietatem caliditas quidem adiuuat. Est enim calidus & siccus in 3, cui appropinquat folium & flos eius, suntq; subtiliores eo. Eius autem acetositas, est ex confortantibus cor calidæ complexionis, & est ex conferentibus cardiacæ calidę, præter hoc etiam est theriacalitas in ea, vnde confert morsui reptilium et serpentis, et est frigida et sicca in tertio: semen autem eius est theriaca conferens venenis: et videtur etiam quòd sit ex confortantibus cor præbendo soliditatem substãtię spiritus: est enim frigidæ et siccæ complexionis in tertio, nec elongatur ab intellectu quin sit ex illuminantibus ipsum. Endiuia syluestris sicca est in primo gradu: inest autem ei proprietas theriacalis, et ingreditur medicationem cordis potata et emplastrata. kades, aliàs, kadren est ex madicinis lætificantibus et confortantibus magnis, et ex nobilioribus theriacis est contra morsum et puncturam serpentis neq; excellentem caliditatem, et idcirco cum hoc est theriaca, confortat et lætificat simul: est autẽ hæc herba similis aristolochiæ crescẽs cum napello: cumq; napellus ei vicinatur in quocunq; loco, neq; fructificat neq; frondescit: & propter hoc opinati sunt quòd sit tithimallus: quoniam hæc ei contingit, non tamen est ita. Stœchas Arabica vehementer confert in venenis potionum & morsuum, & ad confortandum cor, &c. Cap. vltimo. s. de medicinis compositis cordialibus. s. de theriaca magna & Mithridato. Amodo loquamur de medicinis compositis: primùm de Mithridato & theriaca magna: nulla enim medicinarũ compositarũ æquiparatur eis in temperando complexionem humanam et conferendo ei ac lætificatione cordis et ablatione tristitiæ, necnon obuiãdo venenis ac morbis etiam venenosis, et illud iuuamentum quod ei, supple, theriacæ conuenit, non inuenitur sensibiliter apprehendi nisi in fermentata: perficitur autem ipsius fermentatio secundum modernos in decem annis, secundum Galenum autem in viginti secundum diuersitatem caliditatis et siccitatis regionum et climatum. Propterea ex cap. Mithridati et theriacæ, est diamuscus amarus et dulcis: sed amarus quidem est conueniens temperatam habentibus complexionem aut frigidam, dulcis verò habentibus calidam. Cæterum diamuscus in lætificando non multò debilior est quàm theriaca: in confortatione tamen

cordis

cordis est ea moderatè debilior, in confortatione ceterorũ membrorum multo debilior est ipsa: amplior verò impressio eius in corde, lętificatio, & viuificatio est ipsius: insuper autem vtilitas eius quę in morsibus & puncturis minor est, quàm eius vtilitas in venenis exhibitis, aliàs, ebibitis. Theriaca verò & Mithridatum, ad omnia prosunt. Auctor præsentis operis: Descriptio diamusci, dulcis & amari, posita est superius in nono cap. primi libri loco Auicen. præallegato, auctoritate Ioannis Mesue in suo Antidotario.

Auerroes quinto Colliget cap. de narratione medicinarum absolutè & earum operationibus. Agaricum habet à sua proprietate valere contra morsum venenosorum animalium: & nos dicimus quòd hoc non fit nisi quando apparent ex veneno accidentia frigida: dosis ipsius est, 3.1. Pulegium dictum est quòd multũ valet leprosis & morsis ab animalibus venenosis, & maximè quãdo superponitur, & montanũ fortius est & plus valet. Cestron. i. betonica, quãdo ponitur supra morsum animalium venenosorum, confert. Pomi citrini semen, est calidũ cum forti siccitate, & est supremũ bezaar venenis quę occidũt à tota specie. Cap. de narratione medicinarum quæ sumuntur ex mineralibus. Sulfur virtutem habet attractiuam cum cõplexione calida & substantia subtili: & ideo resistit venenis animalium reptilium, quando puluerizatur & spargitur loco morso, aut incorporatur cum sputo, oleo, melle, aut visco. Cap. de narratione particularium operationum medicinarum simplicium, quę à Galeno testificatæ non sunt. Smaragdus valet contra omnia venena, & specialiter contra venena serpentum. Et dosis eius, est pondus nouem granorum ordei tritum super lapidem, & mistum cum lacte amygdalarum & aqua violarum & modico aceti. Et scias quòd illis qui biberint, superuenient in principio multa mala accidentia, & non minora accidentibus veneni, sed postea sanabuntur subito, taliter quòd non remanebit in eis aliqua debilitas nec aliqua discrasia: & abscindit fluxum antiquum, cuius causa occulta est, & non facit tunc tam fortia accidentia sicut facit venenatis. Et etiam suspensus supra stomachum valet. Cap. de rebus nascentibus in mari. Zarnabar calidum est in secundo, & siccum in primo: & confert morsui animalium venenosorum. Auerroes in libro de Theriaca: Non est dubium quòd theriaca, prodest contra venenum, &c. Et prima causa, propter quam inuenta fuit theriaca, fuit, vt curarentur per ipsam nocumenta venenorum quæ sunt in animalibus, sicut in lacerta vel cane rabido, & venenorum quę inuenta sunt in plantis: sed non confert ei quod dicitur bix siue napellus: theriaca videtur mihi quòd curet venena curatione perfecta, & curet etiam ægritudines similes venenis.

Plinius Secundus de Naturali historia libro 20. cap. de rapo domestico: Semen linitum & potatum in vino, cõtra serpentes & toxica salutare esse proditur. Cap. de raphano syluestri & satiuo: Satiuos raphanos in posca decoctos, contra serpentium morsus illinunt, semenq; tostum, deinde contritum cum melle contra venena prodest. Cap. de Enula: Enulæ radicis siccatæ in vmbra farina, venenatorum morsus abigit. Cap. de cępa: Traduntur sanare canis morsus virides cæpæ ex aceto illitæ, aut siccæ cum melle & vino, ita vt post diem tertium soluantur. Sic & tritæ sanant. Succo serpentium morsus & omnia vlcera cum melle inungunt: & ex aqua bibendum dederunt contra plagas bestiarum omnium, priuatim scorpionum. purgamẽta quoq; earum cremata in cinere, illinunt ex aceto serpentium morsibus. Cap. de porro satiuo: Porri satiui illitis folijs sanantur bestiarum morsus & serpentium aliorumq; vitia cum felle caprino vel pari mensura mulsi. Succus ad serpentium scorpionumq; ictus in potu bibitur cum mero. Cap. de Allio: Allium serpentes abi-

git atq;, vt aliqui tradidere, & bestiarum omnium ictibus medetur potu vel ci
bo vel illitu. Ad serpentium quidem ictus potum cum restibus suis, efficacis-
simè ex oleo illinitur. Cap. de Lactuca syluatica. Lactucæ spõte nascentis sunt
quatuor genera. Succus omnibus candidus, viribus quoq; papaueri similis,
carpitur per messes inciso caule, conditur in fictili nouo, ad multa præclarus.
Serpentium ictibus medetur in vino potus: folia & thyrsi illinuntur maximè
cõtra scorpionũ ictus. Cap. de Beta candida & nigra. Vtraq; recens & made-
facta, suspensa funiculo, contra serpentium morsus efficax esse dicitur: Illitus
succus contra serpentium ictus valet. Cap. de generibus Brassicæ. Apollodo-
rus serpentium ictibus & sordidis vlceribus, vel ipsam aquã cum ordeacea fa-
rina, vel succum ex aceto, vel cum fœnugręco, syluestris siue erraticę semen to-
stum auxiliatur contra serpentes: illita serpẽtium morsus sanat. Cap. de Scilla:
Coquitur in aceto, cùm serpentium ictibus imponitur. Cap. de Bulbis: Ipsi ex
aceto illiniuntur contra serpẽtium ictus. Cap. de syluestri Asparago: Datur &
ad serpẽtium ictus succus decoctus. Cap. de Buselino: Buselinon quidam tra-
dunt præualere contra serpẽtes potum, & linitum. Cap. de Ozimo syluestri:
Syluestri ozimo vis efficacior quàm domestico ad eadem omnia: contra be-
stiarum morsus radix efficacissima est in vino. Cap. de ruta. Quæcunq; & ruta
per se pro antidoto valet, folijs tritis & ex vino sumptis: item contra fungos,
siue in potu, siue in cibo. Simili modo contra serpentium ictus, vtpote cum
mustelæ dimicaturæ cum his: rutam prius edendo se muniant. Succo perun-
ctos negant feriri ab his maleficijs, serpentesq;, si vtatur ruta, nidorem fugere.
Cap. de Menthastro syluestri: Folia menthastri illinuntur bibunturq; aduer-
sus scolopendras, & serpentiũ ictus, drachmis duabus in vini cyathis duobus,
id est, ℥. iij. Aduersus omnia venena seruantur folia arida ad farinæ modum.
Cap. de Mentha: Sumitur & mentha contra scolopendras, & scorpiones ma-
rinos, & ad serpentes. Cap. de Pulegio domestico: Ad serpentium ictus deco
ctum, ad scorpionum ictus in vino tritum. Cap. de Pulegio syluestri: Syluestri
pulegio ad eadem efficacior vis est. Cap. de Nepeta: Nepeta quoq; vires con-
tra serpentes habet. Cap. de Cymino siluestri: Cyminum syluestre valet ad ser
pentes cum oleo. Cap. de Ligustico: Semen Ligustici contra serpẽtes in vino
bibitur, ac tritum plagæ imponitur: vulnera ab his facta perfricantur. Cap.
de Cunila gallinacea: Cunila gallinacea cum farina oleo & aceto in sorbitio-
nem temperata præcipue serpẽtium morsus emendat. Cap. de Libanotide sa
tiua, & montana. Medetur vtraq; contra serpentes ex vino vel aceto. Cap. de
Heraclio: Heraclion quoq; tria genera habet, communis autem vsus serpẽtes
fugare, percussis esui dare. Cap. de Gith: Gith vt Græci, alij melanthium,
alij melaspermon vocant, olus quàm excitatissimi odoris, & quam niger-
rimum, medetur serpentium plagis. Cap. de Portulaca: Portulacę memo-
rabiles vsus traduntur: sagittarum venena & serpentium restinguit pro cibo
sumpta. Cap. de Synapis tribus generib. Sinapis, cuius in satiuis tria genera di
ximus, ad serpentium ictus & scorpionum tritum cum aceto illinitur. Cap. de
Marrubio. Huius folia semenq; contrita prosunt contra serpentes: Item con-
tra venena inter pauca potens. Cap. de Serpyllo: Serpyllum à serpentibus pu-
tant dictum, quòd aduersus serpentes efficax, maximè ceraste, &c. decoctis ex
vino ramis folijsq;. Cap. de Fœniculo satiuo & syluestri. Medicinæ in satiuo,
ad scorpionum ictus & serpentium semine in vino poto. Cap. de Hippoma-
rathro: Hippomarathron ad omnia vehementius est quàm fœniculum dome
sticum. Petridius qui Ophiaca scripsit, & Mictiõ qui rhizotomomena, aduer
sus serpentes nihil hippomarathro efficacius putauere. Cap. de Ferula: Ferula
semen anetho simile habet. Radix denarij pondere in vini cyathis ij. i. ℥. iij. bi-
bitur

bitur aduersus serpentes,& ipsa radix imponitur. Cap.vltimo,de confectio-
ne theriacæ. Vnam compositionem ex his clarissimam subtexemus, aduersus
venenata animalia,incisam lapide versibus in limine ædis Aesculapij. Serpylli
duum denariorum pondus,opopanacis,& milij tantundem singulorum,trifo
lij pōdus denarij,anethi,& fœniculi seminis,& anisi,& ammi,& apij denari o-
rum senum singulis generibus,erui farinę,xij. Hæc tusa cribrataꝗ vino quā m
possit excellenti,digeruntur in pastillos,victoriati pondere. Ex his singuli dan
turex vini misti cyathis ternis,id est ℥,iiij, semis. Hac theriaca Magnus rex An-
tiochus aduersus omnia venena vsus traditur. Libro 21.cap.de cypero. Radix
cyperi aduersus serpentium ictus & scorpionum præsenti remedio est. Cap.
de lilij radicibus:Lilij radices multis modis florem suum nobilitauere,contra
serpentium ictus ex vino potę. Cap. de Bacchare,siue perpēsa. Bacchar,id est
asarum in medicinæ vsu est. Aliqui ex nostris perpensam vocant. Auxiliatur
contra serpentes. Cap.de nardo Gallico. Aduersus serpentes duabus drach-
mis in vino succurrit. Cap. de Crocomagmate: Crocomagma contra serpen-
tium & araneorum morsus ex posca valet. Cap.de Saliunca,id est,specie spicę
Celticæ. Contra serpentes substerni,vel potari medici tradunt, in vino deco-
qui recentem,vel aridam illiniriꝗ. Cap.de Trifolio: Trifolium scio credi præ-
ualere contra serpentium & scorpionum ictus ex vino aut posca seminis gra-
nis,xx,potis,vel folijs,& tota herba decocta,serpentesꝗ nunquam in trifolio
aspici. Præterea celebratis auctorib. cōtra omnia venena pro antidoto suffice
re xxv.grana eius,quod minianthes ex eo appellauimus,tradi. Cap.de Hele-
mo:Helemum ab Helenæ lachrima,vt diximus,natum bibitur contra serpen-
tium ictus ex vino. Cap.de Abrotano:Abrotanum duorum traditur gene-
rum,campestre ac montanum:Serpentes fugat. Contra ictus eorum bibitur
cum vino,illiniturꝗ efficacissimum contra ea,quorum veneno tremores & fri
gus accidunt,vt scorpionum & phalangiorū,& contra alia venena pota. Cap.
de Heliochryso:Heliochrysum,quod alij Chrysanthemon vocant,ramulos ha
bet candidos, folia subalbida,abrotano similia ad solis repercussum, aureę lu-
cis in orbem velut corymbis dependentibus,qui nunquam marcescunt. Con
tra serpentium ictus & lumborum vitia bibitur. Cap.de Hyacintho:Hyacin-
thus in Gallia maximè prouenit:Radix est bulbacea:Contra serpentes & scor
piones morbumꝗ regium,semen eius cum Abrotano datur. Lichnis quoque
flammea illa aduersus serpentes & scorpiones & scarabones similiaꝗ bibitur
è vino semine trito. Cap.de Corchoro. Corchorum Alexandrini cibi herba
est,conuolutis folijs,ad similitudinem muris. Inuenio apud Nicandrum serpē
tium morsus antequàm floreat sanare. Nec de Cnico siue aractylide verbosius
dici par esset Aegyptia herba,in re magnum contra venenata animalia prębet
auxilium. Libro 22.cap.de Eryngio:Est & clara inprimis aculeatarum Eryn-
ge siue Eryngion,contra serpentes & venenata omnia nascens. Aduersus i-
ctus morsusꝗ radix eius bibitur drachmę pondere in vino. Aut si plerumꝗ ta
les iniurias comitatur & febris, ex aqua illinitur plagis. Peculiariter efficax cō
tra chersydros & ranas. Omnibus verò toxica & aconita efficaciorē Heracli-
des medicus in iure anseris decoctā arbitratur. Apollodorus aduersus toxica
cū rana decoquit:cęteri in aqua. Cap.de Vrtica:Semē eius siccū affirmat Apol
lodorus cū iure coctę testudinis aduersari serpētibus,&c. Cap. de Pseudoan-
chusa:Est & alia similis pseudoanchusa ob id appellata à quibusdam enchusa,
aut odoris,contra serpētes efficacissima potu foliorum vel seminis. Folia icti-
bus imponūtur. Virus serpentium fugat. Cap.de Onochilo. Est & alia herba
proprio nomine Onochilon efficax contra serpentes, maximè viperas,
& radice & folijs, æquè cibo ac potu, Vires habet messibus. Folia

trita odorem cucumeris reddunt:Habentes eam à ſerpentibus feriti negan-
tur. Eſt & alia huic ſimilis flore rubro minor, & ipſa ad eoſdem vſus. Tradũtꝙ
commanducata ea ſi inſpuatur mori ſerpentem. cap. de Anthemide: Anthe-
mis magnis laudibus celebratur ab Aſclepiade. Medici folia tuſa in paſtillos
digerunt:Item florem & radicem dant,omnia miſta,drachmæ vnius pondere
contra ſerpentiũ ictus. cap. de Heliotropio & callitricho:Heliotropij miracu-
lum ſæpius diximus cum ſole ſe circumagentis,etiam nubilo die: tantus ſide-
ris amor eſt, noctu velut deſiderio contrahi cæruleum florem. Genera eius
duo, tricoccũ & elioſcopium.Hoc altius quanquam vtrumꝙ ſemipedalem al
titudinem non excedat,ab ima radice ramoſum:Semen in folliculo meſſibus
colligitur:Naſcitur non niſi in pingui ſolo,cultoꝙ maximè: tricoccum vbiꝙ,
&c.Serpentibus & ſcorpionibus reſiſtit ex vino aut aqua mulſa,vt Apollodo
rus tradit.Alterum genus quod tricoccum appellauimus,& alio nomine ſcor
piuron vocatur:folijs non ſolum minoribus,ſed etiam in terram vergentibus:
ſemen ei eſt effigie ſcorpionis caudæ: quare nomen. Vis ad omnia venena
ta,& phalangia & contra ſcorpiones præcipue illita.Non feriuntur habentes,
&c. Adianthũ quidã callitrichon vocant,alij polytricum: vtrumꝙ ab effectu:
Duo genera eius,cãdidius,& nigrũ breuiusꝙ.Id quod maius eſt,polytricũ:ali
qui trichomanes vocant:Vtriꝙ ramuli nigro colore nitent:folijs filicis,ex qui
bus inferiora aſpera ac fuſca ſunt.Omnia autem ſerpentium & araneorum ve-
nenis reſiſtunt. Contra ſcolopendræ morſus illinuntur. cap. de Aſphodelo.
Nicander,& contra ſerpentes ac ſcorpiones, vel caulem,quoniam Antheri-
con nominauimus,vel ſemen vel bulbos dedit in vino tribus drachmis: Folia
quoꝙ venenatorum illinuntur vulneribus. cap. de Bupleuro: Bupleuron in
ſponte naſcentium herbarum numero Græci habent:caule cubitali,folijs mul
tis longisꝙ,capite Anethi, laudatum in cibis ab Hippocrate in medicina, à
Glaucone & Nicandro.Semen contra ſerpentes valet: Radix contra ſerpen-
tes datur in vino. cap. de Elaphoboſco: Elaphoboſcon laudatum contra ſer-
pentium omniumꝙ aculeatorum ictus: quippe fama eſt,hoc pabulo ceruos
reſiſtere ſerpentibus. Siccanda autem in eos vſus prius eſt, ne ſucco ſuo ma-
deat,qui contra ſerpentium ictus non facit eam deteriorem. cap. de Caucali-
de.Eſt & Caucalis fœniculo ſimilis,breui caule,flore candido: Illinitur & con
tra venena marinorum ,ſicut Petreius in carmine ſuo ſignificat. cap. de Son-
cho:Eſtur & Sonchos vterꝙ albus & niger,lactucæ ſimiles ambo,niſi ſpinoſi
eſſent,caule cubitali,anguloſo,intus cauo, ſed qui fractus copioſo lacte ma-
nat: Albus ,qui è lacte nitor, bibitur contra ſerpentes ſcorpionesꝙ. cap. de
Condrillo: Condrillon ſiue condrille folia habet intubi, circumroſis ſimilia:
caulem minus pedalem,ſucco madentem amaro,radice fabæ ſimili, aliquan-
do numeroſa.Habet proximam terræ maſtichem tuberculo fabæ. Tuſa cum
radicibus tota diuiditur in paſtillos: contra ſerpentes argumento probabili.
Siquidem mures agreſtes læſi ab his hanc eſſe dicuntur. cap. de Laſere: Laſer
inter eximia naturæ dona numeratum,pluribus confectionibus inſeritur. Ve-
nena telorum & ſerpentium extinguit potum,ex aqua vulneribus his circum-
linitur.Scorpionum tantum plagis ex oleo. cap. de natura mellis: Non eſſet
mellis auctoritas in precio minor quàm Laſeris,niſi vbiꝙ naſceretur,&c. Vti-
liſſimum vulneribus à ſerpente percuſſis, & contra venena fungorum. cap. de
ordeo:Farina ex ordeo decoquitur ad multipedum morſus cum melle, ad ſer
pentium in aceto. cap. de Polenta. De Polentæ generibus in frugum loco ſa-
tis diximus. Medicorum ratione à farina ordei diſtat eo quòd torretur. Illini-
tur & ſerpentium plagis. cap. de milio: Milio ſiſtitur aluus: farina eius cum pi-
ce liquida ſerpentium & multipedum plagis imponitur. cap. de Saliu a. Eſt &
alterum

alterum genus syluestris saluiæ, odore graui. Hæc minor, folia habet cotonei mali effigie, sed minora, & candida, quæ cum ramis decoquunt. per se imposita herba vulnerum sanguinem cohibet. purgat & serpentium morsus. Cap. de Eruo: Eruo non potentiam minorem veteres quàm brassicę tribuere contra serpentium ictus ex aceto. Libro 23. cap. de Vua theriacę. Vua theriacę contra serpentium ictus estur. Pampinos quoq; eius edendos censent imponendosq;: & vinum acetumq; ex his factum auxiliarem contra eadem vim habet. Cap. de Vua passa: Contra eadem vim habet vua passa, quam astaphida vocāt priuatim è serpentibus contra hæmorrhoida potens. Cap. de Astaphisagria: Astaphisagrię flos tritus in vino contra serpentes bibitur: semen enim abdicauerim propter nimiam vim ardoris. Quidam eam pituitariam vocant, & plagis serpentium vtiq; illinunt. Cap. de Vite alba: Vitis albæ siue bryoniæ radix contra serpentium ictus drachmis duabus bibitur: quare quidam hanc albam bryoniam vocant. Alia verò nigra efficacior in eodem vsu, &c. Succus radicis colligi debet ante maturitatem seminis: qui illitus per se & cum eruo lætiore quodam colore & cutis teneritate mangonizat corpora: serpentes fugat. Cap. de Musto: Mustum omne cantharidum naturæ aduersatur: item serpentibus, maximè hæmorrhoo, &c. ad omnia infirmius album. Cap. de vino Cæcubo, & viribus vini: Merum remedio est contra cicutas, serpentium scorpionumq; ictus, &c. Cap. de Sapa: Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit: ex albo hoc melius. vsus, contra mordentia venenata. Cap. de Balsamo: Balsamum longe preciosissimum omnium, contra omnes serpentes efficax. Cap. de Caprifico: Caprificus etiam non multo efficacior fico, lactis minus habet, &c. venenatorum ictus & canis morsus expurgat. cauliculi & folia admisto eruo, contra marinorum venena prosunt. addijciunt & vinum. Cap. de Moris: Mora in Aegypto & Cypro largo succo abundant, summo cortice desquamato. succus aduersatur venenis serpentium. mora trita aut arida decocta serpentium ictibus imponuntur. Cap. de Pistacijs: Pistacia eosdem vsus habent, quos pinei nuclei: pręter quę ad serpentium ictus, siue edantur siue bibantur. Cap. de Lauro: Laurus excalfactoriam naturam habet & folijs & cortice & baccis. illita folia serpentiū venenis resistunt. succus baccarum prodest contra serpētium ictus potus, maximè autem illius quæ tenuiora habet folia. Libro 24. cap. de Glande: Glans resistit serpentium ictibus, contra toxica. cortex illinitur decoctus lacte vaccino, serpentis plagæ. Cap. de Cupresso: Cupressi folia trita, serpentibus imponuntur: pilulæ aduersus serpentium ictus bibuntur. Cap. de Chamępity: Chamæpitys contra serpentes valet cum melle. Cap. de Pityusa: Pityusæ folia in aceto decocta, emendant serpentium ictus. Cap. de Platano: Pilulæ platani in vino potę 3 quatuor pondere, omnibus serpentium & scorpionum venenis aduersantur. Cap. de Sambuco: Sambucus ad omnia efficacior quæ minor: resistunt folia serpentium ictibus in vino pota. Cap. de Vite amerina: Vitex seminib. suis aduersatur venenis serpentium, maximè quæ frigus inferūt: minor efficacior ad serpentes. bibitur seminis drachma in vino vel posca, aut duabus foliorum tenerrimorum. Cap. de Erice: Ericen Gręci vocant fruticem non multum ab ilice differentem, colore rorismarini, & penè folio. Hoc aduersari serpentibus tradunt. Cap. de myrice: Semen drachmæ pondere efficax cōtra serpentium ictus, præter quàm aspidum. Cap. de Smilace: Smilax quoque qui & nicophoros cognominatur, similitudinem hederæ habet tenuioribus folijs. Quidam duo genera Smilacis dixere. Alterum immortalitati proximū, in conuallibus opacis, scandentem arbores, comantibus acinorum corymbis, contra venenata omnia efficacissimis, intantum, vt acinorum succo infanti-

bus sæpe instillato, nulla postea venena nociturna sint. Alterum genus nullius effectus. Illam esse smilacem priorem, cuius lignum ad aures sonare diximus. Cap. de Rhododendro: Rhododendri folia quadrupedum venenum esse, homini verò contra serpentes præsidium, ruta addita è vino pota, mirum est. Cap. de Cachry: Cachrys multa genera habet, vt diximus: sed hæc quæ ex rore supradicto nascitur, si fricetur, resinosa est: aduersatur venenis & venenatis, præterquàm anguibus. Cap. de Rubia tinctorum. Alia Esterythrodanus, quam nos rubiam, qua tinguntur lanæ, pellesque perficiuntur, contra serpentes rami cum folijs imponuntur. Cap. de Pyxacantho: Pyxacanthi baccæ contra serpentium ictus bibuntur. Cap. de Paliuro: Paliurus quoque spinę genus est: semen eius Afri zuram vocant, contra scorpiones efficacissimum. decoctum radicis eius in vino serpentibus aduersatur. Cap. de Chamedry: Chamedrys capitur prægnans succo in petrosis, aduersus serpentium venena potu illituque efficacissima. Cap. de Chamæcyparisso: Chamæcyparissos herba est vino pota, contra venena serpentium omnium, scorpionumque pollet. Cap. de Ampeloprafo: Ampeloprason, id est, vineæ porrum, in vinetis nascitur, folijs porri, ructu grauis, contra serpentium ictus efficax. Cap. de Clinopodio: Clinopodion bibitur ad serpentium ictus, item decoctę succus. Cap. de Clemathide Aegyptia. Est alia clemathis, Aegyptia cognomine, quæ ab alijs daphnoydes vocatur, folio lauri, longa, tenuis quæ aduersus serpentes ac priuatim aspides ex aceto pota efficax est, Aegyptus hanc maximè gignit. Cap. de Aro: Est & Aron, de qua inter bulbos diximus: radicem nigram in latitudinem rotundam habet multóque maiorem, & qua manus impleatur: dracunculus subrutilam, & draconis conuoluti modo, vnde nomen Græci Aron miris laudibus extulere. Tonxillas laudauit pro antidoto contra venena. contra ictus dari potui in vino nigro putant. Dracunculus, quem dixi, ordeo maturescente effoditur, luna crescente. omnino habentem serpentes fugiunt: Ideo percussis prodesse potu aiunt. melior est ad messes, si ferro non attingatur. Id autem quod Græci Dracontion vocant, triplici effigiæ demonstratum est mihi, folijs betæ, non sine thyrso, flore purpureo, hoc est simile aro. Alij radice longa, veluti signata articulosaque monstrauere, tribus omnino cauliculis, folia eius ex aceto decoqui contra serpentium ictus iubentes. Tertia demonstratio fuit folio maiore quàm cornus, radicis harundinea totidē, vt affirmabant, geniculata nodis, quot haberet annos, totidemque esse folia: Hi ea ex vino vel aqua cōtra serpentes dabant. Cap. de Coriacesia, & callicia, & menaide: Coriacesia & callicia Pithagoras aquam glaciari tradit. Idem menaiden appellat, & nomine alio corinthadam: cuius decocto in aquę succo protinus sanari ictus serpentium si foueantur dicit, Eandem effusum in herba qui è vestigio contingerint, aut forte respersi fuerint, insanabiles perire: monstrifica prorsus natura veneni, præterquàm contra venena. Libro vigesimo quinto, cap. de Pestifero fonte Germanię, & de Britannica herba. Herba quæ appellatur Britannica, salutaris contra anginas & contra serpentes folia habet oblonga, nigra, & radicem nigram. Cap. de Euphorbia: ex qua fit Euphorbium, incisa humorem lactis videtur defluere: Contra serpentes medetur, quacunque parte percussa, vertice inciso, & medicamento addito. Cap. de Cynoglossa: Est & alia Cynoglossa, quæ fert lappas minutas. Eius radix pota ex aqua, ranis & serpentibus aduersatur. Cap. de Aristolochia: Inter nobilissimas Aristolochiæ nomen dedisse grauidæ videntur: & quatuor genera eius seruant, maximè tamen laudatur in quocunque genere ponderosissima quæque: medicinis aptior rotunda: contra serpentes oblonga.

Eodem capite inquit: Malorum omnium pessimo, id est, serpentium ictui, medetur Britannica herba, panacisque omnium generum radix è vino. [Chironi & flos & semen potum illitúmne ex vino & oleo, priuatimque quæ cunila bubula appellatur. polemoniæ vel philetæriæ radicis drachmis quatuor ex mero. Teucria, sideritis, scordotis, ex vino. Cētaurei maioris radix drachma in vini albi cyathis, iij. Datur ex vino percussis chelidonia. Morsibus imponitur vetonica præcipuè, cui vis tanta perhibetur, vt inclusi circulo eius serpentes, ipsi sese interimant flagellando. Datur ad ictus semen eius denarij pondere cum tribus cyathis, idest, ℥ iiij semis vini, vel farina drachmis trib. sextario aquæ imponitur. Cantabrica, dictamus, aristolochiæ radicis drachma in vini hemina. i. ℥ xvi, sæpius bibenda, prodest & illita ex aceto. Cap. de Verbena: Verbena aduersus serpentes teritur ex vino. Cap. de Quinquefolio. Quinquefolium adhibetur purgandis domibus aduersus serpētes. Bibitur & eius radix, quæ sparganion vocatur, ex vino albo. Cap. de Dauco: Seminis Dauci ad serpētes bibitur ex vino, ʒ i. Datur & quadrupedibus percussis. Cap. de Cyclamino: Cyclamini radix contra serpentes omnes valet. Cap. de Ebulo, polemonia, & alijs contra venenata: Aduersatur polemoniæ radix, vel alligata tantùm phalangio ac cæteris minoribus venenatis. Plantago etiam ad omnes bestiarum morsus pota atque illita prodest. Poto veneno aristolochia subuenit, eadem mensura qua contra serpentes. Cap. de Xyphio: Superior pars radicis Xyphij, cum thure trita, æquo pondere, admisto vino, ossa fracta è capite extrahit. Serpentis eadem contra venena efficax. Cap. de Mandragora. Duo eius genera, candidus qui & mas, & niger quæ fœmina existimatur. Vis somnifica, pro viribus bibentium. Media potio cyathi vnius, id est, ℥ i. semis, bibitur contra serpētes. Cap. de Oxymyrsine. Necnō inueniuntur, qui Oxymyrsines. i. myrti agrestis radicem acoron vocant. Vis ei ad calefaciendum extenuandumque, efficax contra suffusiones & caligines oculorum, succo eiusdem poto, contraque serpentes. Cap. de Senecione: Contra serpentes in aqua bibendum. Libro 26 cap. de Saluia. Contra serpentes ex oleo perungi ea prodest. Cap. de Crithamo. Crithamus ab Hippocrate admodum laudata est. Aduersus serpentes bibitur. Cap. de Lapagine: Est & Lapago similis anagallidi. Nicander eam aduersus serpentes in vino dedit. Libro 27, cap. de Aparine: Aparine efficax contra serpentes, semine poto ex vino drachma. Cap. de Asclepia: Radices torminibus medentur: & contra serpentium ictus non solùm potum, sed etiam illitum prodest. Cap. de Astere: Aster bibitur aduersus serpentes. Cap. de Bupleuro: Bupleuri semen ad ictus serpentium dari reperio, fouerique plagas decocta ea herba, adiectis folijs mori aut origani. Cap. de Cucubalo: Cucubali folia trita cum aceto serpentium ictibus & scorpionum mederi tradunt. Cap. de Pæonia: Pæonia vtraque auxiliatur à serpente percussis. Cap. de Leontopetalo: Leontopetalon, alij rhapeion vocant, folio brassicæ, caule semipedali, alæ multæ, semen in cacumine in siliquis ciceris modo: radix rapo similis, grandis, nigra: nascitur in aruis. Radix aduersatur omnium serpentium generibus ex vino pota: nec alia res celerius proficit. Cap. de Phalangiti: Phalangitis folio vel flore vel semine auxiliatur contra serpentium ictus. Cap. de Polyrhizo: Polyrhizon folia habet myrti, radices multas. Hæ tusæ dantur è vino contra serpentes. Cap. de Smyrnio: Smyrnion caulem habet apij, folia latiora. Prodest contra serpentes, admisto cachri, aut polio, aut mellissophyllo in vino pota, quoniam vniuersa vomitione mouet. Libro 28. cap. de Castore: Testiculorū castoris drachma ex aqua contra serpentes bibitur. Cap. de Medicinis ex lactis vsu. Datur propter

ſerpentium ictus. Cap. de Sanguine animalium: Exitio ſerpentibus eſſe
ceruos, nemo ignorat. Pelles eiuſdem animalis ſubſtratæ, ſecuros præſtant
ab eo metu ſomnos. Coagulum ex aceto potum ab ictu: & ſi omnino tra-
ctatum ſit, eo die non ferit ſerpens. Teſtes quoque eius inueterati, vel geni-
tale maris, ſalutariter dantur in vino. Cap. de Medicinis ex apris: Apri quo-
que cerebrum contra ſerpentes laudatur cum ſanguine: Iecur etiam inuete-
ratum potum cum ruta & vino: Item adeps cum melle reſinaq́;. Simili mo-
do verrinum iecur, exemptis duntaxat fibris, quatuor obolorum pondere,
vel cerebrum in vino potum. Cap. de Medicinis ex capris. Dicunt cine-
rem eorũ potum, vel illitum, contra ictus valere. Item lactis hauſtus cum vua
taminia, vel vrinæ cum aceto ſcillino: caſeum caprinum cum origano impo-
ſitum, vel ſeuum cum cera. Fimo quoque caprarum in aceto decocto illini
ictus ſerpentium placet: & recentis cinere in vino: atque in totum difficilius
ſe recolligentes à ſerpentium ictu, in caprilibus optimè conualeſcunt. Qui
efficacius volunt mederi, occiſæ capræ aluum diſſectam cum fimo intus re-
perto ſtatim illigant. Alij carnem recentem hœdorum pilo ſuffiunt, eodém-
que nidore fugant ſerpentes. Vtuntur & pelle eorum recente ad plagas, car
ne et fimo equi in agro paſti coagulo leporis ex aceto. Ca. de remedijs ad mor
ſus beſtiarum & ad venena. Ad reliquos beſtiarum morſus caprinum ca-
ſeum ſiccum cum origano imponunt, & bibi iubent. Contra paſtinacam
verò, & omnium marinorum ictus vel morſus, coagulum leporis vel hœdi,
vel agni drachmæ pondere ex vino. Libro 29, cap. de ouorum medicinis:
Oua gallinarum aduerſantur ſerpentibus: cocta tritaq́; adiecto naſturtio il-
linuntur. Cap. de Remedijs aduerſus ſerpentium ictus: Aduerſus ſerpen-
tium ictus efficacia habentur, fimum pecudis recens in vino decoctum illi-
tumq́;, mures diſſecti, & impoſiti. Cimicis animalis fœtidiſſimi, & dictu
quoque faſtidiendi natura contra ſerpentium morſus & præcipuè aſpidum
valere dicitur: item contra venena omnia: argumento quo dicunt gallinas
quo die id ederint non interfici ab aſpide. Cap. de Remedijs ex vipera: Con
ſtat omnium ictus quamuis inſanabiles, ipſorum ſerpentium exra impoſita
iuuare. Cap. de Remedijs ex angue: Neque anguis venenatus eſt, niſi per
menſem luna inſtigatus. Sæpe prodeſt viuus comprehenſus, & in aqua con-
tuſus, ſi foueantur ita morſus. Pulcherrimum anguium genus eſt, quod eſt in
aqua, nullo ſerpentium inferiores veneno. Hoc iecur ſeruatum, aduerſus per-
cuſſos habetur auxilium. Cap. de Remedijs ſumptis ex auibus contra ſerpen
tes. Ex volucribus in auxilio contra ſerpentes primum vultur eſt. Annotan-
dum ergo, minus virium eſſe nigris. Item cor eius alitis habentes tutos eſſe ab
impetu non ſolùm ſerpentium, ſed etiam ferarum, latronum, & regum ira. Car
nibus gallinaceorum, ita vt tepeant auulſæ, appoſitis, venena ſerpentium do-
mantur: item cerebro in vino poto. Parthi gallinæ malunt cerebrum plagis im
ponere. Ius quoque ex his potum præclarè medetur, & in multis alijs vſibus
mirabile. Auxiliatur contra ſerpentes, & columbarum caro recens concerpta,
& hirundinum: bubonis pedes vſti cum plumbagine herba. Sanguinem quo-
que veſpertilionis cum carduo contra ſerpentium ictus laudant. Libro 31,
cap. de natura ſalis & eius medicinis. Salis natura eſt, per ſe ignea: aduer-
ſus ſerpentium morſus cum origano, melle, hyſſopo confert ad omnia,
ſpuma ſalis iocundior vtiliórque. Cap. de Medicinis & obſeruationibus
ex nitro. Nitri probatio, vt ſit tenuiſſimum, & quàm maximè ſpongio-
ſum, fiſtuloſúmque: Contra canis morſus, addita reſina, initijs cum a-
ceto illinitur: Sic & ſerpentium morſibus. Libro 32, cap. de Medi-
cinis ex caſtoreis. Teſtes caſtorum medentur poti aduerſus ceraſtem,
& pre-

& presteres cum panacea aur ruta: aduersus cæteros serpentes cum vino. Dari binas drachmas satis est, eorum quæ adijciantur, singulas. Cap. de Medicinis ex testudinibus terrestribus: Sunt testudinum genera, terrestres, marinæ, lutariæ, & quæ in dulci aqua viuunt. Terrestrium carnes contra venena salutares produntur: plurimæ in Africa: hæ ibi amputato capite pedibusq́ pro antidoto dari dicuntur, & iure in cibo sumptæ: & contra serpentium omnium & araneorum, ac ranarum venena auxiliantur, sanguine seruato in farina pilulis factis, & cum opus sit in vino datis. Cap. de remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Contra omnia venenata auxiliatur, vt diximus, mulus: eiusdem recentis è capite cinis contra omnia venenata, mala medicamenta inferri negant posse, aut certè nocere: Stella marina vulpino sanguine illita & affixa limini superiori aut clauo æreo ianuæ. In summa contra omnia venenata vel potu vel ictu vel morsu noxia, succus earum è iure decoctarũ efficacissimus habetur. Sunt & è seruatis piscibus medicinę, salsamentorumq́ cibus prodest à serpente percussis, & contra bestiarum ictus, mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur. Cap. de Cancris contra venena: Cancri fluuiatiles triti potiq́ recentes ex aqua seu cinere asseruato, contra venena omnia prosunt. Eadem vis contra venenatorum omnium morsus. Nihil æquè aduersari serpentibus quã cancros tradunt. Libro 35. cap. de Coloribus natiuis & fictitijs, & præcipuè de Lemnia terra. Palmam Lemnię terrę dabant. In medicina præclara res habetur. Bibitur & contra venena & serpentium ictus terrestriumq́, omnibus ideo antidotis familiaris.

Ioannes Mesue in suo de Simplicibus cap. de fescera seu alfescera. i. vite alba: Fit emplastrum ex ipsius supple alfescerę seu vitis albę radice & melle, & confert morsibus animalium venenosorum. Ioannes Mesue in suo Grabadin seu antidotario, distinctione prima: Cõfectio de assa confert morsibus venenosis, &c. ℞. assæ, piperis, myrrhæ, foliorũ rutæ siccorũ, an. ʒ iiij: confice cũ melle & est dosis eius à ʒ i, vsq́ ad aur. i, & propriè venenosis cum vino calido. Distinctione secunda: Diasulfur confert morsui venenosorũ & ei super quo speratur aliàs putatur potasse venenum, &c. cuius permistio. ℞. piperis albi & longi, an. ʒ vi, sulfuris citrini, thuris, meu, hyoscyami albi, myrrhę, styracis, cordumeni, an. ʒ viij, rutæ, costi an. ʒ v. opij, mandragoræ, an. ʒ iij, croci, ʒ ij, semis, cassię, ʒ 6: confice cum melle dispumato, & vtere post sex menses.

Halyabas in Regali dispositione, quarto Practicæ, cap. de morsu & pũctione animaliũ venenosorum in communi: Oportet, cũ hominẽ reptile pupugerit aut venenosum animal attrectauerit, vt aliquis sit qui ore locũ statim sugat, sed cauendum ne ieiunus sit, sugatq́ qui id exercet vinũ, & in ore oleũ habeat oliuæ, & optimè locum sugat & expuat: liget autem quæ desuper locũ sunt fortiter ne possit virus ad corpus transcurrere: & si locus incisuras patitur, minuatim incidatur, & apponatur sitia i. ventosa sæpius. & quæ membro vicina sunt ventosentur. Sitia enim cũ igne virus abstrahit & alia à mẽbro profundo, sitq́ ignis multus quo ardeat & adurat: oportet autem aliquando mẽbrum abscindere, siquidem pupugerit aut attrectauerit animal mortiferũ, vt est vipera & cerastes. i. serpẽs cornutus, siquidẽ possibile est abscindi. Tradit enim optimus Galenus hominẽ in vinea laborantem, vipera esse percussum in digito: qui cũ viperã esse intellexisset digitũ falce quam tenebat abscidit, & morte liberatus est. Quòd si venenũ in corpus diffunditur, oportebit statim percussum sanguinẽ minui, maximeq́ si sanguinea in eo est superfluitas: & aliquid illi piperis porrigẽdum est ac allij, propineturq́ vinũ vetus, & locus calefacientibus cataplasmetur & cutẽ mordentibus, vt squilla & allio agresti: aut certe cinis vitis sumatur & arboris ficus cum aceto & garo (aliàs iaro) & cæpa cũ alito, id est, sauick

aut pone porri folia & farinam ac sal, aut cartanum, id est, kitran. i. gummã cedri, aut caprarum fimum: aut roretur locus cum aceto in quo camomillã & sequebenegum. i. serapinum decoxeris. Et expedit gallũ scindere, & apponere calidũ attractationis loco aut percussionis, venenũ etenim extrahit, & dolorẽ mitigat ac desiccat. Vtere etiam salis vnguẽto, & eo etiã quod cum cacala. i. vt credo, cakibe. i. soldanella fit: propina illi intubæ aquã amarę. i. aquam cichoreæ, seu endiuiæ syluestris, & pedem porcinũ diligenter tritũ cum aceto aut vino cum sale quo ebenars. i. camelus fuerit conditus, ʒ iij, illi propina. Propina etiam sanguinem testudinis marinæ, aut castorei hexagiũ vnum cum vino misto, vel selini. i. apij semen, aut lauri baccas, seu cancrum fluuialem assum, vel aristolochiam sume rotundam, ʒ i, cum ʒ x, succi porri, & tantundem vini. Radix quoq; hermeli. i. harmel. i. speciei cuiusdã rutę, si sumatur de ea mediũ hexagium, fortiter prodest. Prodest etiã illis hoc electuariũ, assignatio eius: Baccarũ lauri, milij, aliàs, lilij, ireos, radicis aristolochiæ rotundæ, gingiberis, cuiusq; ʒ v, thuris pulueris, rutæ agrestis, cuiusq; ʒ iiij. orobi farinę ʒ iij: tere omnia diligenter, & cũ vino distemperata propina hexagiũ mediũ: propinetur quoq; illis theriaca cum ruta, aut theriaca magna sub hexagio semis, vsq; ʒ. Hoc est vniuersale regimen contra venenatorum morsus & puncturas.

Halyabas decimo Practicę, cap. de theriacę magnæ vtilitatibus, &c. Theriaca omnes morbos, qui corpori accidũt, sanat, desiccatiua nanq; quæ inest virtute, reptilium prodest morsuris, & venenosorum obuiat veneno animalium, letiferisq; potionibus, &c. Contra serpentiũ morsus & animaliũ morsum venenũ ferentium sub auellanę. i. aur. 1, quantitate propinandũ est cum quatuor viniribani ℥, aut decocti. i. vini cocti. Nonnunquàm aũt quem pupugerit serpẽs aut theria letalis, aut canis momorderit rabidus, aut qui letale biberit poculum ab vno hexagio bibat vsq; ad duos iuxta eorũ quæ accidunt virtutẽ percussionis, aut morbi causam aut veneni, bibat. Cap. de theriacæ Azeræ. i. Esdrę assignatione: theriaca Azerę, assignatio eius vtilitatis quę & magnę. Auctor pręsentis operis. Descriptio theriacæ Azerę posita est superius in nono cap. primi libri, auctoritate Halyabatis loco præallegato. Halyabas loco præallegato, cap. de Electuariorum calidorum confectione: Theriaca diatessaron est vtilis venenosorum veneno, &c. Sume gentianæ Græcæ, baccarũ lauri, aristolochię longæ, myrrhę mundæ, cuiusq; partẽ ęqualem, teres, subtili cribra pãno, & cũ melle distempera dispumato, triplum mellis apponẽs. huius potio hexagiũ cũ aqua tepida. Medicaminis sulfuris assignatio, serpentiũ prodest morsui, & scorpionis, &c. & theriacæ proxima operatur. Sume piperis albi, ʒ vi, hyoscyami, seminis cardamomi, thuris masculi, myrrhæ mundæ, cuiusq; ʒ xij, opij, zafrani, cuiusq; ʒ x, & in quibusdam exemplaribus seliche. i. cassiæ ligneæ, foliorum rutę, cuiusq; ʒ x, sulfuris, crocei, piperis longi, costi amari, aristolochię longæ, corticis radicis mandragoræ, euphorbij, cuiusq; ʒ iij, aduna hæc medicamina trita & cribrata gummasq; in vino infunde veteri, & cum mellis distempera dispumati triplo, sicq; in vase condens cum opus fuerit vteris: drachmam da cum aqua tepida. Soterę quæ saluatrix dicitur maioris assignatio, &c. confert reptilium percussionibus ac morsui, &c. Mithridati nobilis assignatio, &c. venenorum nocumenta propellit, multisq; & pluribus quibus theriaca magna prodest, &c. Athanasiæ minoris assignatio, quæ doloribus medetur hepatis, &c. & reptilium veneno. Sume mihę fluxę. i. styracis liquidæ aut siccæ, zafrani, costi, myrrhæ, spicę aromaticæ, id est, spicę nardi, xylobalsami, opij, cinnamomi, cassiæ, cuiusq; ʒ iiij, gafetæ, id est, eupatorij succi ʒ viij, liquiritiæ radicis rasæ ʒ, xij, medicamina hæc trita & cribrata adunabis, atque cum triplo distempera mellis dispumati, & vase condens, cum opus fuerit, vteris post menses sex.

Electuarij tarurummi, aliàs tazurummi, confectio vtilis letalibus venenis tam bibitis quàm ab animali iniectis, & reptilium percussioni. Sume terræ Græcæ, id est terræ sigillatæ, baccarum lauri, fringi, croci, cuiusque ʒ.ij, capræ agrestis, coaguli viij. coaguli leporis iiij, gentianæ Græcæ, tharagui (aliàs taragsij) myrrhæ mundæ, aristolochiæ rotundæ, briaxi, id est rutæ seminis, meu, frondiū lauri, cuiusq; ʒ.1, trita & cribrata, medicamina hęc aduna, cum mellis dispumati triplo misce, & in modum fabæ dabitur. Heltiti, id est assæ electuarij assignatio, vtilis quartanæ febri, & omnium reptilium percussioni. Sume heltin, id est, assæ, piperis, myrrhæ, rutę, æquales partes, & diligenter teres subtili cribrata panno, atq; cum mellis despumati triplo confice, & ʒ.1, de eo dabis. Cap. de Pilulis: Pilulæ Succani dolori, vtiles ventris medicaminibus mortiferis, & reptiliū percussioni, &c. Cap. de Trochiscis: Trochiscorū quaquebi assignatio vtilium veneno potato, & reptiliū morsui ac percussioni, &c. Descriptio Mithridati posita est superius in decimo capite primi libri. Descriptio soteræ posita est superius in nono capite primi libri, auctoritate Auicennę quinto canone, cap. de sotera liberante magna. Cætera verò medicamina, de quibus statim supra mentionem feci, absq; descriptionibus eorum, descripta sunt superius in 9. capite 1 libri, auctoritate Halyabatis locis immediatè præallegatis. Aduertendum autem, quòd ex prędictis de mente Halyabatis expresse colligitur, quòd in cuiuscunq; electuarij constructione quantitas mellis, & per consequens similiter sacchari, debet esse tripla ad quantitatem specierum, et non maior, cuius oppositum communiter practicatur & male. Constantinus in Pantechni, 3 Practicæ, cap. 7. Quædam medicinæ venenatos liberant, vt de compositis theriaca & Mithridatum, & de simplicibus, vt castoreum, allium & pimpinella. Quarto practicæ, cap. de Morsu serpentis, vel tyriæ: Si serpens vel tyria aliquem momorderit, ita succurratur: ligetur locus morsuræ strictè ne venenum venas perforet ad principalia membra, & prius ore sugatur: sugens sit satur, & os eius cum vino & oleo lauetur, locus tractus cum spongia calida, suffumigetur, vulnus scarificetur, vt egrediatur venenum cum sanguine: vtilis autem est incisio illius loci, si in loco sit, qui incîdi possit, sicut in digitis & similibus locis: detur ei theriaca maior, vt sanguinem coagulari prohibeat, quia venenum sanguinem cordis coagulat, sicut coagulum lac, sed calore dissoluitur theriacæ, & cor in expellendo confortatur, sicut & flamma, scilicet ignis confortatur in expulsione fumi. Quòd si theriacam non inueneris, des ei illud quod sumus dicturi: Succum de frondibus mali granati cum vino cocto mistum, vel aquam, vbi stercus agninum coctum sit, vel drachmam vnam semis de turbit cum lacte pecudis, vel succi de frondibus menthę, & succi sampsuchi, an. ʒ. semis, aliàs libram semis, gentianæ, ʒ. v, costi ʒ. 1, semis omnia coquantur ad medietatem, et dentur ad bibendū: vel detur cerebrum gallinę cum vino, & semine caulium: manducent cæpas, porrū, allia & similia: item iuuat pullus gallinæ fissus per mediū, & loco superpositus: similiter squilla in aceto cocta, & frondes mali granati pistatę & superpositæ: item & allia pistata. Galenus hanc confectionem iuuare affirmat. ℞. serapini, piperis, assæ, opopanacis, an. ʒ. ij, galbani, sulphuris, an. ʒ. 1. semis, tempera cum vino, & supperpone sepum caprinum cum pice, sulphure, & cera mistū, & morsui serpentis appositum, perfectè medetur. Constantinus in Pantechni, x Pract. cap. de theriacis, & alijs antidotis. Theriaca probata contra venenum, & morsum serpentis, scorpionis, reptilium, & contra omnia reptilia, & mortifera, &c. ℞. aristolochiæ vtriusq;, gentianæ, costi, daphnidij, i. baccarum lauri, an. ʒ. x. myrrhę, chamædryos, cardamomi, capparis, cyperi, rheubarbari, an. ʒ. v, carpobalsami, xylobalsami, zedoariæ, betonicę, an. ʒ. iij, balsami ʒ. 1, al. ℥. 1, fricent̄ cū eo species

priusquam temperentur, & da ʒ.i. vel hexagium vnum. Aliud antidotum de
Chimolea contra venenum, & morsum reptilium. ℞ chimoleæ, gummæ dia-
conidos, quæ est quædam species cypressi an ʒ.x, aliàs iiij, coaguli capreoli.ʒ.
ij, aliàs xij. coaguli leporis ʒ.i. gentianę, daphnidij, id est baccarum lauri, aristo
lochiæ longæ, rutæ syluestris, an. hexagium i. da in modum fabę. Cap. de Tro-
chiscis: Trochisci lignei morsum reptilium cum succo rutę accepti sanant, &c.
℞. myrrhæ, castorei, spicæ, terræ sigillatæ, mandragoræ, an ʒ.iiij. croci, opij, co-
sti, an. ʒ.v. papaueris ʒ.vi. dauci anisi, seseleos, hyoscyami, apij, sigiæ, id est styra-
cis liquidę, an. ʒ.i. talch, ʒ.iiij. soluenda cum vino soluantur, puluis temperetur,
fiantq́; trochisci. Antidotarium vniuersale: Antidotum Adrianum magnum fa
ciens ad omnes desperationes mortis. &c. Cuius antidoti virtutem multi sapi-
entes experti sunt: aiunt enim quòd si in ore galli, vel aure, à serpente morsi im
missum fuerit, indubitanter ab eminenti periculo liberabitur. ℞ opij Thebai-
ci, ʒ.xxx. xylocassiæ, hyoscyami, amborum an. ʒ.xxviij, euphorbij, leucopipe-
ris, ambornm an. ʒ.xx. seseleos, id est sileris mōtani, apij seminis, amborum xij,
folij ʒ.x. opobalsami, styracis calamitæ, ʒʒ. piperis, carpobalsami, xylobalsa-
mi, petroselini Macedonici, omnium octo singulorum, id est an. ʒ.viiij. fœnicu
li seminis ʒ.viij. calami aromatici ʒ.vij. cinnamomi, spicę, costi, croci, rheuponti
ci, pyrethri, acori, anisi, dauci Cretici, omnium ʒ.viiij. semis, castorei ʒ.v. serapi-
ni, myrrhæ, rosarum, cardami, id est nasturtij, amomi, rutæ agrestis seminis, o-
mnium septem ʒ.iiij. cassiæ ʒ.iij mellis Attici quantum sufficit. Alij addunt sal-
uiam secundum libitum. Verisimile satis est, quòd præscriptum antidotum
assumptum ab homine à serpente morso, vel immissum in ore, vel aure ipsius,
ipsum liberaret. Antidotarium vniuersale: Antidotum Adrianum aliud, &c.
Morsos à venenatis animalibus cum hydromelle sumptum, & plagis superpo
situm liberat. ℞. leucopiperis ʒ.xxviij. cinnamomi ʒ.xij. croci ʒ.xi. opobalsami,
folij, cassiæ fistulæ, euphorbij, pyrethri, rosarū, amomi, dauci Cretici, apij, rutæ
agrestris, seminis petroselini, omnium vndecim ʒ. iij. spicæ ʒ. ij. mellis Attici
quantum sufficit. Alij addunt opium secundum libitum. Antidotum Achari-
stum magnū admirabile, &c. Omnibus venenatis morsibus obsistit, sed prius
accipe mercedem, quia omnibus causis proficit: nam acharistum sine munere
interpretatur. ℞. costi, galbani, apij. dactyli Indi, hyssopi, selini, omnium sex ʒ.
vi. spicæ croci, xylobalsami, cassiæ fistulæ, xylocassiæ, calami aromatici, rheupō
tici, myrræ, styracis calamitę, opopanacis, bdellij, amoniaci, olibani, cicidonis,
id est gallæ, spicæ Celticæ, abrotani, acori, asari, sauinæ, roris Syriaci, id est su-
mach, squillæ, baccarum lauri, pyrethri, amomi, anisi, psillij ocymi, id est basili-
conis, dauci, leuistici, marathri, papaueris seminis, leucopiperis, melanopipe-
ris, omnium xxxiiij. ʒ iiij. florū squinanthi, ʒ.iiij. helenij, (aliàs elepij, id est me-
zereon) ʒ.iij. ellebori nigri ʒʒ. amborum ʒ.ij. mellis quod sufficit, & detur ʒ.i. fe
bricitantibus cum tepida, non febricitantibus cum vino. Antidotum Athana-
sia magnum, etenim mirabile est, &c. Et his qui venena acceperunt cum mel-
le, & oleo, & à serpentibus morsis cum decoctione aristolochiæ, liberationem
præstat, &c. Antidotum Athanasia minus, faciens ad nauseam stomachi, &c.
morsibus rabidi canis, & venenatorum animalium medetur. ℞. spicæ, croci, co
sti albi, myrrhæ, phu, i. valerianæ, amomi, dauci, id est seminis pastinacæ sylue-
stris, petroselini, omnium octo, ʒ.vi. melanopiperis ʒ.ij. mellis quod sufficit: de
tur in modum nucis miristicæ, id est nucis moschatę. Climax Hermaica diæta,
vel theriaca quæ collecta est apud Heliopolim, in ara solis scripta, &c. ad eos
qui venena biberint, vel ab aliquo terreno vel marino animali fuerint morsi,
potata, & vulneribus superposita omni cum celeritate succurrit. Climation
quam valere multis rebus experimentatum est, &c. Contra venena quidem &
morsum

morsum reptilium quadrupedumq; animalium, ita expertum est, vt hora illa qua accipitur & superponitur plagis, ab omni dolore & tumore patientes liberat. Esdra magna, quam Esdra propheta in Babylonio exilio positus composuit contra ægritudines corporis. &c. Morsus serpentum, vel alicuius reptilis propriè cicatrizat, & morsibus imposita opem præstat, & c. ℞. aliptæ moschatę, myrrhæ, zacharę, id est zuchari, foliorum rutæ, apij, scins, chamædryos, fœnugræci, omnium vij. ʒ. liiij, eboris, rutæ seminis, saluiæ, collenæ, id est origani, balaustij, omnium v. ʒ. xlv. cinnamomi, caryophyllorum, xyloaloes, spicę, zedoariæ, laccę, rosarum, capparis, pulegij, abrotani, melanopiperis, petroselini, ossium dactylorum, omnium xiij. ʒ. xxxvi, galangæ ʒʒ. croci hortensis, id est floris carthani, anacardi, lithodæmonis, id est lapidis dæmonis (& est Gagates) mandragoræ, acori, pæonię, thymi, hyssopi, roris Syriaci, id est sumach, basilici, dauci, fœniculi seminis, althææ seminis, oliuarum, vini veteris optimi, an. ʒ. xxvij, balsami, croci Ori entalis, gallię moschatę, folij, costi, calami aromatici, cassiæ fistulæ, myrobalani, nardi, spicę Celticę, xylobalsami, dragaganti, coralli albi & rubei, confitæ rubeæ, id est ladani, castorei, bdellij, galbani, opopanacis, asphalti, terebinthinæ, mastichis, theriacæ Adriani, splenis de pulitro, id est splenis pulli equi, & secundum Platearium in expositione sua Nicolai, splē de pulitro, seu pultri, est quædam superfluitas emissa à pullo equi, citò post natiuitatem eius per nares, per motum sternutationis, quam nisi citò accipiatur, mater statim absorbet, ventris merguli, rheupontici, radicis asari, aristolochię longæ, hermodactylorum, meu, ireos, pyrethri, gentianæ, peucedani, epithymi, violarum, arthemisiæ, chimolcę, foliorum citri, laureolæ, menthæ, malabatri, quinquefolij, carpobalsami, anisi, amomi, cymini, papaueris seminis, ocymi seminis, seminis rutę hortensis, platocymini, id est seseleos, id est sileris montani, baccarum lauri, sanguinis draconis, lapidis magnetis, lapidis agapis, ossis de corde cerui, muscelei, id est olei de ben, aut olei in quo ingreditur moscus, petrolei, phu, omnium lviij. ʒ. xviij, caphuræ, ambrę, margaritarum perforatarum & non perforatarum, blattę Bisancię, sambaci, id est zambach, id est iesimini. styracis calamitæ, serapini, sulphuris viui, ammoniaci, anthimonij, acaciæ, betonicæ, caballi marini (id est pisciculi cuiusdam habentis caput & pedes ferè ad formam equi, qui prius ad solem exiccatur, & postea vsui reseruatur) hypocistidos, macis, licij, squinanthi, herbę Syriacę (id est secundum glossam quam reperi in antidotario vniuersali, floris maluę) floris oleandri, phu, id est valerianæ, marrubij, sulphuracæ (id est dentis equini, & secundum aliquos andacocochę, quę est species trifolij) absinthij, Alexandrię, id est agni casti, petroselini Maced. euphorbij, cardami, i. nasturtij, anethi, ameos, nigellę, leuistici, citri seminis, leucopiperis, macropiperis, vzifur, i. cinabrij, corticū oleandri (& secundum aliquos, & fortè melius, arboris cerasi agrestis) mabatęmaticō, i. succi caulis agrestis, aquę vitis, omnium xl. ʒ. ix, lithargyri, amyli, opij, iunci radicum, calamenti, iusquiami, an. ʒ. iiij. semis, mellis quod sufficit, detur de eo ʒ. i. vel ij. Ne huius libri necessitatem habeas, pro hîc insertis, ad alium recurrendi librum, aduerte descriptiones trium de quibus in Esdra fit mentio. Descriptio confectionis aliptę moschatæ, secundum Nicolaum in Antidotario. ℞. ladani purissimi, ℥. iij. styracis calamitę, ℥. i. semis, styracis rubeæ, ℥. i. ligni aloes, ℥. ij. ambræ, ℥. i. moschi, caphuræ, an. ℈. i. semis, aquę rosaceę quod sufficit. Descriptio confectionis gallię moschatę secundum Nicolaū in Antidotario. ℞. mastichis ℥. ij, gummi Arabici ℥. i. caphurę ℈. i. hæc aūt omnia bene terantur, & cribrentur, & trochisci inde fiant cū aqua rosacea: & exiccentur ad vmbram: & postquam exiccati fuerint, terantur subtilissimè, & misceantur cum ℥. iiij olei sambacini colati & bulliti ad medietatem: deinde misce cū speciebus istis bene tritis. ℞.

cinnamomi, caryophyllorũ, nucis moschatæ, an. ℥. ſemis, & omnibus iſtis commiſtis, & bene manibus malaxatis, fiant trochiſci in medio caui, & cum ſigillo ſigillati, ad pondus 1. ʒ. & mediæ, & poſtea inungantur cum aqua roſacea cum moſco. Deſcriptio theriacæ Adriani, eſt deſcriptio antidoti Adriani præpoſita. Antidotarium vniuerſale: Emplaſtrum ceroneum optimum, &c. ad ſerpentis ictum & rabidi canis morſum appoſitum auxiliatur. ℞. picis, ceræ, an. ℥. vij. ſerapini ℥. vi. ammoniaci, terebinthinæ, colophoniæ, id eſt picis Græcæ, croci, an. ℥. iiij. aloes, thuris, myrrhæ, an. ℥. iij. opopanacis, galbani, ſtyracis calamitæ, maſtichis, aluminis, fœnugræci, an. ℥. ij. confitæ, id eſt ladani, bdellij, an. ℥. 1. lithargyri, ℥. ſemis, conſice ſic: Lithargyrum in ſubtiliſſimũ puluerem redactum, cũ oleo ſufficienter decoque: deinde picem adde colatam, poſtea liquefactam ceram pone: poſt cuius immiſſionem, gummas colatas, id eſt ammoniacum, terebinthinam, ſerapinum, opopanacum, galbanum, confitam, & ſtyracem calamitam, mitte, ſpatula bene cõmiſce: deinde colophoniæ, maſtichis, olibani & bdellij puluerem, ſic aluminis, myrrhæ, & fœnugræci, poſt aloes, ad vltimum croci puluerem ſupermitte, & ſpatula optimè commiſce: caue autem vt ſupra ſcriptę ſpecies non continuatim, ſed cum quibuſdam interuallis competenter mittantur. cùm autem totum confectum fuerit in aqua, funde, & inde magdaleonibus factis, vſui reſerua. Emplaſtrum oxycroceum quod optimè facit, etc. plagas ſerpentis, vel alicuius animalis morſum deſiccando ſuperpoſitum, purgat, replet, & cicatricat, omnium membrorum furioſos dolores mitigat. ℞. ceræ, picis, colophoniæ, croci, an. ℥. xij. terebinthinæ, galbani, ammoniaci, myrrhæ, olibani, aloes, maſtichis an. ℥. iiij. aceti ſextarium vnum, id eſt libras duas. Conſice ſic: Picem cum parte aceti in olla noua ad cõſumptionem aceti decoque, & ſic ammoniacum & olibanum cum aliqua parte aceti in mortario tritum & ſolutum decoctioni adde, & indeſinenter exagitando commiſce, & caue ne acetum de olla proſiliat. Cùm autem ad aceti conſumptionem decoctum fuerit galbanum, myrrham, et maſtichẽ adhibe: cumq; percoctum fuerit, croci puluerem admiſce, & reſolutis omnibus, in mortario funde, & factis magdaleonibus, vſui reſerua. Emplaſtrũ diadictamum vltimũ, &c. Morſus reptilium, & rabidi canis, ſeu ſcorpionis ictus, locis patientibus impoſitum curat, &c. ℞. lithargyri ʒ. c, colophoniæ, olei veteris, an. ʒ. l, dictamni, reſinæ pini, an. ʒ. xxxij, ariſtolochię longę, caryophyllorum ʒ. xxvi. ãmoniaci, thimiamatis, giſampelitis, id eſt terræ nigri coloris, vt aſphaltum, vel pix, an. ʒ. xxv. chalcanthi, id eſt vnius ſpeciei vitrioli mineralis, ʒ. xxiiij, ſquammæ æris, æris vſti, an. ʒ. xxi, ſalis gemmæ, terebinthinæ, camomillæ, an. ʒ. xxiiij, ceræ, ceruſſæ, plumbi, olibani, ſanguinis draconis, terræ ſigillatæ, propoleos, gentianæ, centaureæ praſij, chamædryos, polij, an. ʒ. xij, acanthi, id eſt ſpinæ, ʒ. x. chamæpyteos, ʒ. ix. opopanacis, myrrhę, agapis, i. lapidis agapis, cyperi, ireos, an. ʒ. vij, aloes, libanotidos, an. ʒ. vi, ſolatri, arthemiſiæ, pentaphylli, trifolij, an. ʒ. iiij: conſice ſic, lithargyrum lento igne cũ oleo, donec mutet colorẽ, decoque, & ſic admiſce terrã ampelitẽ, vel picem. cũ ſe recolligere cœperit, cerã mitte: deinde pineam reſinam, colophoniã, et ammoniacum, ſicut chalcanthũ, terrã lemniã, ſanguinẽ draconis, ceruſſam: poſt libanotidẽ, myrrham, aloem: deinde terebinthinam, & galbanum & opopanacum adhibe, & indeſinenter ſpatula bene commiſce, & amoto ab igne, ſic cæterarum ſpecierum puluerem ſuperſparge: ad vltimum verò camomillam cum ſpatula commiſce, conde, & vſui reſerua. Limperion quod facit contra malum medicamen aſſumptum, & ſerpentis morſum, &c. Mithridatum magnum faciens ad omnes paſſiones virorũ ac mulierum, &c. venena omnia reprimit, venenatos morſus, ſeu rabidi canis, vel cuiuſcunque reptilis impoſitum, ſiue bibitum, cum admiratione magna emendat, &c. Mithridatum

thridatum minus, &c. omnia venena potatũ excludit, morsum venenatorum animalium impositum potenter emẽdat, & ad omnes distemperatos morbos quadrifaria virtute succurrit: nam qui hoc vsus fuerit nunquam à veneno interimi poterit. Palladium Gerontis, &c. Ad morsum serpentis, vel cuiuslibet reptilis, & contra omnia mortalia medicamina cum decoctione gentianæ potatum, & in eodem loco illitum salutare est. Puluis Asclepiadæus quo Constantinus Imper. vtebatur: vnde incolumis vsq; ad vitæ suæ terminũ permansit, etc. Contra venenum cuiuslibet reptilis, serpentis, siue scorpionis, cum vino veteri propinatus subuenit. Sotera magna, quæ saluatrix interpretatur, etc. ad serpentis morsum cum mulsa, id est aqua mellis propinata, prodest, &c. ℞. styracis optimæ ℥. iij. apij, ʒ. xx. myrrhę, opij, petroselini Maced. omnium trium ʒ. ij. seseleos ʒ vi. piperis nigri ʒ. xv. nardi ʒ. xiij. squinanthi, sinoni Syriaci (id est petroselini agrestis de Syria) anisi, omnium trium ʒ. xij. castorei ʒ. viij. rheupontici ʒ. vij. crocomagmatis, asari an. ʒ. vi. trochiscorum andaracaron ingredientiũ in theriaca, descriptorum in 10 cap. 1 lib. ʒ. iij. amomi, piperis longi, an. ʒ. ij. croci ʒ. xvi. meu, ireos, an. ʒ. vi. cassiæ ʒ. iiij, mellis quod sufficit. datur in modũ auellanæ, i. aur. 1. Theriaca Andromachi, etc. ad serpentium, & scorpionis, & venenatorum animalium morsus cum succo menthæ oblata & vulneribus cũ vino austero soluta & iniecta peculiariter medetur, &c. Theriaca ad multas valetudines probata, quã Antiochus rex tradidit puero suo, quem diligebat, etc. ad venenatorum animalium morsus vtilissima est, etc. ℞. opij ℥ iiij. ceræ ℥. vi. spicę, croci, costi, cassiæ, asari, nasturtij, enulæ, aristolochiæ, betonicæ. pulegij, saxifragię, rorismarini, centaureę minoris, prasij, polij, rutę agrestis, piperis albi, petroselini, artionidis (i. herbæ cuiusdam dictæ prosopida) seminis vrticę, cymini Aethiopici, baccarum lauri, omniũ xxij. ʒ. ij. mellis quod sufficit. Alij duplicant pondus opij. detur in modum fabæ minoris, non febrientibus cũ vino, febrientibus cũ tepida. Theriaca diatessaron quæ præcellit theriacas, etc. Morsis à rabiosis vrsis & canibus, vel à quibuslibet alijs venenatis animalibus & venena bibentibus, vel fungos malos comedentibus optimè facit. Recipe myrrhæ, aristolochiæ rotundæ, gentianæ, baccarum lauri excoriatarum, omnium iiij. libram vnam. Alij addunt fœnugræci, nigellæ, zedoarię. an. ʒ. quatuor, dictamni, chamædryo, rutæ, an. ℥. ij. mellis quod sufficit: datur in modũ auellanę, i. aur. 1. contra venenata animalia & malos fungos cum mulsa, i. aqua mellis & morsibus vt emplastrum imposita. Trochiscus Ptolemęi habens virtutẽ vt theriaca, &c. ad omnia venena venenatorũ animaliũ optimè facit, &c. Betonica ad morsum serpentis in vino trita, & potui data, potenter facit. Theriaca Andromachi & mithridatũ descripta sunt superius in 10 cap. 1 lib. cætera verò medicamina, quorũ descriptiones hîc non posui, descripta sunt superius in 9 cap. 1 lib. auctoritate Antid. vniuersalis. Nicolaus in Antid. Esdra valet inuncta contra morsus venenosos animalium serpentium, & aliorum: prodest toxicatis hominibus, &c. Mithridatũ si superponatur morsuræ rabidi canis, vel aliorũ animalium, prodest. Sotera magna ad serpentiũ morsus cũ mulsa, i. cum aqua mellis datur. Theriaca magna Galeni pręcipuè contra omnia venena & morsus serpentiũ & reptiliũ valet: datur in modum auellanę ad venena & menstrua prouocanda cum vino calido, vel mulsa, vel aqua, vbi cocta sit mentha, vel ocymũ id est basilicon. Theriaca diatessarõ valet propriè toxicatis hominibus & morsis à canibus rabiosis, vel ab alijs venenosis animalibus: datur cum succo menthę ad bibendũ, & super vulnus de eadem inungatur. Esdra, & sotera magna, & theriaca diatessaron descripta sunt statim supra auctoritate Antid. vniuersalis: mithridatum verò & theriaca magna descripta sunt superius in 10 cap. primi libri. Platearius incirca instans de simplicibus, Capite de Allio: Allium

habet virtutem consumendi, et dissoluendi, & expellendi venenum: contra
morsus venenatorum animalium, allia accipe, & tere, & cataplasmentur. suc-
cus etiam intrinsecus receptus, expellit venenum, vnde theriaca dicitur rusti-
corum. Cap. de Aristolochia: Contra venenum, & contra morsus venenatorũ
animalium, detur puluis eius, supple, aristolochiæ cum succo menthæ. Cap. de
Gentiana: Contra morsus reptilium animalium puluis eius, supple, gentianæ
supra vulnus spargatur, et superponatur frustum gentianę cũ succo menthę.
detur in potu puluis eius. Cap. de Ruta: Contra venenũ bibitum ruta bibatur,
valet etiam cõtra morsum animaliũ venenatorum super cataplasmata. Cap. de
Sponsa solis, i. cichoreo: Sponsa solis, i. cichoreũ, frigida est & humida in secun
do gradu, eadem dicitur cichoreũ, intubia, heliotropia, siue solsequiũ: herba co
mesta valet cõtra venenũ, si sit ex morsu trita vulneri imponatur. Cap. de Satu
reia: Satureia contra omnia animalia quæ aculeatis ictibus percutiunt, vtiliter
adhibetur. Albertus Magnus in suo de Animalibus lib. 22, tract. 2, cap. de Ani-
malibus quadrupedibus, incipientibus à litera, m. Caro mustellæ siccata, si po-
tetur cum ruta, valet contra morsum omnium animalium. Albertus Magnus
in suo de Mineralibus lib. 2, tract. 2, scilicet lapidum nominibus & virtutibus:
Draconetes, aliàs draconides, lapis est à capite draconis extractus: est autem
virtus eius efficax, sicut & botracis, id est lapidis extracti de capite botracis, si-
ue bufonis, siue boti, quando de viuo & subitò scisso capite draconis adhuc
palpitantis extrahitur: dicitur autẽ venena fugare, præcipuè quæ sunt ex mor-
sibus venenatorum animalium: victores etiam dicitur efficere. Gilbertus An-
glicus 7 sui Compendij medicinæ, cap. de Cura generali morsurarum & pun-
cturarum animalium venenosorum. Cura generalis cuiuslibet veneni, est con
fortatio caloris naturalis, & exiccatio eius ad expellendum, quod fit cum the-
riaca, & facere lubricare venenũ visceribus sparsum, vt melius exterius exeat,
& confortare viscera, & post expellere, & destruere operationes veneni po-
tionibus & epithematibus calorem naturalem regere, phlebotomare, & sol-
uere ventrem. phlebotomia conuenit, cùm scitur quod venenum sparsum est
in corpore: venenũ verò extrahitur per apposita, vt per gallinam, & caudam,
vel eius culum: quia per calorem extrahitur, vel per picem calidam inuolutam
in lana, & appositam, vel stercore capræ, vel per ligationem fortem extremita
tum, vel per vigilias: quia calor extrahitur ad exteriora, vel per ventosam, vel
incisionem, vel sugendo. Item quædam medicinæ extrahunt venenum per ca-
lorem vehementem, quædam per similitudinem, vt caro viperæ, vt ipsa post
abscisionem extremitatum, extrahit venenum viperæ, & tales medicinæ, sunt
quasi mediæ inter complexionem veneni, & complexionem corporis. Hæc
extrahunt venenum, castoreum cum oleo, vel succus porri, allium cum buty-
ro, sulphur cum vrina, calamenthum fluuiale, fel tauri, allium cum sale, & sterco
re caprino. in omni morsu valet calx cum melle & aceto emplastrata: valet em
brocatio de aqua salsa, & mel superponere coctum. si parua est apertura elar-
getur: & vt calor dominari perpenditur, radix consolidæ maioris tritæ inter
duos lapides epithimetur: similiter radix lilij cũ albumine oui crudi: similiter
linaria, id est linum agreste & pimpinella trita cũ aqua rosacea: locus sæpe cir-
cumuoluatur, et pannus lineus eis aspersus applicetur. hæc etiam valent in an-
thrace, & carbunculo, & nolimetangere, quia materia vtrobiq; venenosa est:
in frigido autem veneno allium cum nucibus magnis, & sale, & ficubus super
epithimetur. Similiter puluis de aristolochia rotunda & gentiana, an. cum suc
co allij, & modico melle: vtrisq; datur conuenienter theriaca magna, & super-
ponitur: & si non habetur, ponatur mithridatum, quod est summum medica-
men & singulare in anthrace. Præterea in morsu vel punctura, valet epithema
Iohannis

Ioannis Damasceni. ℞.sagapeni,galbani,ammoniaci,boli Armeni,rosæ,menthæ,mannæ,gentianæ,baccarum lauri,omnium an.ʒ.iiij. confice cum lauri succo. Capite de morsu tyri, & serpentis. Contra morsum serpentis,& aliorum venenosorum animalium, debet ligari locus morsuræ fortiter, vt per constrictionem trahantur humores & spiritus ad vulnus,& prohibeatur ascensus veneni ad membra principalia:et hoc fit melius cum corrigia ceruina. Et dicunt quidam, quòd cùm nunciatum fuerit aliquem venenatum esse morsu,vel punctura, nuncius debet stare, & informetur pes, & de terra in forma pedis eleuetur, & coletur nouies versando super cultellum manubrij albi. Et alij fatentur idem posse fieri sine cultello,dicendo hæc verba:Poto, pota, zenezebete, zaray, abnaray. Vel cum his: Caro, caruce, rampinice, seray, abnaray& detur aqua infirmo,vel nuncio,si infirmus defuerit,in nomine venenati: Vel sic:cum nunciatum fuerit tibi quòd aliquis fuerit morsus, mitte ipsam, scilicet terram in manicam tuam, & recollige eam retro,dicens, zaro, zare, zebete, porro, pota, in mana,in synay,& da bibere nuncio.Petrus Hispanus in Thesauro pauperum, cap.de Antrace & veneno. Testa oui plena de succo agrimoniæ, data potui, statim tollit omne venenum, per os potissimè: & cum mira facilitate morsum serpentum & aliorum animalium venenosorum sanat. expertum. Item succus, vel herba cocta, vel radix, vel puluis tormentillæ potatus,statim facit exire omne venenum.certum est,& expertum.Item hypericon tritum,& emplastratum subitò super morsus serpentis. Gulielmus de Placentia, tertio suæ Practicæ, parte 2.cap.1.Quando quis morsus fuerit,& ignoratur cuius sit morsura vel punctura,ilicò, postquam patiens morsum vel puncturam senserit,liganda est pars,quæ superest loco morso: & est locus sugendus cum ventosa vehementer ignita, aut ventosa cum scarificatione superponenda est loco,& sanguis inde extrahendus, & est imponendum emplastrum super locũ patientem,factum ex pullis in medio scissis, calidis existentibus: aut depilandus est pullus ex pennis quæ sunt circa anum, & ponendum est foramen ani pulli super morsuram vel puncturam : extrahet enim per suam caliditatem & motum venenum ad se,&c. Gulielmus in residuo verborum suorum in præfato cap.insequitur protinus Auicennam 4 canone,fen 6.loco in præsenti capite præallegato:ideo ipsum resecaui. Bernardus de Gordonio 1.suæ Practicæ dictæ Lilium,cap.de Morsu serpentium in generali,& cura. In primis ligentur extrema cum ligationibus fortibus & dolorosis, secundò accipiatur gallus & deplumetur anus, & ponatur super locũ morsuræ, & si gallus moriatur,bonum signum est, quoniam signum est quòd venenum tractum est ad exteriora,&c.Iohannes Gadesden in Rosa,libro secundo,capite vltimo,scilicet de veneno,particula de cura veneni: Grana iuniperi sunt medicina contra venena, cui non est par:& morsum serpentis curant. Item succus, vel herba, vel radix tormentillæ, vel puluis eius potatus facit exire venenũ quodcunque intantatum, quod datus canibus curat morsus animalium venenosorum. Idem facit pimpinella,quæ habet florem rubeum,& crescit inter blada. Item pimpinella cum vino bibita,& cum puluere gentianæ,allij,cinnamomi & centaureæ:quia ab omni veneno cor hominis defendit:vnde nullus valet istam medicinam appreciari,si mense Septembri conficiatur.Item testa oui plena succo agrimonię data potui,statim expellit venenũ per os potenter,et cum multa facilitate morsus serpentum & aliorum animalium venenosorum curat. Item sanguis anatis cum vino bibitus,saluat bibentem ab omni veneno.Item succus buglossæ clarificatus, expellit omne venenum à corde. Cap. de Cura generali morsus& puncturæ reptilium venenosorum:In morsu serpentis succum alliorum da bi-

bere abundanter, & exibit virus per vulnus: aut allia in primis decocta, abundanter da comedere. Item ad omnem morſum, puluerem radicum tormentillæ da bibere, & ſanabitur: ſed poſt taſſum barbaſſum in aqua coctũ ſuper morſum pone, & extrahet omne venenum. Et emplaſtrum de allijs, ficubus, ſale & nucibus eſt ſalubre. Item ſanguis galli calidus cum vino bibitus, præſeruat ab omni reptili. Item ſuper locum morſum, culum gallinæ deplumatum appone, & teneatur ibi: & ſi ipſa moriatur, apponatur alia. Item agrimonia potata cum vino, mirè valet contra anthracem, & teneatur ibi, & etiam contra morſum ſerpentis & canis rabidi & hominis. Item contra morſum venenoſum, ſputũ, vel ſaliua hominis ieiuni ſuperpoſitum optimè valet. Item ſtercus caprinum cum melle temperatum, ſanat omnem puncturam venenoſam. Petrus de Abano in ſuo libro de Venenis, cap. quarto: Si morſus aut gladius fuerit venenatus, ſtatim ſupra morſum, aut ſuprà vulnus gallina viua euiſcerata ſuperponatur, & reiteretur. Vulnus autem ore alicuius ſerui, vel ſclaui ſugatur: locus & os ſerui abluatur ſæpe cum vino, in quo dictamnus fuerit coctus, deinde theriaca magna loco ſuperponatur: & cùm fuerit rheriaca exiccata, iterum alia recens ponatur, donec locus non plus theriacam deſiccet. Si verò locus morſus, ſiue vulnus venenatum fuerit ſiccum, tunc theriaca non apponatur, ſed loco, theriacæ lactucella ſuper vulnus alligetur, & innouetur toties, quouſque locus fuerit humectatus, & tunc ſanitas erit introducta. quantum enim theriaca exiccat, tantum & lactucella humectat amplius. Septem ſunt herbæ, quarum cuilibet natura vniuerſalis, cuius intereſt ſpeciem cuiuslibet plantæ ſigillare & ſpecifica virtute dotare, non à complexione elementari, quia calida, vel frigida, vel quia ſicca, vel humida, ſed quia talis à natura, vel ſtella mediante ſic dotata, donauit virtutem liberandi à venenoſis cibis, & potibus, & letali venenoſo vulnere ſiue morſu. Prima iſtarum eſt hypericon, qui alio nomine dicitur herba perforata, quam Achilles oraculo Apol. in exercitu Troian. dicitur inueniſſe, vt Plin. ait. Secunda eſt vincetoxicũ. Tertia enula. Quarta raphanus. Quinta dictamnum. Sexta ariſtolochia longa & rotunda. Septima lactucella. Quarũ vnaquæq; dicitur ęquipollere theriacę, ita vt vulneribus venenoſis ſuccus alicuius prædictarum datus in potu, vulnera veneno infecta purget & ſaluet: & per iſtum modum omnes antiqui talia curabant vulnera, antequàm theriacæ haberent noticiã. Morſus verò ab animalibus venenoſis, curat quælibet prædictarum theriacæ more loco ſuperpoſita: veneno verò bibita, curat puluis factus ex qualibet prædictarum datus in potu cum vino, vel aqua mellita. Capite de morſibus & puncturis animalium venenoſorum: Si verò aliquis fuerit morſus aut punctus ab aliquo animali venenoſo, & ignoretur cuius ſit morſus ſiue puncturæ, tunc ſtringatur locus morſuræ, ſiue puncturæ, & ponantur ſuper ipſum ventoſæ cum ſcarificatione, & ſugatur locus cum ore ſeruorum, deinde ſuper locum ponantur cancri triti. Quòd ſi locus venire cœperit ad corruptionem, abſcindatur, ſi fuerit locus aptus aut membrum aptum abſciſioni, quòd ſi non, cauterizetur: & quando incœperit locus denigrari, aut putrefieri, erit ſignum quòd punctura fuit animalis pernicioſi: dum autem non incœperit tendere ad putrefactionem & corruptionem, quamuis ſit vehementis doloris, cum nondum ſit ei uehemens deambulatio, non eſt malum, niſi punctura fuerit iuxta cor, aut iuxta arteriam magnam. Capite de Morſu ſerpentis: Ille qui morſus fuerit à ſerpente aliquo ſtatim liget locum cum corio cerui, & deinde ſuperponat theriacam, & de ipſa bibat: & circa cor ponat ſmaragdum, & corallum, & margaritas, & locum morſuræ faciat ſugi à ſeruo. Guilielmus de Varignana in

in sua Practica serm. 4, tract. 3. cap. 1, scilicet de cura cuiuslibet puncturæ, & morsuræ venenosæ in generali. Ad curam morsum vermiũ, vel animalium venenosorum, præadduco vnum cõmunem canonem, quòd omnes puncturæ venenosæ ante omnia auxilia primum cum aceto debent liniri. Rasis dixit ꝙ caro mustellæ desiccata, si potetur cum ruta, valet contra morsum animalium vermium & reptilium: & dixit quòd locustæ siccæ, non coctæ, neqꝫ salsæ, quando cum vino bibuntur, contra morsum vermium iuuant plurimum, & præsertim locustæ, quę non habent alas: ad morsum autem omnium animalium marinorum, confert sulphur superpuluerizatum in loco, aut mistum cum sputo hominis, vel vrina, vel visco, vel oleo veteri, vel melle, vel terebinthina.

De Gladij & sagittæ uenenatæ in generali, & sagittæ Armenæ in speciali, quiditatibus: de naturis & accidentibus, uulnera consequentibus, eorumq; causis, signis, præseruatione & cura Cap. IIII.

GLadius venenatus, & sagitta venenata in generali, est gladius, seu sagitta veneno aliquo infectus, vel infecta. Sagitta Armena, est sagitta infecta veneno quodam frigido: quoniam in Armeniæ partibus reperitur, & quo Armeni sagittas inficiendo primitus, & plurimum vsi sunt.

NATVRA gladij, & sagittæ venenatæ in generali, diuersificatur iuxta diuersitatem venenorum, quibus ipse & ipsa infecti sunt, quorum nempe naturæ in præcedentibus libris, & subsequentibus patefactæ sunt. Natura verò sagittæ Armenæ in speciali frigida est excessiue.

ACCIDENTIA consequentia vulnus factum à gladio, vel sagitta, venenato, vel venenata, sunt accidentia veneni, vel venenorum, quo, vel quibus gladius, vel sagitta est infectus, vel infecta: quæ equidem accidentia in præcedentibus libris & subsequentibus intimantur. Accidentia verò consequentia vulnus factum à sagitta Armena, sunt accidentia venenum frigidũ consequentia ex præcedentibus & subsequentibus nota. Causæ accidentiũ consequentium vulnus factum à gladio, seu sagitta, venenato, vel venenata, sunt causę accidentium consequentium venenum, quo gladius vel sagitta fuerint infecti. Causę verò accidentium consequentium vulnus factum à sagitta Armena, sunt causæ accidentium consequentium venena frigida.

SIGNA vulnerum factorum à gladio, seu sagitta venenatis, sunt accidentia cõsequentia ipsa venena, quibus gladius & sagitta venenati sunt: quę quippe accidentia, considerata natura vulneris, & loci, in quo ipsum est, nequaquã deberent cõsequi. Signa verò specialia vulnerum factorũ à sagittis Armenis, sunt accidentia consequentia venena frigida: quę accidentia cõsequentia vulnera facta à sagittis Armenis specialiter non declaro, quia ipsa nec ab autoribus sunt expressa.

PRAESERVATIO verò à vulneribus factis à gladio & sagitta venenatis, et à sagittis Armenis, fit cũ præseruantibus à venenis, & à morsuris, seu puncturis animaliũ venenosorum in generali prædictis in 8 ca. 1. li. & in 2 cap. præsentis 5 li. cautè custodiendo se à prauis hominibus, prę sertim de quorũ consuetudine est pertractare gladios, & sagittas et euitãdo loca vbi cõsimilia agitant.

CVRA generalis vulnerũ præfatorum, est cura posita in immedietatè prę cedenti cap. quę autem specialiter ab auctoribus pro eorum cura dicuntur, statim infrà describam. Serapiõ in lib. de Simplicibus, parte 2, cap. de assa, auctoritate Abix: Homines quidem Armenię quando inueniunt quod in vulneribus suis quę fiunt à sagittis, apparet venenũ propter quod sagttta fuerit venenata: apponunt in vulnere assam, & euadunt à veneno illo sine nocumento. Cap. de Magnete: Quando aliquis vulneratur cum ferro venenato, & teritur iste lapis, & miscetur cum aliquibus vnguentis, & datur de puluere ipsius in potu il-

li, qui est vulneratus, facit ab eo venenum, vel toxicum exire per secessum cum
egestionibus, et si pulverizetur super vulnus venenatum, curat ipsum. Rasis in
Continente, lib. 20. cap. 2. Ait Rufus: Galbannum cum vino & myrrha, est the
riaca veneni Armenici, cum quo vnguntur sagittę, Enula sumpta iuuat, & simi
liter marathrum, id est fœniculus, & semen rapæ, & pix liquida cum sale mista
& emplastrata. Lib. 21. cap. de Mustela: Mustela, id est donnula secundum
Dioscoridem syluestris, excoriata, & salita, eius interioribus amotis, & desicca
ta, & pulverizata, si sumantur ex ea aur. ij. cum vino, est fortis & mirabilis the-
riaca contra reptilia, & contra venenum quod ponunt Armeni in eorum sa-
gittis. Cap. de Ceruo: Inquit Dioscorides: Sanguis eius, supple, cerui, frixus
exhibitus cum vino, valet contra venenum, quod ponitur super sagittas. Ra-
sis in libro de Proprietatibus animalium, cap. de proprietatibus cerui. San-
guis cerui, si potetur cum vino, valet contra venenatos sagittis. Albucasis 22
particula Azarauij, cap. 8. scilicet de emplastris: Ad animalia venenosa, & sa-
gittas venenosas, assa fœtida teratur cum vino & administretur. Aliud ad idē:
Pix humida teratur cum sale, & super puncturas animalium ponatur. Auicen-
na 2 canone, tractatu 2. cap. de Lepore syluestri: Sanguis leporis frixus, con-
fert veneno sagittæ Armenę. Cap. de Glande: Glans confert venenis veneno
sorum: et decoctio quidem corticis eius cum lacte vaccino, confert veneno
sagittarum Armenarum. Capite de Sanguine: Sanguis hirci, & cameli, & le-
poris frixus, confert nocumento sagittæ Armenæ, quando bibitur cum vino:
Capite de Assa: Assa linita cum oleo, expellit nocumentum sagittæ veneno-
sæ. Capite de Cane: Sanguis canis rabiosi, conuenit morsui ipsius, & veneno
sagittæ Armenæ. Cap. de Mum: Mum purum, est paries domorum apum,
in quibus faciunt oua, & pullos, & aduenit in eis mel: & mum quidem ni-
grum est sordes fenestrarum forinsecarum: dicitur quòd ipsum extrahit ve-
nena, & ponitur super vlcera sagittarum venenosarum linita, & non nocent.
Capite de Galbano: Galbanum est theriaca venenis, quæ imbibunt sagittas
quando bibitur cum vino. Auicenna quarto canone, fen 6, tractatu primo, ca
pite de Sagittis Armenis, & earum cura: Dixerunt quidam: Oportet vt bibat
statim Galbanum, quoniam est curatio illius, dixerunt, & donula syluestris ex-
coriata, eiectis visceribus saliatur, & exiccetur, & bibantur ex ea duo aur. cum
vino: & iam peruenit ad me, quòd potus stercoris humani, est theriaca ad il-
lud. Plinius Secundus de Naturali historia lib. 20. cap. de Portulaca: Portula
cæ memorabiles vsus traduntur: Sagittarum venena & serpentium restin-
guit, pro cibo sumpta. Libro vigesimo secundo, cap. de Lasere: Laser, id est
assa è Silfio profluens, inter eximia naturæ dona numeratum, pluribus confe-
ctionibus inseritnr. Venena telorum & serpentium extinguit potum ex aquā:
vulneribus his circumlinitur. Libro vigesimo octauo, cap. de Scinco: Scin-
cus prodest contra sagittas venenatas, vt Apelles tradit in potu sumptus. Gu-
lielmus de Placentia tertio suæ Practicæ, parte secunda, capite nono: Sagitta
Armena, est sagitta infecta veneno frigido, & interficit alterando complexio-
nem totius corporis ad contrarium eius quod est per naturam. Cura eius est,
Sumat Galbanum cum vino statim, & cauterizetur locus sagittæ, vt dictum
est de morsu venenosorum mordentium: & regatur regimine eorum, qui sum
pserunt coriandrum, psilium, & fungos. dicitur quòd caro donulæ est theria-
ca ad illud, & emplastratio ex stercore humano super vulnus similiter. Petrus
de Abano in suo lib. de Venenis, cap. 4. Si morsus aut gladius fueit venena-
tus, statim supra morsum, aut supra vulnus gallina viua euiscerata superpona-
tur, &c. Auctor præsentis operis: Require residuum circa finem immediatē
præcedentis cap. auctoritate Petri de Abano loco præallegato.

Liber

LIBER SEXTVS DE MORSVRIS SERpentium, & repentium animalium uenenosorum atq; etiam quorundam piscium.

De Viperæ seu Tyri qualitate, natura, accidentibus, eorum causis, signis, præseruatione, & cura, Cap. I.



Ipera prout ex plurium præclarissimorum auctorum mẽtibus palàm ostendi in quæstio e mea, qua quęsiui, Vtrum theriaca confortatiua cordis à propr ate sit stupefactiua: aliquando vocatur tyria, seu tyrus, & aliq ndo vocatur echidna, cuius species diuersificantur. Nam quæ m est flaua, ex cuius carnibus trochisci de viperis cõstruuntur, riacam ingredientes, & quædam est cineritia, & quædam est quercina, & quæ m est sitire faciens, &c. Est autem vipera, seu tyrus serpens, strictus superius in diaphragmatis, & latior inferius, habens caput acutum, planum, & latum pro ie apud propinquitatem colli, & collum minutum, & subtile valde, & caudam pitum faciens & sonitum in incessu, & os dentatum: masculus quidem am, strque latere tam mandibulæ superioris, quàm inferioris habet dentem vtro fœmina verò plures: & ex hoc cognoscitur morsus viperæ, seu tyri mascum, fœmellæ: dicitur autem vipera, quasi vi intrinseca pariens, cũ alia ouantia exterioribus adminiculis pariant.

NATVRA eius, est excessiuè calida, & mediocriter venenosa iuxta venenositatem serpentium secundi ordinis, vt plurimũ interficiens à tribus diebus vsque ad septem, nisi debitè succurratur: diuersificatur autem in venenositate iuxta diuersitatem regionum, locorum, temporum anni, ætatis, virtutis, sexus, quantitatis, corporis, repletionis, & vacuitatis, passionum animalium, & consimilium. Magis nanque venenosa est natura viperæ, seu tyri, regionum calidarum, quàm frigidarum, locorum montanorum, & siccorum, quàm locorũ planorum, & aquosorum, æstatis, quàm hyemis, senis, quàm iuuenis, ferocis & robusti, quàm imbecillis & infirmi, masculi, quàm fœminæ, magni, quàm parui, famelici, siue ieiuni, quàm saturi, irati, seu incitati ad coitũ, quàm quieti in passionibus animalibus, & sic de consimilibus. Albucasis tamen in secunda particula Azarauij, tractatu 2, capite de morsu viperæ, & serpentis, vt suprà dixi in 1 cap. præcedentis 5 lib. in tribus ex prędictis, discordare videtur, dicens quòd viperæ & serpentes fœminæ, peiores sunt masculis, & quòd minores in suo tempore & viuentes, peiores sunt maioribus, & antiquis. Ipse tamen in rei veritate non discordat, si sane intelligatur, vt declaraui in prædicto 1 cap. 5 libri Et licet dixerim viperæ naturam fore excessiuè calidam, attamen in hoc inter famosos autores maxima apparet esse diuersitas, quibusdam eorum naturam viperæ & veneni eius asserentibus esse calidam, vt prædixi, quibusdam verò frigidam. Ex asserentibus nanque præfatam naturam esse calidam, est Galenus 11 de Simplici medicina, capite de carne echidnarum, id est viperarum, sic inquiens: Opportunum autem est de vniuersali virtute memorari carnium echidnarum, cùm diximus esse siccatiuas & resolutiuas, vehementer simul tamen calefaciendo moderatè. Item Rasis 20 Continentis, cap. 2, auctoritate Galeni, 2 de Complexionibus, sic inquiens: De venenis occidentibus cum caliditate, est sicut venenum viperæ: & 21 Continentis, capite de Tyro, asserit carnes tyri fore calidas. Item Serapio in suo de Simplicibus, cap. de carne tyri, asserit auctoritate Galeni, ipsam calefacere. Item Auicenna secundo canone,

cap. de Serpente, id est vipera, seu tyro, asserit carnem eius calefacere non vehementer: in 4 verò can. fen 6, cap. de speciebus serpentum, expressè asserit q venenum serpentum, & viperarũ est calidum, improbans illos qui ipsum existimauerunt frigidum. Item Constantinus in Pantech. 8, Theor. cap. de Morsu tyri & serpentum, asserit, quòd ipsorum venenum est calidum. Idem etiam asserit Gilb. Anglicus 2 sui Compendij medic. cap. de morsu tyri, & serpentis, quod nempe affirmant alij quàmplures autores. Prefatorum autem auctoritates ratio approbat, vt sic arguam: Effectus primò & de per se producibilis in corpus humanum à vipera & veneno eius, est effectus caliditatis, ergo vipera & venenum eius, est calida: consequentia est de mente omnium autorum, & maximè Galeni 1 de Simplici medic. cap. 3, & 4. & Auicennæ 1, & 2, cap. de eo quod comeditur, & bibitur & assumptum patet experientia. Ex asserentibus autem præfatam naturam viperæ, seu veneni eius, fore frigidam, est Galenus 2 de Interioribus, c. vltimo, sic inquiens: Animalia quæ frigidiora cæteris sunt, in hyeme propter aeris frigiditatem in foramine accubant, & velut mortua permanent. Similiter tyri, qui, & si manibus accipiantur, minimè tamē mordent. Item Rasis 20 Continentis, cap. 2, auctoritate filij Mesuay in lib. de Venenis, & Aaron sic inquiens: Venenum viperæ est frigidum, & sua frigiditate omne venenum, congelat sanguinem cordis, calorem naturalem mortificat. Præfatorum auctoritates rationibus comprobantur: primò quia producit sudorem frigidum, & tremorem vehementem, quæ omnia sunt frigiditatis effectus: secundò, quia omnes ferè medicinæ, quæ pro prædicti veneni cura ab auctoribus collaudantur, sunt calidæ, qualiter esse non deberent, nisi foret ipsius natura frigida, cum omnis cura fiat per contrarium. Pro cuius equidem dubij subcincta decisione, dico, vt suprà dixi, quòd natura viperæ, scilicet veneni eius, est excessiuè calida, quod arguunt accidentia consequentia suprascripta, & eorum causæ præassignatæ. Ad Galenum autem, dico, quòd id arguit calorem tyri fore extensiuè paucum, & impotentem se tueri à frigore hyemis sibi cõtrario. Ad filium Mesuay & Aaron dico, quòd intelligunt venenum viperæ esse frigidum de per accidens, quia caliditate & venenositate sua calorem naturalem extinguit, & sic de per accidens infrigidando occidit. Ad primam rationem dico, quòd omnes illi effectus à frigiditate de per accidens, consequenter inducuntur. Ad secundam rationem, dico, quòd medicinæ calidæ ad auctoribus laudatę pro dicti veneni cura, ipsi contrariantur, aut de per se à proprietate, aut de per accidens à qualitate manifesta, scilicet à caliditate venenum ipsum consumente, aut vtroque modo.

ACCIDENTIA consequentia morsuram viperæ, seu tyri, sunt egressio in principio sanguinis à loco morsuræ: deinde egreditur virus feruens, & fortasse incipit aquosus, deinde spumosus, deinde vt ærugo æris, & dolor loci, & perambulatio doloris ipsius, & apparitio apostematis calidi habentis rubeum bothor, id est pustulam, & vesicas, sicut ex combustione ignis, & quandoque perambulat, deinde fit viride apostema illud prope morsum & sub ore, & inflammatio in visceribus, & rubedo in corpore cum rigore, deinde sudor frigidus, & corruptio coloris decliuis ad albedinem, id est palliditatem, & ad viriditatem, & commotio vertiginis, & frequentia anhelitus, & nausea, & singultus, & quandoque vomitus humoris cholerici, & difficultas vrinæ, & grauatio capitis, & quandoque fluxus sanguinis narium, & apparitio grauitatis in dorso, deinde sudor frigidus, & tremor vehemens, & sincope, & vt plurimum mors à tribus diebus vsq; ad septem, nisi debitè succurratur.

CAVSA egressionis in principio sanguinis à loco morsuræ, est solutio cõtinui. Causa egressionis virus seu virulentiæ feruentis, qui fortasse incipit aquosus,

ſus, deinde ſpumoſus, deinde vt ærugo æris, eſt exceſſiua & venenoſa caliditas ipſi viperæ, veneni humiditatum digeſtionem prohibens, corrumpendo calorem innatum ipſas humiditates in principio in aquoſitatem conuertendo propter ſubtiliationem earum, poſtea ipſas ſpumoſando, ac ebullire faciendo propter exceſſiuam veneni caliditatem, & poſtea eas ad æris æruginis ſimilitudinem conuertendo propter continuatam ipſarum humiditatum aduſtionem & corruptionem, quemadmodum ex cholera vitellina, fit cholera praſina, & ex praſina, fit æruginoſa, ſiue ziniaria, id eſt, cholera ſimilis ærugini æris. Cauſa doloris loci, eſt ſolutio continui, & exceſſiuè mala complexio calida ipſius loci: & eadem mala complexio ſiue qualitas venenoſa valde, eſt cauſa perambulationis doloris ipſius, & apparitionis apoſtematis calidi habentis rubeum bothor, & veſicas, ſicut accidit ex combuſtione ignis, quod apoſtema quandoque perambulat. Cauſa viriditatis apoſtematis prope morſum, & ſub ore ſubſequentis ipſius rubedinem, eſt corruptio caloris innati partis illius. Cauſa inflammationis in viſceribus & rubedinis in corpore cum rigore, deinde cum ſudore frigido, & poſtea corruptionis coloris decliuis primò ad albedinem, id eſt, palliditatem & poſtea ad viriditatem, & exceſſiuè calida ac venenoſa viperæ veneni complexio inflammans viſcera & rubefaciens corpus, & inducens rigorem propter corruptionem, & reſolutionem, & retractionem ad interiora caloris innati, ad quod ſequitur ſudor frigidus, concurrente debilitate contentiuæ partium ſubcutanearum corporis non potentium præ paucitate innati caloris earum continere humiditatem aquoſam in ipſis exiſtentem. Conſequitur etiam corporis rubedinem in principio aduenientem coloris eius corruptio primò decliuis ad palliditatem propter reſolutionem, & retractionem ad interiora caloris innati, & poſtea ad viriditatem propter corruptionem caloris eiuſdem, ad quam equidem caloris innati corruptionem, ſequitur oppilatio, quæ etiam poteſt eſſe cauſa corruptionis coloris, & præſertim oppilatio facta in hepate. Cauſa commotionis vertiginis ſunt vapores ad cerebrum aſcendentes, vi exceſſiuæ caliditatis ipſius veneni, humores in corpore ebullire & euaporare facientis, & conſimiles vapores ad cerebrum aſcendentes cauſa prædicta, ſunt cauſa grauitatis capitis. Cauſa frequentiæ anhelitus, eſt exiccatio muſculorum pectoris facta ab exceſſiua veneni caliditate, & ſiccitate, propter quam exiccationem muſculis pectoris non potentibus ſe dilatare dilatatione neceſſaria pro anhelitus magnitudine, conſequitur frequentia anhelitus ſupplens anhelitus paruitati: & eadem exiccatio communicata ſtomacho, vel ori eius, cauſa prædicta, eſt cauſa ſingultus videlicet de inanitione. Cauſa nauſeę, ſunt humiditates ſtomachi, & humores in ipſo exiſtẽtes agitati in ipſo ab exceſſiua veneni caliditate venenoſa, ſtomachũ ipſum cõturbantes. Cauſa quãdoq; vomitus humoris cholerici, ſunt humores cholerici in ſtomacho exiſtentes, qui aut ante morſuram in ipſo erãt, aut poſt morſuram vi exceſſiuę caliditatis veneni viperę, ſunt in corpore generati & ad ſtomachum tranſmiſſi: qui quidẽ humores cholerici agitati à præfata veneni caliditate, ſtomachum conturbãt, propter quod ipſe incitatur ad ipſos mediante vomitu expellendum. Cauſa difficultatis vrinæ, eſt exiccatio viarum vrinæ & præcipuè pororum vritidorum, & muſculorum colli veſicæ facta ab exceſſiua caliditate & ſiccitate veneni, quemadmodũ fit quãdoq; in febribus inceſiuis. Cauſa quãdoq; fluxus ſanguinis nariũ, eſt præfata veneni exceſſiua caliditas, ſanguinem ebullire, & conſequenter ad caput aſcendere faciens, ad quod ſequitur apertio orificiorum venarum ad nares terminantium. Cauſa apparitionis grauitatis in dorſo, deinde ſudoris frigidi & tremoris vehementis & ſyncopes, & vtplurimum mortis à tribus diebus ad ſeptem, niſi

debitè succurratur, est quia viperæ venenum faciens humores & sanguinem ebullire sua venenosa caliditate, habet raptum ad cor per venas magnas dorso suppositas, ducendo secum de sanguine & aliȷs humoribus, quos ebullire facit: quare apparet grauitas in dorso, quãuis in rei veritate grauitas illa sit principaliter in venis magnis dorso suppositis. Post quam grauitatis in dorso apparitionem, sequitur sudor frigidus causa præscripta: deinde perueniens venenum ad cor, sua malitia primò causat tremorẽ cordis: postea syncopem, & vltimò mortem à tribus diebus vsq; ad septem, nisi debitè succurratur: quia talis est natura veneni viperæ existentis in secundo serpentium ordine. s. mediocriter venenosæ. Signa morsuræ viperæ, sunt accidentia supradicta, & cognitio ipsius viperæ cùm momordit.

Præseruatio, & cura generalis, fit cum supradictis in secundo & tertio cap. præcedentis quinti libri. Præseruatio verò, & cura specialis, & propria, fit cum his quæ statim infra ex auctorum mentibus referabo. Dioscorides in cap. de Asphodelo: Radix eius singulare medicamentum est à vipera vexatis, in cataplasmate missa, & potui data ʒ iiȷ, quantitate. Cap. de Aristolochia: Sunt Aristolochiæ tria genera, rotunda, longa, & clematitis: ad vsum tamen medicinæ aptior est rotunda, gustu amara. Hæc enim in emplastris missa, caua vulnera replet. Facit etiam ad viperarum morsum, & ad alia venena extrinsecus. Cap. de Sambuco: Sambuci duo sunt genera: vnum arborosum est: alterum genus est quod chamæacte dicitur, id est, ebulus. Radix ipsa elixa, morsibus viperæ imposita & bibita succurrit. Semen verò eius cum vino bibitum, omnia suprascripta facere nouit. Cap. de Cerebello leporis, & aliȷs partibus eius: Coagulũ leporis bibitum, morsum viperæ nocere non sinit. Cap. de Coniza. Coniza id est, pulicaria, viperas & serpentes fugat. Cap. de Dictamno: Dictamnum odore suo viperas & serpentes interficit. Cap. de Iunipero: Succus eius medetur à vipera vexatis. Cap. de Lotio: Vrinam suam quisquis biberit percussus à vipera sanatur. Cap. de Lapide achate: Lapis achates, potentias habet maximas. Sed qui colorem habet similem pelli leonis, tritus & vulneri aspersus, vel in potione cum vino datus, viperarum sanat morsus. Cap. de Opopanace: Opopanax acceptum cum aristolochia, morsibus venenatis occurrit: fugat autem viperas & serpentes suo suffumigio. Cap. de Peucedano: Radix incensa viperas & serpentes fugat. Cap. de Raphano: Eius radix contra viperarum morsum prodest, imposita venenatis morsibus medetur. Cap. de Scordeo: Scordeum vires habet acres & diureticas, & aduersus viperas facientes. Cap. de Thynno: Thynnus salsus, id est, piscis salitus qui dicitur tunnina, si comestus plurimum fuerit, morsum viperæ mitigat. Cap. de Dragacantho: Eligendum est Dragacanthum album, & limpidum, & lucidum, & lene, & mundum. Acceptum viperę morsum prohibet, & maximè si mistum fuerit cornu ceruino combusto, aut alumini scisso: quod melius est. Andromachus in libro de Theriaca: Primum & melius quod datur in potu de theriaca, est ad prohibendum nocumentum medicinarum nocentium, &c. & ad puncturam reptilium habentium venenum cum quantitate trium cyathorum, id est ℥. iiiȷ, semis vini, & ad reptilia quidem habentia venena, sicut viperæ, &c.

Galenus in suo de Simplici medicina, libro decimo, cap. de stercore Caprę: Ad morsus igitur viperarum, & multomagis adhuc aliarum ferarum, medicorum quis medentium in villis vtebatur eo cum aceto, & liberabat quàm multos. Libro vndecimo, cap. de Animalibus viuis apertis: Ea verò quę cum aperiuntur viua & protinus afferuntur, patientibus particulis prodesse scripserũt: animalia sunt hæc, &c. Scorpionem verò suum morsum sanare superpositum tritum: similiter autem & assatum & comestum, congruere etiam ipsum dixerunt.

runt. Et echidnam morsis ab echidna. Galen. in libro de Facilè acquisibilibus: ad Solonoem, cap. vltimo. Vnctio morsurę viperæ: Galbanum cum cyprino, id est oleo de alcanna, vnge. Aliud: serpyllum cum aceto similiter vnge. Vt vipera non mordeat, dragonteam tere, & vnge manum, & non mordeberis. Fructus verò ipsius herbæ tritus cum aqua, & positus in equitaturis peregrinantium, fugat eas, id est, viperas. Aliud: cũ succo solatri vnge manus. Epithema in morsis à vipera: Viperę caput abscindẽs, applica partem sanguinosam capiti morsuræ, & liga, & dimitte esse. Embrocatio ad morsum viperę & araneę: trifolium herbam coquens embroca. Nullus autẽ embrocetur in illa embrocatione, qui nõ patitur: transit enim passio in eum, vt putet se à vipera vel aranea esse mordicatum. Galenus in libro de theriaca ad Pamphilum principem: In morsis à vipera, & serpente, & vniuersaliter in morsis vel percussis ab aliquo venenosorum, & ad vniuersa mortifera, sufficienter valde ea, supple, theriaca, quæ recens est, potest iuuare. Est autem recens vsq; ad annos triginta, &c. Datur autem ad potationem quidem mortalium pharmacorum, & ad plagationes venenosorum de hoc pharmaco auellanæ magnitudo, id est, aur. i. cum vini cyathis tribus. i. ℥. iiij. semis. hoc autem pharmacum datur in matutinis. Galenus in libro de theriaca ad Pisonem, & in libro de Commoditatibus theriacæ: Theriaca tẽpore non pauco eget, vt congrua fiat ad vsum, & digeratur bene: digeritur enim vt plurimum duodecim annorum tẽpore: qui enim fortiori voluerint ea vti, tẽpus quinq; vel septẽ annorum habente vsi sunt, & maximè in morsis à feris & à canibus rabiosis, & in pharmacis deliterijs, & mortiferis. Nõ solum autem ad theriarũ, & ad ferarũ morsuras, & ad deliteria pharmaca iuuare hæc antidotus nata est, verumetiam ad alias maximas passiones alexiterium, id est, liberatiuũ est pharmacum: ita enim à nobis & ab vsu, qui in experientia, inuenta est esse. Galenus tertio de Interioribus cap. septimo. Minutissima reptilia videntes cohibemur credere virtutem veneni eorum penetrare vsq; ad totum corpus, ideoq; superiora membra ligari multum valet: hoc enim probaui in morsibus tyri, scorpionis & draconis. Sed cum essem Alexandriæ, vidi quendã rusticũ à dracone in quodã digito manus morsum fuisse nõ distantẽ à ciuitate, tũc festinanter superiorem partẽ digiti vicinam strictè ligauit, & currens ad ciuitatem rogauit quendã, vt totum digitum incideret, quo abscisso, sine alio medicamine curatus est. Similiter alius hoc passus bibita theriaca post abscisionem digiti, curatus est. Item alium quoq; vidi putantem vineam à tyro fuisse morsum, sed festinanter cum ferro quod tenebat digitos illius concatenationis abscindẽs vulnere cum congruis medicinis curato euasit. Galen. 5. de Interioribus cap. septimo: Quendam vidi regis ministrum, cuius officium erat tyros capere, quodam tempore morsum à tyro fuisse, qui tardans sumere medicinam solitam, mutatus est in colorem quasi prasinum. Cúmque ad me veniret, & causam passionis narraret, iussi ei theriacam accipere, qua sumpta in pauco tempore in naturalem redijt colorem. Galenus in libro de Malitia complexionis diuersæ cap. 6. Fit vt quorundam animalium humores non ad inuicem conueniant, sed præter hoc corrumpant se, & interficiant, sicut homo & vipera: cuiusq; enim eorum saliua alterũ perimit. Galenus in libro de Simplicibus ad Paternianum. Aristolochia rotunda ad viperarum morsus, & ad alia venena intrinsecus facit. Coniza est omnibus nota, cuius folia prę acrimonia sua, viperas & serpentes fugant, & ad morsus eorum faciunt. Cornu ceruinum, si suffumigatur, viperas & serpentes fugat. Dictamnum odore suo viperas & serpentes occidit. Erice similis est myricæ, sed multo breuior est, & acris valde: propter quod & comulę illius serpentes & viperas fugant. Eruum vires habet acres & diureticas valde,

Fit autem farina de illis, quæ alba ſunt, ita vt ſi aqua parum aſpergantur & in patellis aſſentur, vt corium dimittant, & ſic tundantur, & tenuiſſimè cribellentur, vulnera cum melle optimè purgat & implet, & contra canis & viperæ morſum vtiliter imponitur. Opopanax poteſt laxare, & calefacere, & mollire ſtricturas & durities, & fugare viperas & omnium ſerpentum acceſſus. Polium poteſt oẽs viperas fugare, poteſt & res venenoſas extinguere. Peucedani radix incenſa ſerpẽtes & viperas fugat. Raphani cortex, ſi in modũ cataplaſmatis imponatur cum melle commiſta, cõtra viperarũ morſus prodeſt. Scordeon vires habet acres & diureticas, & ad viperas facientes. Trifolij herbæ folia potata, & pro fomento impoſita, viperę morſibus remediant. Item ſemen illius in emplaſtra mittitur, & radix in antidota: vtraqꝫ ad venenoſorum ſerpentium morſus facientia.

Oribaſius ſecundo ſuæ Practicæ, cap. ad ſerpentiũ morſum. Ad viperę morſum, centaureæ ſuccum aut puluerem cum vino veteri bibant.

Euax in libro de lapidibus pretioſis.

Et perhibẽt primum lapis eſt inuentus achates,
In ripis fluuij qui nomine dictus eodem.
Sit licet ipſe niger zonis tamen obſitus albis:
Hic lapis ingenitas memoratur habere figuras;
Hunc quoqꝫ corallo ſimilem gerit inſula Creta:
Hic dirum uirus fugat, quod uipera fundit.

Chirandus libro 2. cap. primo. ſ. de capra & hœdo. Stercus capræ diſſolutum cum pultibus & ſuperaſperſum vlceribus percuſſos à ſphalãgio, id eſt, rutela, de cuius ſpecie eſt tarantula, vel ſerpentib. vel vipera perfectè ſanat: cum melle verò ſolutum & liquefactum & emplaſtratum, eos, qui à ſerpentibus & venenatis morſi ſunt, ſanat, & omne venenum aſtringit. Cap. de Echidna, id eſt, vipera ſeu tyro. Fugat autem Echidnam lapis gagates fumigatus, bibitus etiam morſus eius ſanat, cum cerui medulla. Libro 3. cap. de Niſſa, id eſt, anate fluuiali, ſeu paluſtri. Anatis ſanguis calidus aut ſiccus cum vino bibitus, ſaluat hominem ab omni veneno, & eos qui ab Echidna ſerpẽte, id eſt, tyro morſi ſunt, ſanat, & ſanitatem & robur ac bonam habitudinem præſtat. Libro 4. cap. de teſtudine marina: Chelonis, id eſt, teſtudinis marinæ ſanguis omnibus feris eſt remedium, vel pharmacum, & omnes ferę morſus magnificè ſanat: vrina quoqꝫ ipſius ſæpius pota morſos ab Echidna, id eſt, vipera ſeu tyro & aſpide ſanat. Cap. de teſtudine terreſtri: Chelonis, id eſt, teſtudinis terreſtris ſanguis potatus ab Echidna vel à ſcorpione percuſſos ſummè ſanat, vel adiuuat.

Ioannes Serapionis 5. Breuiarij, cap. de morſu viperarum: Fortius iuuamentum eſt in comeſtione alliorum: eſt enim curatio fortis valde. Et potus vini puri donec ſi morſus tolerat ſuper hoc non indiget curationibus alijs: & comedat etiam porros, & cæpas: & quidam cibantur ranis decoctis in aſſidabegi. Et plus iuuatiua quàm hoc eſt Theriaca de viperis quæ recens eſt ex ea, propriè noua. Et ex eis quæ conferunt etiam, eſt hoc medicamen conferens morſui viperarum iuuamentum mirabile. ℞. piperis, aniſi, amborum an. ʒ. iij. caſſiæ ligneæ, ariſtolochiæ rotundæ, caſtorei, omnium an. ʒ 1. terantur & conficiantur cum rob, id eſt, cum vino cocto, & fiant ex eo formę ſimiles lupinis, & detur ex eo ſecundum quantitatem virtutis. Aliud ex libro Lucæ. ℞. myrrhę, caſtorei, ariſtolochię, arſenici rubei, piperis, omnium an. ʒ. .1 ſeminis aneti ʒ. ſemis terantur & conficiantur cum careno, id eſt, muſto decocto vſque ad conſumptionem tertię partis, & detur ſecũdum modum primum. Serapiõ in libro de Simplicibus, cap. de Gentiana: Abix: In Gentiana eſt proprietas, quæ eſt contraria venenis mortiferis bibita, aut impoſita ſuper locum morſuræ, & morſui tyri, & ſerpentum, &c. Cap. de Lapide ſmaragdo: Raſis in libro de Proprietatibus; ſi cadat aſpectus tyri ſuper lapidem ſmaragdum, diſſoluuntur eius oculi, & liqueſcũt. Ignotus ſmaragdus liquefacit oculũ tyri, cũ ab eo aſpicitur.

Rasis in Continente libro 20. cap. 2. Chuzi dixit, quòd zeduar, id est, coral oritur iuxta napellum, & valet contra morsum tyri, & omnes mortiferas potiones, quantum theriaca de tyris. Chuzi dixit: Butyrum vaccinum prohibet venenum tyri venire ad cor. Dico: Narrauit mihi filius Seudæ, quòd quidam homo morsus fuit à tyro in villa sua, & sumpsit butyrum vaccinum vetus, & liberatus est à veneno. Inueni in Antidotario veteri, quòd assumere aur. 1. de assa cum aqua frigida, valet multum contra morsum viperæ. Ait Tabri: Frustum salis ammoniaci retentum in ore, quousque dissoluatur cum saliua, si expuatur in ore tyri aut serpentis, morietur. Ait Rasis in libro Animalium: Siquis inungat manus suas ex succo serpentariæ, securè poterit tangere tyros. Ait Iohannitius: Fumigium ex sulphure & pyrerhro quotidie fugat tyros. Ait filius Patriarchæ: Trochisci de orobo laudãtur cõtra morsum tyri, sicut theriaca magna. ℞. seminis trifolij, aristolochiæ rotundæ, rutæ syluestris, an. farinæ orobi, ad pondus omnium: informentur cum aceto vini. dosis, aur. 1. cum vino puro: dico quòd aliàs loco aceti ponitur butyrum. Inquit Galenus in libro de Venenis: Quicunque morsus fuerit à vipera, statim accipiat theriacam magnam, & si non inuenerit, sumat de farina orobi ʒ. x. cum vino puro, & bibat aquam decoctionis caulis Nabati, id est, Nabatęæ regionis orientalis, & comedat nucleum granorum citri, & fistici. Ait Galenus: Theriaca bona contra morsum viperæ. ℞. lactis anabulæ, id est, speciei tithymali desiccati, & myrrhæ vnctuosæ, an. informentur cum melle. dosis eius aur. 1. cum ℥. 1. semis aceti limphati, & emplastra locum ex folijs anabulæ. Alia medicina violenta. ℞. coaguli leporis, aur. 1. detur cum ℥. iiij. vini odoriferi veteris, & limphati: & hoc fiat post introitum balnei, & sudet in eo, & iniungas ei vigilias, & ambulationes: aut detur eim in potu atramentum, id est, chalcanthum, seu quædam species vitrioli cum vino, & similiter ex eo emplastretur locus. Ait Gulenus & Dioscorides: Melior cura contra morsum viperę, est, comedere allia & bibere vinum super. Virga ceruina potata in vino iuuat contra morsum viperę. emplastrum squillæ multum confert. Ait Paulus: Ex morsu viperæ accidit dolor in morsura, &c. Cuius melior cura est comedere allia, & bibere vinum purum, & cum hac cura possibile est eos liberari: & si non, comedant porros, cæpas, & pisces multum salitos. Theriaca multum experta. ℞. castorei, piperis, arsenici rubei, id est, auri pigmenti rubei, an. ʒ. 1. seminis rutæ ʒ. ij. informentur cum vino. dosis est aur. 1. Et spargatur supra locum aqua decoctionis rerum calidarum. & quando locus ampullatur, & ampullæ sunt plenæ sanguine non rumpantur, sed carascetur circa eas, & postea aspergatur ex aqua præcedenti, & postea emplastra locum ex lenticulis bullitis cum melle, donec sanabitur, si Deo placuerit: & theriaca magna, est multum iuuatiua istis. Ait Iudæus: Quando cutis & oculi morsi sunt crocei, ponatur in tina plena lacte, & cibetur cum butyro, & sumat fel caprioli, aut succum rutæ, aut gingiber cum lacte muliebri, aut fel galli, & fiat ex hoc collyrium. Ait Athoroscos: Sordities auriculæ hominis assumpta & emplastrata, sæpe est iuuamen manifestum contra viperas, & serpentes: dentes hominis triti & puluerizati iuuant. Ait filius Mesuay: Sumere ʒ. ij. turbit cum ℥. iij. lactis recentis aut vini, valet contra morsum serpentis & viperæ: similiter iuuat emplastrum lactis tithymali positum. emplastrum ex vipera, cessat dolorem morsuræ eiusdem. Libro 21. cap. de Sorditie auris: Sordities auris, supple, hominis confert morsui tyrorum, si scinderetur locus & poneretur super sæpe.

Cap. de Dentitibus, Dentes humani puluerizati supra morsum tyri sanant. Cap. de Ceruo. Inquit Dioscorides: Cerui virga trita & bibita, confert morsui tyrorum. Ait Paulus: Virga Ceruina confert morsui repti-

lium: & testiculi eius desiccati & bibiti cum vino conferunt morsui tyrorum.
Cap. de vrina puerorum: Vrina puerorum bibita confert morsui viperarum &
medicinis mortiferis & principio hydropisis: & si effunditur super morsum re
ptilium marinorum, confert. Cap. de Tyro: Dixit Galenus in epistola theriacę
transmissa ad Cęsarem: Tyrus vnus tritus & positus super vnum morsum à ty
ro, tollit inde dolorem & sanat ipsum. Libro 22. cap. de Arpa: Arpa auis est al
ba. Dixit Bimasui: Fel Arpæ debet siccari in vmbra in vase vitreo obturato, &
ad morsum viperæ, scorpionis, vel alterius animalis fricari in aqua dulci in con
cula, & imponi loco parti sanæ per oppositum, & sanabitur. dixit, expertus
sum illud, & inueni ipsum ad venenum serpentis, scorpionis, & vesparum val
de conferre. Cap. de Smaragdo: Absq; auctore, cimiraldus, id est, smaragdus
facit emanare oculos viperæ quando videbit eum. Libro 23. cap. de Costo:
Costum si bibitur, confert morsui viperarum. Cap. de Dragontea: Si superpo
nitur radix, supple, Dragontee corpori, sanat morsum viperę. Cap. de Butyro.
Dixit Bymasui de Butyro cocto: Butyrum coctum vaccinum calidum est in
secundo, humidum in tertio: confert morsui furunculorum & propriè vipera
rum: quoniam conterit venenum ipsorum: & prohibet quòd non peruenit ad
membra spiritus, &c. Cap. de Spina maris: Dixit Galenus in theriaca ad Cæsa
rem: Spina est nascens in vere, habet semen simile semini carthami: & si coqui
tur & effunditur aqua eius super morsum viperę, mitigat dolorem statim: & si
effunditur super locum in quo non fuerit morsus viperę, infert nocumentum
vt nocumentum morsus ipsius. Cap. de Aqua: Aqua maris acuta est, & si pa
tiens ingreditur aquam maris calidam, sequitur iuuamentum eius in morsu vi
peræ & furunculorum. i. serpentium seu reptilium venenosorum, & ex quo
rum morsu accidit tremor, &c.

Rasis octauo Almansoris cap. de morsibus viperarum: Cum vipera aliquẽ
momorderit, locus, qui est super morsum viperæ, fortissimè est ligãdus: quòd
si morsus fuerit in mẽbro paruo, fueritq; morsus generis viperarũ, quę pessimę
esse cognoscuntur, de quibus nõ speratur vt ab eius morsibus euadere possit,
membrũ ilico sub ligatura abscindatur. Si aũt vipera talis nõ fuerit, patienti ili
co detur theriaca de viperis facta: nõ enim vsq; ad nostrũ tempus inuenimus,
quòd à viperarũ morsibus magis hac medicina liberare possit, propriè quę re
cẽs est. Quòd si theriaca non est præsens, theriaca Mithridatis & trochisci de
herbo dentur. Trochiscorũ verò de herbo. i. orobo, hæc est descriptio. ℞. semi
nis andacochæ. i. trifolij, aristolochiæ rotundæ, pigani. i. rutę syluestris, farinæ
herbi, id est, orobi, omnium partes æquales ex istis tritis & cum aceto mistis
fiant trochisci, de quibus pondus vnius aurei cum vna vncia vini veteris in po
tu tribuatur. Huius namq; medicinę virtus operationi maioris theriacę in hoc
cap. vicina existit: aut etiam detur patienti pondus duorum aureorum de assa
cũ vncia vna vini. Butyrum quoq; vaccinum, & multotiens mel, & cibos vn
ctuosos & allia multa & nuces comedat, & vinum vetus in potu sumat. Ciba
ria etiam ex nucibus & allijs ei præparentur, post cuius comestionem vinum
vetus & fortissimum bibat, loco præterea, in quo est morsus, cum scarificatio
ne ventosa superponatur: emplastrum etiam, quod in cap. de Vlceribus dixi
mus, adhibeatur, & loca quæ sunt in circuitu putrefactionis ex bolo Armeno
& lentibus excorticatis & aceto vini epithementur: ęger quoq; phlebotome
tur: deinde quæ harum duarum rerum maiorem ei inferat timorem conside
ra, videlicet an accidentia quæ loco morsus accidunt, aut ea quæ toti corpori.
Nam si syncope & casus, supple, virtutis, ac sudor frigidus ei acciderint, tunc
tua solicitudo sit magis ad resistendum istis, quàm eis quę in loco morsus fue
rint: quapropter locus, qui morsus est, non est curandus, nisi cum eis solùm,
quę tra

fuerint, & ægro non timetur, tamen ex loco morsus ne. s. in eo vlcera mala & putrefactio fiant, theriacam tunc non approximet: neque vinum neq; medicinæ calidæ, sunt ei tribendæ: verùm ipse est minuendus, & ipsius regimen, est infrigidandum, & locus cum medicamine vlcerum pessimorum, est sanãdus, & est etiã comburendus, cũ hoc necesse fuerit, videlicet, si videris putrefactionem cito de loco ad locum trãsire. De his autem quæ ad viperarũ morsus propriè faciunt, est, vt cancri assati ægro multotiens dentur: & ecce hìc theriaca vltima pro qua magna secta bonorũ physicorũ iam testificata est, quòd ad morsum viperarum quantũ maior theriaca valet. Cuius hæc est descriptio. ℞. anisi, ℥ x. piperis ʒ. iij, aristolochię rotundę, castorei, amborum an. ʒ ij semis: cõficiantur cum careno. i. vino musto decocto, quousq; tertia pars consumatur, de qua quantum est nucis magnitudo. i. pondus ʒ. v. gra. xvi. in potu tribuatur. qui verò à vipera morsus est, aut qui napellum in potu sumpserit, ne ea die dormiat, prohibendus est. Rasis in Diuisionibus, cap. 1 43. s. de remedijs venenorũ: Illud verò quod confert puncturę viperæ, est theriaca magna, & quandoq; confert ei mithridatum magnum, & medicamen de assa & butyrũ vetus, & medicamen de herbo. i. orobo & comestio alliorũ & potus viui puri. Rasis in libro de Proprietatibus animalium, cap. de Proprietatibus cerui: Virga cerui desiccata, data homini patienti morsum viperarum, valet eis.

Albucasis secunda particula Azaranij, tractatu secundo, cap. de Morsu viperæ: Curatio eius, est quòd incipiat ligare desuper morsum cum petia panni forti ligatione, & superponantur loco morsus ventosæ cum profunda scarificatione loci, & fiat attractio ventosę cum potentia sępe: & emplastretur locus cum spongia, vel panno calido ante vẽtosarum appositionẽ: & si viderit morsum, festinanter ducentem ad corruptionem & putredinem, incidatur mẽbrũ morsum, si possibile est incidi, & bibat ex stercore caprino cum vino, & præcipiatur infirmo frequenter potare aquam frigidam vi suæ proprietatis, non autem frigiditatis, & complexionis ipsius: & sumat in potu cerebra gallinarum cum vino, & semine caulium, & comedat allia, & cæpas, & porros, & omnẽ cibum acutum. & dixit Dioscorides quòd vrina humana, cõfert morsui viperæ. Quod autem confert in hora morsus, est quòd scindantur galli existentes viui & calidi superponãtur loco. & nos quidẽ iam scripsimus in suo loco theriacas, & simplices medicinas, & compositas vnicuiq; specierum venenorum modo perfecto. Albucasis quarta particula Azarauij: Theriaca post decem vel sex menses securius administratur: quoniam tunc completur temperamentũ eius, & fermentatio: ad minus post sex menses administrari potest: & completur eius virtus vsq; ad xxx annos: & inquit quidam quòd administrat eam quando est recens venenis viperarũ. Theriaca Esdræ, valet omnibus quibus & theriaca maior. Theriaca de libro Pauli, quam composuit Armenis, melior omnibus theriacis potionibus, venenosis, & mortiferis, & morsibus viperarum cũ vino aut cum melle decoctionis gentianæ detur. Alia theriaca Andromachi: Galenus ait, quòd multum proficit morsibus viperæ, & reptilium cum vino, &c. Alia theriaca completa morsibus serpentium, viperarum, &c. subuenit, securè datur: & est perfectè probata, & cito supradictis subuenit. Theriaca est descripta superius in decimo cap. primi libri, ceteræ verò theriacæ seu medicinæ, de quibus mentionem hucvsque feci, quarum descriptiones non posui, descriptæ sunt superius in nono cap. primi libri, auctoritate Albucasis, loco præallegato. Nominatio medicinæ morsibus serpentium, scorpionis, & viperæ, & venenosorum animalium, & canis rabiosi. Alia medicina valens his qui biberunt venenum mortiferum, & morsibus serpentum, & vipe-

rarum, & omnium venenosorum animalium. Medicina morsibus serpentium & viperarum. ℞. fellis gazeli masculi, &c. Alia ad idem. ℞. polij montani confecti cum butyro, &c. Secundæ medicinæ descriptio, posita est superius in nono cap. primi libri: cæterarum verò descriptiones, positæ sunt superius in tertio cap. quinti libri auctoritate Albucasis loco præallegato. Nominatio quomodo sanguis testudinis marinæ reponatur, & vsui reseruetur. Accipe testudinem, & supina eam, & scinde caput eius, & sanguinem collige, & ad solem desiccetur, & vsui reseruetur: &, cum necesse fuerit, morsibus viperarum detur. dosis, ʒ. iij cum ℥. iij aceti & tertia die ℥ 1. cum v. ℥ aceti. Medicina Lucæ probata morsibus viperarum. ℞. myrrhæ, castorei, piperis, auripigmenti rubei, an. ʒ 1. anethi. ʒ. ij: conficiantur cum rob, id est vino musto cocto. dosis aur. 1. Inquit Paulus: Allia si comedantur, & vinum forte potui propinetur, patieus à morsu viperæ curabitur: & si hoc vti patiens poterit, alia cura non indigebit: & oportet vt comedat porros & cæpas & pisces salsos. Albucasis 13, particula Azarauij: Secaniabin Dioscoridis: & inquit quando bibitur humores laxat, &c. & valet morsui viperæ, &c. Auctor præsentis operis: Huius secaniabin descriptio posita est superius in nono cap. primi libri auctoritate Albucasis loco præallegato. Albucasis 23 particula Azarauij, cap. octauo, dictione de emplastris ad morsuras viperarum & serpentum. Emplastriza morsuram cum calamentho viridi recenti, & hoc sæpe renouetur. Aliud: Accipe squillam, & coque cum aceto, & locum emplastriza cum farina orobi confecta cum vino & lacte. Aliud: Locum emplastriza cum ficubus & allijs & cymino: aut emplastriza cum cinere vitis, & terra sigillata cum aqua confectis. Aliud ad morsum viperæ: Locum emplastriza cum origano montano trito cum galbano, aut cum folijs lauri in aqua decoctis, aut cum folijs cucumeris asinini, & polenta emplastriza, aut cum polenta & fæce vini emplastriza, aut cum cantabro, id est furfure frumenti cocto in aceto emplastriza, aut accipe viperas ipsas & desuper pone, aut accipe centonicam, id est herbam lumbricorum, quæ est species absinthij, viridem, & tere & emplastriza. Aliud ad morsum viperę masculi: Tere sal cum semine lini, & emplastriza, & similiter ad puncturam scorpionis. Emplastrum aliud ad morsum viperæ masculi: Accipe hyssopum & calamenthum, & cum melle confice, & desuper pone. Modus emplastri Galeni ad morsuras viperarum & serpentium: ℞. serapini, piperis, assæ fœtidę, opopanacis, an. part. 1, galbani, sulfuris viui, an. part. semis, sicca terantur & cribellentur, & gummæ in vino infundantur, & omnia incorporentur, & locus morsuræ ex eo emplastrizetur: & superponantur folia vrticę aut folia ficus.

Rabbi Moyses 21, & 22 particula suorum Aphorismorū, auctoritate Galeni in particula de theriaca ad Cæsarem: Capta tyria pistata & apposita super locum morsus eius, vidi dolorem à loco cessari paulatim paulatim. Vigesima secunda particula auctoritate Compluti: Cum bibitur pondus vnius drachmę & mediæ, frondium arboris mali acetosi siccarum cum tribus vncijs succi pomi acetosi, liberat ægrum à punctione viperæ, & sanat eum. Rabbi Moyses in libro de Venenis, tractatu primo, cap. quinto: Retulerunt autem, nihil melius esse theriaca maiori in venenis & morsibus animalium non ex putrefactione generatorum & etiam morsuræ tyri. Antiqui philosophi, & medici, fuerunt etiam vehementer attenti in hoc casu propter vehementiam cōtrarię tatis, & nocumenti ipsius ad hominē: vnde non cessauerunt multas colligere experientias in hoc facto, ita quòd tandem theriacam maiorē super hoc elegerunt: in cuius defectu sumantur trochisci, quorum compositio est hæc. ℞. andacochæ, fertur esse species trifolij, aristolochiæ rotundę, rutę syluestris, farinæ orobi

orobi,an.part. 1.incorporētur bene simul cum aceto:& inde trochisci parui figurentur:ex quibus sechel,id est,hexagium.1.sumatur cum ℥.1.vini veteris.Ferunt enim ipsos prodesse loco theriacę maioris contra tyri morsurã,pro quanto decet,vt in promptu habeantur.Dixerunt etiam,quòd vinum calbontalbir id est,capilli Veneris,tuetur hominem à tyri morsura.Ferũt etiã,quòd si vinũ decoctionis sex vnciarũ radicis vitis albæ sumatur in potu, quòd protegit hominem à nocumentis morsurę animalis prædicti:& cõcordati sunt,quòd agaricus sit theriaca specialis in proposito,vnde sumatur ex eo trito & cribrato sechel.i.hexagium vnum cum libr.semis vini veteris,& proderit contra morsuram prędictam.Ex his quæ conferunt,cùm superponuntur morsurę prędictę, est vt post scarificationem & succionem prædictam, succus à caule expressus & cum vino mistus desuper liniatur.Retulit etiam Galenus linimentum conferens contra morsuram tyri,cuius præparatio est hęc.℞.balsami,serapini,assę fœtidę,opopanaci,an.sechel.1.alchannæ,sulfuris viui,an.sechel.ij. tritis terendis,& gummis in mellis vino liquefactis,incorporētur bene simul,donec substantiam habeant vnguẽti,& fiat inde super morsurã linimentum,& superponatur folium ficus vel vrticæ.Cap.sexto: Cõcordati sunt omnes medici,quòd fumigium factum ex cornu ceruino,fugat omnia animalia venenosa,& maximè viperas & serpentes.

Auicenna secundo canone,tractatu secundo, cap. de Citro:Succus corticis, supple,citri confert morsioni viperæ bibitus, & cortex eius pro emplastro superpositus est vicinis illi. Cap. de abugilisse,id est,specie vna anchusæ:Abugilisse est lactuca asini, & est pilosa,spinosa,aspera,nigra, plurima habens folia super radicem annexa ei,& eius radix in grossitudine, est digiti coloris rubei valde, quæ tingit,cum tangitur in æstate:& ex ea est alia species citrina, habens folia coloris rubei: & eius species sunt quatuor : fortiores omnibus sunt duæ primæ species. Dixit Galenus, quòd ex abugilisse est , quæ est calida & sicca,cum masticatur ex citrina habente folia citrina rubei coloris,& proijcitur super venenosa,interficit ea & duæ aliæ species conferũt morsuræ viperæ bibitæ, & linitæ, & sputatæ. Cap. de homine: Dentes hominis triti,& puluerizati super morsuram viperæ,aut adusti,& puluerizati, sunt theriaca ei. Cap.de Anagalli: Anagallis, id est,morsus gallinæ,seu apud Marchianos centunchium,seu apud Venetos Pauarina, est duobus modis: vnus eorum est,cuius flos, est citrinus,& alius,cuius flos , est cælestis : cum bibitur cum vino,confert morsui viperæ. Cap.de Balsamo:Balsamus resistit venenis , & confert morsuræ viperæ. Cap.de Vrina : Vrina hominis, confert morsui viperę bibita, & effunditur super eum, & propriè viperæ petrosæ. Cap. de Napello Moysi : Napellus Moysi,est animal,& similatur muri,& moratur in radice napelli sicut mus: est theriaca omni veneno, & viperæ. Cap. de Pellibus: Dicitur quòd recens pellis calida capræ, quando ponitur super morsum viperæ', attrahit venenum. Cap. de Zedoaria : Zedoaria est theriaca venenorum omnium,viperę,napelli,& aliorum. Cap.de Butyro:Butyrum resistit venenis, pręcipuè si cum eo linitur morsus viperæ. Cap. de Pice : Pix resistit venenis, & confert, cum linitur super morsum viperæ. Cap. de Stercore animalium : Fit ex stercore caprarum emplastrum morsui viperæ facientis sitim. Cap. de Stercore:Stercus caprarum, & propriè montanarum decoctum cum aceto & bibitum,puncturę vermium venenosorum confert,imo confert,teste Galeno,morsui viperæ. Cap.de Hasech: Hasech.i.tribuli marini duæ ʒ.fructus syluestris morsui viperę & duæ ʒ eius cum vino venenis perniciosis conferunt. Cap.de Colocynthide. Radix colocynthidis confert morsui viperæ. Et est ex medicinis magis iuuantibus ad

puncturam scorpionis. Et quidā iam narrauit, quòd ipse vni Arabum iam dedit in potu, quem scorpio in quatuor locis pupugerat drachmam ex ea, & sanatus est statim, & similiter cōfert epithema factum ex ea. Cap. de Serpente. i. vipera seu tyro: Serpens. i. vipera seu tyrus finditur, & ponitur super morsum viperæ eius, & sedat dolorem. Cap. de Lapide serpentis: Lapis serpentis, id est, lapis serpentinus seu lapis prasius, dicitur quòd ipse confert sua superpositione morsui serpentis. Inquit Galenus, retulit illud homo verax. Cap. de Tarifilon: Tarifilon. i. species vna andacochæ seu trifolij: decoctio eius, cum effunditur, & spargitur super morsum viperæ, sedat dolorem eius. Et si effunditur super membrum sanū, facit contingere simile ei, quod contingit ex morsu viperę de dolore. Cap. de Luto sigillato: Lutum sigillatum. i. terra sigillata, resistit venenis, & morsibus bibitum cum vino, & linitū cū aceto: & quod ex eo purū est, cum bibitur, non cessat facere nauseam, & facit venenum vomitu exire & proprie cum ante ipsum bibitur. Inquit Galenus: Liniui ipsum super morsum viperæ cum aceto, & posui super ipsum post linimentum folia scordei, aut centauream. Cap. de Herbo: Fit ex Herbo, id est orobo emplastrum cum vino super morsum viperæ, &c. Cap. de Vite: Cinis eius quod remanet, supple, ex vite, est theriaca morsui viperæ. Cap. de Luf: Luf, id est dragontea, seu serpentaria: quando fricatur radix eius super corpus, non mordet ipsum vipera. Cap. de Aqua: Ad morsum viperæ sedetur in aqua marina: & iuuantur ab ea, & similiter fit in reliquis vermibus perniciosis. Cap. de Muran: Muran est fructus arboris, qui comeditur, cum tamen sit ponticitas in ipso superflua, id est, vt credò, fructus, qui vocatur cornula, & secundum aliquos fructus iuniperi. Si succus almuran cum vino bibitur, aut ex eo fiat emplastrum, confert morsui viperę. Et dicitur quòd seratura ligni eius interficit quando bibitur. Cap. de Naucas, aliàs narcas: Naucas, aliàs narcas, est medicina acuta, & in ventre eius est pulpa viridis stiptica: quando linitur cum vino, confert morsui viperæ. Cap. de Cassia: Cassia, supple, lignea, datur in potu ad venenum tyrij. Cap. de Fesire: Fesire est vitis alba, id est bryonia: de radice eius aur. 1. confert morsui viperæ, & puncturæ omnium vermium venenosorum. Cap. de Raphano: Raphanus confert morsui viperæ, & cum vino morsui cornutæ, &c. Cap. de Costo: Costus confert morsibus omnibus. s. morsui viperę & alijs, quando bibitur cum vino, aut absinthio. Cap. de Chamat, aliàs alchamat: Chamat, aliàs alchamat, inquit filius Alpatrich: Eius fel exiccatur in vase vitri in vmbra, & fit ex eo alcofol in latere morsus viperæ. Cap. de Scimar: Scimar est lactuca asini habens folia, sicut folia lactucæ acuta, & est spinosa ad nigredinem declinans: & in æstate rubescit eius lignum sicut sanguis, ita quòd tingit manum, id est, anchusa seu abugilisse. Ea, quæ nominatur absinthium, est stiptica, & est in ipsa amaritudo: & illa, quæ nominatur fulusia est vehemētioris stipticitatis: & illa, quę nominatur annulus, vehemētioris est quàm ambæ, & est acrior, & illa quæ nomen non habet, propinqua est ei. Illa quę nominatur annulus, confert morsui viperę valde, quando administratur vt emplastrum, & bibita: & illa quę nomen non habet, est illi propinqua.

Auicenna 4 canone, fen 6. tractatu 3. cap. de effugatione serpentū. De illis quę fugant eos ex suffumigationibus, sunt cornu cerui, & radix lilij, & pyrethrū, & sulfur. Et qui linit manus suas spolio dragonteę & succo eius, & decoctione eius, non mordet ipsum vipera: & aspersio loci ex aqua, in qua decoctum est sal ammoniacum, est ex eis à quo fugiunt, & sinapis interficit eam: & quando ponitur super semitas eius, refugit ab eo: & de illis quę interficiunt serpentes, est sputum ieiuni proiectum in os eius, & propriè quando assumūt in

ore suo sal ammoniacum. Cap. de curatione morsus viperarum: Considera ra-
dices communes in curatione: deinde curatio fortior, est properare ad theria
cam de viperis, & cum tardatur, tunc possibile est, vt conferat theriaca multo-
tiens, & possibile est, vt non conferat. Nocumentum autem instrumenti vene
ni, non est malum, quoniam natura est, quæ vtitur instrumentis, rei verò extra
neæ non est possibile, vt vtatur eis, nisi accidat commotio amborũ simul: & si
possibile est, vti multitudine somni, & vini, fortasse excusat ab omni curatione
& similiter porri & cępę cũ vino si non inueniantur allia. Et iam dixerunt qui-
dam, quòd virga cerui assata, cum comeditur, in dispositione confert: & albar-
mel. i. ruta syluestris, est de medicinis liberantibus, & similiter grana citri. Et de
theriacis proprijs ei fortibus, est illa quæ. ℞. anisi, acsuffen. i. vt credo, cassiæ ru-
fæ. i. cassiæ ligneæ, quoniam Ioannes Serapionis quinto Breuiarij, vt supra scri
psi, auctoritate sua loco acsuffen in descriptione ipsius theriacę siue medica-
minis, ponit cassiam ligneam pondus vnum, id est, aur. 1. piperis, aur. iiij. corti-
cum aristolochiæ rotundæ, castorei, an. aur. 1. conficiantur cum vino', dosis sit
nux vna. i. ʒ. v. gran. xvi. Et iterum myrrhæ, castorei, piperis, arsenici rubei. i. au
ripigmenti rubei, omnium, an. ʒ. ij. seminis anethi. ℥. ij. conficiantur cum vino.
Et iterum seminis andacochę, id est, vnius speciei trifolij, aristolochiæ rotun-
dæ, castorei, an. aur. 1. conficiantur cum vino: cuius dosis sit nux vna. Et iterum
andacocha, & aristolochia rotunda, & ruta syluestris, & non est harmel secun-
dum quòd existimauerunt quidam, imo est species rutę ipsius. Et oportet,
vt detur butyrum plurimum & propriè antiquum: multotiens enim liberat
butyrum vetus solum. Et sedeat in tina lactis, & indicentur ei vigilię, & fiat vt
deambulet: & fiat vt balneetur in quibusdã horis in balneo faciente sudare. Et
dentur ei in potu coagula, & similia successione illorum'. Et melius eorum est
coagulum leporis recens, & ipsum iterũ est melius, quando sumitur in potu cũ
iiij. ℥. aceti vini permisti cum æqualitate. Et coagulũ cerui iterum est bonũ. Di
xerunt quidam: Si homo accipiat cæpe syluestre, & masticet ipsum, & deglu-
tiat illud quod currit ex eo, & emplastretur cum fęce eius, morsus non morie-
tur penitus. Et quidam experti fuerunt ius ranæ, & fuit iuuatiuum cum come-
stum fuit: & caro mustelę condita cum aceto & sale: & cãcri marini, & sanguis
testudinis marinæ. Et dixerũt quidam, quòd in lapide, qui nominatur lapis ser
pentis, cum suspenditur, est sanatio. Cap. de reliquis potionibus laudatis in
morsu viperarum. Dixerunt quidam: Apium syluestre & est semerion. i. semu
rion, seu smirinon, est bonum ad illud, & radix acori, & folia aristolochiæ, & ra
dix eius. Et radix almaru, id est, marrubij: & alfesir seu alfesires. i. radix vitis al-
bæ seu bryoniæ, aut agaricum, aut quodcunq; illorum fuerit, sumatur ex eo in
potu quantitas aur. 1. & similiter succus anagallis, id est, vt credo, morsus galli-
næ seu morgelina, quæ in Marchia appellatur vulgariter Centonchio, & Ve-
netijs Pauarina, seu auriculæ muris. i. speciei maioranæ. Et similiter cyminum
præcipuè montanum, & succus caulis aut costi aur. ij. cum duobus obolis, id
est pondere xxiiij granorum ordei, piperis, aut radix buchormarien. i. panis
porcini: aut semen keysin. i. leuistici, aut radix eius, & semen alharmel. i. speciei
rutæ cum succo porri, aut succo cardui. Et iterum coagulum leporis & farina
herbi. i. orobi propriè, & gingiber in lacte mulieris. Et detur in potu radix bau
ciæ, id est, pastinacę, aut alharmel, quæ est cognita in partibus frigoris, & est
vehementis iuuamenti, & cortex aristolochiæ, & radix andacochę. Et quidam
iam existimauerunt, quòd cum sumitur turbit in potu cum lacte dulci, est iuua
tiuũ valde. Et lac alagiati, et existimo ipsum esse theriacã alfariua et alguasakia,
est iuuatiuum. Et iterum de eis, quæ dicta sunt ad morsum viperarum & om-
nium venenosorum animalium, est opopanaci põdus ʒ. ij. cum aceto. Et iterũ

sumantur costi aur.iij.& gentianæ aur.iij.Et iterum quæ bona sunt, est stercus
caprinum comminutum cum vino,et detur in potu,& omnia incisiua acuta et
propriè allia,& cæpę,& porri,& raphanus,& aquæ eorum, & omnia salita &
propriè venter mustelæ,& scorpio assatus,& fel galli,& reliquarum auium.Et
de succis vehementis iuuamenti,sunt succus rutę, & succus foliorū malorum
& succus sampsuci.i. maioranæ, & acetum ipsum : de quo bulliantur ℥ iiij, &
dentur in potu,& succus extremitatum caulis Nabati.i. Nabateæ regionis o-
riētalis,& vrina hominis secundum quod dicitur. Cap.de emplastris deforis:
Emplastra ista,sunt attractiua,quę administrētur,antequā apostematio fiat,&
sunt facta ex sauina & baccis lauri,& ex chamœmilla,& squilla assata propriè,
& farina herebi.i.orobi:omnia singulariter aut cōmistim cum vino. Et empla
stratio cum gallina fissa est bona valde vltima, & similiter cum carne viperæ
& cum ranis frissis. Et ex oleis,oleum laurinum, & oleum in quo decoqui-
tur laurus.

Plinius Secundus de Naturali historia,libro,20.cap.de Tragorigano:Tra-
goriganon simile est serpyllo syluestri:contra viscum potum viperæq; ictum
efficacissimum.Libro 22.cap.de Onochilo:Onochilon efficax cōtra serpētes,
maximè viperas,& radice,& folijs, ęquè cibo ac potu. vires habet messibus.
folia trita odorē cucumeris reddūt. habentes eā à serpentibus feriri negātur.
Est & alia huic similis flore rubro minor,& ipsa ad eosdē vsus:traduntq; com-
manducata ea,si inspuatur,mori serpentem.Libro 29.cap. de remedijs ex vi-
pera: Viperæ caput impositū,vel alterius quàm quæ percusserit,sine fine pro-
dest.Item si quis exustæ eius cinerem illinat.Præterea constat, omnium ictus
qunauis insanabiles ipsarum serpētium extra imposita auxiliari, eosq;, qui ali
quando viperæ iecur coctum hauserint,nunquàm postea feriri à serpente.

Ioannes Mesue in suo de Simplicibus cap.de Luf.i.serpentaria seu dragon
tea:Luf.i.serpentaria seu dragontea dicitur quòd fugat serpentes, & viperas,
& vermes venenosos.

Halyabas in Regali dispositione 4 Practicæ cap.de morsus viperæ mede-
la.Quem aūt viperæ tractauerint,& maximè dipscides aut quercinosæ,mem-
brum abscindendum est,quod pupugit,si fieri potest:quoniā in eius abscisio-
ne quies est.Quod si fieri nequit,mēbrum supra locū,in quo est punctura,liga
& patientem phlebotoma, & alliū,cæpā,ac porrū porrige. ius sorbeat espida
bagi,cū anetho, sale & cinnamo:vinūq; illi propina vetus:cācros da fluuiales
assos quibus aliquid miuteregi.i.staphisagrię diligenter triti puluerizes.Ranā
etiam cum espidabago dabis decoctam,& attractationis. i. morsionis locum
hoc operi emplastro.Assignatio eius: Cancros fluuiales diligenter tere,& illis
farinæ tritici ℨ x.adde:fautenegi,id est,origani syluestris,salis,cuiusque ℨ. iiij,
teréque hæc diligenter, & cum dulci distempera lacte, & locum emplastri-
za : quoniam prodest.Emplastrizabis etiam cum pomorum acidorum folijs
decoctis in aqua, & plurimum tritis.Caseus etiam vetus si teratur, & cum a-
qua distemperetur,morsusq; loco superponatur,prodest. Sed & si quando-
que pullos scindas paruos, & emplastrizes locum sępius, prodest. Ac si pa-
tienti aliquid propinaueris testudinis marinę sicci sanguinis cum cymino,&
ruta sicca,prodestd.abis quoque illi coaguli leporis dimidiam drachmam vs
que hexagium,aut virgæ cerui siccæ & tritæ ℨ.1.cum vino, vel succo rutæ, &
porri,cuiusque ℥.1.semis cum aristolochię rotundę tritæ diligenter hexagio.
Scorpiones quoque contriti & in marcemusi.i.vt credo,marmoraci,id est, v-
nius speciei raphani aqua fricati, & aqua rutę,si bibantur, prosunt manifestè.
Sed theriacę Azeræ.i.Esdrę,dimidia ℨ vsq; semis hexagium cū pigani.i.vnius
speciei rutę aqua,morsui vtilis est viperarū:aut theriaca magna si pręstò sit,me
lior

lior est omnibus iis, & vtilior, maximè quæ noua. Quare hæc omnia quæ diximus, anteparanda sunt: quæ si præstò non fuerint, mithridato vtere: loco etenim stat theriacæ. Electuarium vtile expertum: Sume piperis ʒ.ij. anisi ʒ.x. aristolochiæ rotundæ, baccarũ lauri, castorei, cuiusq; hexagium vnũ: tere omnia diligenter, & cum vino robo, i. vino musto cocto, distempera: potionis quantitas faba amplius, aut minus cum aqua sedabi, id est rutę, & vini robo. Acerborum etiam folia pomorum, si bibantur, prosunt. Medicamen aliud: Sume hendacoqui (id est handacochæ, id est vnius speciei trifolij) aristolochiæ rotundę, rutæ agrestis, orobi farinę æquales partes. tere, & cũ vino distempera, potioq; eius hexagium cũ veteri vino. Assignatio alia, castorei, cassiæ, aristolochiæ rotundę, cuiusq; ʒ.1. anisi, piperis, cuiusq; ʒ.iiij. trita omnia diligenter tempera cũ vino robo, dabisq; quasi fabæ quantitatam, magis aut minus, iuxta virtutem: his in principijs vteris. Post hoc autem cum virus in corpus fuerit dispersum, patienti aquam hordei cum cancris dabis fluuialibus, lacq; dulce: membrum quoq; quod morsum est in lacte ponatur dulci, & si putrescere videris iã membrum, emplastriza putridum cum acuto medicamine, vt colophion, alijsq;, & circumpone loco terram Armeniacam, id est bolum Armenum, & Cypricam, lenticulamq; sine cortice, & acetum vini. Theriacam illi propina magnam, aliaq; electuaria in principijs dicta, si defectum videris patienti accidere, & cõsumptionem animę, frigidumq; sudorem. Hęc cum cessauerint accidentia, iam superest tibi aqua hordei cum cancris, & lacte dulci, curaq; locum punctum cum emplastris quæ diximus. Constantinus in Pantechni 4 Practicæ. cap. de Morsu serpentis, vel therij: Si serpens vel theriũ aliquẽ momorderit, ita succurratur: ligetur locus morsuræ strictè, ne venenum venas perforet ad principalia membra: prius ore sugatur, sugens sit satur, et os eius cum vino et oleo lauetur, locus tactus cum spongia calida suffumigetur, vulnus scarificetur, vt egrediatur venenum cum sanguine. vtilis autem est incisio illius loci, si in loco sit qui incidi possit, sicut in digitis, & similibus locis. detur ei theriaca maior, vt sanguinem coagulari prohibeat: quia venenum sanguinem cordis coagulat, sicut coagulum lac, sed calore dissoluitur theriacæ, & cor in expellendo cõfortatur, sicut & flamma, scilicet ignis, confortatur in expulsione fumi. Quòd si theriacam non inueneris, dabis hoc quod sumus dicturi. Succum de frondibus mali granati cum vino cocto mistum, vel aquam, vbi stercus agninum coctum sit vel ʒ.1. semis, de turbit cum lacte pecudis, vel succi de frondibus myrti, & succi sampsuci, an. libram semis, gentianæ ʒ. v. costi ℥.1. semis, omnia coquantur ad medietatem, & dentur ad bibendum: vel detur cerebrũ gallinę cũ vino & semine caulium: manducent cæpas, porrũ, & allia, & similia. Item iuuat pullus gallinę fissus per mediũ, superpositus loco suffumigato: similiter squilla in aceto cocta, & frondes mali granati pistatę & superpositę. item ficus & allia pistata. Galenus hanc confectionem iuuare affirmat. ℞. serapini, piperis, assæ, opopanacis, an. ʒ.ij. galbani, sulphuris, an. ʒ.1. semis, tempera cum vino & superpone. Sepum caprinum cũ pice, sulphure, & cera mistum, & morsui serpentis appositũ perfectè medetur. Leonis adipe, si totum corpus perunxeris, serpentes non timebis. Constantinus 7. Viatici, cap. de Morsu therij & serpentum, eadem præcisè asserit, quæ dicta sunt. Albertus Magnus in suo de Animalib. lib. 22. tract. 2. cap. de Animalibus quadrupedibus incipientibus à litera c. Virga cerui desiccata potata, valet contra morsum serpentum qui dicuntur theria, ex quibus fit theriaca. Cap. de animalibus quadrupedibus incipientibus à litera l. Adeps leonis, calidior est omnium animalium adipibus, & perũctus eo, fugat omne animal, & etiam serpentes. Gilb. Anglicus 7 sui Compendij medicinę, cap. de morsu therij, & serpentis, asserit præcisè eadem quæ asserit Constantinus lo-

cis præallegatis. Guilielmus verò de Placenria 3. ſuæ Practicæ, parte 2. cap. 3. ſcilicet de morſu ſpecierum ſerpentium, qui nocent, quando mordent, nõ per vulnus tantùm, ſed per venenum: pro cura viperæ, aſſerit pæciſé eadem, quæ aſſerit Auicenna loco præallegato. Petrus de Abano in lib. de Venenis, cap. de Morſu viperæ: Illi verò, quem momordit vipera, ſumma medicinarum, & bezaar, eſt theriaca magna, & fortaſſis confert mithridatum, & medicamen de aſſa fœtida, & butyrum vetus, & medicamen de herbo, id eſt orobo, & comeſtio alliorum, & potus vini puri. Guilielmus de Varignana in ſua Practica, ſermone 4. tractatu 3. cap. de Morſu ſerpentis: Ad morſum autem ſerpentum, id eſt viperarum, multum dicunt conferre lac ficus ſylueſtris ſuperlinitum, & nõ ſolùm in hoc, ſed etiam in punctura omnium ſerpentum venenoſorum. Idem autem facit & ſuccus extremitatum eius viridium, quando in vere colligitur, & exiccatur, & vſui reſeruatur. Dentes quoqꝫ hominis mortui triti & ſuperpoſiti, aut etiam vſti, & ſuperpoſiti, conferunt. Si etiam ſeminis agni caſti vſqꝫ ad 3.1. bibatur, confert, & cinis etiam vinaciæ eſt theriaca eius. & dixit Galenus quòd ſapphirus applicatus loco morſus, cõfert. Cap. de fugandis animalibus venenoſis in ſpeciali: Dico, quòd ſuffumigium factum in domo cum cornu cerui, aut vngulis capræ, aut capillis humanis, aut cum ſulphure, aut cum olibano ſolo, fugat ſerpentes. Idem facit fumigium picis, bdellij, & ſerapini: et fumus etiam de lignis granatorum, ipſos, & plurima aliorũ expellit. Idem & ſulphur, & vngula aſini, & galbanum ſuffumigata faciunt. & dixit Hamech: Si fumiges domum aut curiam cum pulmone aſini, mundas eam ab omni ſerpente & ſcorpione. Chriſtophorus de Honeſtis in ſuis Problematibus de Venenis, Problemate de Morſu viperæ & draconis: Bezaar veneni viperarum, eſt coſtus datus cum vino decoctionis abſinthij: doſis coſti eſt à 3. ſemis, vſqꝫ ad 3.1.

De Baſiliſco & Harmene Cap. II.

BAſiliſcus Græcè idem eſt quòd Latinè regulus, qui ideò regulus dicitur, quia habet quandam in capite eminentiam coronæ ſimilem, guttatam albo, & hyacinthino colore, velut quibuſdã interlucẽtibus gemmis, ſicut regali diademate coronatus. Dicitur etiam regulus, quia eſt ſicut rex inter ſerpentes, quoniam malignior eſt inter omnes, & ponitur in genere ſerpentium ſurdorum, qui nempe ſerpentes ideò dicuntur ſurdi: quia exiſtentes maximæ malignitatis adeò velociſſimæ, maximum inferunt nocumentum, vt illud videantur inferre abſqꝫ ſono, ſeu voce, ſeu ſenſatione pręcedente. Dicuntur etiam ſurdi, quia non audiunt, & hoc propter exceſſiuam eorum caliditatem, maximè in eorum capitibus dominantem, reſoluentem, & conſumentem aerem auribus complantatum, neceſſarium, & deputatum naturaliter ad auditum. Eſt autem baſiliſcus ſerpens primi ordinis, habens caput coronatum, vt prædixi, & acutum valde, & oculos rubeos: & eſt longitudinis duorum palmorum, & color eius ad nigredinem, & citrinitatem eſt decliuis. Harmene verò eſt ſerpens de ſpecie baſiliſci, & ſimilis ei, niſi quòd eſt in quantitate maior: eſt enim quantitatis ab vno cubito vſqꝫ ad vnum cubitum cum dimidio: et hi quidem ſerpentes multiplicantur in terra Achorę, vel achors, aliâs achorob, & in Nubia. Dicitur autem à quibuſdam, quòd baſiliſcus aliquando generatur ex oue galli, antiqui pręſertim, generatione æquiuoca, ſcilicet ex putrefactione, quoniam aliquando in inteſtinis galli animalis calidi exiſtentis, retinentur quædam malignæ ſuperflitates, quæ diu retentæ circundantur teſta ad ſimilitudinem oui, quod poſtea ab inteſtinis emittitnr, generans baſiliſcum. Iſtud autem Albertus Magnus xxv. de Animalibus cap. de Baſiliſco aſſerit eſſe veriſſimè falſum & impoſſibile.

NATVRA basilisci & harmene, est omnino consimilis: est enim calidissima & venenosissima, quorum venenositas maximè in capitibus dominatur: non solùm morsu statim interimens, quinimo & sibilo, & visu, & tactu, non solùm immediato, sed etiam mediato, adeò vt Auicenna 4. canone, fen 6. tract. 3. cap. de Basilisco dicat, quòd quodcunque animal, quod ei appropinquat, moritur, & etiam moritur omnis qui appropinquat illi mortuo, & secundum plurimum, qui tangit eum virga, moritur, & est mediante virga: & propter illud iam tetigit eum miles cum lancea sua: quare mortuus est miles, & animal eius: & tetigit ipsum labium equi: quare mortuus est equus & miles. Nō solùm autem basiliscus interimit hominem, imò etiam & quodcunque animal quod ei appropinquat, aut ei opponitur: adeò, vt & aues prope habitationem eius volantes mortuæ statim cadant. Solus autem harmene, quia est consimilis naturę, ac speciei eius, prope eum degit incolumis. Insuper basiliscus adurit totum, super quod incedit, & neque oritur in circuitu cauernæ eius aliquid. Asserit tamen Albertus Magnus loco præallegato, auctoritate quorundam, quòd mustela basiliscum interimit, & hoc si ita est, verum esse debet, cum mustela comederit rutam prius, cuius comestione naturaliter vtitur, tanquam armis se inde præfulciens, cùm fuerit cū serpentibus pugnatura: prout ex auctorum mentibus præsertim cap. de ruta pluries præostendi.

ACCIDENTIA cōsequentia morsuram basilisci, vel harmene, vel sibilum, vel visum, vel tactum eorum, vel appropinquationem eis, & habitationi eorū, sunt ferè similia. Sæuiora tamen sunt accidentia morsuræ, quæ sunt liquefactio corporis, inflatio eius, cursus virus, & mors subitanea, & moritur omnis, qui appropinquat illi mortuo ex basilisci morsu. Accidentia verò sibili, vel visus, vel tactus eorum, vel appropinquationis habitationis eorum, sunt stupefctio, & cætera accidentia consequentia morsuram eorum, præter cursum virus, parumper attamen remissiora. Causa præfatorum accidentium, sunt præfatorum duorum serpentium maxima caliditas, & eorum venenositas præ cæteris excessiua, præcipuè in eorum capitibus dominans, liquefaciens, siue dissoluēs prius humiditates corporis, & consequenter ipsius inflationem faciens, deinde mortificans calorem innatum, propter quod sequitur ex loco morsuræ egressio virus, & accidit toti corpori stupefactio, & subitanea mors in fine: & moritur omnis qui appropinquat mortuo ex basilisci morsu, propter maximam venenositatem illi corpori mortuo communicatam, quæ à præfato mortuo corpore euaporat, & alteri communicatur, & præcipuè per aerem inspiratum, & etiam per corporis porositates, & præsertim arteriarum. Quo nempe modo præfati duo serpentes sibilo, visu, tactu, & appropinquatione eis, & habitationi eorum interimunt, faciendo accidentia prænarrata: & ex hoc patere debet, quòd non ex quocunque sibilo, vel visu, vel tactu, vel appropinquatione, mors & accidentia prædicta proueniunt, sed solùm ex illo sibilo, vel visu, vel tactu, vel appropinquatione, quibus præfata venenositas excessiua sufficienter cōmunicetur. Posset enim aliquis tam à longinquo sibilum audire, vel videri, vel tangere, vel appropinquare, quod ipse non inde notabiliter læderetur.

SIGNA morsuræ basilisci, & harmene, sunt accidentia quæ prædixi morsuram ipsorum cōsequentia, & quòd serpens qui momordit, erat talis, qualem quemlibet prædictorum esse præscripsi. Signa verò sibili eorum, sunt accidentia prænarrata, præter cursum virus consequentia post sibilum. Signa visus eorum, videlicet, quòd aliquis eorū hominem aspexerit, sunt accidentia pręedicta præter cursum virus, absque hoc, quòd aliqua alia primitiua causa præfuerit, & præcipuè cùm eueniunt accidētia prædicta in loco, in quo esse sciatur aliquis

serpentium prædictorum, & hæc eadem sunt signa appropinquationis eis, vel habitationi eorum. Signa verò tactus eorum, sunt accidentia prædicta, præter cursum virus post tactum alicuius eorum. Signa autem appropinquationis alicui mortuo ab aliquo prædictorum, sunt signa prædicta ostendentia illum fuisse mortuum ab aliquo prædictorum.

PRAESERVATIO perficitur euitando protinus loca, in quibus scitur, aut suspicatur aliquem præfatorum serpentium habitare, & tenendo mustelas in locis suspectis, & eas in eorũ antris ponẽdo, rutæ cibo præcipuè præmunitas.

CVRA ponitur vt plurimum impossibilis: quæ tamen pro ea ab autoribus asseruntur, statim infrà describam. Galenus in lib. de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Est autem huius succositas, supple, centaureæ minoris facta modo su prascripto in 3. cap. 5. libri auctoritate, Galeni loco præallegato, stiptica, et siccatiua, & calefactiua, cum virtute immanifesta operans, quam non est possibile exponere verbo, neq; ad cogitationem venire, ita est vtilis ad multa. Confert autem & in feris venenosis interficientibus, & non interficientibus: in apum quidem & incisiuorum morsibus vncta cum vino: in reliquorum verò consimiliter sicut amoditę, aliàs hæmatodis, id est harmenę & basilisci, &c. Excerpta ex lib. 10. Oribasij: Contra basiliscos serpentes, & de eorum genere herba basilisca: Itali enim Regulam dicunt: nascitur vbi fuerit serpens basiliscus, cuius tria sunt genera: vnus est obochrisus, alius stillatus, capite auroso, tertius verò sanguineus, vt minio, & ipso capite aureo. Hæc herba basilisca, superat facilè, si quis eam secum habuerit, hos omnes, qui sui malitia nocere non possint. Obochrisus autem, quod viderit insufflat & incendit. Stillatus verò qui dicitur chrisocephalus, quod viderit, arescit. Tertius autem qui dicitur hęmatodis & chrisocephalus, quod viderit, vel percusserit, defluescit, ita, vt ossa remaneant. Hæc herba omnes violentias eorum obtinet, si quis eam homo secum habuerit ab omni genere serpentum tutus erit. Est autem herba similis rutæ, lac habens aurosum, simile chelidoniæ, florem autem chrisocroceum, radicem verò eius quasi pedi vrsi similem, quam qui legit, mundus sit, & veste mũda circunscribat eam auro, argento, cornu ceruino dextro, elleboro, dente aprino dextro, vel cornu taurino dextro, & fruges mellitas, aliàs mellicas, in vestes pone dum veneris ad legendum: fumum facias de cornu ceruino, & lapide gagate, vt ventus ipsum nidorem portet vbi fuerit herba, vt ipsis fugatis serpentibus, eam legere possis. Auicenna 4. canone, fen 6. cap. de Armene, id est specie basilisci: Dixerunt quòd morso ab eo non confert aliquid: si verò aliquid confert ei, tunc semen papaueris vsq; ad 3. 1. & castorei, vsq; ad 3. 1. quidam enim iam testificati sunt illud.

De Hirundine serpente Cap. III.

HIrundo serpens, est serpens longitudinis circiter cubitum vnum: cuius color similis est colori hirundinis auis, propter quod taliter nuncupatur.

NATVRA eius, calida est excessiuè, & venenosa valde, interficiens per eius morsum ante duas horas: & ideò ponitur esse serpens ordinis primi, et inter surdos connumeratur.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt singultus, alteratio coloris, stupor, frigus membrorum, profunditas somni, clausio palpebrarum, vehementia pulsus cordis, & magnitudo doloris. Causa sincopes, est quia venenum ex sui proprietate statim petit cor, & cor ex sui proprietate excitatur ad expellendum ipsum ad stomachum, & præcipuè ad os eius, propter quod resoluendo & exiccando humiditates stomachi & oris eius, causatur singultus de inanitione. Causa alterationis, coloris, stuporis, & frigoris membrorum, est

mortifica-

mortificatio caloris innati, ad quam consequitur frigiditas, & consequenter quodlibet trium accidentium præfatorum. Causa profunditatis somni seu pro prius impotentiæ vigilandi, & clausionis palpebrarum, est maxima spirituum resolutio atque mortificatio. Causa vehementiæ pulsus cordis, est ipsius veneno sitas excessiua, cor de directo petens, ac maximè molestans. Causa magnitudi nis doloris, est solutio continui, & pessima venenosa complexio, calida, & sicca in loco morsus inducta, quæ etiam cordi communicata, causat dolorem in eo, & etiam pulsum, siue tremorem.

SIGNA morsus præfati, sunt accidentia prædicta, & notitia prædicti serpentis, cùm momordit.

PRAESERVATIO autem & cura, est similis præseruationi, & curæ morsus aspidis, quas in immediatè subsequēti capite ex auctorū mētibus reserabo.

De Aspide & Asilo Cap. IIII.

ASpis Græcè idem est quod Latinè venenum: est nanque aspis serpens venenosus valde. Aut dicitur aspis, quasi asper: est enim asperæ cutis valde. Aspidis duæ ponuntur ab auctoribus species: in prima specie ponitur aspis sicca, quæ ideo sicca dicitur, quia est cutis vehementissimæ siccitatis, & est longitudinis à tribus cubitis vsque ad quinque, & eius color est declinans ad cinereitatem, & oculi eius sunt lucentes valde quasi carbones ignis. In secunda specie ponitur serpens dictus asilus, seu asile, & est serpens venenum expuens, interficiens non solùm morsu, sed etiam sputo aeri vicino communicato: & etiam ipsius sputi odore, quòd sputum eleuando caput dentibus constrictis emittit, et eius lōgitudo, est vsque ad duos cubitos, et eius color est cinericeus ad citrinitatem declinans: & de isto Auic. 4 can. fen 6, tract. 3, cap. de Morsu serpentis, mentionem facit, licet dubitauerit an asilus sit aspis, an alius: sed quidquid sit, cura asili, & cura aspidis est consimilis.

NATVRA cuiuslibet prædictorum, est calida excessiuè, & venenosa valde: quilibet nanque eorum, est serpens primi ordinis, & est de surdis. Aspis sicca, nisi debitè succurratur interficit illum quem mordet à duabus horis, vsque ad tres, & non occidit ante duas horas nisi venenum eius aliquo accidentali iuua mine adiuuetur. Asilus verò interficit illum, quem mordet, antequàm possit redire ad antrum, vt plurimum, nisi subito morso debitè succurratur, nec viuit, morsus ab eo statim debitè non adiutus vltra tertiam horam.

ACCIDENTIA consequentia morsuram aspidis siccæ, sunt accidentia consequentia morsuram hirundinis serpentis, supradicta in immediatè præcedenti cap. & eædem sunt ipsorum accidentium causę. Accidentia verò consequentia morsuram asili, sunt sæuiora: & ideo post accidentia consequentia morsuram asili similia accidentibus consequentibus morsuram hirundinis & aspidis, consequitur, quòd morsus ab asilo patitur saltus continuos, & torsionem colli, & spasmum, & pulsum inordinatum, & postea remanet sine sensu, & sine motu, et non sentit dolorem, & quandoque sentit in initio rei dolorem in ore stomachi, & postmodum dolorem intestinorum, quem videbis intromittentem digitos suos in guttur suum, vt euomat, & locus morsus eius, est paruus secundum quantitatem puncturæ acus absque apostemate, et currit ex eo sanguis paucus niger, et accidit ei tenebrositas oculorum. Accidentia consequentia eiectionem sputi asili, sunt pręfatis accidentibus consequentibus morsuram eius consimilia, licet sint remissiora, præterquàm quòd non accidit cōtinui solutio neque cursus sanguinis nigri. Causa accidentium sæuiorum accidentibus consequen. morsurā hirundinis, et aspidis siccæ, est maior asili venenositas. Causa saltuū cōtinuorū, et torsionis colli, et spasmi, s. de inanitione, est vehemens resolutio humiditatum corporis, Causa pulsus inordinati, est fortis læsio

cordi cõmunicata, & resolutio vehemens humiditatum arteriarum, ad quam cosequitur ipsarum arteriarum exiccatio, & siccitas, & per consequens pulsus inordinatus, & ferè spasmosus. Causa remanentiæ sine sensu, & sine motu, & sine sensatione doloris, est excessiua & venenosa caliditas resoluẽs calorem innatum, ad quam consequitur tanta frigiditas, quòd non solùm accidit stupefactio, scilicet, diminutio sensus & motus, quinnimo etiam accidit priuatio eorũ. Causa sensationis doloris in initio in ore stomachi, & consequenter in intestinis, & intromissionis manuum suarum in guttur eius, vt euomat, est læsio præfati veneni cordi vehementer impressa, ad quam ipsum cor ex sui proprietate, incitatur venenum ad stomachum expellere: post quod etiam accidit, vt expellatur ad intestina: quare causat dolorem in eis in initio, antequàm extinguatur calor innatus, & propter læsionem, stomacho, & præcipuè ori eius, quod est valde sensibile, à veneno communicatam, patiens incitatur ad vomitum, & propter id ad intromissionem manuũ suarum in guttur. Causa paruitatis morsus ad quantitatem puncturæ acus absq; apostemate, est subtilitas dentium asili. & quia ipsius venenum ilicò mortificat calorem innatum loci morsus, ad quod consequitur in ipso loco non pauca frigiditas: idcirco ad ipsum nõ consequitur concursus humorum, & per consequens nec apostema. Causa cursus pauci sanguinis nigri ex loco morsus, est, quia sanguis illius loci ilico in principio à veneno fuit adustus, & statim frigiditate superueniente, postea congelatus. Causa tenebrositatis oculorum, supple, in morsurę principio aduenientis, est eleuatio multorum vaporum ad oculos, à maxima humorum corporis cõmotione in principio à veneno facta.

SIGNA morsuræ aspidis siccæ, sunt accidentia ipsius prædescripta, & cognitio ipsius aspidis, cùm momordit. Signa morsuræ asili, sunt consimiliter accidentia ipsius prænarrata, & cognitio ipsius asili. Signa eiectionis sputi asili, sunt accidentia ipsius remissiora, absq; hoc, quòd patiens ab asilo tactus fuerit, & quia patiens vidit asilum eleuare caput suum, sicut facit quando sputum emittit.

PRAESERVATIO & cura morsuræ aspidis siccæ, & morsuræ asili ac eiectionis sputi eius iuxta ea, quæ à præclaris auctoribus dicta sunt, statim infrà patebit, aduertendo semper non solùm in præsenti, quinnimo & in quocunq; alio particulari cap. ea quæ superius in 2 & 3 capite, 5 libri pro generali præseruatione, & cura morsurarum, & puncturarum animalium venenosorum ex illustrium auctorum mentibus dicta sunt. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de aqua salsa: Aqua marina tepida accepta, scorpionum ictus, vel aspidum non admittit. Cap. de Clematide: Clematis nascitur locis super terram cultis, Sarmenta longa habens longitudine iunci, & folia lauri, sed breuiora. Folia eius & hasta masticata, dolorem dentium tollunt, morsibus venenatis occurrunt: morsum aspidis cum aceto bibita, mitigare dicuntur. Andromachus in libro de theriaca: Primum & melius quod datur in potu de theriaca, est ad prohibendum nocumentum medicinarum nocentium, &c. & ad puncturam reptilium habentium venenum cum quantitate trium cyathorum, id est ℥. iiij. semis vini: & ad reptilia quidem habentia venena, sunt sicut viperæ & aspides, &c. Galen. in lib. de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Est autem huius succositas, supple, centaureæ minoris facta modo suprascripto in 3 cap. 5. tract, auctoritate Galeni loco præallegato, stiptica, & siccatiua, & calefactiua cum virtute immanifesta operans, quia non est possibile exponere verbo, neq; ad excogitationem venire, ita est vtilis ad multa. Confert autem & in feris venenosis, interficientibus, & non interficientibus, in apum quidem, & incisiuorum morsibus vncta cum vino, in reliquorum verò consimiliter sicut aspidis, &c. Vsus

autem

autem est diuersus: statim enim quòd plaga facta est, vel mordicatio, scarificare oportet eum, qui in circuitu est, locum, et in ipso loco qui patitur facere vnã incisionem profundam, & sic mulgere, & educere humorem: deinde in plaga superponere collyriũ, & desuper bendã de corio, & soluere post dies viij, aut xiiij. ad plurimum, & vino abstergere infuso in spongia. Euax in lib. de Lapidibus preciosis, cap. de hæmatite:

Vt sumpsit hæmatites, Græcum de sanguine nomen:
Naturæ lapis humanæ seruire creatus.
Serpentis morsum, uel quod fit ab aspide uulnus,
Egregiè curat resolutus aquis & inunctus.
Hic ferrugineo rufóue colore notatur.

Chyrandrus libro 4, capite de Testudine marina: Chelonis, id est testudinis marinæ sanguis, omnibus feris est remedium, vel pharmacum, & omnes morsus magnificè sanat: vrina quoq; ipsius sæpius potata, morsos à vipera & aspide sanat. Rasis 20 Continẽtis, cap. secundo: Ait Athoroscos: Sordicies auriculæ hominis sumpta, & emplastrata sæpe, est iuuamen manifestum contra viperas, & serpentes. dentes hominis triti & puluerizati iuuant. Ait Dioscorides: Succus auriculæ muris, id est anagallis, quæ Venetijs dicitur Pauarina, & in Marchia dicitur centunclum, cum vino sumptus, iuuat contra morsum viperæ & serpentis. Ait Galenus & Dioscorides: Sumere cimices vij. iuuat contra morsum serpentis. Ait filius Mesuay: Sumere ʒ. ij. turbit, cum ℥. iij. lactis recentis, aut vini, valet contra morsum serpentis & viperæ. Similiter iuuat emplastrum lactis tithymali positum. Auicenna 4 canone, fen 6. tractatu tertio, cap. de Aspide sicca: Cura eius, est cura surdorum, & iam diximus causam. Plinius Secuudus de Naturali historia libro 20, capite de Aniso: Sunt & qui aspidum venenis naturam eius aduersari putant. Libro vigesimo secundo, cap. de Lupinis: Amari lupini, contra aspides valent. Libro vigesimo tertio, cap. de Aceto vini: Nescíere medici quantum contra aspides acetum vini pollet. Nuper ab aspide calcata percussus, vtrem aceti ferens, quoties deposuisset, sentiebat ictum, aliàs, illæso similis: Intellectum ibi remedium est, potúque succursum, neque altero colluunt os venena exugentes. Libro 24, capite de Clematide Aegyptia: Est & alia clematis Aegyptia cognomine, quæ ab alijs daphnoides vocatur, folio lauri, longa, tenuis: quæ aduersus serpentes, ac priuatim aspides ex aceto pota, efficax habetur. Capite de Aro: Græci aron miris laudibus extulêre. Priuatim aspides fugat, vel inebriat, ita vt torpentes inueniantur. Libro 25 capite de echio, & hyoscyamo: Hyoscyamum contusum cum folijs ex vino datur peculiater contra aspides. Cap. de Vrina: Magna & vrinæ nõ ratio solùm, sed etiam religio apud autores inuenitur: verùm ex his quæ referre fas sit, impubium puerorum contra saliuas aspidum, quas ptyadas, id est asilos vocant: quoniam venena in oculos hominum exponunt. Lib. 29, cap. de Remedijs aduersus serpentium ictus: Mustelarum duo genera, distant magnitudine. Harum fel cõtra aspides dicitur efficax, cætero venenum. Cimicis animalis fœtidissimi, & dictu quoq; fastidiendi natura, contra serpentium morsus, & præcipuè aspidum valere dicitur. Item contra venena omnia, argumento quo dicunt gallinas, quo die id ederint, non interfici ab aspide. Ex his quæ tradunt humanissimum, illinire morsus, cum sanguine testudinis. Cunctarer in proferendo ex his remedia, nisi Marc. Varronem scirem lxxxiij. vitæ anno prodidisse, aspidum ictus efficacissimè curari hausta à percussis ipsa vrina. Libro 32, capite de Medicinis ex testudinibus terrestribus: Vrinam testudinum terrestrium aliter quàm in vesica disectarum inueniri posse non arbitror, & inter ea quoq; esse, quę portentosa magi demonstrẽt, aduersus aspidis ictus singulare:

efficacior est tamen, vt aiunt, cimicibus admistis. Constantinus in Pantec. 4
Practicæ, pro cura aspidis, quem serpentem appellat, asserit eadem quæ pro
cura viperæ, suprà scripsi in primo capite huius sexti libri, auctoritate eiusdem
loco præallegato. Guilielmus de Placentia 3 suæ Practicæ, parte 2, capite 3:
Cura serpentium surdorum, erit communis omnibus. Communiter in cura
morsus surdorum proceditur statim cum incisione membri morsi, si est possi-
bile, aut cum adustione vltima penetrante vsque ad profundum membri mor
si & venenati: nam combustio comburit venenum, & constringit meatus ne
spargatur per membra, & totum corpus: & si fieret vomitus, aut super reple-
tionem ex piscibus salitis, cæpis, sinapi, & similibus: aut absque repletione cum
oxymelle & aqua decoctionis anethi, radicis raphani, & seminis sinapis, &
atriplicis, & similium, esse vtile. Etiam esset vtile valde bibere de theriaca
cum aqua decoctionis papaueris, & castorei sæpe, & ponere de ea super mor-
suram, & locum venenatum. erit valde bonum, & conueniens ligare mem-
brum fortiter super morsuram, ne venenum ascendat ad cor: est de melioribus
rebus: particulariter consideratur morsus surdorum ex parte operationis me-
dicinalis, vt in harmene, vt dictum est, eò quòd in morsu eius valet drachma 1.
papaueris, & drachma vna castorei coniunctim, & separatim, si ponantur su-
per morsuram, & ore sumantur cum aqua mellis, vel vino. Gentilis de Fulgi-
neo in consilio pro quodam seruo Dei, quem momordit aspis. Primum re-
medium fuit ligatura supra locum morsum, vt venenum non ascenderet ad
cor, vel ad partes cordis. Secundum fuit exhibitio theriacæ communis ad
confortandum cor, & exhibitio butyri non recentis, & appositio ventosæ su-
pra locum, & appositio dictæ theriacæ ab extra ad partem cordis. Tertium
remedium fuit reitaratio ventosæ cum igne, cum profunda scarificatione par-
tis. Quartum remedium, fuit approximatio theriacæ secundum hunc mo-
dum: ℞. gentianæ, carpobalsami, rutæ, an. partes æquales: fiat puluis, & detur
cum vino puro, quantum capitur cum digitis duobus. Quintum remedium,
fuit puluis smaragdi, & puluis seminis citri: & modò dabatur de vno, & modò
de alio in quantitate ℈.1. cum vino bono: frequēter etiam ponebantur semina
citri in cibis. Sextum fuit exhibitio theriacæ alterius, quam ponit Halya-
bas. ℞. castorei, cassiæ ligneæ, aristolochiæ, rosarum, an. drachmam vnam
seminis anisi, piperis, an. drachmas duas, terantur, & detur de eis quantum ca-
pitur duobus digitis. Fecimus fieri clystere ex lacte, & decoctione maluarum,
& postea reddito clysteri, fecimus ipsum lauari cum aqua decoctionis aristo-
lochiæ rotundæ, & sudauit cum hoc. Fuerunt vltimò sibi concessa propter ca-
liditatem veneni, & vsum theriacalium, quæ fecerunt aliquam distemperan-
tiam, aliqua infrigidātia. Ex istis remedijs, nutu Dei gloriosi, euasit seruus Dei,
qui morsus fuerat, qui erat ferè cum omnibus malis accidentibus, de casu pul-
sus, & palpebrarum, & amissione loquelæ, & ferè perditione sensus, & motus,
& reliquorum malorum accidentium, vt est de proprietate veneni mali ani-
malis inducere. Christophorus de Honestis in suis Problematibus de Vene-
nis, problemate de morsu aspidis: Bezaar huius veneni, est ruta.

De Cerastæ Cap. V.

CErastes cornuta est serpens, cuius longitudo est ab vno cubito vsque ad
2, & super caput eius sunt eminentiæ sicut duo cornua: & color corporis
eius, est color cineris, & venter eius, est sicut squamæ siccæ duræ, quæ strident
super terram cum strepitu, et dentes eius sunt æquales non recurui: & vt plu-
rimum habitant in locis arenosis, & secundum aliquos, est duorum modo-
rum: quoniam quidam est magnus. vt prædixi, quidam est paruus, habens
cornua

cornua parua naturaliter. Cerastes est serpens paruus habens pro spinis in corpore cartilagines, & ideo corpus habens magis flexuosum alijs serpentibus: & habet in capite octo cornua flexuosa sicut cornua arietis, & est coloris pulueris, vnde absconditur in puluere, & passeres insidentes cornibus suis sicut festucis, morsu eius interficit. & hæc cornua sunt illa, quæ sudare dicuntur præsente veneno.

NATVRA cuiuslibet prædictorum, est excessiuè calida, & maximè venenosa: & ideo dicũtur esse de serpentibus surdis, & de serpẽtibus primi ordinis.

ACCIDENTIA consequentia morsuram cuiuslibet serpentium prædictorum, & præsertim cornutæ, sunt quòd in locis morsuræ sentiuntur quasi acus, & claui fixi in eis, & grauitas corporis continua, & maxima, & inflatio labiorum, & vertigo, & tenebrositas oculorum, & destructio rationis. Causa sensationis in locis morsuræ quasi acuum, & clauorum fixorum in eis, est acuitas & penetratio dentium in prędicta loca, præcipuè propter ipsorum subtilitatem, & rectitudinem, & maxima veneni acuitas. Causa grauitatis corporis continuę & maximę, est liquefactio humiditatum corporis ob veneni malignissimam caliditatem, humiditates ipsas dissoluentem, & retractio spirituum, & caloris innati ad cor, præcipuè ob præfati veneni malitiam: quare humiditates corporis liquefactæ in membris præcipuè longinquis à corde non resolutæ, causa prædicta, corpori continuam inferunt grauitatem. Causa inflationis labiorum, sunt humiditates capitis liquefactæ, causa prædicta ad labia descendentes. Causa vertiginis, et tenebrositatis oculorum, & destructionis rationis, sunt præfatæ cerebri humiditates liquefactæ causa præscripta: quę in cerebro, & præsertim eius ventriculo medio seminatæ, destruunt rationem, & ad oculos descendentes, faciunt vertiginem, & tenebrositatem oculorum.

SIGNA morsurarum animalium prædictorum, sunt accidentia prænarrata, & cognitio serpentium prædictorum, cùm momorderunt.

PRAESERVATIO autem, & cura morsuum prædictorum iuxta ea, quæ à famosis auctoribus describuntur, statim infrà patebit. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Raphano: Raphanum Græci, nos radicem vocamus: in cibo quoque venenis resistit. Semen eius acceptum cerastis puncturæ medetur. Andromachus in lib. de theriaca: Primum & melius, quod datur in potu de theriaca, est ad prohibendum nocumentum medicinarum interficientium, &c. & ad puncturam reptilium habentium venenum cum quantitate trium cyathorũ, id est ℥. iiij. semis vini, & ad reptilia quidem habentia venena, sicut sunt vipera, & serpentes habentes cornua, &c. Galenus in lib. de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Est autem huius succositas, supple, centaureæ minoris, facta modo supradicto in tertio cap. 5 libri, auctoritate Galeni loco pręallegato, stiptica, & siccatiua, & calefactiua cum virtute immanifesta operans: quam non est possibile exponere verbo, neq; ad excogitationẽ venire, ita est vtilis ad multa. Confert autem & in feris venenosis interficientibus, et non interficientibus, in apum quidem, & incisiuorum morsibus vncta cum vino, in reliquorum verò consimiliter, sicut cerastis, & aspidis, &c. Vsus autem est diuersus: statim enim quòd plaga facta est vel mordicatio, scarificare oportet eũ qui in circuitu est, locum, & in ipso loco qui patitur facere vnam incisionem profundam, & sic mulgere, & educere humorem: deinde in plaga superponere collyrium, et desuper bendam de corio, et soluere post dies viij, aut xiiij. ad plurimum, et vino abstergere infuso in spongia. Rasis 20 Continentis, cap. secundo: Ait Galenus et Dioscorides: Oua sorbilia multum conferunt contra morsum serpentis habentis cornua. Sesamum iuuat contra morsum serpentis cornuti: Ait Dioscorides: Sumere semen radicum, iuuat contra morsum ser-

pentis cornuti. Auis alaudula emplastrata supra morsum serpentis iuuat. Rufus: Pix liquida cum sale emplastrata, iuuat contra serpentes cornutos, aur. 1. costi, cum aureis tribus gentianæ decoctionis, in rotulo vno aquæ bullitæ vsque ad consumptionem sextæ partis, & bibat, & comedat radices, & emplastra ex squilla, & farina orobi, & sale: aut sumat ex farina orobi ʒ. x. cum vino puro, & bibat aquam decoctionis cauliũ Napti, id est nabati, id est Nabatææ regionis Orientalis. Radix rutæ syluestris, aut baccæ lauri, aut aristolochia longa cum myrrha, melle, & vino iuuant: apponere super locum ranas frixas iuuat. In libro Complementi, & finis, dixit: Dare succum foliorum pomorum cum sapa, id est vino musto cocto, quousque solùm tertia pars remaneat, & emplastrare locum cum folijs pomorum coctis, & bibere succum sampsuci, id est maioranæ, aut gentianam, piper, & rutam, aut emplastrum ex ficubus cum vino, & allijs iuuat.

Auicenna 2 canone, tractatu 2, capite de Sale: Fit ex eo emplastrum cum menthastro montano, & hyssopo, & melle ad morsum cornutæ. Cap. de Pisce: Piscis qui nominatur entaras, ius bibitum, & vomitus multoties post ipsum prouocatus secundum continuationem, confert serpentis morsui cornuti, & canis rabiosi. Cap. de Raphano: Raphanus confert cum vino morsui cornutæ. Cap. de Chitran: Fit ex chitran, id est gummi cedri emplastrum super morsum serpentis, habentis cornua. Auicenna quarto canone, fen sext. tractatu tertio, capite de Cornuta: Cura morsus eius, est cura surdorum, & quod ei appropiatur, est, vt in potu detur semen raphani cum vino, & propriè quando euomit cum eo, & cùm euomuerit, cõfert ei cyminum Indum, & sisamum confert iterum ei, quem momordit, cum vino, & castoreum cum vino, & calamentum campestre cum vino. & semẽ raphani, est mirabilis iuuamenti in eo: & ponatur super morsum sal tritus confectus cum alkitran, aut cæpe tritum cum aceto. Plinius Secundus de Naturali historia libro 20, cap. de Ammi: Est cymino simillimum quod Græci vocant ammi: mitigat cum lini semine scorpionum ictus, vino potum ʒ. ij. priuatimque cerastarum cum pari potione myrrhæ. Capite de Serpyllo: Serpyllum à serpendo putant dictum, quòd aduersus serpentes efficax, maximè cerastes, &c. decoctis ex vino ramis folijsq́. Libro vigesimo tertio, capite de Fęce aceti: Fęx aceti è serpentibus contra cerastes validissima cum polenta. Libro vigesimo quarto, cap. de Pice: Picis natura aduersatur priuatim cerastæ. Libro trigesimo primo, capite de Natura salis, & eius medicinis: Salis natura contra cerastem cum origano, cedria, aut pice, aut melle. Libro trigesimo secundo, capite de medicinis ex castoreis: Testes castorum medentur aduersus cerastem, & presteres cum panace aut ruta, aduersus cæteros serpentes cum vino dari binas drachmas satis est. Cap. de remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Sunt & è seruatis piscibus medicinę, salsamentorumq́ cibus prodest à serpente percussis, & contra bestiarum ictus, mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur, peculiariter à chalcide, ceraste, &c. percussis. Christophorus de Honestis in suis Problematibus de Venenis, problemate de Morsu cornutę. Bezaar huius est ruta.

De Andri, seu Andris, & Chersydro Cap. VI.

ANdrius seu Andris, est serpens minor quàm sit aspis surda, & latioris capitis in aqua habitans: qui cùm in aqua habitat, nominatur à Græcis, vt prædixi: cùm verò habitat in campo, seu in syluis, nominatur kesudurus.

NATVRA cuiuslibet prędictorum, calida est excessiuè, & venenosa valde. &

& est deterior & nocibilior surda aspide: & est quilibet prædictorum serpens primi ordinis, & de surdis.

ACCIDENTIA consequentia morsuram cuiuslibet eorum, sunt in principio morsus, dolor vehemens in loco morsus, & inflammatio vehemens in eodem loco: deinde fit viridis, & corrodit, & accidunt morso vertigo, & vomitus choleræ fœtidæ, & motus inordinatus, & debilitas virtutis, & mors secundum plurimum in hora tertia, & non transiens eam. Si autem euadat, quoniam serpens prędictus sit aquosus, & per consequens minoris venenositatis quàm campestris: aut, quoniam complexio morsi, est fortis, comitantur eum ægritudines, à quibus forsitan non sanabitur.

CAVSA doloris vehementis in principio morsus, est solutio continui, & vehemens mala complexio calida veneni: quę quidem mala cōplexio, est causa vehementis inflammationis in loco morsus. Causa viriditatis loci morsus, & corrosionis eius, est malitia vehemens veneni præfati calorem naturalem loci morsus corrumpens, ad quod consequitur irregulatio debita humiditatum eius: & per consequens in loco morsus viriditas, & putrefactio corrosiua, id est ambulatiua. Causa vertiginis, est liquefactio humiditatum cerebri, facta à venenosa caliditate veneni, & ascensus multorum vaporum ad cerebrū ob magnam humorū corporis agitationem, factam à præfata venenosa caliditate. Causa vomitus choleræ fœtidæ, est prædicti veneni malignitas, choleram in corpore existentem exagitans, & corrumpens, & malignans: propter quod natura incitatur ad ipsam per vomitum expellendum. Causa motus inordinati, est vehemens patientis inquietudo, facta præcipuè à venenositate veneni, humores corporis, & præsertim choleras exagitante & corrumpente. Causa debilitatis virtutis, & secundum plurimum mortis in tertia hora non transientis eam, est vehementia malitiæ veneni præfati, mortificans, & corrumpens citò spiritus & calorem innatum. Causa concomitationis ægritudinum, si euadat, à quibus forsitan non sanabitur, est maxima virtutis debilitas, causata à maxima præfati veneni malitia.

SIGNA morsus supradicti serpentis, sunt accidentia prænarrata, & notitia præfati serpentis, cùm momordit.

PRAESERVATIO verò & cura, similis est præseruationi & curæ generali prædescriptæ in secundo & tertio cap. quinti lib. Quæ autem pro præfati morsus speciali cura dicitur, statim infrà describam. Auicenna 4 canone, fen 6. tractatu tertio, cap. de Serpente, qui dicitur andrius, siue andris: Curatio eius est cura communis: & illud quod appropiatur ei est, si bibat de nuce cypressi mūdata cum granis myrti de vnoquoq; aur. 1. cum aqua mellis, aut vino: & similiter aristolochiæ pondus ℥. ij. cum vino, aut cum aceto commisto, & similiter succum prasij: & emplastretur cum calce, & oleo, & calamento montano, & corticibus radicis quercus, & similibus, singulariter, & compositè: & de eis quę eis admiscentur, est farina hordei. Alia litera, & de eis quæ eis administrantur, est aqua hordei.

De Hydro Cap. VII.

HYdra vel Hydrus, est serpens omnium serpentium pulcherrimus, & est de genere viperarum, apparens in Nilo flumine: de quo dicitur, quòd cùm crocodilus dormit super ripam ore aperto, inuoluit se luto lubrico, vt facilius illabatur, & sic immergit se faucibus crocodili, quem euigilans crocodilus transglutit: & tunc viscera crocodili hydra lacerat, & de ventre exit: habitat autem vt plurimum in aqua, vnde nomen assumpsit.

NATVRA eius similis est naturæ viperæ prædictæ in 1 capite præsentis

libri: est enim de ipsius genere, vt prædixi, & est serpens secundi ordinis.

ACCIDENTIA consequentia morsuram eius, sunt egressio morsus à loco vulneris & dilatatio eius, & obfuscatio coloris eius, & egressio ex vulnere humiditatis nigræ fœtidæ, plurimæ valde, & prolongatio, et difficultas curationis eius. Causa egressionis morsus à loco vulneris et dilatationis eius, est virtus prefati veneni corruptiua coloris innati, & cōsequenter putrefactiua loci morsuræ: quare videtur morsus egredi à loco suo, & dilatatur vulnus prout deambulat putrefactio: et eadem est causa obfuscationis coloris vulneris, et egressionis ex vulnere humiditatis nigræ fœtidæ plurimæ valde, & etiam prolongationis & difficultatis curationis: putrefactio nanque vulneri superueniens, est causa prolongationis & difficultatis curationis eius.

SIGNA morsuræ eius, sunt accidentia prænarrata, & notitia serpentis ipsius, cùm momordit.

PRAESERVATIO verò, & cura morsuræ prædictæ, similis est præseruationi, & curæ viperæ supradictæ in primo cap. præsentis libri, cùm sint eiusdem generis. Quæ tamen specialius pro ipsius præseruatione, & cura narrantur, statim infrà describam. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ, ad Papiam: Succositas, supple, centaureæ minoris, facta modo suprà descripto in tertio capite quinti libri, & consimiliter administrata, confert in morsu drimi aquatilis, id est hydræ, &c. Plinius Secundus de Naturali historia libro trigesimo secundo, cap. de Cancris contra venena: Cancri fluuiatiles triti potiq; recentes ex aqua seu cinere asseruato, contra venena omnia prosunt, priuatim contra hydram & angues, &c.

De Affodio, & sabtin, uel sabrin, & hæmorrhoo. Cap. VIII.

AFfodius & sabtin, aliàs sabrin sunt duo serpentes omnio consimiles quiditatibus: habent enim corpora arenosa, & super corpora eorum sunt puncta nigra & alba, & longitudo eorum, est longitudo cornuti: & dixerunt quidam, quòd ipsi sunt minores viperis: & capita eorum, et ipsorū caudæ sunt minutę, & sunt coloris arenosi, et quandoq; sunt nigri, rubei, & albi: et sunt super eorum capita squamæ albę, incisæ, & eorum incessui, est strepitus propter siccitatem corporum ventrum ipsorum, ac si esset strepitus foliorū siccorum & virgæ, et sunt grauis motus, et æqualium dentium. Hæmorrhois, seu hæmorroidum, est serpens maior quàm cubiti vnius, et est coloris cineritij: & dicitur hæmorrhois ab hæmate, quod est sanguis, et rhois, quod est fluxus.

NATVRA cuiuslibet prædictorum est omnino consimilis: est enim calida excessiuè, et venenosa valde, et orificiorum venarum et pororum omnium aperitiua, et quilibet eorum est in primo serpentium ordine.

ACCIDENTIA consequentia morsuram cuiuslibet serpentium prædictorum sunt disruptio pororum omnium corporis, & eius orificiorum venarum, atq; meatuum naturalium, non solùm aperiri naturaliter consuetorum, vt sunt orificia venarum nasi, et hæmorrhoidarum, & consimilium, sed etiam ex poris et meatibus communiter manentibus, id est non solitis communiter aperiri, adeò vt propter dictam apertionem meatuū, ac pororum, nō solùm emanet sanguis per nares, vel per hæmorrhoidas, vel per sputū mediante tussi, vel per stomachum mediante vomitu, vel per alia consimilia loca aliquando consueta: quinimò etiam emanat ex vlceribus consolidatis, et ex angulis oculorum, et alijs consimilibus locis: et dolor continuus in loco morsurę, et apostematio eiusdem loci, et denigratio eius, & cursus ex eo rei paruę aquosę, et dolor stomachi, & solutio ventris, et constrictio anhelitus, et difficultas vrinę, et abscisio vocis, et mollificatio membrorum et dispositio obliuionis super

ſuper corpus,& ſpaſmus,& caſus dentiũ,& mors. Cauſa diſruptionis ſanguinis ex omnibus poris atq; meatibus,&c.vt prędixi,eſt proprietas veneni cuiuslibet ſerpentiũ prędictorum. Cauſa doloris continui in loco morſuræ præſertim in principio,eſt profunda continuitatis ſolutio ipſius loci ob æqualitatẽ,ſeu rectitudinem dentiũ ſerpentiũ prędictorum,& exceſſiua mala complexio calida veneni eorũ,in morſuræ eorũ initio in loco eodẽ inducta. Cauſa apoſtemationis eiuſdẽ loci,eſt præfatus dolor cõtinuus in eo ob cauſam prędictam. Cauſa denigrationis eiuſdẽ loci,& curſus ex eo rei paruæ aquoſæ,eſt extinctio caloris innati eius facta à malignitatę veneni. Cauſa doloris ſtomachi eſt læſio à præfato veneno cordi communicata,& conſequenter ſtomacho à corde,vt ex eius proprietate ferè in omni veneno contingit. Cauſa ſolutionis ventris,eſt apertio,& diſruptio præcipuè venarũ meſeraicarũ. Cauſa conſtrictionis anhelitus,& difficultatis vrinæ,& abſciſionis vocis,& ſpaſmi videlicet de inanitione,eſt euacuatio ſanguinis,& aliarũ naturalium humiditatũ corporis,ad quã conſecuta eſt ſiccitas muſculorum pectoris,ob quã quidem ſiccitatem ipſius impotentibus dilatari atq; conſtringi, accidit cõſtrictio anhelitus, & vocis abſciſio,& propter eandẽ ſiccitatem,& conſequenter corrugationẽ, & conſtrictionem,vijs vrinæ,& pręcipuè muſculis veſicæ communicatã, accidit difficultas vrinę. Cauſa mollificationis membrorũ,& diſpoſitionis obliuionis ſuper corpus,& caſus dentiũ,& tandẽ mortis,eſt quia extincto & cõſumpto calore innato,& derelictis conſequenter mẽbris, & eorũ humiditatibus, & præſertim radicum dentium conglutinantibus ipſas maxillis relaxantur,& mollificantur membra, & obliuiſcuntur naturalium operationum eorum , & cadunt dentes,& vltimò mors conſequitur.

SIGNA morſurarum ſerpentium prædictorum,ſunt accidentia prænarrata,& noticia ipſorum,cum patientem morſibus aggreſſi ſunt.

PRAESERVATIO verò,& cura ex auctorum mentibus vltra ea,quæ in generali in ſecundo,& tertio quinti libri cap. dicta ſunt, ſtatim infra patebit, ſubueniendo accidentibus conſequentibus , & præcipuè fluxui ſanguinis cũ his,quæ ab auctoribus in proprijs cap.deſcribuntur. Auicenna quarto canone,fen 6.tractatu tertio,cap.de Serpentibus,qui egredi faciunt ſanguinem ex poris omnibus. Cura eorum,eſt çura proxima curæ alaſilet,id eſt aſili,& viperarum inquantum datur eis in potu vinum plurimum , & euomunt ſuper ipſum poſt cibationem cum eis,quæ ſunt ſicut oua coraca,aliàs,caraca,id eſt val de mollia,ſeu nauſeatiua,& piſces ſaliti,& allia:& iteretur ſuper eos vomitus: deinde comedant poſt illud panem,& piſces poſitos ſuper prunas , & comedant vuas paſſas.& ſemen raphani iterum eſt ex eis , quæ conferunt ipſis , & propriè cum vino, & ſuccus papaueris cum radice lilij cœleſtis cum vino, & quandoque confert ei albugo oui cum vino,& confert eis inquantum eſt expulſio ſanguinis emplaſtratio cum portulaca,& farina ordei,aut folijs vitis decoctis aut arnogloſſa, aut gallis,& ex eis,quæ retinent ſanguinem per cauterium,ſunt porri,& vrtica,& ruta cum farina ordei,& albumine oui. Auerroes quinto Colliget,cap.de narratione particularium operationum medicinarum ſimplicium,quæ à Galeno teſtificatæ non ſunt:Lapis de zaduarga,aliàs,zaduargar,confert omni fluxui ſanguinis,vndecunq; procedat,& quandocunque propinatur ad bibendum venenatis,antequàm veniat venenum ad cor, liberat:& eius doſis eſt hexagium vnum. Plinius Secundus de Naturali hiſtoria libro 23. cap.de Vua theriaceæ:Vua theriaceæ,de qua ſuo loco diximus contra ſerpentium ictus eſtur:pampinos quoque eius edendos cenſent, imponendoſq; , & vinum acetúmque ex his factum auxiliari. Capite ſequenti, de Vua paſſa : Contra eadem vim habet vua paſſa , quam aſtaphida vo-

cant: priuatim cōtra hæmorrhoū potēs. Cap. de mustis: Mustū omne aduersatur serpētibus, maximè Hęmorrhoo. Cap. de viribus vini: Merum remedio est priuatim cōtra hæmorrhoū, &c. Lib. 24. cap. de Rubo: Rubi aduersantur serpentiū sceleratissimis hæmorrhoo, & presteri, &c. Albertus Magnus in suo de Mineralibus libro 3. tractatu secundo. s. de lapidum nominibus, & virtutibus: Heliotropia, aliàs, helitropia, est lapis viridis ferè smaragdo similis, respersus sanguineis guttis, &c. Dicitur autem reddere hominem bonæ famæ, & incolumem, & longæ vitæ, & contra fluxum sanguinis, & venena valere.

De Dipsade seu situla Cap. IX.

Dipsas seu situla seu serpens sitire faciens, est serpens cuius longitudo est palmi vnius: & super corpus eius sunt vestigia nigra plurima, & caput eius est paruum, & collum ipsius grossum, & incipit creatura eius ex collo grosso vsq; ad caudam subtilem: & forma eius est forma viperæ, & color postremi eius vsq; ad caudam, ad nigredinem est decliuis, & incedit conquassando caudam suam, & habitat in littoribus maris, & inuenitur vt plurimum in regione Lokiati & Assem. Dicitur autē Græcè dipsas, quod Latinè idem quod sitire faciens: & dicitur situla, quia adeo sitire facit, quòd situla indiget.

NATVRA eius calida est excessiue & venenosa, venenositate sua sitis vehementissimè inductiua.

ACCIDENTIA consequentia morsuram eius sunt adustio ventris & inflammatio, & appetitus vehementissimus bibendi pręcipuè aquam vsq; ad mortem, quanuis nunquam satietur absque exitu rei alicuius per vrinam vel per sudorem: quare inflatur venter eius totus, & currit aqua in venas ipsius: & tandem cū siti vehemētissima moritur, vt hydropicus, nisi ei debitè subueniatur. Causa omnium pręfatorum accidentium, est pręfata veneni serpentis prędicti natura, quæ sui excessiua, & consequenter adustiua caliditate, ventrem adurit & inflammat, & sui venenosa proprietate insatiabilem appetitum bibēdi precipuè aquam inducit, & corpus adurendo seu inflammando, & consequenter exiccando & corrugando, sicut corium ab ignis caliditate, vias vrinę & corporis porositates constringit, & consequenter oppilat, quare retinetur vrina, & prohibetur sudor: propter quod aquositas transmittitur ad ventris concauitatem, & consequenter venter ipse inflatur & tumefit, & pars etiam aquositatis currit cum sanguine in venas ipsius: quare tandem cum siti vehementissima moritur, vt hydropicus, nisi ei debitè succurratur.

SIGNA pręfatæ morsuræ sunt accidentia prænarrata, & cognitio pręd**i**cti serpentis, cùm momordit.

PRAESERVATIO fit cum eis quæ in generali in secundo cap. quinti libri superius dicta sunt.

CVRA verò eius vltra curam vniuersalem fit cum his, quæ ex auctorum mentibus statim infra describam, subueniendo siti cum remedijs, quæ in sequenti libro pro subueniendo siti consequenti ad rabidi canis morsuram superius dicta sunt: subueniēdo etiam dispositioni hydropisis cum his, quę ab auctoribus in proprijs cap. de hydropisi describuntur. Andromachus in suo libro de theriaca: Primum & melius quod datur in potu de theriaca, est ad prohibendum nocumentum medicinarum nocentium, &c. & ad puncturā reptilium habentium venenum cum quantitate trium cyathorū, id est ℥. iiij semis vini, & ad reptilia quidem habentia venena, sicut sunt viperæ & serpentes habentes cornua & facientes sitire, &c. Chirandus libro quarto cap. de Cancris fluuialibus: Cancri fluuiales triti & bibiti cum lacte caprino, percussos à scorpione

pione, ab araneo, & serpente dipsato, id est, dipsade, sanat. Auicenna quarto canone, fen 6. tract. 3. cap. de Serpente faciente sitim: Regimen eorum post communia regimina, est, indesinenter eos facere bibere oleum plurimum & euomere, deinde clysterizare eos cũ eis, quæ educunt fęces & humiditates, & trahunt aquam ad inferiora, & vt dentur diuretica, sicut decoctio apij, & spicæ Indæ, & cinnamomi, & asari, & seseleos, & petroselini, & similium, & emplastretur exterius cũ sale, & calce, & oleo, & emplastratione quam dicemus ad morsum canis rabiosi. Plinius Secundus de Naturali historia libro 23. cap. de Lauro: Laurus excalfactoriam naturã habet, & folijs, & cortice, & baccis. Illita serpentium venenis resistunt, maximè sæpis, dipsadi, & viperæ prosunt. Libro 32. cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Sunt è seruatis piscib. medicinæ, salsamentorũq; cibus prodest à serpente percussis, & contra bestiarum ictus mero subinde hausto: ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur, peculiariter à dipsade percussis, &c.

De Cafezate & alcharate seu altynanite Cap. X.

CAfezatus, & alcharatus, seu altynanites, sunt duo serpẽtes quiditate & natura cõsimiles, & sunt parui, breues & minuti, ad rubedinẽ decliues, & insidiãtes, occultãtes se in arboribus, aut sub eis inter eorũ folia, vt inijciãt se trãseuntibus sub eis: & quando hoc ingenio frustrantur, procedunt ex antris, & insiliunt in transenntes: & hos quidam dixerunt esse salientes ad duas partes tanquam habentes duo capita, quanuis non sit verum, & hoc ideo dixerunt, quia sunt vniformes in capite, in medio, & in cauda: & hi serpentes inueniuntur in partibus Debesten.

NATVRA eorum, est excessiuè calida, & venenosa valde, mortis in breui tempore illatiua: & ideo ponuntur in primo serpentium ordine.

ACCIDENTIA consequentia morsuram ipsorum, sunt dolor vehemẽs in loco morsuræ pertransiens in totum corpus, & postea cita mors. Causa dictorum accidentium, est solutio continui in loco morsuræ inducta, & excellens malitia calidissimæ venenositatis serpentium prædictorum, propter quam transiens cito venenum in totum corpus, & præsertim in cor, sequitur cita mors.

SIGNA morsurę serpentium prędictorum, sunt accidentia prænarrata, & cognitio præfatorum serpentium, cùm momorderunt.

PRAESERVATIO eorũ & cura, est pręseruatio & cura generalis dicta in secundo & tertio cap. quinti libri. Et etiam est præseruatio, & cura viperarũ dicta in præsentis lib. cap. 1.

De Illicino & eius quiditate & natura Cap. XI.

ILicinus seu durissos, aliàs duriosus, est serpens vt plurimum in ilicibus, salicibus & vineis habitans: & ideo inde nomẽ assumpsit, nec aliter ipsum describunt auctores.

NATVRA eius est vehementissimè venenosa & calida, & ideo ponitur in primo serpentium ordine.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia magis communia, sunt accidentia viperarum dicta in primo huius sexti lib. cap. magis verò propria accidentia consequentia, sunt excoriatio cutis illius qui morsus est, & excoriatio cutis illius, qui permiscetur morso, seu tangit eum, aut medetur ei, & mors non solùm autem illij, qui morsus est, sed etiam illi, qui est præsens, seu astat ei. Causæ accidentium similium accidentibus morsuram viperæ consequentibus, sunt causæ eorum præassignatæ in primo cap. præ-

sentis lib. Causa excoriationis cutis hominis morsi, est vehemēs malitia venenositatis eius ex sui proprietate taliter effectiua.

CAVSA excoriationis cutis eius, qui permiscetur morso, seu tangit eum, & consimiliter mortis eius, qui astat illi, est quia ab homine morso egreditur odor, seu fumalis euaporatio tantæ malignitatis, ei à dicto veneno impressa, quòd sui vehementi malitia astantem siue præsentem interficit.

SIGNA præfatæ morsuræ, sunt accidentia pręnarrata, & quòd morsus fuit à serpente in ilicibus habitante.

PRAESERVATIO completur cum ijs, quæ in octauo cap. primi libri generaliter dicta sunt.

CVRA verò vltra ea, quæ in generali in primi lib. nono cap. dicta sunt, perficitur etiam cum illis quæ in primo cap. præsentis lib. pro cura morsurę viperæ enarrantur. Specialius verò fit bibendo aristolochiam longam cum vino: & similiter andacocham, id est trifolium, seu trifolij speciem molliorem alijs speciebus eius, & albidiorum foliorū, & minoris hastæ: de cuius trifolij specie est plantaleonis, & herba flaura, & asphodeli radicem, & vinum.

De Milia Cap. XII.

Milia seu miliaris, est serpens coloris citrini similis colori milij, à quo nomen assumpsit.

NATVRA eius calida est, & venenosa valde, sicut est natura viperę: & ideo est in secundo serpentium ordine.

ACCIDENTIA verò morsuram ipsius consequentia, sunt similia accidentibus morsuram malæ viperę cōsequentibus dictis in pręsentis lib. primo cap. Et consimiles sunt eorum accidentium causæ.

SIGNA morsuræ præfatæ, sunt accidentia prædicta, & quòd serpens, qui momordit, erat coloris citrini præfati.

PRAESERVATIO verò & cura, similis est præseruationi, & curæ viperarum dictis in præfato primo huius lib. cap.

De Seysetalo seu amphisbæna eu auksimo Cap. XIII.

Seysetalus dictus Græcè amphisbęna, Arabicè verò auksimus, est serpens similis serpenti salienti ex serpentibus in decimo cap. supradictis, videlicet, cafezato, & alcharato: videtur enim habere duo capita quanuis, non sit ita, propter causam in præfato decimo cap. assignatam, videlicet propter informitatem totius corporis eius, & quia salit ad vtranq; partem, videlicet, ante, & retro, & hoc propter costarum suarum in vtranq; partem mobilitatem.

NATVRA eius, similis est naturæ supradictis serpentis salientis, quanuis illa sit deterior, & ideo reponitur in primo serpentium ordine.

Et consimilia sunt morsuræ ipsius accidentia. Et consimiles sunt eorum accidentium causæ, & consimilis est præseruatio, & cura. Quæ tamen specialiter pro ipsius morsuræ cura dicuntur, statim infra describam. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Est autem huius succositas, supple, centaureæ minoris. facta & administrata modo supra descripto in 3 cap. quinti libri, auctoritate Galeni loco pręallegato, stiptica, & siccatiua, & calefactiua cum virtute immanifesta operans, quam non est possibile exponere verbo, neque ad excogitationem venire, ita est vtilis ad multa: confert autem & in feris venenosis interficientibus, & non interficientibus, in apum quidem & incisiuorum morsibus vncta cum vino, in reliquorum verò consimiliter sicut amphibænę, &c. Plinius Secundus de Naturali historia libro 20. cap. de Coriandro: Corian-

Coriandrum valet contra serpentium genus vnum, quod amphisbænam vocant, potum impositumq́;.

De Aracte, id est aspide humida Cap. XIIII.

ARactes, id est, aspis humida, est serpens habens colores diuersos, seu varius in coloribus, non magnæ quantitatis: & existimo, quòd est marataßus aquaticus, quia marataßus terrestris, est totus cinericei coloris, quem existimo esse de specie aspidis siccæ.

NATVRA eius calida est vehementer, & malignę venenositatis, & in secundo die per morsum interfectiua: propter quod ponitur in secundo serpentium ordine.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt corrosio hepatis, & confractio intestinorum, & mors in secundo die, nisi debitè succuratur.

Causa prædictorum accidentium, est vehemens caliditas & malignitas prefati veneni corrodens hepar, & confrangens intestina ex sui proprietate, & consequenter interimens.

SIGNA morsuræ ipsius, sunt accidentia prædicta, & cognitio ipsius animalis, cùm momordit.

PRAESERVATIO verò & cura, similis est præseruationi, & curæ prauarum viperarum suprascriptæ in præsentis lib. primo cap.

De Teristali Cap. XV.

TEristalis est serpens, cuius notitia penes auctores specialiter nõ habetur.

NATVRA eius calida est & venenosa, similis naturæ viperarum.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt etiã similia accidentibus viperarum, & consimiles sunt eorum accidentium causæ. Verùm prout asserit Auicenna 4 canone, fen sexta, tractatu 3. cap. de serpente teristali, magis propria ipsius morsuram consequentia accidentia, sunt inflatio loci morsurę, & eius vesicatio, & durities apparens, & cursus humiditatis sanguineę nigræ, & alteratio rationis, & tenebrositas visus, & spasmus mortificans. Causa inflationis loci morsuræ, est dolor vehemens in eo ob solutionem continui, & malignam veneni caliditatem in ipso causatus, ad quem sequitur concursus humorum, & consequenter inflatio. Causa vesicationis loci morsuræ, est mala complexio excessiuè calida, & venenosa, humiditates ipsius loci ebullire faciens, & consequenter ipsum vesicans, & eadem mala complexio calida venenosa continuans actionem, humiditates loci adurendo indurat, & consequenter duritiem in eo apparentem efficit. Causa cursus humiditatis sanguineæ nigræ, est præfata venenosa caliditas sanguinem adurens, & calorẽ naturalem loci morsuræ mortificans, ad quod sequitur humiditatis sanguineæ denigratio, & ipsius per morsurę locum cursus. Causa alterationis rationis, & tenebrositatis visus, est præfata vehemens venenosa caliditas, humores in corpore ebullire faciens, & consequenter vapores multos ad caput ascendere, & ipsius capitis humiditates etiam agitans, & dissoluens, ad quod sequitur alteratio rationis præcipuè propter vapores, & humiditates in ventriculis cerebri, & presertim in eius medio ventriculo seminatos, qui & quę descendentes ad oculos, tenebrositatem visus efficiunt. Causa spasmi mortificantis, est præfata vehemẽs vanenosa caliditas, quæ humiditates membrorũ corporis cõsumendo, causat spasmũ de inanitione mortificantem, aut fortasse humiditates membrorum liquefaciendo spasmum de repletione mortificante inducit.

SIGNA morsuræ prædictę, sunt accidentia prænarrata.

PRAESERVATIO verò & cura, similis est præseruationi, & curæ morsuræ viperæ supradictis in huius lib. primo cap.

De Fanuiso Cap. XVI.

FAnuisus est serpens discolor, prout asserit Albertus Magnus in xxv. de Animalibus.

NATVRA eius, est calida & venenosa similis naturæ viperarum, & ponitur in secundo serpentium ordine.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt similia accidentibus morsuram viperæ consequentibus, & consimiles sunt eorum accidentiū causæ. Verùm magis propria accidentia morsuram ipsius consequentia, sunt corruptio & mollificatio, sicut accidit ei, qui habet hydropisim, & profunditas somni, & obliuio, & ægritudines in hepate, & ieiuno, & colon. Causa præfatorum omnium accidentium, est malitia venenositatis præfati serpentis sui proprietate, hepar maximè debilitantis, extinguendo & resoluendo ipsius calorem innatum, consequènter etiam ceterorum membrorum, quæ mediante ipsius hepatis auxilio nutriuntur, ad quod sequitur multiplicatio humiditatum indigestarum in membris: sicut accidit hydropisi carnosa siue hyposarca, siue leucoflantia: ad quod etiam accidit profunditas somni, & obliuio propter superfluitates phlegmaticas in cerebro ex indigestione coadunatas. Accidūt etiam ægritudines in hepate, & ieiuno, & colon propter indigestas humiditates, & superfluitates in dictis membris remanentes, facientes in eis oppilationem, aut apostema, aut ventositatem, aut consimilia.

SIGNA morsuræ præfatæ, sunt accidentia prænarrata, & cognitio serpentis ipsius, cùm momordit.

PRAESERVATIO verò & cura, similis est præseruationi & curæ viperæ supradictis in pręsentis lib. primo cap.

De Amrudute seu arundute & cauharo Cap. XVII.

AMrudutis, aliàs, arundutis, & cauharus, sunt duo serpentes omnino consimiles, quorum longitudo, est vsq; ad cubitum, & color eorum est color arenæ, & super corpora eorum, sunt vestigia.

NATVRA eorum calida est, & medio criter venenosa, & interficiunt eorum morsu in die tertio, & aliquando interficiunt post septimum.

ACCIDENTIA consequentia morsuram cuiuslibet prædictorum, sunt dolor vehemens in loco morsurę, & apostema maximum in eodem, & cursus virus ex eo. Causa doloris vehementis, est solutio continui, & mala cōplexio calida venenosa. Causa apostematis maximi, est concursus multorum humorum ad locum propter dolorem, & propter malam complexionem calidam venenosam, ipsos attrahentem. Causa cursus virus ex eo, est mortificatio caloris innati facta à præfati veneni maligna, & venenosa caliditate.

SIGNA morsuræ serpentium prædictorū, sunt accidentia prænarrata & cognitio eorum, cùm momorderunt.

PRAESERVATIO à pręfatorum serpentium morsibus perficitur cū his, quę in generali in octauo cap. primi libri ex auctorum mentibus dicta sunt. Cura verò morsuum prędictorum, est cura communis supradicta in nono cap. primi lib. Curatio autem ipsorum magis propria iuxta Auicennā quarto canone, fen sexta, tractatu tertio, cap. proprio, est vt detur in potu castoreum, & cinnamomum, & radix centaureę de quocunque istorum fuerit ℥ ij. cum vino: & confert ei radix aristolochię, & proprie longę iuuamentum maximum, & similiter radix ascasir. i. vt credo, asires, & est asphodelus, & succus eius propriè, & radix gentianæ, & confert eis ex emplastris mel decoctum, & exiccatum

exiccatum, & tritum, & radices granatorum, & similiter centaurea, & semen lini, & lactucę, & semen alharmel, id est, vnius speciei rutæ, & volubilis, & ruta syluestris: & conferunt eis emplastra appropriata vlceribus putridis.

De Selsire Cap. XVIII.

SElsir est serpens, habens caput latũ, & collum paruum, & caudam curtam, & ventrem rotundum, & super eius caput non sunt lineę neque squamę, sed super corpus eius, sunt lineæ diuersi coloris, &, cũ incedit, non incedit secundũ rectum, sed contrahitur valde, & est de genere viperarum, & reperitur in regionibus Assem, & in Aegypto.

NATVRA eius calida est & venenosa, similis satis naturæ viperarum, & reponitur in secundo serpentium ordine.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt apostema dolorosum in loco morsuræ, & putrefactio totius corporis post cõtritionem eius, & casus capillorum, & quandoque festinat putrefactio perdens illud quod sanum est. Causa apostematis dolorosi, est solutio continui, & mala complexio calida venenosa in loco morsuræ inducta, attrahens ad locum ipsum humores dolorosè ipsum apostemantes. Causa contritionis corporis, & postea putrefactionis eius, & casus capillorum, & festinationis, & putrefactionis, &c. est maligna proprietas ipsius veneni, & eius caliditas venenosa primò dissoluens, & agitans humiditates totius corporis, ad quod sequitur eius contritio, & consequenter mortificando calorem innatum, prædictę humiditates à naturæ regimine derelictę putrescũt, putrefaciẽtes postea corpus præsertim proprietate veneni prędicti putrefactiua coadiuuante, ad quod cõsequitur capillorum casus, & quandoq; festinatio putrefactionis perdentis, & putrefacientis illud quod sanum est.

SIGNA morsuræ prefati serpentis, sunt accidentia prænarrata, & cognitio serpentis ipsius, cùm momordit.

PRAESERVATIO & cura morsurę prædictę, est prẹseruatio & cura communis supra descriptæ in octauo, & nono cap. primi lib. Est etiam prẹseruatio, & cura media viperarum supradicta in prẹsentis lib. primo cap. subueniendo accidentibus consequentibus cum his quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur.

De Prestere Cap. XIX.

PRester est serpens de genere aspidum, qui semper vagatur ore aperto & fumante.

NATVRA eius calida est excessiuè, & maximè venenosa similis naturæ aspidis siccæ, supradictę in 4. cap. præsentis lib. & ideo ponitur in primo serpentium ordine.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt corpulentia & tumor magnus ac si foret hydropicus, & postea exuberãs putredo, & mors in fine. Causa corpulentię, & tumoris magni, est magna humiditatũ corpori liquefactio, facta à maligna caliditate prẹfati veneni, quę equidem humiditates in ventris ampli concauitatem defluentes, causant magnam corpulentiam & tumorem. Causa exuberantis putredinis, & mortis in fine, est resolutio, & extinctio caloris innati facta à valde maligna veneni proprietate, propter quod humiditates liquefactæ à naturę regimine derelictę, exuberanter putrescunt, & tandem subita mors consequitur.

SIGNA morsuræ prẹfatę, sunt accidentia prẹdicta, & notitia ipsius serpentis, cùm momordit.

PRAESERVATIO verò & cura, prẹter prẹseruationẽ & curam commu

nem, est præseruatio, & cura morsuræ aspidis siccæ, subueniendo accidētibus cōsequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describūtur. Quæ tamen in speciali pro pręfatæ morsuræ cura dicuntur, statim infra describam.

Plinius Secundus de Naturali historia, libro 23. cap. de viribus vini: Merum potens quidem, remedio est priuatim contra presteres, & fungos. Libro 24. cap. de Rubo: Rubi aduersantur serpentium sceleratissimis hæmorhoo, & presteri, &c. Libro 32. cap. de Medicinis ex castoreis: Testes castorum medentur poti aduersus cerastem, & presteres, cum panace, aut ruta. Aduersus cæteros serpentes cum vino dari binas drachmas satis est. Cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam; Priuatim contra presteris morsum sarda, id est, sardella prodest.

De Colubro Cap. XX.

COluber est serpens valde ferox, cuius essentiæ descriptionem sub hoc vocabulo non inueni.

NATVRA eius, est valde calida, & venenosa, & est maximæ ferocitatis, adeò vt dicatur quòd ipse ceruum fugat, & leonem interficit.

ACCIDENTIA consequentia morsuram ipsius propria ab auctoribus non scribuntur: & ideo nec ego ipsa hîc describo, nec causas eorum. Existimandum autem est cōsequi accidentia in morsuris serpentiū, vt plurimum aduenientia, videlicet dolor in loco morsuræ saltem in principio, & mors, quorū causa est solutio continui, & mala complexio calida venenosa.

SIGNA morsuræ prædictæ, sunt accidentia dicta & cognitio, quòd serpens qui momordit non est aliquis alter serpens, de quo in præsenti lib. facta sit mentio.

PRAESERVATIO eius, & cura, est pręseruatio, & cura communis supra scripta, in octauo, & nono cap. primi lib. Quid tamen specialiter pro ipsius morsuræ cura describitur, infra describam.

Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Salibus; Sal morsum colubri cū melle, & origano, & hyssopo impositum curat.

De Sepe Cap. XXI.

SEps est serpens, de quo Plinius, vt infra patebit, facit pluries mentionem, quanuis ipsum non viderim ab eo nec ab alio auctore sub vocabulo isto descriptum: nescio tamen an sit serpens ab Alberto Magno in 25. de Animalibus vocatus serps, quem auctoritate Iorach dicit esse serpentem paruum, quem si calcauit homo, moritur, antequàm sentiat venenum ipsius: qui si percusserit aliquem hominem, carnem & ossa consumit, ac si flammea edacitate corrumperetur.

NATVRA eius, si ita est quòd sit serps, est vehementissimè calida, & maximè venenosa, & est in primo serpentium ordine.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt consumptio citissima carnium, & ossium, & mors citissima, & non solùm ex morsura, quinimò & ex tactu, & hoc dico si seps sit serps.

CAVSA pręfatorum accidentium, est maxima pręfati serpentis venenositas vehementissimæ caliditati coniuncta, proprietate sui pessima talium accidentiū inductiua, non solùm per venas & arterias in corpus penetrans, quinimò & per porositates ipsius ex contactu.

SIGNA præfatę morsuræ, sunt accidentia prænarrata.

PRAESERVATIO verò, & cura, est præseruatio, & cura communis supra descripta in octauo & nono cap. primi, lib. Quæ tamen in speciali

ciali pro eius cura dicuntur, statim infra describam.

Plinius Secundus de Naturali historia, libro 23. cap. de Oxymelle: Oxymel antiqui profuisse fatentur contra serpentes, quos sepas vocant. Cap. de Lauro: Laurus excalfactoriam naturam habet: & folijs, & cortice, & baccis. Illita serpentium venenis resistunt, maximè sepis. Libro 32. cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Sunt è seruatis piscibus medicinę salsamentorumque cibus prodest à serpente percussis: & contra bestiarum ictus, mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur. Peculiariter à chalcide, id est, specie vna lacertæ, ceraste, aut quas sepas vocant, &c. percussis.

De Angue *Cap.* XXII.

Anguis seu anguina, est serpens cuius essentiæ descriptionem sub hoc vocabulo ab auctoribus non inueni: verùm existimo ipsum esse de genere viperæ.

NATVRA eius calida est, & mediocriter venenosa, & est in secundo serpentium ordine.

ACCIDENTIA consequentia morsuram ipsius, sunt consimilia accidentibus consequentibus morsuram viperæ. & consimiles sunt eorum accidentium causæ, & consimilia sunt signa: & consimilis est præseruatio, & cura. Quæ tamen ab auctoribus specialiter pro eius cura dicuntur, statim infra describam. Macer in lib. de Simplicibus, cap. de Porro:

Cum uino porrum datur his quos læserit anguis;
Quodlibet aut aliud fundens letale uenenum.
Sicque superpositis morsus curabitur anguis,
Aut si cum uino bulbus potabitur ille.

Cap. de Lilio:

Flexis eius folijs cataplasmate facto,
Mollescunt nerui, combustaque membra iuuantur.

Cap. de Cæpis:

Sal rutam cæpasque Dioscorides iubet anguis
Morsibus apponi: sic asserit ille iuuari.

Plinius Secundus de Naturali historia, libro 25. cap. de Pestifero fonte Germanię, & de Britannica herba: Herba, quæ appellatur Britannica, salutaris contra angues & contra serpentes, folia habet oblonga, nigra, & radicem nigram. Cap. de alijs herbis, quæ serpentium ictibus dantur: Malorum omniũ pessimo, id est, serpentium ictui, medetur teucria, id est, splemon ex vino. Priuatim ad angues potu, & illitu, siue succo, siue folio, siue decocto, centaureæ maioris radicis drachma in vini albi cyathis tribus, id est ℥ iiij, semis, gentiana præcipuè aduersus angues duabus drachmis cum pipere, & ruta, & vini cyathis sex, id est ℥ viiij. siue viridis, siue sicca. Et lysimachię odore fugiunt. Cap. de Anagallide, siue morsu gallinę: Anagallidem, seu morsum gallinæ, id est, penes vulgare Venetorum Pauarinam, & penes vulgare Marchianorũ Centunclum aliqui acharon vocant: bibitur contra angues succi drachma in vino. Libro 32. cap. de Cancris contra venena: Cancri fluuiatiles triti poti que recentes ex aqua, seu cinere asseruato, contra venena omnia prosunt, eadem vis contra venenatorum omnium morsus, priuatim scytalen, & angues, &c.

De Scolopendra terrestri & marina *Cap.* XXIII.

Scolopendra terrestris, est serpens diuersorum colorum, videlicet viridis, crocei, rubei, & aliorum, similis in eius colorationibus folio scolopendræ herbæ, vnde nomen assumpsit. Scolopendra marina, similis est scolopendræ terrestri, nisi quòd habitat in mari.

NATVRA eius, calida est, & venenosa, similis naturæ viperarum. Est enim de genere ipsarum, & ideo est in secundo serpentium ordine.

ACCIDENTIA consequentia morsuram ipsius, sunt similia acciden-
tibus consequentibus morsuram viperarum. Et consimiles sunt eorum accidē
tium causæ, & consimilia sunt morsuræ ipsius signa, & insuper in speciali noti-
tia serpentis ipsius, cùm momordit. Et consimilis est præseruatio & cura. Quę
tamē in particulari pro ipsius cura dicuntur, statim infra describam. Dioscori-
des in libro de Simplicibus cap. de Asphodelo: Semen eius, & flores, quanu s
minus acrioris sint virtutis, in decoctione vini potui dati, medentur à scor-
pione aut scolopendra vexatis. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ
ad Papiam: Succositas centaureæ minoris facta, & administrata modo su-
prascripto in tertio cap. quinti lib. auctoritate Galeni, loco pręallegato, con-
fert in apum quidem, & incisiuorum morsibus vncta cum vino, in reliquorum
verò consimiliter sicut scolopendrę, &c.

Plinius Secundus de Naturali historia lib. 20 cap. de Menthastro syluestri:
Folia menthastri illinuntur bibunturq́ aduersus scolopendras, & serpentium
ictus drachmis duabus in vini cyathis duobus. i. ℥. iij. Item aduersus scolopen
dras ius decocti prodest. Cap. de Mentha: Sumitur & mentha contra scolo-
pendras, &c. Cap. de Pulegio syluestri: Pulegium syluestre cum sale, vtile est
contra scolopendram terrestrem, vel marinam. Cap. de syluestri Cymino: Cy
minum syluestre, valet ad serpentes cum oleo, & ad scorpiones, & ad scolo-
pendras. Cap. de Serpyllo: Serpyllum aduersus serpentes efficax, maximè ce-
rastes, scolopendras terrestres, ac marinas, & scorpiones, decoctis ex vino ra-
mis folijsq́. Libro 22 cap. de Adiantho: Duo genera eius. Contra Scolopen-
dræ morsus illinuntur. Cap. de Asphodelo: Nicander contra serpentes ac scor
piones vel caulem vel semen vel bulbos dedit in vino tribus drachmis, sub-
strauitq́ somno contra hos metus. Datur & contra venenata marina, & con-
tra scolopendras terrestres. Libro 23 cap. de Aceto vini. Potu medetur ictl-
bus scolopendrarū, &c. Libro 28 cap. de quibusdam sortilegijs & de saliua ho
nis: Martion Smyrnęus, qui de Simplicibus effectibus scripsit, rumpi scolopē-
dras marinas sputo tradit. Cap. de Vrina: Magna & vrinæ non ratio solùm, sed
etiam religio apud auctores inuenitur. Verùm ex his quæ referre fas sit, im-
pubium puerorum maximè prodest aduersus rabidi canis morsus, cinere ex
ea subacto, contraq́ scolopendras. Libro 29 cap. de Remedijs aduersus ser-
pentium ictus: Ex his quæ tradunt humanissimum, illinere morsus cum san-
guine testudinis. Item suffitu earum abigere sanguisugas adhærentes, hau-
stasq́ ab animalibus restinguere in potu datis. Aduersatur quoque scolo-
pendris. Libro 31 cap. de Natura salis & eius medicinis: Sal auxiliatur contra
scolopendras ex aceto potus, Ad omnia spuma salis iocundior vtiliorq́.

De Stellione Cap. XXIIII.

STellio, seu scalauotin, seu scalauoijn in partibus Marchiæ dicitur raganus,
in partibus verò Bononię dicitur ligorius. Ab aliquibus autem auctori-
bus vocatur prasium, quod sic dicitur ἀπὸ τοῦ πράσου Græcè quod est Latinè
porrum, est enim viridis vt folium porri, & dicitur stellio, quia oculos habet
translucentes vt stellas. Huius autem serpentis quiditas, & natura, dicta est su-
perius in tertio cap. quarti lib.

ACCIDENTIA morsurā ipsius consequentia, sunt dolor vehemens in
loco morsurę, & cetera accidētia consequentia assumptionē ipsius supradicta
in pręfato cap. Causa doloris vehemētis in loco morsurę, est solutio cōtinui in
ipso facta, & calida ac venenosa cōplexio in ipso inducta, & dimissio dentium
vtplurimū in eo. Causę cæterorū accidentiū similiū accidentib. consequētibus
assumptio-

assumptionem ipsius, sunt causæ præassignatæ in præfato cap.

SIGNA morsuræ ipsius, sunt accidentia prænarrata, & notitia ipsius, cùm momordit.

PRAESERVATIO, & cura ipsius in generali, est supra descripta in secundo & tertio cap. quinti libri. Specialis verò præseruatio, fit se præcauendo, ac conuersando in locis habitationis eorum. Specialis etiam cura in parte, similis est curæ assumptioni eius supradictæ in tertio cap. quarti libri. Magis autem propria cura eius, fit cum remedijs facientibus egredi dentes, si in morsuræ loco remanserint infrascriptis in vltimo præsentis libri cap. & etiam fit cum his quæ ex auctorum mentibus, statim infra describam, subueniendo accidentibus consequentibus cum his, quæ ab auctoribus in proprijs cap. describuntur. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Succositas, supple, centaureæ minoris, facta, & administrata modo quo supra dixi in tertio cap. quinti libri, auctoritate Galeni loco præallegato, confert vncta cum vino in morsibus prasij, id est, stellionis & ascalauotin, id est, speciei stellionis, &c.

Auicenna secundo canone, tractatu secundo, cap. de Endiuia: Endiuia quãdo ponitur emplastrum cum radice sua super puncturam serpentis guasenabras aliàs guasemabras. i. stellionis, confert & similiter cum sauich. Auicenna quarto canone, fen 6, tractatu quinto cap. de Stellione, & lacerta: Stellio & lacerta, quando mordet, dimittit in loco sui dentes paruos, subtiles, nigros: & non cessat locus dolere, & prurire, donec auferantur cum seta, aut cucullo transeunte super eos, aut assumat eos, & colligat ipsos: quare sedatur dolor. Et quandoque extrahit dentes eius oleum & cinis: deinde sugatur locus, & ponatur in aqua calida. Et dictum est quòd comedere taraxacon. i. cichoreum valde iuuatiuum est ad morsum eius. Quòd si dolor magnificetur, detur in potu theriaca rutelæ. Theriaca rutelæ posita est inferius in octauo libro cap. de Rutela, auctoritate Auicennę loco præallegato cap. de Rutela.

Plinius Secundus de Naturali historia libro 22 cap. de Sesamo: Sesamum decoctum in vino, stomacho inutilis cibus, stellionum morsibus resistit. Guilielmus de Varignana in sua Practica sermone quarto, tractatu tertio, cap. septimo: Dixit Hamech: Stellio non ingreditur domum in qua est saffran, nec locum in quo est colocynthis.

De Salamandra Cap. XXV.

SAlamandra non est stellio, sicut asserit Albertus Magnus 25 de Animalibus, sed est serpens stellioni seu lacertæ similis. Cuius nempe quiditas, & natura, in quinto cap. quarti lib. superius descripta est.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt accidentia, consequentia assumptionem eius supradicta in præfato cap. & eædem sunt accidentium causæ: verùm vltra illa accidentia, consequitur dolor vehemens in loco morsuræ. Cuius causa, est solutio continui, & mala complexio calida venenosa.

SIGNA præfatæ morsuræ, sunt accidentia prædicta & notitia ipsius salamandræ, cùm momordit.

PRAESERVATIO verò, & cura morsus salamandræ, similes sunt præseruationi & curæ assumptionis eius supra descriptis in pręfato cap. Quę tamen specialius pro ipsius morsuræ præseruatione, & cura dicuntur, infra describam. Plinius Secundus de Naturali historia lib. 20. cap. de Ruta: In pręcipuis medicaminibus rutæ est ratio. Quæcunque autem ruta, aut per se, aut

antidoto valet folijs tritis, & pro vino sumptis contra serpentium ictus, vtpote cum mustelæ dimicaturæ cum his rutam prius edendo se muniant. Similiter valet contra scorpionum ictus, ac salamandras, &c. Libro 23. cap. de Mustis: Mustum omne, aduersatur serpentibus, maximè hæmorrhoo, & salamandrę, &c. Cap. de Sapa, i. vino cocto: Vino cognata res sapa est, musto decocto donec 3 pars supersit: ex albo hoc melius. Vsus contra salamanrdas, & contra mordentia venenata. Lib. 29. cap. de Remedijs contra morsus apũ, vesparum, &c. Cor vespertilionis, contrarium est omnibus formicis, ac salamandris.

De Lacerta & chalcidica & barbe Cap. XXVI.

LAcerta siue lacertus, est serpens notus quadrupes modicæ venenositatis. lacerta est fœmina, & lacertus est masculus, quæ alio nomine vocatur saura. Chalcida, seu chalcida, seu chalcidica, est lacertæ species, de cuius etiam specie aliqui ponunt esse harbe, seu alharbe, de quibus omnibus in 4. cap. quarti libri feci superius mentionem: & licet in partibus istis Italiæ lacerta sit paruæ quantitatis, attamen, vt asserit Albertus Magnus, 25. de Animalibus: In India sunt lacertæ longitudinis xxiiij pedum, colore fulgenti: insuper asserit vnum de socijs suis fide dignis, sibi narrasse quòd vidit in Prouincia, & Hispania lacertas habentes grossitudinem cruris hominis sub genu, & non erant multum longæ, & erant nigræ, & habitabant in cauernis terrarum, & insiliebant in homines, & in animalia transeuntia altè saltantes de terra: & aliquando morsu vno auferebant totam maxillam hominis.

NATVRA eius, similis est naturæ stellionis: verùm est valde minus venenosa lædens potius per eius morsum, quàm per venenum, dimittens dentes in loco morsuræ, sicut & stellio: habent enim ambo dentes paruos, subtiles, nigros, quasi pilos nigros.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt similia accidentibus assumptionem ipsius consequentibus dictis superius in pręfato quarto cap. quarti libri. Et consimiles sunt eorum accidentium causæ: verùm vltra illa accidentia consequitur dolor vehemens in loco morsuræ potius, vt prædixi, ratione morsuræ, propterea quia in eius loco dentes dimittit infixos, quàm ratione venenositatis. Et talis dentium subtilium in loco dimissio, est principaliter causa pędicti doloris vehementis.

SIGNA morsuræ ipsius, sunt accidentia prædicta, & cognitio ipsius, cùm momordit.

PRAESERVATIO verò & cura, similis est præseruationi & curæ assumptionis eius suprascriptis in pędicto 4 cap. quarti libri. Et insuper oportet procedere cum remedijs extrahentibus dentes à loco morsuræ infrascriptis in vltimo cap. huius libri. Quæ tamen specialiter pro istius morsuræ præseruatione, vel cura dicuntur, statim infra describam. Galenus vndecimo de Simplici medicina; cap. de Animalibus viuis apertis: Ea verò quæ cùm aperiuntur viua, & protinus afferuntur patientibus particulis, prodesse scripserunt animalia, esse hæc, draconem quidem marinum proprio vulneri appositum, sicut & sauram, id est, lacertam & mustelam in suo: & sauram chalcidam, id est lacertam cum vino dant in potu sanantem proprium morsum. Rasis 20 Continentis, cap. secundo: Ait Galenus: Sal iuuat contra puncturam calcatercum, id est lacertarum, vel crocodilorũ. Ait Maseruiahi: Endiuię syluestres, iuuant contra morsum facetenę. i. lacertæ leprosæ. Auicenna 4 canone, fen sext. tractatu 5. cap. de Stellione & laceta. Recurre pro isto cap. superius ad 24 cap. istius libri, scilicet de stellione. Halyabas in Regali dispositione, 4 Pract. cap. de Morsus ebhenars, i. cameli, & hadiæ, i. harbæ medela. Hadiæ, i. harbæ verò dentes in morsura remanent: ideo dolor perseuerat: idcirco dentes de loco oportet educere fricãdo, scilicet cum oleo, &

aqua

aqua tepidis: vt exierint, locũ optimè suge, & aquam desuper stilla, in qua sulphur decoxeris: locoq; vitis cineres adhærere fac cũ oleo: est enim vtile. Plin. Secundus de Natur. hist. li. 29, cap. de Remedijs aduersus morsus lacertarũ, &c. Lacerta quam chalcidicam vocant in vino pota morsus suos sanat.

De Draconibus terrestribus Cap. XXVII.

DRaconum genera iuxta præclaros auctores multa quidem sunt, omnes tamen feruntur esse magnæ quantitatis. Minor autem eorũ species est 4 vel 5 cubitorum. Maior verò cõmuniter ponitur esse xxx cubitorũ, & suprà, et omnes habent 2 oculos magnos, respectu quantitatis corporis eorũ, & dentes plures, videlicet 3 in vtraq; mandibula, & sub mandibula inferiori, est eminentia sicut mentũ, & habent ora valde ampla, & supercilia oculos eorũ cooperentia, & facies citrinas, & nigras, super colla eorum sunt squamæ: & reperiuntur dracones cuiusdã speciei, habentes super colla eorũ pilos grossos descendentes in latitudine tanquã iuba, & dracones parui reperiuntur in regione Nubiæ & Asiæ: magni verò reperiuntur in India, & quidã ex eis reperiuntur volantes, & tales non sunt nimis excessiuè magni: nec etiam nimis longi: non enim possent eorum membranales alę tantam corporis quantitatem ac longitudinem per aerem ferre. Dracones autẽ omnes, vt plurimum, pedibus carent, repentes pectora super terram.

NATVRA draconũ ferè omnium à celeberrimis auctoribus, ponitur esse parum, aut nullatenus venenosa: & ideo ipsi ponuntur in 3 serpentium ordine morsuris eorũ lædentes potius vulnere q̃ veneno: quanuis à quibusdam dicatur, dracones, vbicũq; fuerint, aerem inficere. dicitur etiam in ruinis turris Babel, & confinibus eius, reperiri dracones adeò terribiles, quòd ipsorũ terrore homines moriuntur. Asserunt etiam aliqui, dracones aliquando de sub terra in aerem tempore tempestatũ, erumpere, & volare diffusis eius pelliceis alis.

ACCIDENTIA morsuras ipsorũ consequentia, sunt dolor paruus in locis eorũ, & postea inflammatio eorũ, atq; apostematio, & cætera, quę in malis vulneribus, & vlceribus superueniunt. Causa doloris parui, supple, non absolutè, sed respectu aliorum serpentium venenosorũ, 1 vel 2 ordinis, cęteris paribus, est solutio continui, facta cũ modica, aut nulla venenositate. Causa inflammationis locorũ morsurarũ, & apostemationis eorum, & cæterorũ communiter in malis vulneribus, & vlceribus accidentium, est eorum mala complexio calida, ad quam simul cum solutione continui sequitur concursus sanguinis, & humorum ad locum, ad quod postea consequuntur apostematio, &c. quę malis vulneribus, & vlceribus consequuntur.

SIGNA morsurarum eorum, sunt accidentia prænarrata, & cognitio ipsorum, cùm momorderunt.

PRAESERVATIO ab eis & morsuris eorum, est præseruatio generalis supradicta in 2 cap. 5 lib. & cautela à conseruando in locis vbi dracones communiter habitant. Cura morsurarum eorum, est cura vulnerum, & vlcerũ malorum ab auctoribus in proprijs cap. enarrata.

De Abedesimon persin Cap. XXVIII.

ABedisimon persin, est serpens de genere, seu specie draconum habens dentes valde magnos.

NATVRA eius similis est naturæ draconis terrestris supradictæ in immediatè præcedenti cap. & consimilia sunt accidentia morsurã ipsius cõsequentia, præterquàm q; accidit in loco morsurę tumor, & apostematio maior, & cõsimiles sunt accidentiũ causæ. verũ causa tumoris & apostemationis maioris, est vehemens magnitudo dentium eius, propter quã maiorẽ dentiũ magnitudinẽ maius, & profundius vulnus accidit in loco morsuræ, & maior carnis carminatio atq; contritio, siue contusio.

SIGNA etiam præfatæ morsuræ, & præseruatio, & cura sunt consimilia.

De Dracone marino Cap. XXIX.

DRaco marinus, est bestia ingens degens in mari ad modum serpentis formata, pennas habens quibus vtitur ad natandum, & suarum virium magnitudine impetu vno multa maris spacia pernatans, & cùm per rete piscatorum ad litus trahitur, subitò in arena foueam facit, vt se abscondat.

NATVRA eius est venenosa.

ACCIDENTIA morsuram ipsius cõsequentia, sunt dolor, & mors, nisi debitè succurratur. Causa doloris, est solutio continui: causa verò mortis, est ipsius complexio venenosa.

SIGNA prædictæ morsuræ, sunt accidentia prænarrata, & notitia ipsius cùm momordit.

PRAESERVATIO eius, & cura in generali, supradicta est in 2, & 3 cap. 5 lib. In speciali verò ex auctorum mentibus, statim infrà patebit. Dioscorides in lib. de Simplic. cap. de Absinthio: Absinthium in morsibus draconis maritimi, vel similibus, cum vino bibitum prodest. Galenus in suo de Simplici medicina lib. 9, cap. de Sulphure: Omne quidem sulphur attractiuæ virtutis est, calidum quidem complexione, subtilium partium verò secundum substantiam existens, vt resistat multis venenosorum. Ego denique in turture marina & dracone vsus sum eo pluries: piscatores etiam quosdam cùm docuerim, audiui eos nimium commendantes hoc pharmacum: sit autem vsus eius & sicco superposito ipso pharmaco contra puncturam, & cum saliua permisto: nam et hoc excogitans, inueni experientia comprobatum: excogitaui autem & per vrinam facere id. facilè acquisibilia enim pharmaca docebam piscatores, cum oleo etiam veteri, & cum melle, & cum resina, & terebinthina bene vti dixi eos, & horum omnium experientia fecit probationem. Lib. 11, cap. de Animalibus viuis apertis: Ea verò, quæ cùm aperiuntur, viua & protinus afferuntur patientibus particulis prodesse scripserunt, animalia sunt hæc: Draco quidem marinus proprio vulneri appositus, similiter autem & trilia, id est barbonus, seu rossulus piscis, in eo qui à dracone. Chyrandrus lib. 4, cap. de Dracone pisce: Draco piscis, est venifer valde: hic apertus propriam plagam superpositus curat. Rasis 20 Continentis, cap. 2: Ait Dioscorides: Iuuat contra morsum serpentis marini, id est draconis marini absinthium cum vino. Et similiter bedaruzi, id est ocymum fluuiale, id est basilicon, habens lata folia, & odorem citri: iuuat contra morsum reptilium maris, & fricare locum cum vrina hominis. Ait Galenus: Iuuat contra morsum serpentis, aliàs, draconis marini, emplastrare locum cum caulibus, & aceto, aut vrina. Seuum calcatricis, id est crocodili, vel lacertæ emplastratum, & positum super morsuram serpentis, & scorpionis marini iuuat. Et similiter iuuat trilia piscis, id est barbonus, seu rossulus, pistata, & posita super locum morsuræ. Si fricetur plumbum super morsum scorpionis, & serpentis marini iuuat. Lib. 23 cap. de Sulphure: Sulphur, dixit Dioscor. mistum cum aceto, confert nocumento draconis marini. Dixit Galenus: Sulphur ego operatus sum sæpe in cura morsus turturis marinæ, & draconis, & audiui piscatores, quos docui, ipsum laudare & operationẽ ipsius: sed sic debet fieri operatio eius: quia debet teri & superspargi loco, aut distemperari cum sputo, & superponi: & ego expertus sum illud, & experimentum inueni firmum: sed consulo quòd distemperetur cum vrina, & melius erit si fit cum oleo vetusto, aut cum melle, & gummi grani viridis. Auicenna 2 canone cap. de Bedaruzi: Bedaruzi est ocymum fluuiale, id est basilicon fluuiale, scilicet latorum foliorum, habens odorem citri: ponitur super puncturam draconis

nis mariui. Cap. de Rasas, id est plumbo: Quando fricatur plumbi cerussa super puncturam draconis marini, confert. Cap. de Dracone marino: Draco marinus, inquit Galenus, finditur, & ponitur super morsum suum, & confert. Auicenna quarto canone, fen 6. capite de Dracone marino: Dixerunt: Liniatur morsus eius cum sulphure, & aceto: & dixerunt. Confert ei adeps crocodili emplastratus, & piscis nominatus trilia, id est barbonus, seu rossulus. & plūbum quando fricatur super ipsum iuuatur eo: & medicinæ quas dicemns in capite Rutelæ, & propriè theriaca prima, & albedarugi, id est basilicon latorum foliorum, habens odorem citri, bibitum, & emplastratum, confert ei. Plinius Secundus de Naturali historia libro vigesimo sexto, capite de Saluia: Saluia contra dracones marinos efficax. Libro vigesimo septimo, capite de Absinthio: Absinthij genera plura sunt: aduersatur draconi marino. Libro trigesimo primo, cap. de Halece: Nanque & halec contra canis morsus draconisue prodest. Lib. 32. cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Contra venenata omnia auxiliatur, vt diximus, mulus. Item contra scorpiones terrestres, marinos, & dracones, illitus sumptúsue in cibo. Mala medicamenta inferri negant posse, aut certe nocere, stella marina vulpino sanguine illita, & affixa limini superiori, aut clauo æreo ianuæ, draconis marini scorpionúmque ictus, carnibus earum impositis mitigari. In summa contra omnia venena, vel potu, vel ictu, vel morsu noxia, succus earum è iure decoctarum efficacissimus habetur. Salsamenta contra draconem marinum ex aceto imponuntur. Draco quidem marinus ad spinam suam, quę fert venenum, ipse impositus, vel toto corpore prodest.

De Haren & Caruen Cap. XXX.

HAren & caruen, sunt duo serpentes ferè omnino consimiles, de genere draconum marinorum, aut aliorum, & sunt magnitudinis quinq; cubitorum, vel plurium, & sunt nigri aliquantulum, pilosi iuxta caput.

NATVRA ipsorum, est similis naturæ viperarum supradictæ in primo capite præsentis libri. Et consimilia sunt accidenria morsuras ipsorum consequentia, & consimiles sunt eorum accidentium causæ. Verùm vltra illa accidentia similia accidentibus morsuram viperæ consequentibus, est aliud accidens, videlicet quòd morsuram cuiuslibet prædictornm consequitur vulnus magnum, & malum, cuius equidem causa, est magnitudo oris & dentium ipsorum.

SIGNA morsurarum eorum, sunt accidentia prædicta, & notitia eorum, cùm momorderunt.

PRAESERVATIO verò & cura, similes sunt præseruationi, & curæ viperarum, & vulnerum magnorum atque malorum.

De Albartaf, seu Albatraf, & Handon Cap. XXXI.

ALhartaf, seu halartraf, & handon, sunt duo serpentes de genere draconum magnitudinis vsq; ad quinq; cubitos.

NATVRA eorum est frigida, & non multùm venenosa, & ideo ponuntur in tertio serpentium ordine.

ACCIDENTIA morsuras ipsorum consequentia, sunt dolor vehemens, frigiditas plurima, stupor, & mors. Causa doloris vehementis, est magna continui solutio facta propter magnitudinem dentium eorum. Causa frigiditatis plurimæ, & stuporis, est plurima frigiditas veneni eorum,

Causa mortis, est mortificatio, & extinctio caloris innati facta à plurima frigiditate veneni eorum.

SIGNA morsurarum eorum, sunt accidentia prænarrata.

PRAESERVATIO eorum, est præseruatio generalis supradicta in 2 cap. 5 lib. Cura verò eorum in generali, est cura venenorum frigidorum, sicut est cura puncturæ scorpionum, & consimilium, sicut est cura vulnerum, seu vlcerum malignorum ab auctoribus in proprijs capitibus enarrata. Cura autem propria, & specialis ex infra scriptis habetur. Auicenna quarto canone, fen 6, tractatu tertio, cap. de Alhartaf, seu alhartraf, & handon: Peruenit ad hoc, vt sit cura eorum, cura frigidorũ venenorum. Dixerunt quidam: Oportet vt embrocetur morsus eius cum aceto tepido, & emplastretur locus cum folijs lauri, & inungatur cum oleo costino, & oleo de pyrethro, & quæ similantur eis ex oleis: & in quibus est virtus scillæ & vrticæ. Ea verò quæ in potu dantur eis, est succus foliorum lauri cum aceto, & anuiden, id est planta, cuius gummi est assa cum ruta. Aut sumantur myrrhæ, & rutæ, & piperis partes æquales: cuius dosis sit aur. 1. cum vino, & theriaca prima dicta in cap. rutelæ.

De Pastinaca marina Cap. XXXII.

PAstinaca est nomen commune ad pastinacam herbam notam, & ad animal venenosum: verùm in proposito sumitur pro animali tantum. Est igitur pastinaca animal venenosum, aculeatum, degens in mari, quod ab aliquibus auctoribus trygonus nuncupatur, & ab aliquibus, & præsertim à Galeno, nuncupatur turtur, τρυγὼν nanque Grece, Latinè turtur dicitur.

NATVRA eius est venenosa.

ACCIDENTIA morsuram, seu puncturam eius consequentia, sunt dolor, & mors, nisi debitè succurratur. Causa prædictorum accidentium, est venenositas cuiuslibet prædictorum.

SIGNA morsuræ, seu puncturæ eius, sunt accidentia prædicta.

PRAESERVATIO, est præseruatio communis supradicta in 2 capite 5 libri. Cura eius, est etiam cura communis supradicta in 3 cap. 5 lib. Quæ tamen in speciali ab auctoribus pro eius morsura, seu puncturæ cura dicuntur, infra describam. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Saluia: Saluia ictum pastinacæ marinæ mitigat. Galenus nono de Simplici medic. cap. de Sulphure: Omne quidem sulphur attractiuæ virtutis est, calidum quidem complexione, subtilium partium secundum substantiam existens, vt resistat multis venenosorum. Ego denique in turture marina, & dracone vsus sum eo pluries: piscatores etiam quosdam, cùm docuerim, audiui eos nimium commendantes hoc pharmacum. Sit autem vsus eius, & sicco superposito ipso pharmaco, contra puncturam, & cum saluia permisto: nam & hoc excogitans, inueni ab experientia comprobatum, excogitaui autem & per vrinam facere id: facilè acquisibilia enim pharmaca docebam piscatores, cum oleo etiam veteri, & cum melle, & cum resina terebinthina bene vti dixi eos, & horum omnium experientia fecit probationem. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Succositas, supple, centaureæ minoris facta, & administrata modo supra scripto in 3 cap. 5 lib. auctoritate Galeni, loco præallegato, confert in morsibus vncta cum vino turturis marinæ, &c. Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 22. cap. de Saluia: Est & alterum genus syluestris saluię, odore graui: hęc minor folia habet cotonei mali effigie, sed minora, & candida, quæ cum ramis decoquuntur, pastinacæ marinæ ictus sanat: Libro 28, cap. de Remedijs ad morsus bestiarum, & ad venena: Auxiliatur contra pastinacam, & omniũ marinorum ictus, vel morsus coagulum leporis, vel hœdi, vel agni, 3. pondere ex vino. Libro

bro 32. cap. de Pastinaca, pisce, & veneno eius, Nihil est venenatius vsquam, quàm in mari pastinaca, vtpote cùm radio eius arbores necare diximus. hanc tamen persequitur galeos. idem & alios quidem pisces, sed pastinacas præcipuè, sicut interra serpentes mustela, tanta est auiditas ipsius veneni: percussis verò à pastinaca medetur, & hic quidem galeos, sed & mulus, & laser. Cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Contra omnia venenata auxiliatur, vt diximus, mulus. Item conrra pastinacam, &c. illitus, sumptúsue in cibo. Cap. de Remedijs contra pastinacam: Et pastinaca contra suum ictum remedio est, cinere suo ex aceto illito.

De Crocodilo Cap. XXXIII.

CRocodilus, seu Arabicè Tinsa, est animal venenosum, aquaticũ, quadrupes, crocei coloris: propter quod dicitur crocodilus, sicut lacertæ, nisi quod caudam non habet adeò rotundam, & spinas habet in cauda, & peruenit vsque ad longitudinem viginti cubitorum, quando perfectæ est quantitatis, & pellis eius rugosa est, & adeò firma, quòd est sibi sicut clypeus, & pedes habet breues, propter quod pigrum est in incessu: de nocte degit in aqua, de die propter cibum, ad terram egreditur: stans super ripis fluminum, ore aperto, hiatu magno ad solem immobilè, adeò vt videatur mortuũ, & tunc veniunt auiculæ, præsertim reguli, & purgant sibi dentes, quas claudendo os aliquando deglutit: habet autem os valdè amplum, & dentes fortissimos, carens lingua, & mouens mandibulam superiorem, inferiori firma manente, propter quod est fortissimi morsus: reperitur autem in Nilo flumine, & aliquando in alijs fluminibus, & præcipuè in fluminibus Indiæ.

NATVRA ipsius, est venenosa, & non solùm lædit venenositate sua, quinimò etiam & fortitudine morsus sui.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt dolor fortis, & mors, nisi ei debitè succurratur. Causæ dictorum accidentium, sunt fortissimus morsus, ad quem consequitur vulnus magnum, & malum, & venenositas eius.

SIGNA morsuræ eius, sunt accidentia prædicta, & notitia ipsius animalis, cùm momordit.

PRAESERVATIO verò eius, est præseruatio communis suprà scripta in secundo capite quinti libri.

CVRA autem eius propria vltra curã cõmunem suprà scripta in 3. cap. 5. li. ex auctorum mentibus, statim infrà patebit, & consimiliter præseruatio propria. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Succositas, supple, centaureæ minoris, facta, & administrata modo suprà scripto in 3. cap. 5. libri, confert in morsibus vncta cum vino crocodili, & similium. Rabbi Moyses vigesima prima particula suorum Aphorismorum, auctoritate Galeni in particula eius de theriaca ad Cæsarem: Aliquid sepi piscis crocodili appositũ supra locum morsus eius, statim confert patienti manifestè. Particula 22. auctoritate Galeni loco præallegato: Pinguedo crocodili apposita loco morsus crocodili, ipsa hora appositionis sanat ægrum. Auicenna secundo canone, capite de Tinsa, id est crocodilo: Fit emplastrum ex adipe eius super morsum ipsius, & sedatur dolor eius statim. Auicenna 4. canone, fen 6. tractatu quarto, cap. de Morsu crocodili: Ille quem mordet crocodilus, regatur regimine prædicto in cap. morsus canis rabiosi cum attractione veneni, ex quo non euacuatur morsus eius, quanuis sit saluus: & istud fiat cum illis, quæ sunt sicut nitrum & mel: & quando disiungitur scissura eius, liniatur vulnus cum adipe cerui, & adipe anseris, & melle: deinde consolidetur, & adeps eius est magis iuuatiuus rerum ad morsum eius. Plinius Secundus de Naturali historia lib. 22. cap. de Eruo: De eruo quædam in mentione eius diximus. Nec potentiam mi

norem ei veteres quàm brassicæ tribuere, contra serpentium ictus ex aceto, ad crocodilorum hominumq; morsum. Lib. 22. cap. de Fæce aceti: Fæx aceti è serpentibus contra cerastes validissima cum polenta, cum melanthio, contra crocodili morsus & canis. Lib. 26. cap. de Potomagetone: Potomageton aduersatur crocodilis, itaq; secum habeat eam qui venatur eos. Libro 31. cap. de Garo: Nanq; & halece contra canis morsus, draconisue marini prodest: in linteolis autem conceptis imponitur. Contra canū quoq; morsus prodest, maximeq; crocodili. Cap. de Natura salis, & eius medicinis. Imposuêre sal crocodilorum morsibus ex aceto in linteolis, ita vt balneētur antè ictuum vlcera. Lib. 32. cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Sunt è seruatis piscibus medicinæ, salsamentorumq; cibus prodest à serpente percussis, & contra bestiarum ictus, mero subinde hausto, ita vt ad vesperam cibus vomitione reddatur, &c. Contra scorpiones largius sumi, sed nō euomi salsamenta prodest, ita vt sitis toleretur: & imponere ea plagis conuenit. Contra crocodilorum quidem morsus non aliud præsentius habetur. Cap. de Colubra contra venena: Colubra in aqua viuens, huius adipem & fel habentes qui crocodilos venantur mirè adiuuari dicuntur, nihil contra belua audente: efficacius etiamnunc si herba potomageton misceatur.

De Torpedine Cap. XXXIIII.

TOrpedo est piscis marinus similis baraculæ pisci, nisi quòd nō habet pennulas cartilaginosas, ita latas & subtiles, sicut illa, & super dorso eius habet maculas rotundas, nigras, quem pluries hîc Venetijs vidi. Hic piscis à Galeno 4 de Accidenti. cap. 5. dicitur myrta: & ab eodem 6 de Interioribus, cap. 4. & in lib. de Vtilitate respirationis, cap. 4. dicitur torpedo, & ab Auicenna 3 canone, fen 2. cap. de Stupore, dicitur Berilie: & à Rasi 22 Continentis, capite de Pisce marino, dicitur kahada: & à Plinio Secundo de Naturali historia, lib. 28. capite de Quibusdam sortilegijs, & de Saliua hominis, nuncupatur salpa, quanuis non sit propriè salpa; & ab Alberto Magno 14. de Animalibus, vocatur torpedo.

NATVRA eius est stupefacere principaliter per tactum ipsius immediatum: quanuis etiam aliqui dicant, quòd stupefaciat aliqualiter tangendo ipsum, mediante baculo breui, vel alia re cōsimili, & etiam stando prope ipsum per auram ab ipsius parte flantem.

ACCIDENTIA consequentia præsertim tactū ipsius, sunt stupor, & mors, quanuis mors non accidat propriè de per se, sed potius de per accidens: est nanq; ipsius natura propria stupefacere, & non interficere. Causa dictorum accidentium, est ipsius proprietas, seu virtus occulta stupefactiua.

SIGNA tactus eius, sunt accidentia prædicta, & notitia ipsius piscis, cùm tactus fuit.

PRAESERVATIO eius, est præseruatio communis, & diligens cautela à qualicunq; ipsius tactu.

CVRA eius, est cura communis supra dicta in 3 cap. lib. 5. Cura verò propria, est cura stuporis ab auctoribus in cap. de stupore descripta. Cura autem proprijssima est, vt Plinius asserit. Plinius Secundus de Naturali hist. lib. 28. capite de Quibusdam sortilegijs, & de Saliua hominis: Hominum verò in primis ieiunam saliuam contra serpentes præsidio esse docuimus. Marcion Smyrnæus qui de Simplic. effectibus scripsit, sputo tradit salpæ, id est torpedinis torporem sedari, quocunq; membro stupente.

De Muræna Cap. XXXV.

MVræna est piscis similis serpenti in anteriori parte corporis, sed à medio corporis vsq; ad finem similis est anguillæ, & ab illo loco vsq; in finem caudæ

caudæ totum corpus per latera circumpositum est pennulis, & reperitur in aquis Galliæ & Germaniæ. reperiuntur autem in Germania Orientali tria murænæ genera: vnum quidem valde paruum in Danubio quasi calami grossitudinem, & palmi longitudinem non excedens: alterum autem maius illo, inuenitur in aquis septentrionalibus, quod est longitudinis pedis vnius & dimidij ad plus, & habet nouem guttas in corpore iuxta caput ex vtroque latere, quæ ab incolis nouem oculi vocantur. Tertium est magnum ad spissitudinem, seu grossitudinem brachij hominis, & ad longitudinem cubiti, vel amplius, & nō habet oculos. Hic piscis spinas non habet, sed habet cartilagines loco spinæ dorsi, & est æqualis valde corporis, & diuisus in partes diu uiuit. hic piscis ab Italicis vocatur lampreda, & dicitur quòd non habet dentes, & ideò non dicitur mordere propriè, sed sugere, seu pungere.

NATVRA ipsius, non est venenosa, verùm mediante ipsius punctione, est doloris non modici illatiua: decoquitur autem, & condītur cum bonis aromatibus, & reputatur cibus satis delectabilis, quanuis non sit sanus.

ACCIDENTIA puncturam ipsius consequentia, sunt dolor & apostematio loci puncturæ. Causa dictorum accidentium, est solutio continui, ad quam sequitur mala in loco puncturæ complexio, & consequenter humorum ad ipsum locum attractio: quæ tria sunt causæ doloris, & apostemationis.

SIGNA præfatę puncturę, sunt accidentia prædicta, & notitia piscis ipsius cùm pupugit.

PRAESERVATIO fit se ab ipsis præcauendo.

CVRA verò ipsius, est cura vulnerum, seu puncturarum in generali ab auctoribus posita, & præcipuè suprà descripta in 3. cap. 5. lib. Chyrandrus lib. 4. cap. de Lumbricis terræ: Gessenteria, id est lumbrici terræ, soluti cum melle, & triti, & superpositi, faciunt ad puncturas murænę piscis. Plin. Secundus de Naturali historia lib. 32. cap. de Remedijs contra venena ex vitulis marinis. Murænæ morsus, ipsarum capitis cinere sanantur.

De Echino Cap. XXXVI.

Echinus est piscis de genere cancrorum semipedalis, circa coronam candidus, aculeos quosdam pro pedibus habēs, & omnes in medio corporis, coloris quasi vitrei, & ferè in scorpionis effigie, & loco dentium in ore graues habet aculeos: hic piscis cùm naui adhæret, ipsam contra omnem ventorum impulsum immobilem reddit.

NATVRA ipsius, est venenosa valde.

ACCIDENTIA cōsequentia punctionem ipsius, sunt dolor vehemens, & morsus, nisi debitè succurratur. Causæ prædictorum accidentium, sunt solutio continui subtilis, & profunda, & venenositas ipsius piscis.

SIGNA prædictæ punctionis, sunt accidentia præscripta, & notitia ipsius piscis echini, cùm pupugit.

PRAESERVATIO eius, est præseruatio vniuersalis suprà dicta in 2. cap. 5. lib. & diligenter se ab ipso præcauere.

CVRA verò generalis eius, est cura suprà scripta in 3. cap. 5. lib. Cura verò propria, est cura quam asserit Dioscorides, vt patebit. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Lotio: Lotium suum quisquis biberit, punctiones echini marini, & scorpionis, & draconis curat.

De Cancris Cap. XXXVII.

Cancer est animal aquaticum in molli testa cōtentum retrò natans. Cuius principaliter duo sunt genera: quidam nanque degit in aqua dulci, & qui-

dam in aqua salsa: sed cancri degentis in aqua salsa, siue marina, quoddam est genus paruum notum: quoddam verò est magnum circa cubiti vnius quantitatem, de cuius genere plurimi reperiuntur in partibus Sclauoniæ siue Dalmatiæ, de quibus comedi multoties. Reperiuntur etiam in multis alijs partibus & præsertim in partibus Indiæ reperiuntur maximi. In proposito autem est sermo tantùm de magnis, qui & si non venenosi, quinimò comestibiles sunt, attamen morsura ipsorum vulnus malignum faciens venenositati quodammodo attinet.

NATVRA ipsius frigida est & humida, nulla venenositate participans, quanuis, vt dixi, morsura ipsius magni, videlicet, quodammodo venenositate pertineat ob vulneris malignitatem.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia sunt, dolor vehemens in loco morsuræ, & apostematio eius. Causæ prædictorum accidentium sunt, solutio continui facta cum magna attritione loci morsuræ, & concursus sanguinis, & humorũ ad ipsum locũ, ad quem sequitur mala complexio calida in eo.

SIGNA præfatæ morsuræ sunt, accidentia prædicta, & notitia piscis ipsius cùm momordit.

PRAESERVATIO fit diligenter se ab ipso præcauendo.

CVRA verò præfatæ morsuræ, est cura vulnerum malignorum in cap. proprijs ab auctoribus posita. Quæ autem appropriatè ab auctoribus pro dictæ morsuræ cura dicuntur statim infrà patebunt. Dioscor. in lib. de Simplicib. capite de Lasere: Laser lachryma est arboris, quæ silphium appellatur. In omnibus medicinis vsui succus necessarius est: poscæ mistus, venenis acceptis & morsibus cancri facit. Rasis in libro de Proprietatibus animalium, capite de Proprietatibus vpupæ: In pullis vpupæ, id est auis cuiusdam pulchræ, galeam de pilis habentis in capite, & variæ existentis in residuo corporis, & hyeme latentis mutæ, & in Vere existentis clamosæ vnius vocis, est virtus iuuatiua contra morsum cancri: decollantur & scinduntur, & fit ex eis emplastrum super locum. Gulielmus de Varignana in sua Practica, sermone 4. tractatu 3. cap. 5. Ad morsum cancri decollentur pulli vpupæ, & scindantur, & fiat ex eis super loco emplastrum.

De Scorpione marino Cap. XXXVIII.

SCorpio marinus, seu scorpena, est piscis in mari degens, cuius color est inter colorem rubeum, & terrestrem, & mensura sui corporis est vt plurimũ vnius palmi, & caput ipsius est magnum respectu residui corporis, quod continuè vadit se subtiliando vsq; ad caudam ad modum quodammodo scorpionis terrestris, propter quod tale nomen assumpsit. Quem nempe piscem sæpissimè hîc Venetijs vidi, & de ipso comedi. est etenim bonæ carnis, & multarum spinarum: habet autem prope eius vtranq; aurem spinam cũ qua pungit.

NATVRA spinæ prædictæ prope aurem existentis, cùm pungit est venenosa, tum ex sui natura, tum propter humiditatem quandam circa dictam spinam existentem in saliuę forma, quę nempe humiditas calida est et venenosa.

ACCIDENTIA puncturam ipsius consequentia, sunt dolor in primis paruus, qui non cessat postea augmentari, & penetrare ad interiora corporis, & apostemare: & deperditio aliquando sensus, & motus membri puncti, & aliquando spasmus eiusdem, vt experientia patet. Auicenna tamen aliter sentit, vt infrà describam, quem saluare conabor. Causa doloris parui in primis, est parua continui solutio. Causa verò non cessationis augmentari, & penetrare ad interiora corporis, est venenositas eius raptum habens ad cor, sicut cætera venenosa, mediantibus venis, & arterijs continuè plus mole-

molestans, ad quod coadiuuat concursus humorum, qui propter dolorem non cessat continuè augmentari. Causa apostematis, est concursus humorum ad locum puncturæ, propter dolorem præcipuè. Causa deperditionis aliquando sensus, & motus membri puncti, & aliquando spasmi eiusdem, est fortis ipsius membri dolor, quod quandoque ob præsertim concursum spirituum taliter inflammatur, quòd resolutis humiditatibus naturalibus neruorũ sensus, & motus ipsius membri præfati, nerui corrugantur, & in se constringuntur causando oppilationẽ coarctatoriam, propter quam spiritus sensum, & motum deferentes, nequeunt postea in neruos ipsos penetrare: & ob consimilem causam quandoq; spasmus de inanitione accidit præfato membro. Potest etiam prædictorum deperditionis sensus, & motus membri puncti, & spasmi eius, causa esse concursus humiditatum ad ipsum doloris fortitudine: quæ oppilantes neruos prohibendo penetrationem spirituum sensitiuorum, & motiuorum, causant deperditionem sensus, & motus præfati membri, & existentes grossæ, replent porositates dictorum neruorum, & consequenter ipsos accurtant & retrahunt, causando spasmum de repletione.

SIGNA puncturæ prædictæ, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita, quòd piscis præfatus fuit pungens.

PRAESERVATIO fit se bene præcauendo à contactu talium piscium, presertim viuorum existentium.

CVRA verò eius, fit generalibus ante dictis cum his, quæ ex auctorũ mentibus infrà describam. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap. de Lotura plumbi: Simplex verò plumbum, tritum & superunctum, ictus scorpionum maritimorum, & draconum mitigat. Rasis in Continente, lib. 2. cap. 2. Ait Iudæus: Scorpio aquæ est multi veneni calidi, & cantharides similiter: & morsus ferarum habet venenum: & omnium istorũ cura, est apponere ventosas cum scarificatione, & sugere locum: deinde vngas cum oleo rosaceo. Ait Galenus: Sepum calcatricis, id est crocodili, vel lacertæ emplastratum, & positum super morsurã serpentis, & scorpionis marini iuuat: & similiter iuuat trigla piscis pistata, & posita super locum morsuræ. Si fricetur plumbum super morsum scorpionis, & serpentis marini iuuat. Libro vigesimo secundo, cap. de Pisce marino: Trifilan piscis marinus, i. trigla, seu balbonus, seu rossulus, si scinditur crudus, & superponitur morsui draconis marini, scorpionis marini, aut araneæ eius, eum sanat. Albucasis 2. particula Azarauij, tract. 2. cap. de Punctura scorpionis marini: Ego quidem pluries piscatus sum, & eum inueni, & tetigi manu, ita quòd punxit me in vno digito. Signum eius quod accidit mihi ex sua punctura, est, quoniam in primis sensi modicum doloris, & non cessauit dolor paulatim augmentari, donec peruenit, & ascendit ad brachium, & sic vsq; ad spatulam, & sic vigoratus est super me dolor, & sumpsi theriacam alfarot, id est theriacam magnam Andromachi: & non fuit mihi manifestum iuuamentum eius, donec acceptis furfuribus tritici, & distemperatis cum aqua calida, loco superposui, & hoc pluries renouato, cessauit dolor, et remansit perditio motus digiti puncti longo tempore: & mihi retulerunt piscatores, quòd possibile est manum, vel digitum ex sui punctione arescere: & non est dubiũ apud me, quoniam cauterizatio puncti super cætera valet in iuuamẽto, vel ablatione: & hoc bene sciunt piscatores, & præseruant se ab eo. Auicenna 2. can. tract. 2. cap. de Rasas, i. plumbo: Quando fricatur eius cerussa super puncturã scorpionis marini, & draconis marini confert. Auicenna 4. can. fen 6, tract. 5. cap. de Scorpione marino: Existimo quòd accidunt ex morsu scorpionis marini inflatio vehemens, & forma hydropica: & quandoq; accidit ex eo exitus ventositatis absque voluntate, & oportet, vt caueatur in captione eius: & cura eius, est cu-

ra draconis marini, & rutelæ: & dixit quidam, in cuius sermone non confiditur, quòd ſcorpio aquæ eſt calidi veneni. Exiſtimo quòd Auicenna intellexerit de alio animali marino, magis ſimili ſcorpioni terreſtri, quàm intellexerint auctores prefati, capientes ſcorpionem marinum pro piſce ſcorpena. Cauſa autem accidentium ex præfati ſcorpionis marini ab Auicēna intellecti morſu conſequentium, eſt frigiditas veneni prædicti ſcorpionis marini, quæ morſo communicata, & præcipuè ſtomacho, & inteſtinis eius, eſt cauſa multiplicationis in eis plurimarum ventoſitatum, ad quam ſequitur inflatio vehemens, & forma hydropica: & quandoque ſtupefaciendo, vel mollificando præcipuè muſculos, eſt cauſa, qua exit quandoque ventoſitas abſque voluntate. Plinius Secundus de Naturali hiſtoria, libro vigeſimo, capite de ocymo domeſtico: Ocymum ſcorpionum terreſtrium, ictibus marinorumq́; venenis mederi ex vino addito aceto exiguo, tradunt. Cap. de Mentha: Sumitur mentha contra ſcolopendras, & ſcorpiones marinos. Cap. de Serpyllo: Serpyllum à ſerpendo putant dictum, quòd aduerſus ſerpentes efficax, maximè ceraſtes, & ſcolopendras terreſtres, ac marinas, & ſcorpiones, decoctis ex vino ramis, foliiſque, & contra marinorum venena præcipuè valet. Lib. 32. cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibuſdam: Contra venenata omnia auxiliatur, vt diximus, mulus. Item contra paſtinacam, ſcorpiones terreſtres, marinos, &c. illitus ſumptúſue in cibo.

De Piſce araneo Cap. XXXIX.

Piſcis araneus, ſeu aranea, vel araneus marinus, eſt piſcis in mari degens, lineas habens per tranſuerſum terrei coloris, rarò excedens vnius palmi cum dimidio longitudinem, cuius caro cocta alba eſt, & ſolida, & ſaporoſa: de quo hîc Venetijs piſcatores ſatis frequenter, & copioſè, Autumno præſertim, ac Aeſtate vendunt, & capiunt: Auicenna tamen ab his dictis diſcordat, quem concordare conabor, vt infrà patebit.

NATVRA carnis eius eſt inter piſcium aliorum carnes ſana valde & ſaporoſa, viſcoſitate priuata boni ſanguinis generatiua, & facilis digeſtionis. Natura verò ſpinæ eius, & præcipuè humiditatis ſibi ſaliuæ loco coniunctæ, eſt ſimilis naturæ ſpinæ, & humiditatis ei coniunctæ, ſcorpionis marini, ſiue ſcorpenæ prædictæ immediatè præcedenti capite. Et conſimilia ſunt accidentia puncturam ipſius conſequentia, & conſimilia ſunt puncturæ ipſius ſigna preter informationem, quòd piſcis pungens fuit piſcis araneus prædeſcriptus: & conſimilis eſt præſeruatio, ac cura. Quæ tamen appropriatè pro puncturæ ipſius cura ab auctoribus enarrantur, infrà deſcribam. Raſis in Continente lib. 20. cap. 2. Ait Galenus: Trigla piſcis, id eſt barbonus, ſeu roſſulus, piſtata & poſita ſuper locum morſuræ, iuuat contra morſum araneæ marinæ. Libro 22. capite de Piſce marino: Trifilan piſcis marinus, id eſt trigla, ſi ſcindatur crudus, & ſuperponatur morſui draconis marini, ſcorpionis marini, aut araneæ eius, eum ſanat. Auicenna quarto canone, fen ſext. tractatu quinto, capite de Aranea marina. Videtur quòd ſint diſpoſitiones eius propinquæ diſpoſitionibus ſcorpionis marini. Narrauerunt plures ſapientes, quòd ipſa eſt maligna, inuadens animalia, & corpora, & ſalit ad ea ex longinquo, vt mordeat ea, & ſi non poteſt mordere, ſufflat ad ipſa exſufflationem nociuam, & accidunt ex morſu eius apoſtema magnum, & perditio velox. Dico ſimile eſt, vt ſit cura eius cum theriaca magna, & quòd eſt eius generis. Auicenna in hoc capite diſcordauit ab alijs, vt in precedenti cap. Dico igitur quòd ipſe non intellexit de ſupràdicto piſce à me deſcripto, ſed de aliquo alio

alio araneæ terrestri, simili existenti veneni frigidi, sicut dixit de scorpione marino. Causa autem apostematis magni accidentis ex morsu eius, est dolor vehemens, ad quem consequitur concursus multorum humorum, qui frigiditate veneni, & mortificatione caloris naturalis non resoluuntur: quare causant apostema magnum, aut fortè ex morsu præfato ob veneni frigiditatem accidit multiplicatio quàmplurimarum ventositatum, & consequenter tumor magnus ventris, similis tumori hydropisis præcipuè timpanitis: & sic potest dici magnum accidere apostema. Causa verò perditionis velocis, est caloris naturalis extinctio, ob ipsius araneæ marinæ ab Auicenna intellectæ venenosam frigiditatem. Verisimile autem est, reperiri quàmplura alia animalia venenosa, tam terrestria quàm marina, de quibus mentio minimè facta est: pro quorum præseruatione, & cura, sufficiant quæ suprà dixi in secundo & tertio capit. quinti libri. Guilielmus de Varignana in sua Practica, sermone quarto, tractatu tertio, capite quinto: Dico quòd in talibus puncturis, supple, piscium marinorum venenosis, auellana masticata superposita, est vtilissima, & præcipuè puncturæ araneæ marinæ. Confert etiam in eisdem lac piscis, qui dicitur calamarius, superpositum loco, & est marinus piscis, de genere sepium.

De Porco marino Cap. XL.

PORcus marinus est piscis esibilis, porco in magna parte similis, vnde nomen assumpsit: habet nanque caput, vt porcus, & linguam solutam, vt ipse, & consimiliter membra interiora, & costas, cuius ferè tota caro transit in pinguedinem, voce tamen differt à porco. In eius verò dorso, sunt quædam spinæ venenum efficax habentes, & in fundo maris fodit terram, vt porcus.

NATVRA carnium eius, frigida est, & humida, & viscosa, duræque digestionis: natura verò spinæ eius, & præsertim humiditatis, sibi saliuæ loco coniunctæ, est similis naturæ spinæ, & humiditatis, & coniunctæ scorpionis marini, & araneæ, seu aranei marini in duobus præcedentibus capitibus supradictæ: & consimilia sunt accidentia puncturam ipsius consequentia: & consimiles sunt accidentium causæ: & consimilia sunt puncturæ ipsius signa, præter informationem, quòd piscis pungens, fuit piscis prædescriptus, & consimilis est præseruatio ac cura. Quæ tamen appropriatè pro puncturæ ipsius cura dicuntur, infrà describam. Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 32. cap. de Remedijs contra venena ex piscibus coracinis, &c. Inter venena sunt piscium porci marini spinæ in dorso, cruciatu magno læsorum. Remedio est liniri ex reliquo piscium eorum corporis. Albertus Magnus in suo de Animalibus, lib. 24. cap. de Piscibus incipientibus à litera p: In dorso porci marini, quædam spinæ sunt venenum efficacissimum habentes: sed fel eorũ, est remedium contra puncturam spinarum illarum.

De Solosuidar Cap. XLI.

SOlosuidar est quoddam reptile, quod inuenitur in syluis & in mari.

NATVRA eius, est venenosa, & calida.

ACCIDENTIA consequentia morsum ipsius, sunt mutatio coloris, inflammatio, & pruritus, & albedo loci morsus solosuidar marini, & rubedo loci morsus solosuidar syluestris. Causa mutationis coloris, est caliditas venenosa præfati reptilis, primò inflammando rubefaciens, postea extinguendo calorem innatum ad palliditatem, vel fuscedinem, seu liuiditatem, colorem rubeum mutans. Causa inflammationis & pruritus, est ipsius reptilis caliditas

venenosa. Causa albedinis loci morsu solofuidar marini, est minor inflammatio præfati loci: quare citius extinguitur calor eius innatus, vnde sequitur albedo, id est palliditas. Causa ruboris loci morsus solofuidar syluestris, est maior dicti loci inflammatio: quia natura syluestris est calidior natura marini.

SIGNA morsus prædicti, sunt accidentia prænarrata.

PRAESERVATIO fit cum præseruantibus communibus, dictis in septimo capite quinti libri.

CVRA fit, vt ex mente Rasis infrà patebit: Rasis vigesimo Continentis, capite secundo: Solofuidar est quoddam reptile, quod inuenitur in syluis, & in mari, & ex morsu eius accidit mutatio coloris, inflammatio & pruritus: locus vbi momorderit reptile marinum, erit albus, & ex morsu syluestris accidit rubor. Cura eius hæc est: Emplastretur locus cum ruta, & sale, & cinere dissolutis cum aquà, aut aceto scillitico. Postquam locus fuerit ablutus cum aoleo multo & aqua calida: deinde sumat aristolochiam cum vino: aut menthastrum, seu rutam siccam cum vino: & iterum emplastretur locus cum semine sisamino adusto, & dissoluto cum vino.

De Apimaos Cap. XLII.

APimaos est reptile quoddam, quod ab autoribus descriptum, quid sit non inueni.

NATVRA ipsius est venenosa.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt dolor, & fortassis apostema. Causa doloris est mala complexio venenosa, & solutio continui. Causa fortassis apostematis, est concursus humorum ad locum.

SIGNA præfati morsus, sunt accidentia prædicta, & informatio habita de prædicto animali.

PRAESERVATIO eius, est præseruatio communis suprâdicta in 3. capite quinti libri.

CVRA eius iuxta Rasim vigesimo Continentis cap. 2. est fricare locum cum succo virgæ pastoris, aut plantaginis, aut menthastri montani, aut hyssopi cum vino.

De Domeses Cap. XLIII.

DOmeses est animal venenosi morsus.

NATVRA eius est venenosa.

ACCIDENTIA morsum ipsius cõsequentia, sunt dolor & apostema. Causa doloris, est solutio continui, & mala complexio venenosa. Causa apostematis, est concursus humorum ad locum.

SIGNA prædicti morsus, sunt accidentia prædicta, & informatio habita de dicto animali.

PRAESERVATIO eius, est præseruatio cómmunis prædicta in secundo capite quinti libri.

CVRA verò iuxta Rasim 20 Continentis cap. 2. est bibere lac vaccinum cum vino dulci, aut brodium concularum.

LIBER SEPTIMVS DE MORSVRIS HOMINIS, ET QVORVNDAM ANIMAlium quadrupedum: & de uulneribus factis ab vnguibus animalium, præcipuè rapacium.

De Morsura hominis, & quorundam animalium quadrupedum in generali, Cap. I.



Orsuræ animalium quadrupedum, sunt solutiones continui ore, & precipuè dentibus eorum factæ.

NATVRAE earum nempe non modicum variantur. Si nanque, præsupposita semper in ceteris paritate, morsura facta fuerit ab animali ieiuno, deterior erit facta ab eo saturo. Et si facta fuerit ab animali male disposito, & complexionis valde cōtrariæ cōplexioni hominis, deterior erit, quàm facta ab animali bene disposito, & complexioni hominis non valde contrario. Et si facta fuerit in loco nobili aut neruoso, deterior erit facta in loco ignobili siue carnoso. Et si fuerit profunda, deterior erit superficiali, & sic de consimilibus.

ACCIDENTIA consequentia ipsas morsuras, diuersificantur iuxta diuersitatem naturarum earum, & similiter diuersificantur eorum accidentium causæ.

SIGNA earum diligenti informatione habita, sunt manifesta.

PRAESERVATIO fit dimittendo & euitando conuersationes animalium præfatorum præcipuè mordentium.

CVRA autem earum factarum ab animalibus prædictis venenositate aliqua participantibus, est cura suprascripta in 3. cap. quinti lib. Cura verò earum factarum à prefatis animalibus non venenositate participantibus, est cura generalis vulnerum in cap. proprijs ab auctoribus de chirurgia tractantibus posita. Quæ tamen pro dictarum morsurarum cura in generali appropriatè scribuntur, statim infra describam.

Auicenna quarto canone, fen 6. tractatu 4. cap. de sermone vniuersali de curatione morsus. Qui vult curare morsum, oportet vt ponat in primis super morsum pannum infusum in oleo, aut inungat abstergendo cum ipso oleo. Deinde si consequitur ipsum intentio, emplastretur cum eis quæ sunt sicut mel, & cæpæ & fabæ masticatæ crudę sicut sunt: illud enim est mirabile in hac re: & iterum vinum coctum, & lithargyrum. Et emplastratio cum oleo herbi, id est orobi, est mirabilis: & si videtur in eo corruptio, mundificetur prius cum exucatione ventosarum, aut cum medicamine acuto, & dimittatur donec faciat pus, & consideretur: & tunc, si videtur in suppuratione eius putrefactio, scitur quòd mundificatio & attractatio læsionis non fuit vltima: quare cum attractiuis fortibus curetur, quæ diximus in cap. morsus serpentium. Et si nō fuerit corruptio, prohibeatur apostematio, & consolidetur vulnus, & de melioribus vnguentis ad morsum, & infixiones vnguium auium & spinarum, & similium, est vnguentum nigrum administratum post extractionem malitiæ, si ea indiget, & post ablutionem cum aqua & sale. Descriptio vnguenti nigri posita ab Auic. 5 canone, suma prima, tractatu de vnguentis. ℞. lithargyri ℥ 1. aceti fortis ℥. iij. olei ℥. ij: decoquantur omnia cum studio, ne adurantur, & moueātur donec coagulentur: posita verò ab eodem 4. canone, fen sexta, tractatu 4. cap. de morsu hominis in hominem, est quòd ipsum fit cum adipe, & cera, & oleo, & albezaard, id est, galbano,

De Cane rabido, & non rabido — Cap. II

CAnis eſt animal notum, cuius multa ſunt genera, quæ hîc enarrare ſuper-
fluum nempe eſſet. Ex quocunq; tamen genere reperiri poteſt rabidus
& non rabidus: ſolus nanq; animalium de per ſe rabiem veram incurrit, Gale-
no.6. de Interioribus, cap.4. taliter inquiente: Non eſt igitur mirum hęc acci-
dentia fieri ex ſpermate, & menſtruis malę qualitatis, ſi quidem corrupta man
ſerint, & putreſiant, & non excludantur, quod actio canum teſtatur, qui ſunt
præparati in ſuſcipienda rabioſa putrefactione, quod nulli aliꝫ contingit ani-
mali. Solos enim canes adeò corruptos humores habere videmus, quòd ſali-
ua eorum ſuper aliquem incidente rabioſus efficiatur. Patet igitur, vt prædixi,
quòd canis ſolus animalium de perſe rabiem veram incurrit. Et ſi contingat
aliquod aliud animal rabioſum effici, illud contingit, quia à rabido cane, aut à
morſo ab ipſo morſum fuerit: & ſi abſq; hoc aliquod aliud animal videatur ra
bidum effici, erit rabidum non vera rabie iuxta Galeni mentem, ſed diſpoſi-
tione ſimili rabiei: verùm iuxta Auicennam 4 canone, fen ſexta, cap. de mor-
ſu canis rabioſi, &c. Rabies non ſolùm cani contingere poteſt, quinimo & ho
mini, & adib, id eſt vni ſpeciei lupi. ſ. lupo ceruerio, & lupo: & hoc aſſerit au-
ctoritate propria. Auctoritate verò aliorum aſſerit vulpem, & muſtelam, &
mulum etiam, aliquando rabiem incurrere. Aliqui autem celeberrimi aucto-
res, vt in immediatè ſequenti cap. infra patebit, aſſerunt etiam hominem ali-
quando rabidum fieri. Quos omnes auctores cum Galeno concordando, di-
co, vt ſupra dixi, quòd aliꝫs animalibus à cane non aduenit vera, & propria ra-
bies faciens ita mirabilia ſæua accidentia niſi cani. Aduenit tamen aliquando
eis diſpoſitio maligna quodammodo rabiei cõſimiles. Eſt autem rabies in ca-
ne ſicut lepra in homine: ſicut nanq; lepra eſt ægritudo corrumpens comple-
xionem membrorum ex ſparſione cholerę nigræ in toto hominis corpore: ſic
rabies eſt ægritudo corrumpens complexionem membrorum ex ſparſione
melancholiæ malignæ venenoſæ in toto canis corpore. Cauſa autem, propter
quam rabies cani aduenit, eſt, aut aer æſtiuus adurens humores eius, propter
quod autumno ſuperueniente rabies in ipſo generatur: aut frigus hyemalis
ſanguinem congelans: propter quod, Vere ſuperueniente, fit rabidus: aut co-
meſtio cadauerum ſeu aliarum rerum maximè corruptarum, & rerum aliarum
valde diuerſarum propter ipſum cum hominibus ferè continuè conuerſari:
ex quibus indigeſtis accidit generari humores maximę corruptionis: aut po-
tus mali vel corrupti ſanguinis: aut aquarum putridarum: verùm principalior
cauſa mihi videtur eſſe proprietas ipſius canis ad generandum adeò corrup-
tos humores: videmus nanq; plurima alia animalia putridis cibis, & potibus
veſci, & per æſtates, & hyemes viuere, & tamen rabiem non incurrunt.

NATVRA canis non rabidi iuxta Albucaſim ſecunda particula Azarauiꝫ,
tractatu ſecundo, cap. de Morſu canis rabioſi, frigida eſt & ſicca, magis tamen
ſicca quàm frigida: propter quod principaliter inter cetera animalia ponitur
eſſe acutiſſimi odoratus, humoris valde corrupti melancholici gignitiua. Na-
tura verò canis rabidi videlicet ſaliuæ eius, in qua principaliter venenoſitas
ſua conſiſtit, calida eſt, & ſicca, humoris melancholici corruptiſſimi gignitiua
peſſimorum accidentium productiui, ſtatim infra deſcribendorum. Natura
autem ipſius canis rabidi, calida etiam eſt, & ſicca, & maximè melancholica:
melancholica valde maligna atq; venenoſa excedens multum in ſiccitate, mo
dicum verò in caliditate & illa caliditas, eſt ſibi accidẽtialiter acquiſita ex qua-
dam maligna humorum ipſius corruptione, & quodammodo aduſtione, in
quam eorum proprietate parati erant incurrere.

Acciden-

ACCIDENTIA morsuram canis non rabidi consequentia, sunt accidē
tia non venenosis vulneribus communiter superuenientia. Accidentia canis
rabidi morsuram consequentia, sunt vulnus in principio ceteris paribus alijs
vulneribus simile, superuentus post dies aliquot aliquarum cogitationū corru
ptarum, & somniorum etiam corruptorum, murmuratio seu à se solo locutio,
responsio absq; quòd quæratur ab eo aliquid, dispositio quasi ad iram, com-
mistio rationis, spasmus extremorum, & tandē spasmus & tetanus, saltus ve-
laminis, videlicet diaphragmatis vel pleurę: superuentus aliquando motus in
uolūtarij membrorū totius corporis, & præcipue eorū quæ vicina sunt faciei,
post quem possibile est tunc statim mori, singultus, sitis vehemēs, siccitas oris,
euitatio luminis, & aliquando dilectio & affectatio accensionis eius, rubor
membrorum, & præcipue faciei, raucedo vocis, timor in aspectu aquæ, & hu
miditatum siue liquorum, & ploratus in prefato timore, imaginatio canum in
approximatione, seu in aspectu aquæ: vnde aliquando sequitur timor, &
quandoque non sequitur timor, sed sequitur nausea: desiderium quandoque
aquæ, & proclamatio & timor ex ea cum obuiatur seu approximatur ei, & tre
mor, & casus ad terram, & affectatio siue dilectio se volutandi in terra: strāgu-
latio quandoq; & mors ex sorbitione aquæ, incognitio sui ipsius dū aspicit se
in speculo, emissio quandoq; spermatis inuolūtaria, mors sitiendo, peruentus
ad sudorem frigidum & syncopē & mortem: aliquādo latratus similis latratui
canis cū raucedine: aliquādo abscisio vocis & dispositio similis apoplexię, min
cturaq; vrinę pinguis, in qua sunt res carnosę mirabiles similes paruis canibus
aut eorū stercoribus vel visceribus, aut alijs consimilibus horribilibus: vrina vt
plurimum subtilis: aliquando vrina nigra, retentio vrinæ in totum, siccitas, seu
stipticitas ventris secundū plurimū, & pronitas quandoq; mordendi hominē,
quem cum momorderit, accidunt ipsi homini morso accidentia, quæ accidūt
ipsi mordenti, & incipiunt superuenire vel superueniumt præfata accidentia
præter vulnus, aliquando vsq; ad paucos dies, aliquando vsq; ad xl. dies, ali-
quando vsq; ad duos menses, aliquando vsq; ad sex vel vij. menses, & aliquan
do iuxta Albucasim secunda particula Azarauij, tractatu secūdo, cap. de Mor-
su canis rabiosi, vsq; ad completum annum, seu in fine anni, vt asserit Rasis 20.
Continentis cap. secundo, auctoritate Pauli: & aliquando post vnum an-
num, vt asserit Galenus quinto Passionarij, & Oribasius secuudo suæ pra-
cticæ cap. ad Canis rabiosi morsum, & Aurelius primo suæ Practicæ cap.
de Hydrophobicis, & plures alij. tamen communiter, & vtplurimum accidit
vsq; ad xl. dies.

Causa vulneris est solutio continui dentibus canis facta. Causa similitudi-
nis præfati vulneris in principio cum alijs vulneribus ceteris paribus, est pro-
prietas & natura saliuę, seu veneni ipsius rabiosi canis ad tardè suos imprimen
dum effectus. Causa superuentus post dies aliquot aliquarum cogitationum
corruptarum & somniorum etiam corruptorum, est ascensus ad cerebrum va
porum & fumorum melancholicorum, & etiam generatio sanguinis melācho
lici in parte ad ipsum pro eius nutrimēto trāsmissi. Causa murmurationis, & à
se solo locutionis, & respōsionis absq; quod quęratur ab eo aliquid, est humor
melācholicus cerebro communicatus, incipiēs corrumpere complexionē ce-
rebri. Causa dispositionis quasi ad iram, & cōmistionis rationis, est humor me-
lācholicus quodāmodo per adustionis viam rabidi canis veneno mediāte ge-
neratus, corrūpens cerebri complexionē, & faciens apparentias malas eorū
quę non sunt. Causa spasmi extremorum, & tandem spasmi & tetani, est sic-
citas vehemens à veneno fortiter exiccatiuo, primò neruis & musculis extre-
morū inducta, faciēdo spasmum eorū videlicet de inanitione, & cōsequenter

communicata parti poſteriori cerebri, & neruis, & muſculis totius corporis,
faciendo ſpaſmum de inanitione vniuerſalem & tetanum. Cauſa ſaltus velami-
nis, videlicet diaphragmatis vel pleuræ, & ſuperueniens aliquando motus in-
uoluntarius membrorum totius corporis, & præcipuè eorum quæ vicina ſunt
faciei: poſt quem nempe ſuperuentum poſſibile eſt tunc ſtatim mori, eſt ſicci-
tas vehemens prædicta, quæ communicata præfato velamini, facit ſaltum ſeu
motum ſpaſmoſum in eo, & communicata membris totius corporis, & præci-
pue membris pectoris & gutturis, quæ vicina ſunt faciei, videlicet muſculis &
panniculis neruoſis eorum, facit in eis motum inuoluntarium ſpaſmoſum, ſci-
licet de inanitione: quæ quidem ſuperflua ſiccitas ſi faceret, vt eſt poſſibile, in
præfatis membris ſpaſmum completum, faceret ſtatim mori, prohibendo di-
latationem, & conſtrictionem anhelitui neceſſariam, & conſequenter anheli-
tum, & patientem per conſequens ſuffocando. Cauſa ſingultus, eſt ſiccitas præ-
dicta ſtomacho, & ori ipſius communicata, faciendo motum de inanitione
ſpaſmoſum, ſiue ſingultum. Et quanuis dixerim ſpaſmos ſupradictos accidē-
tes ex rabidi canis morſu intelligendos eſſe ſpaſmos de inanitione, illud intel-
ligo de per ſe: de per accidens tamen aliquando accidere poſſunt ſpaſmi de re-
pletione ob caliditatem præcipue veneni canis rabidi diſſoluentem patientis
humiditates, poſtea ad præfata membra fluentes, faciendo ſpaſmum de reple-
tione. Cauſa ſitis vehementis, & ſiccitatis oris, eſt ſiccitas prędicta orificio ſto-
machi & ori communicata. Cauſa euitationis luminis, eſt humor melancholi-
cus, obſcurus & tenebroſus, faciens euitare lumen, quod eſt ſibi contrarium,
& diligere tenebras ſibi conſimiles. Cauſa aliquando dilectionis, & affectatio-
nis accenſionis luminis, eſt ſanguis & cholera rubea in principio morſurę, vi
veneni rabidi canis, ſicci & calidi exiſtentis, agitati, ebullientes & euaporātes
ad cerebrum, antequàm adurantur, & in nigram choleram ſint conuerſi. Cau-
ſa ruboris membrorum & præcipuè faciei, eſt pręfata ſanguinis & choleræ e-
bullitio, propter quam petentes corporis circumferentiam, rubefaciunt mem-
bra eius, & petentes partes ſuperiores, & pręcipuè faciem, rubefaciunt eam.
Cauſa raucedinis vocis, eſt ſiccitas inducta à veneno valde ſicco in trachea ar-
teria ipſam exaſperans, & hoc intelligo de per ſe, de per accidens tamen poſ-
ſet accidere, vt ſupra dixi, de ſpaſmis propter humiditates à caliditate veneni
in capite diſſolutas & liquefactas, deſcendentes ad tracheam arteriam. Cauſa
timoris in aſpectu aquę & humiditatum, ſiue liquorum, & ploratus in pręfa-
to timore, & timoris in approximatione aquæ, & quandoq; non timoris, ſed
nauſeæ, & proclamationis, & timoris ex ipſa cum obuiatur ſeu approximatur
ei, & tremoris & caſus ad terram, & affectationis ſiue dilectionis ſe voluntan-
di in terra, eſt, quia patiens morſus imaginatur canes exiſtere in ipſa aqua, ſiue
in ipſis humiditatibus, ſiue liquoribus, in quos ipſe intuetur: quare timens ite-
rato morderi, ſicut ipſe à cane rabido morſus fuit, timet in aſpectu & appro-
ximatione ſeu obuiatione aquę & humiditatum, ſiue liquorum, & plorat in
præfato timore, & proclamat ſiue vociferat, & tremit præ timore, & tremens
quandoque cadit ad terram, & affectat ſiue diligit ſe voluntari in terra, vt ſe
cooperiat ea, & inde ſe abſcondat taliter, quòd non videatur à canibus quos
imaginatur, neque mordeatur ab eis. Albucaſis autem ſecunda particu-
la Azarauij tractatu ſecundo cap. de morſu canis rabioſi, dicit, quòd cauſa
propter quam morſus à cane rabido timet aquam, eſt exceſſus ſiccitatis cere-
bri ex infectione choleræ nigrę, ita quòd exiſtimat ſe eſſe exiccatum ad mo-
dum ſicci pulueris: quare cum tangeretur ab aqua, diſſolueretur & corrumpe-
retur ipſius diſpoſitio. & ſicut dicitur de aqua, ita pariformiter dici poteſt de
alio quocunque liquore. Conſequenter autem vltra prædicta, cauſam aſſig-
nat,

nat auctoritate quorundam medicorum, causam primitus assignatam, subdens, se cognouisse quendam sanatum à canis rabiosi morsu, quem interrogãs quid videbat: dixit ei, quòd in sua vrina videbat caninos catulos. Prima attamen causa mihi plus placet. Causa quandoque in approximatione aquæ non timoris, sed nauseæ, est, quia antequam dispositio melãcholica sic in morso à cane rabido protinus confirmata non apparent ipsi canes in ea, sed apparet sordida turbulentia: quapropter non timet sed nauseatur. Causa imaginationis canum in aqua ex aspectu eius, & quandoque non canum, sed sordidæ turbulentiæ, est, quia venenum rabiosi canis ex proprietate eius ad hominem, disponit hominem cui communicatur, & omnes humores ac humiditates eius mirabiliter ad ipsius rabidi canis complexionem, & omnem possibilem similitudinẽ: disponit autem præcipue humiditates & humores & spiritus & vapores ipsorum, tanquam impressionis facilius susceptibiles, qui vapores impressionis facilius susceptibiles ad complexionem canis, & omnem ipsius possibilem similitudinem, amplius alterati ascendentes ad cerebrum, alterant imaginatiuam passionem melancholicam facientes: ex qua quidem alteratione, consequitur alteratio sensuum particularium, & pręcipue visus & auditus: quare patiens multotiens & assiduè de canibus imaginatur, & frequenter cogitat se canes videre & audire, quos nec videt nec audit: maximè autem existimat se videre canes, cum intuetur aquã aut alium liquorem, aut speculũ, aut aliam quamcunq; rem tersam, & politam vicem speculi præsentantem: & hoc propterea quia per oculos existentes membra valde porosa morsi à cane rabido in dispositione ipsius confirmati, egrediuntur vapores infecti à cõfirmata dispositione veneni ipsius canis rabidi in aquam patienti ipsi præsentatam, aut in quamcunq; aliam rem vicem speculi præsentantem, qui refracti ad ipsos oculos canes ipsi repræsentant: quemadmodum per mulieris menstruantis oculos, egrediuntur vapores speculum inficientes: quando autem dispositio non est adeò confirmata, sed est in confirmari vapores per oculos egredientes in aquam, aut aliam rem vicem speculi præsentantem, non sunt adeò veneno rabidi canis infecti, quare refracti ad oculos non repræsentant figuras canum, sed sordidam turbulentiam: quemadmodum stellæ viam lacteam in octaua sphera constituentes præ paruitate earum non repræsentantur oculis nostris sub figuris stellarum, sed sub lucidę nebulæ albæ figura, tanquam non potentes mouere virtutẽ visiuam ad ipsas sub propria figura vidẽdum. Causa desiderij quandoq; aquæ, est siccitas magna à veneno rabidi canis inducta: quare patiens ab aqua desiderat humectari. Causa strangulationis quandoq; & mortis ex sorbitione aquę est, quia quãdoq; ratio intellectualis patientis vincit imaginatiuam corruptam, & tunc putantes aquã siti & siccitati eorũ debere proficere, bibunt aquã, & dum sorbent, siue deglutiunt eã, reuigoratur corruptio imaginatiuę super rationẽ, & conantur ipsam subito retinere: quare quandoq; contingit quòd aqua illa habet raptũ ad pulmonẽ: vnde sequitur aliquãdo strãgulatio, & mors. Causa incognitionis suiipsius, dum aspicit in speculo, est repręsentatio figurarum canum facta, vt supradixi, à vaporibus infectis veneno canis rabidi egredientibus per oculos morsi cõfirmati in dispositione illa in speculum, qui refracti ad eosdem oculos simul cum assidua imaginatione præfati morsi de canibus, sunt potentiores ad represen- tandum virtuti visiuæ figuras canum, quàm sint species visibiles à morso in speculum multiplicatę, & in ipsius oculos refractæ ad repræsentandum figuram propriam sui ipsius: quare non se cognoscit, dum aspicit se in speculo. Causa emissionis spermatis inuoluntariè, potest esse spasmus de inanitione membrorum spermaticorum, factus à nimia siccitate, ad quem conseq.

quitur expressio, & emissio spermatis inuoluntaria: potest etiam esse alia causa
videlicet dissolutio spermatis facta à caliditate veneni canis rabidi, & debili-
tas contentiuæ membrorum spermaticorum facta â præfato veneno. Causa
mortis quandoq; sitiendo, est siccitas excessiua veneni consumens humidum
roridum oris stomachi, & abstinentia à potu præsertim aquæ propter timo-
rem morso superuenientem ex aspectu aquæ, & aliorum liquorum, ob cau-
sam præassignatam. Causa peruentus quandoq; ad sudorem frigidum, & syn
copem, & mortem, est consumptio, & exiccatio humidi substantifici, & con-
sequenter resolutio caloris innati, ad quam concurrente debilitate contenti-
uę membrorum impotentium continere humiditatem subcutaneam eorũ, se-
quitur sudor frigidus, & consequenrer syncope, & mors. Causa aliquãdo la-
tratus similis latratui canis cum raucedine, est dispositio melancholica à vene-
no inducta ipsi morso, propter quam existimat se esse canem: quare latrat vt
canis, & latrat cum raucedine propter nimiam siccitatem exasperantem tra-
cheam arteriam, aut propter humiditates à caliditate veneni dissolutas, aut à
siccitate eius expressas ad tracheam arteriam ipsam exasperantes. Causa ali-
quando abscisionis vocis, & dispositionis similis apoplexiæ, est liquefactio hu
miditatum cerebri replentium & oppilantium ventriculos eius facta à calidi-
tate veneni rabidi canis. Causa mincturæ aliquando vrinę pinguis, in qua sunt
res carnosæ mirabiles, similes paruis canibus, aut eorum stercoribus, vel visce
ribus, aut alijs consimilibus horribilibus, est, quia, vt prædixi, in assignando
causam imaginationis canum in aspectu aquę, venenum rabidi canis ex sui
proprietate quam habet ad hominem, sic quòd non aliud animal disponit o-
mnes humores, ac humiditates hominis, cui communicatur mirabiliter ad ip-
sius rabidi canis complexionem naturæ, vt introducat formam, disponit tali-
ter, quòd introducit figuram ex continuata veneni in hominem actione, &
diuturna, & confirmata veneni ipsius dispositione, & diuturna, assidua, ac for-
tissima patientis imaginatione de canibus, pręsertim cum venenum rabidi ca-
nis, quod est eius spuma siue saliua, sit superfluitas vltimę digestionis decisa à
partibus oris, & gutturis, & partium circumstantium vicinarum membris
principalibus, & præcipuè cordi, & cerebro, & hepati, habens eorum virtute
potentiam transmutandi materias obedientes ad complexionem ipsius ca-
nis rabidi, à quo deciditur, & consequẽter ad ipsius figuram & consequenter
ad præfatam eius complexionem, præcipuè concurrente præfata diuturna,
assidua, ac fortissima patientis imaginatione de canibus: aut eorum ster-
corum, vel viscerum: non potens autem introducere canum figuras in ho-
minis membra, nec in humiditates substantificas eius, quia cum talibus fi-
guris non potest stare hominis forma, nec in quattuor humores eius, quia
sunt nimis fluxibiles, & per consequens non susceptibiles figurarum ca-
num: quanuis sint magis susceptibiles complexionis eorum propter substan-
tiam eorum leuiorem, siue subtiliorem, nec multo magis in vapore præfa-
torum humorum propter maiorem eorum substantiæ subtilitatem, introdu-
cit ipsas canum figuras in superfluitates vltimæ digestionis: quibus non repu
gnat suscipere canis rabidi complexionem, ac etiam figuram tanquam non
habentibus formam hominis sicut membra, nec existentibus paratis ad ip-
sam hominis formam suscipiendam, sicut humiditates substantificę, nec exi-
stentibus ita subtilis substantiæ, sicut sunt quatuor humores, & vapores
eorum: quæ nempe superfluitates vltimæ digestionis expulsæ cum vrina,
tanquam hypostasis reprę sentant in ipsa vrina figuras canum. Quemadmo-
dum ferè in vehementi appetitu pręgantis ad aliquem cibum, ex fortissima e-
ius imaginatione ad illum, imprimitur idolum rei appetitæ in spiritibus ipsius

prægnantis, & consequenter in eius sanguine eūte pro nutrimēto fœtus, sigillante postea ipsum idolum, siue figura in membro fœtus: cuiusmodi simul ipsa in se tetigit tempore præfati vehementis appetitus, & fortissimę imaginationis, existente illo fœtus membro figuræ illius, siue idoli, ob substantię eius teneritatem maximè susceptibili, minimè verò matris tacto mēbro illi cōsimili. In principio autem confirmationis dispositionis patientis existimandum est, prædictas superfluitates in vrina existentes repræsentare figuras alquas indistinctas: procedente verò aliqualiter magis confirmatione dispositonis repręsentare ipsi patienti prius, quàm alijs distinctas canum paruorum figuras, aut eorum stercorum vel viscerum, aut consimilium horribilium, præcipuè concurrente melancholica patientis dispositione, & assidua, & forti eius imaginatione de canibus, aut eorum stercoribus, vel visceribus, aut cōnsimilibus horribilibus: procedente verò adhuc vlterius confirmatione dispositionis repræsentant patienti, & etiam alijs non patientibus ipsas paruorum canum figuras, seu eorum stercorum, vel viscerum, aut aliorum horribilium consimilium. Et si dicatur, Quare ergo non sic vapores à patientis oculis in aquam, vel qualecunq; speculum egredientes refracti repræsentant canes hominibus sanis, sicut homini patienti? Respondeo, quòd vapores non adeo fortem impressionem à canis rabidi veneno recipere possunt, sicut superfluitates vltimæ digestionis, & per consequens non ita fortiter possunt in virtutem visiuam imprimere, & hoc propter vapores habere substantiam valde raram, & superfluitates vltimæ digestionis, respectu vaporum habere substantiam satis densam: quemadmodum ferrum ignitum fortius in virtutem tactiuam imprimit, quàm palea ob causam prædictā: fortior nāq; est virtus vnita, quàm ipsa dispersa: Quare pręfati vapores ab aqua, vel speculo refracti, repręsentant figuras canū virtuti visiuę ipsius patiētis, coadiuuante ipsius dispositione melancholica, & eius assidua imaginatione de canibus, nō sic autem representare possunt virtuti visiuę sanorum. Causa vrinæ, vt plurimum subtilis, est strictura colatorij renum, & viarum vrinæ facta à nimia siccitate veneni. Causa vrinæ aliquando nigræ, est virtus quæ aliquando, cum potest, expellit per vrinam de cholera nigra, siue humore melancholico generato vi veneni præfati. Causa aliquando retentionis vrinæ in totum, est constrictio viarum vrinę, facta à siccitate veneni, & completa dictarum viarū oppilatio, facta ab humore melancholico, vel à superfluitate vltimę digestionis, quem, vel quā natura per dictas vias expellere voluit, & non potuit præ constrictione earum. Causa siccitatis, seu stipticitatis ventris secūdum plurimū, est siccitas à veneno inducta in intestinis, & in vijs per quas à chisti fellis cholera transmittitur ad intestina, & ad excitandum expulsiuam eorum, propter quam viarum à chisti fellis ad ad intestina siccitatem, accidit in eis secundum plurimum oppilatio, & per consequens accidit stipticitas ventris. Causa autem pronitatis ad mordendum homines, quem cum momorderit, accidunt ei ea quæ accidunt ipsi mordenti, est patientis melancholica dispositio confirmata, qua patiens existimat se esse canem, & valde ad complexionē ipsius pro parte magna reductus est, adeò vt mordendo hominem aliquem, accidant ei ea, quę accidunt ipsi mordenti qui à cane rabido morsus fuit. Causa superuentus præfatorum accidentium præter vulnus, seu inceptionis superuentus eorum, aliquādo vsq; ad paucos dies, aliquando vsq; ad xl. dies, aliquando vsq; ad duos menses, aliquando vsq; ad sex, vel septem menses, & aliquando vsque ad completum annum, est maior, vel minor patientis dispositio, & etiam loci diuersitas in quo fit morsus. Si nanq; morsus factus fuerit in loco nobili, & propinquo alicui membrorum principalium, & in arteria, & fuerit profundus, & canis ra-

bidus mordens, fuerit in rabie valde confirmatus, & fuerit famelicus, concurrẽte magna patientis dispositione, superuenient, seu superuenire incipient accidẽtia supradicta vsq; ad paucos dies. Si verò morsus factus fuerit in loco ignobili longinquo à membris principalibus in carne, & fuerit superficialis, & canis mordens fuerit parum rabidus, & satur, cõcurrente magna patientis indispositione, superuenient, seu superuenire incipient præfata accidentia valde tardè. Si verò prædicta mediocriter se habuerint, superuenient, seu superuenire incipient præscripta accidentia medio modo. Quomodocunque tamen fiat, natura veneni rabiosi canis, est tardæ impressionis, cuius quidem accidentia vt plurimum adueniunt post xl. dies.

Signa morsuræ canis non rabidi, sunt opposita seu priuata signis morsuræ canis rabidi, statim infra dicendis: ex quibus hæc signa manifestissimè comprehendentur.

Signa igitur canis rabidi morsurę, tripliciter principaliter comprehenduntur: videlicet aut ex parte cognitionis canis rabidi, aut ex parte vulneris, aut ex parte superuenientium accidẽtium. Ex parte quidem cognitionis canis rabidi, ipsius morsura cognoscitur: quia talis canis rabidus variatus est à solita figura, & complexione sua, sicut variantur leprosi. Et quãdoq; apostematur corpus eius, & conuertitur color eius ad cinereitatem, patitur famem, & nõ comedit, sitim patitur, & nõ bibit, & pręsertim aquam: imò quandoq; obuiat aquæ, timet ex ea & abhorret eam, & quandoq; horripilatur ex ea, & tremit, & multiplicatur horripilatio in toto corpore, & in cute faciei suæ: imò quandoq; moritur ex ea timendo, & propriè in fine rei. Et accidit ei multitudo tenebrositatis oculorum, & habet oculos rubeos, & inuersatos, & est vehementis seu fixi & horribilis aspectus, & est semper solitarius, & est ignarus non cognoscens dominum suum. Os aperit, & extrahit linguam. Ex ore eius currit saliua spumosa. Fluunt humiditates ex naso eius. Caput fert decliue inclinatũ ad latus. Aures habet mollificatas, priuatas motu, & aliquando mouet eas ambas. Inclinatur dorsum eius ad latus: quare videtur tortus ad latus: & ad inferiora. Caudam fert inter coxas relaxatam. Ambulat timidus declinans modò à dextris, modò à sinistris, quasi sit ebrius, tristis, & angustiosus, & præcipitat omni passu. Cum apparet ei forma aliqua, currit contra illam inuadendo ipsam, siue sit paries, aut arbor, aut animal, & mordet hominem, aut quodcunque aliud animal, quod occurrit ei. Et paruificatur inuasio eius cum latratu, imò inuadit tacitus & squalidus, parum, & obscurè, & cum raucedine latrat. Et quando latrat, canes alij fugiunt à via eius, & ab eo etiam fugiunt à longinquo. Quòd si fiat præsens alicui eorum repente, canis ille non rabidus, blanditur ei, & obediens fit inter manus eius, & conatur fugere ab eo, & fugit vmbram propriam quam aspicit in pariete. Secundariò comprehenduntur signa canis rabidi morsuræ ex parte vulneris: quoniam si accipiatur frustum panis, & intingatur sanguine vulneris, aut alio liquore ex vulnere emanante, & detur alicui cani sano qui renuat illud, est signum certum quòd canis fuit rabiosus. Si verò ipsum comedat, est signum euidens quòd canis qui momordit, non fuit rabiosus. Aut si accipiantur micę panis intinctæ sanguine vulneris, aut alio liquore ex ipso emanante, & proijciantur gallinis, si eas gallinæ comederint, & vulnus factum fuerit à cane rabido, morientur infra vnum diem, vel circa. Si verò post earum comestionem, degant incolumes, est signum euidens, quòd canis, qui momordit, non fuit rabiosus. Aut si accipiantur nuces, vel auellanæ, & tritæ vulneri saltem per horam vnam superponantur, & postea gallinis proijciantur: si gallinæ eas comederint, & canis fuerit rabidus, infra vnum diem vel circa morientur. Si

verò

verò non fuerit rabidus degent incolumes. Tertiò comprehenduntur signa morsuræ canis rabidi ex parte accidentium superuenientiũ: quia si ad morsuram superuenient accidentia suprascripta, erit signum euidens, quòd canis fuit rabidus: Si verò minimè superuenerint saltem vsq; ad completum annum, erit signũ certissimum quòd non fuit rabiosus. Verũ quia, postquàm superuenerint accidẽtia suprascripta, patiens rarissimè curatur: idcirco medicus ad cuius curam perueniet aliquis morsus à cane, principaliter debet attendere statim in curæ principio, signa sumpta ex parte cognitionis canis rabidi, & non rabidi, & signa sumpta ex parte vulneris. Rasis tamen 20 Continentis, cap. secundo, auctoritate Iudæi vltra suprascripta accidentia morsui canis rabidi superuenientia, ponit vnum aliud accidens, significans: an canis, qui momordit, fuit rabiosus an ne: sic inquiens: Si fundatur aqua frigida super corpus eius, quem canis momordit, si cutis calefit, canis fuit rabiosus, si non, non.

Præseruationes à prefatis morsuris, fiunt euitando pro posse omnes mordẽtes canes, & maximè rabiosos: qui cum presertim rabidos esse cogniti fuerint, sunt protinus interficiendi.

Cura morsuræ canis non rabidi, est cura communis aliorum vulnerum, & præcipuè morsurarum animalium quadrupedum non venenosorum in generali posita in immediatè precedenti cap. Aliqua tamen ponitur ab auctoribus appropriata illi, quæ infra describam. Cura autem morsuræ canis rabidi, est cura communis morsurarum animalium venenosorũ posita in 3. cap. lib. 5. Quæ autem appropriatè pro illorum præseruatione, & cura dicuntur ex auctorum mentibus, statim infra describam, aduertendo tria principalia signa prognosticantia super saniorem dispositionem morsuræ canis rabidi, & maiorem spẽ ipsius perficiendæ curæ. Primum est quòd plurimum currat ex vulnere, siue vlcere, quia significat fortitudinem naturæ expellẽtis inde materiã venenosam à veneno canis rabidi generatam. Secundum est minctura sanguinis præsertim nigri melancholici præcipuè post potum medicinarum theriacaliũ: quia significat naturam expellere humorem melancholicum, adiuuante presertim virtute medicinarum theriacalium appropriatarum. Tertiũ signum, est quòd vulnus sit superficiale, & in loco ignobili, carnoso, longinquo à membris principalibus, & factum fuerit à cane parum rabido, & patiens valde indispositus sit effici melancholicus: quia talibus concurrentibus venenum rabidi, non poterit in patientem multam venenositatem imprimere, presertim ei congrua adhibẽdo remedia. Dioscorides in libro de Simplicibus cap. de Allio: Allij duo sunt genera, si cum vino fuerit bibitum, rabidi canis morsum nocere non permittit, & comestum, melius tamen si bibitum est cum aqua. Cap. de Agrimonia: Agrimonia est diuretica valde, viridis, trita, & pota, ad serpentiũ morsum canis hominisq; rabidi, & contra venena facit. In serpentium morsu ʒ. ij cũ vini cyathis duobus. i. ℥ iij, aliàs cyathis tribus. i. ℥. iiij semis data, discutit mirificè venenum. Cap. de Adiantho: Adianthum folia habet coriandro similia, scissa in summitate: radix est illi inutilis: virtus est folijs ipsius, quę elixa in aqua, & bibita, morsus caninos ad sanitatem perducunt. Cap. de Sambuco: Sambuci duo sunt genera, vnum arborosum est, alterum genus est quod ebulus dicitur. Folia eius viridia polente mista morsibus caninis medentur. Cap. de Plantagine: Arnoglossa morsibus canis auxilium præstat. Cap. de Amygdalis: Amygdala morsibus canis trita cum melle subuenit: Radix amygdalæ amaræ elixa, & trita in morsu canis, si cum melle manducata fuerit, dolorem aufert, ventrem mollit, & somnum prouocat. Cap. de Aphronitro: Aphronitrum, id est, baurach, seu spuma nitri, axungia porcina mistum, caninos morsus curat. Cap. de Bulbo: Omnes bulbi impositi

caninis morsibus subueniunt. Cap.de Cucumere: Cucumeris natura frigi-da reperitur: folia eius ex vino trita, vulneribus medentur, quæ caninus morsus impressit. Cap.de Cæpa: Succus cæpæ morsibus caninis occurrit, melle, & ruta, & sale addito. Cap. de Nuce communi: Carya basilica, cataplasmate adhibito cum cæpa, melle, & sale, morsum hominis, & canis ad sanitatem perducit. Cap.de Mentha: Edyosmos imposita, sale addito, morsibus canis opitulatur. Cap.de Fœniculo: Radix eius cum melle cocta, morsus caninos ad sanitatem perducit. Semen vulnera canini dentis cum melle illitum purgat & sanat. Cap. de Hierobotane: Hierobotane herba est porrecta, virgultis vltra cubitum geniculatis, cum folijs per interualla distantibus tanquam quercus, incisis & subalbidis: Facit ad morsum rabidi canis: aquam timentes ex morsu rabidi canis sanat: vulnus recens superimposita curat. Cap. de Licio: Licium morsibus rabidi canis in modo pilulæ datum medebitur. Cap. de Lasere: Laser lachryma est herbæ, quæ sylphium appellatur: in omnibus medicinis vsui succus necessarius est: poscæ mistus morsum rabidi canis curat. Cap. de Melle: Mel adhibitum, morsus rabidi canis saluberrimè curat. Cap. de Melissa: Melissophylli folia cum vino bibita, & in cataplasmate, caninos morsus ad sanitatem perducunt. Elixatura eius id facere potest: nitro addito folia ipsa omnia suprascripta facere norunt. Cap. de Marrubio nigro: folia eius addito sale, & in cataplasmate posita, morsibus caninis occurrunt.

Cap. de Nitro: Nitri spuma axungiæ porcinæ mista, caninos morsus curat. Cap. de Oxalmo: Oxalmum fomento adhibitum, medetur putredines vulnerum, & morsus caninos ad sanitatem perducit: morsibúsque venenatis occurrit. Cap. de Olusatro: Olusatrum morsui canis ex vino datum occurrit: de semine enim nobis sermo est. Cap.de Lacte ficus: Succus seu lachryma agrestis ficus, morsibus venenatis, & rabidi canis occurrit. Cap. de Scordeo: Scordeon omnibus perniciosis hominum malis vehementer resistit: morsui canino cum melle succurrit. Si cum restibus suis oleo permistum fuerit, ictus venenatos efficaciter sanat. Cap. de Sanguine: Caninus sanguis bibitus, morsum rabidi canis curat. Testudinis nemoralis sanguis bibitus, morsum rabidi canis curat. Cap. de Tritico: Triticum crudum masticatum, & impositum, morsum rabidi canis curat: cum ruta coctum tumores spargit: morsibus venenatis occurrit.

Cap. de Thunno pisce: Thunnus salsus, id est, thunnina, cataplasmate adhibitus, morsibus caninis rectè adhibetur. Cap. de Betonica: Betonica in canis rabidi morsu contusa, & obligata, expurgat venenum. Cap. de Vrtica: Vrtica omnibus est nota: sunt autem duo genera eius: amborum folia cataplasmate adhibita cum sale, caninos morsus mitigant. Cap. de Hipposelino: Hipposelinum, quod alij apium agreste vocant, morsui canis ex vino datum occurrit.

Galenus in libro cata geni tractatu quinto: Vnguentum conferens in vltimo ei, quem momordit canis rabidus, dum ponitur super locum morsuræ. ℞. aristolochiæ rotundæ, radicum lilij, viridis æris, ammoniaci, myrrhæ, an. ℥ i. terebinthinæ Damiatę, id est, terebinthinæ de ciuitate Barbariæ nominata Damiata, ceræ, olei omphacini, an. ℥ ij. semis.

Galenus sexto de Simplici medicina, capite de Alysson, id est, alguasen: Alysson est herba, quæ mirabiliter confert morsis à cane rabido, imò etiam occupato rabie, propinata sæpe sola sanauit: post autem hoc ex similitudine quæ secundum totam substantiam.

Libro nono, capite de Lemnia, id est, terra sigillata: Si autem ad alia morti-

mortifera pharmãca, quę & deleteria vocantur. eandẽ virtutem habet id quod per Lemnium pharmacum mihi quidem immanifestum est. Ille autem qui de Hephœstiade asserebat, morsum rabidi canis sanare id bibitum per vinum lim phatum, in vlcere autem positum per acetum acerrimum: sed per acetum quidem & aliarum ferarum asserebat, id morsus sanare appositis desoris herbarum frondibus, quas didicimus opponi putredinibus. Cõmendabat autẽ maximè scordeon, deinde centauream minorem, deinde verò prasium. Ego verò, quando in male morigeratis, & putribilibus vlceribus Lemnia vsus fui, pro fui nimis, &c. Libro vndecimo cap. de hepate: Hepar id quidem quod rabidi canis scripserunt quidam, quòd si assum comedatur, confert morsis ab ipso. Et quosdam vidi eorum, qui ipsum sumpserunt, vixisse, non tamen ipso solo sed vsos consequenter alijs pharmacis, quorum experientiam habemus in morsis à rabido cane. audiui verò quosdam in ipso solo confisos, postmodum mortuos fuisse. Cap. de Cinere cancrorum fluuialium: Cancrorum aũt fluuialium cinis, proprietate totius substantiæ mirabiliter in morsis à rabidis canibus operatur, & solus quidem: sed cum gentiana, & libanoto, id est olibano, vel thure multo magis. esse autem oportet libanoti quidem partem vnã, quinque verò gentianæ, cancrorum autem cineris decem, sed aliter quidem vstis vsi fuimus aliquando raro eis: plerunque autem secundum modum quo Heschirion empiricus vtebatur, pharmacorum peritissimus senex, aliquando autem & didascalus noster. Aderat autem olla rubei æris, in qua ponens viuos cancros comburebat, donec incinerarentur, vt faciliter tererẽtur. Hic Heschirion habebat in domo semper promptum pharmacum, pręparatum æstiuo tẽ pore, adurens cancros post ortum canis, quando sol quidem erat in leone, luna verò octaua decima, dabatq; bibere hoc pharmacum morsis à rabido vsq; ad xl. dies apponens in aqua cochlear vnum competens, id est aur. 1. Si verò non à principio, sed post aliquot dies suscipiebat curam morsi, duo cochlearia quolibet die propinabat: vtebatur autem & in ipso vulnere, emplastrico pharmaco, quod ex pice liquida, opopanaco, & aceto fit, sumens quidem vnam libram picis, vinum autem sextarium Italicum, id est libr. ij. ℥. viij. aceti acerrimi, opopanacis verò tres. ℥. Hæc quidem, quanuis non sint præsentis negocij, scripsi propter pharmaci fiduciam, cum nemo vsus eo, prout iam dictum est, mortuus fuerit. Horum autem omnium doctor noster Polops causas dicere volens conuenienter ait, cancrum aquatile animal existens conferre morsis à rabido, quibus timor est, ne occupentur à rabie siccissima passione existente, quamobrem & timent aquam. Cancros autem fluuiales, & non marinos dicebat congruere, eo quòd propter permistionem salis exiccatiui existentis, animalia marina non seruauerunt contrarietatem, quæ aduersus rabiẽ. Et dicente ei quodam: cur igitur & non omnia animalia degentia in aqua potabili conferunt sicut cancri? Ait: quia similiter præparationem cancrorum recipere nequeunt. His etenim adustis cinis siccatiuus factus consumit, & diaphorat virus canum mordentium. hęc igitur dicebat Polops, promittens, & & fingẽs scire causas omnium. Ego autem, nisi prius suadeo mihi me scire certitudinaliter quid, non attento suadere proximis, nec Polopis igitur sermonẽ sicut verum acceptaui multas contraditiones habentem: sed cancros secundũ proprietatem totius substantiæ prodesse eo tantùm, quòd nemo vsorum eis est mortuus. Cap. de Animalibus viuis apertis: Aiunt quidam nominatũ quoque kibium in morsu canis vtiliter admitti appositum vulneri.

Galenus in libro de Simplicibus ad Paternianum: Eruum vires habet diureticas valde. Fit autẽ farina de illis, quæ alba sunt ita, vt si aqua parum aspergantur, & in patellis assentur vt corium dimittant, & sic tundantur, & tenuissimè

cribellentur: vulnera cum melle optimè purgat, & implet: & cōtrà canis, & vi
peræ morsum vtiliter imponitur. Galenus in libro de Theriaca ad Pisonem, &
in libro de Cōmoditatibus theriacæ. Theriaca tēpore nō pauco eget, vt con-
grua fiat ad vsum, &c. Non solùm autem ad theriarum, & ad ferarum morsu-
ras, & ad deleteria pharmaca iuuare hęc antidotus nata est, verū etiam & ad
maximas alias passiones alexiterium est pharmacū: ita enim à nobis, & ab vsu
qui in experientia inuenta est esse hydrophorbiam. i. timorem aquæ ex rabi-
di canis morsu prouenientem etiam pessimam ægritudinem hoc pharmacū
multotiens curare assueuit, & mirabiliter obsistere tantorum malorum incur
sui. Non solùm enim corpus eis siccatur, & spasmosum fit, & febre aliquando
acri intus aduritur: sed etiam eis mens alienat, & pessimum eis infert sympto-
ma: aquam enim timent, & propter nimiam siccitatem, aquę desiderium ha-
bent, & à bibendo abstinent. propter alienationem enim id, quod potest iu-
uare, nō conspiciunt, eo quòd desipiunt: fugientes enim aquam, & timentes,
miserrima morte moriuntur male. Rationalis medicus curabit nō simpliciter,
sicut methoicus, plagā, sed cōfestim quidem maiorē se ipsa operabitur, circū-
cidens carnem per multam distantiā, & circularem eius figurā faciens, vt non
possit faciliter consolidari: sed teneat apertum foramen vsq; ad multum tem-
poris spacium, & ad minus vsq; ad xl. dies, vt egrediatur per id venenum ca-
nis. Cauterijs etiam assueuimus valde ignitis adurere locum, & vti alijs phar-
macis, quæcunq; sunt attractiua, & intus in carne manere venenum non sinūt.
Ego autem excogitans aliquando antidotum ipsam. i. theriacam immiscui cū
oleo, quod à rosis præparatur, & velut aliquod pharmacum lutuosum appo-
sui plagę, vt velut aliqua ventosa emulgeret, & de profundo attraheret id,
quod corrumpere poterat: & omnino sicut aliquod optimum pharmacū the-
riaca ab extra apposita, & bibita, morsis à canibus rabidis summè confert. Ga-
lenus in libro de Virtutibus cētaureæ ad Papiam: Est autem succositas huius,
supple, centaureæ minoris, factæ modo suprascripto in 3. cap. quinti lib. stipti-
ca, & siccatiua, & calefactiua cum virtute immanifesta operans, quam non
est possibile exponere verbo, neq; ad excogitationem venire, ita est vtilis ad
multa. Confert autem & in feris venenosis interficientibus, & non interfi-
cientibus: in apum quidem, & incisiuorum morsibus vncta cum vino, in re-
liquorum verò similiter, sicut & canis omnis, & propriè rabiosi, & leopardi,
& crocodili, & similium: vsus autem est diuersus. Statim enim quòd plaga fa
cta est, vel mordicatio scarificare oportet eum, qui in circuitu est, locum, & in
ipso loco qui patitur facere vnam incisionem profundam, & sic mulgere, &
educere humorem: deinde in plaga superponere collyrium, & desuper ben-
dam de corio, & soluere post dies viij. aut xiiij ad plurimum, & vino absterge-
re infuso in spongia: aquam verò non oportet adducere, & maximè in morsis
à cane: quinimo abstinere oportet à balneo vsq; ad annū, & omni aqua: vlcus
autē in morsis à cane rabido custodimus incōsolidatū tempore multo, sed nō
semper sicut multi medicorū faciunt: secundum veritatem verò permittēdum
est consolidari sicut & alia vlcera in proprijs temporibus. Ita enim & Apollo-
nius curauit quendam genere Gallicum morsum à cane rabido: & ego curaui
quendam iuuenem dans bibere pharmacum istud, & aliquando exsuperabun
danti cum oxymelle.

Galenus in lib. de Secretis ad Monteū cap. ad morsum canis rabidi: Illud aūt
quod sanat à morsu canis rabidi, est istud quod dico tibi: & est ex medicinis
nobilibus, & secretis magnis, & est medicina quā faciebat Asimus senex anti-
quus, qui vituperabat medicinas per eā: & ipse quidē nō vidit aliquē, quē mo
morderit canis rabiosus, & biberit eā, mori, si non cōsequebatur ipsum in prin
cipio,

cipio, cùm momorderit eum canis. Dabat ergo in potu ex ipsa coclearia duo id est aur. ij, & potabat ipsum ex ea xl. diebus integris, & emplastrum faciebat, loco morso, quod dicam post mendicinam. Modus medicinæ morsus canis rabidi. ℞. cineris cancrorum partes decem, gentianæ partes v. thuris partem 1. dosis eius est coclear vnũ magnum, id est aur. ij. & puluerizetur super aquam & non bibatur ex ea, supple, medicina minus ʒ. iij. Modus emplastri: ℞. aceti vini kist. 1. id est libram 1. semis, opopanacis ℥. ij. picis libras iij. aggregetur illud, & fiat emplastrum ex eo, & emplastretur ex eo locus morsus: est enim mirabile. Galenus quinto Passionarij, capite de Cura timentium aquam: Phlebotomo prius occurrendum est, si non prohibuerint præiudicia, vbi aliquando febrium timor defuerit, etiam post tertium diem detractio sanguinis non negatur: item dabo gentianæ radicis vulneris cochlearium 1. id est aur. 1. cum mellicrato: dabo theriacam, dabo coagulum leporis tritum cum mellicrato: similiter etiam canis catulorum coagulum: dabo quoque cancrorum fluuialium combustorum puluerem: vulnera eorum à plena sanitate differemus, admouendo medicamenta quæ debent humectare, & sordida eadem vulnera faciant permanere: pectus eorum & stomachum calasticis, id est resolutiuis cataplasmatibus seminum adiuuabo: etiam cerotaria ex aloe, mastiche, & oleo nardino, id est de spica, præparabo: caput eorum oleo anethino, vel chamæmelino tepido infundo: vomitibus frequentibus & clysteribus releuandi sunt: stomacho ventosas freq̃eter impono, & vnguentis ex sampsuci, id est maioranę herba, vel absinthio confectis, præcordia perfricabo. Cogo interea & suadeo per interualla ad balnea ire debere, & solij fomento calido eos posse iuuari assero. procurabo etiam cibos cum soporiferis speciebus, si in tempore nõ deerit sagapenum, id est serapinum, aut laser, id est assam, addimus: Curari autem debẽt sic: potum & cibum, quem acceperint, non videant: quicquid oculi potus vident, nimium pauent. Quòd si vires ætatesque permiserint, & febres non fuerint, phlebotomentur in diatrito, id est in tertio die vel infrà, alioquin adiutorijs medicaminum curentur, & ad ipsum morsum cauterium imponatur in initio, & potui dato gentianæ succum, aut pulueris eius cochlearium vnum, id est aur. 1. cum mellicrato, id est aqua mellis, aut coagulum leporis, vel catulorum cum mellicrato, aut oleum, aut theriacam mundam cum vino: & morsum ipsum multo tempore cerotis medicaminibus curato: venter eius moueatur, thoracem & stomachum ex lini semine, & hordei farina, ex mulsa, id est aqua mellis facta ex duabus partibus aquæ, & tertia parte mellis cocta, cataplasmabis, caput infundes cum oleo vbi coctum erit castoreum, et vomitum prouocabis post comestionem ex raphano, & clysteri prouocentur, & in stomacho cuffas, id est ventosas imponito: & loca contracta ex fœnugræci elixatura fouenda sunt, & vngenda sunt loca ex acopis, id est medicaminibus dolorẽ placantibus, & cerotarijs, & vnguentis de sampsuco, castoreo, & absinthio confectis. xl. diebus accipiant in potu laser, id est, assam ex calida: item, si vires permiserint, potu dari iubemus cucumeris agrestis radices, aut castoreum, & oxymel ex absinthij decoctione, vt vomitum prouocent: cibos accipiant leues, & digestibiles, & adiutorio hypnotico, id est somnifero nares vngito, & frontem post dimissionem, id est post xl. dies, vino, & carne, & balneis vtantur: quod si per negligentiam non curati fuerint in passione epilepticorum, vel dæmoniacorum, moriuntur, sicut veteres scripserunt.

Oribasius secundo suæ Practicæ, cap. de Ad canis rabidi morsum. Curatio hydrophobici hæc est: Escas & potiones quas accipere debent non videant, quia quod oculi vident, nimium expauescunt, si vires, aut ętas permiserit, & febris non est, phlebotomentur in diatriton, i. in tertio die, vel infrà, si phlebоto

mia non est, alijs adiutorijs curentur, id est ex lini semine, aut pultibus hordei in mulsa, id est aqua mellis coctis. ex ipsa decoctione ventrem & thoracem fouebis: & caput infundes ex oleo, vbi coxeris castoreum, leuiter ventrem deduces, & vomitum dulce ex raphanis prouocabis: post dimissionem vomitus clysterizabis, & stomacho cucurbitas, id est ventosas impones, & loca contritionis ex fœnugræci decoctione fouebis, & ex acopis, id est medicaminibus dolorem placantibus inunges loca, & ex cerotarijs humectis: sampsuchum, i. maioranam, castoreum, absinthium bene conficies, & impones: potio hydrophobici, bituminis, id est asphalti, sambuci teneraminis an. ℥. semis, pullorũ ceruellas iij. ad viros: si mulier est, ex gallinis teres insimul, & facies pilulas nouẽ per dies tres. bibant pilulas tres, in vino, quartum diem dimittant: iterum per dies tres similiter faciant, quartum diem dimittant, tertia vice similiter faciant, & abstineant seipsos xi. dieb. à carnibus, & à Venere: cibos digestibiles accipiant, & adiutoria hypnotica, i. somnifera: & de his potionibus nares sæpius inunges, id est de lasere, i. assa cum aqua calida, aut de castoreo cum oxymelle, aut de absinthio iu aqua cocto, hoc est, vt non siccentur, aut non scabiant. in dimissione post dies xx. vino, & carnibus, & balneis vtantur. si per negligentiam incurati permanserint, epileptici, aut dæmoniaci efficientur, et secundum antiquorum dicta morientur. Cura hydrophobici: Si canis, aut quælibet fera rabida aliam morserit, aut homo hominem, statim cum scalpello circumcides, aut sanguisugas pones, & competenter sal tritum asperges, & cucurbitas, id est ventosas, aut cornu superpones ad extrahendum venenum ex morsu canis, & in ipso vulnere cauterium ferreum candens mittes, vt diu crusta teneat, id est scabies quam Græci scaram vocant, vt sanguis non persequatur, vsq; medicamina omne corpus inuadant, & ipsa vulnera ex catharticis, id est purgatorijs medicamentis per multos dies curabis, id est per dies xl. aut plus ne persanentur: leuiter ventrem deduces, & vomitum prouocabis: post dimissionem vomitus clysterizabis, post clystere cibos digestibiles, & leues accipiant, & medicamenta, & somnum adducant: à vino, & ab omnibus carnibus, & à Venere, & ab omnibus leguminibus abstineãt se: potiones, & medicamina acriora, intrinsecus, & extrinsecus in vsu teneant vsq; ad dies xl. post dies xl. vino & carnibus, & balneis vtantur. Potio ad canis rabidi morsum. Cancros fluuiales in olla ignita combures, & puluerem facies: & de isto puluere ʒ. iij. mittes, libani, thuris masculi, ʒ. 1. de puluere gentianæ, ʒ. ij. commiscebis: dabis exinde cum posca, id est aceto, aqua misto ieiunis per dies xl. Item personatiæ, id est bardanę, seu lappæ maioris radices cum sale teres, super vulnus pones. Item cepollam, id est cæpam coctam cum melle teres, & superpones. Similiter semẽ de buxo bibant. Item aristolochiæ longę radix trita, & apposita, vtilis est. Item nasturtium gliganum, id est calamentum, vel pulegium in aqua coctum ieiuni bibant. Item capparis radix cum sale trita, & apposita, curat. Item maioranæ, dictamni, an. manip. 1. sambuci comarum, manip. 1. de ebuli radicibus rotulos ix. (aliàs rotuli nonam, supple, partem, quæ rotuli nona pars est ℥. 1.) teres & sal addes: & cum tribus calicibus, id est cyathis, id est ℥. iiij. semis vini, & aquæ bibant. Item potio quæ fortiorem virtutem habet, & per triduum datur ad morsum rabidarum ferarum, ad homines, aut ad quodlibet animal, mittes carere, id est carui, quantum quatuor digitis leuare poteris, lauri baccas v. de radicibus herbę cerdari, (id est secundum expositionem repertam in Orobasio eringi,) coctis & siccis ʒ. ij. de boinon sicca, quæ habet folia fœniculo similia, ʒ. iiij. puluerem facies singulariter: & de melle modicum addes in mortario, commiscebis vt lenitatem habeant: addes vinum cũ aqua, in ampulla repones, & per triduũ in die cyathos iij. id est ℥. iiij. semis, aut iiij. id est ℥. vi. accipiant secũdum vires,

vires, ita vt antea des vini cadum semis, id est ℥.1. semis, & olei cochlearium, 1. id est aur. iiij. panis buccellas calidas ad sorbendum accipiant.

Oribasius libro 1. de Dynamidijs, tractatu de emplastris: Emplastrum diaphroditis super canis rabidi morsum, aut serpentium, vel ferarum, hoc medicamen impones, tertio die tolles, inuenies ibi magnitudinem: mortiferum venenum inde exterges, iterum impones, & sanabitur. Emplastrum nigrum valde bonum, quod Græci Barbarum appellant, & canis rabidi morsum, vel ferarum curat, &c. Emplastrum Vsia quod habet substantiam magnam ad sanandum canis rabidi, bestiarum, & serpentium morsum, &c. Emplastrum quod vocatur Melene, facit ad omnia vulnera percussa, siue morsus venenatos canis rabidi, &c. Emplastrum Sematophylace quod facit ad morsum canis rabidi, &c. ℞. seui taurini libras vi. resinæ pineæ libras v. medullæ ceruinæ ℥. septem, menthæ succi, marrubij succi an. ℥. quatuor, menthastri succi, plantaginis succi an. ℥. tres, hyoscyami succi, lapathij succi an. ℥. duas, gypsi floris ℥, vnam, seuum, resinam, medullam resolues, per linteum extorquebis: addes herbarum succum, tandiu in mortario commiscebis, vt gypsi flos spargatur, repones, & vteris. Emplastrum quod facit ad omnes infirmitates morsuum ferarum rabidarum, &c. Tractatu de Antidotis: Antidotum Girra valde optimum, quod contra omnes malas potiones, vel venenatas, facit ad morsum rabidarum ferarum: ter aut quater in mense dabis, aut cùm necesse est, &c. Antidotum Sotera quod interpretatur saluatio totius corporis, &c. Serpentium morsum, vel canis rabidi, mirè discutit, non cum sola mulsa detur, sed moribus antidoti accipiatur, &c. Siquis frequenter cum mulsa vsitauerit, nunquam infirmabitur. Istud antidotum iuxta vires dabis: debilibus enim in modum auellanæ, id est aur. 1. Antidotum quod facit ad omnem venenatam potionem, & omnium ferarum morsum, vel canis rabidi, &c. Antidotum Adrianum quod facit ad omnes passiones, & ad serpentium morsus, & ad canis rabidi morsus, &c. Antidotum Trifera, quod facit ad omnem dolorem soluendum, vt ipsa hora ęgroti sudent: serpentium & canis rabidi morsum curat, &c. Emplastra, & antidota, quorum descriptiones non suprà scripsi, omnia descripta sunt superius in 3 cap. 5 libri, auctoritate Oribasij locis præallegatis, ideo pro eis illuc recurre.

Theodorus Priscianus 2 suæ Practicæ, cap. de Hydrophobicorum causa, vel aquæ motu: Hydrophobicorum causam aliqui ex morsu canis rabiosi, aliqui ex serpentium morsu euenire asserunt: sed has origines solicitè nos scrutari superfluum est: occupatis etenim hoc morbo molesto, nihil iuuat originem didicisse: igitur cùm initium huiusmodi manifestum fuerit passionis, &c. phlebotomo occurrendum est, si nos nulla prohibuerint cætera præiudicia, et, vt superius dictũ est, quò necessitas cogerit tempore: vbi enim febrium timor de fuerit, etiam post 3 diem detractio sanguinis denegatur, aliàs, non negatur. Item dabo gentianæ radicis pulueris in mellicrato, i. aqua mellis cochleat 1. id est aur. 1. dabo theriacam: dabo coagulum leporis cum mellicrato similirer: dabo etiam catulorum canum coagulum: dabo etiam cancrorum fluuialium cõbustorum puluerem. Vulnera autem eorũ ad plenam sanitatem, vt possumus, differimus, adhibendo medicamenta quæ debent humectare, & sordida eadam vulnera faciant permanere. admoueo interea sanguisugas: admoueo caustica. patienti etiam diu loco paulatim venenosi humoris minimè poterit prohibere digestionem. pectus eorũ vel stomachum seminum calasticis, id est resolutiuis, cataplasmatibus adiuuabo. Cerotario etiam iuuabo ex aloe & mastiche, & nardino oleo temperato: caput eorũ oleo chamæmellino, vel anethino tepido infundo, vomitibus frequentibus & clysteribus releuandi erunt: sto

macho

macho ventosas frequenter impono, & vnguentis ex sampsuci, id est maiora-
næ herba, vel absinthio confectis præcordia perfricabo. Cogo interea, & sua-
deo, & per interualla ad balnea ire debere, & folij fomēto calido eos posse iu-
uari asseuerabo. procurabo etiam cibos cū soporiferis speciebus, si in tempore
non deerit sagapenum, id est serapinum, aut laser, id est assa ad miscendum.
Aurelius 1. suæ Practicæ, cap. de Hydrophobicis: Hydrophobicorum passio
periculosa est: hydrophobos ab aquæ metu: nam ὕδωρ Græcè aqua, φόβος me-
tus dicitur. Curari autem debet sic: Potum & cibum quem acceperint non vi-
deant: quia quicquid oculis viderint potus, timent: & si ætas viresq; permise-
rint, & febres nō correxerint, phlebotomentur in diatriton, id est in tertio die,
vel infrà: quòd si ætas hoc fieri prohibuerit adiutorijs medicaminibus curen-
tur, & ad ipsum morsum cauterium ferreum imponatur initio: & potui da gen
tianæ succum, aut oleum, aut cancros fluuiales assos cum calida tritos, aut the-
riacæ antidotū, & ipsum morsum longo tempore cerotarijs medicaminibus
curabis, venter moueatur, thoracem, & stomachum ex lini semine, & hordei fa-
rina in mulsa, id est aqua mellis cocta, cataplasmabis: caput infundes oleo, in
quo castoreum coques: & vomitum prouocabis post comestionem raphani:
& clystere inities, & in stomacho cuppas impones, & loca contracta ex fœnu
græci elixatura fouenda sunt, & vngenda acopis, id est medicaminibus dolo
rem placantibus, vel cerotarijs, & vnguento de sampsuco, castoreo & absin-
thio cōfecto diebus xl. & accipiatur potui laser, i. assa cum calida: & si vires per
miserint, potui dare iubemus cucumeris agrestis radices cū calida, aut casto-
reum cum oxymelle, & absinthium viride in aqua coctum, vt vomitum pro-
uocet. Cibos accipiant digestibiles, & leues, hypnotico, id est somnifero, nares
& frontem inunge. post dimissionem, id est post quadraginta dies vino, carne
& balneo vtantur.

Macer in libro de Simplicibus, capite de Vrtica:

Cum sale de folijs eius factum cataplasma,
Vlceribus prodest, & sordida uulnera purgat,
Et cōtra morsus ualet hoc cataplasma caninos.

Cap. de Allio:

Sanat & appositum morsus cū melle caninos.

Cap. de Plantagine:

Sola canis morsum sedat, curatq; tumorem.
Cuncta post plantago minor prædicta iuuare:
Quanuis non tantas uires uideatur habere.

Cap. de Cæpis.

Appositas perhibent morsus curare caninos,
Si tritæ cum melle prius fuerint, uel aceto.
Apponunt alij cum uino melleq; tritas,
Transactisq; tribus soluunt cataplasma diebus.

Cap. de Mentha.

Trita canis morsum superaddita cū sale curat.

Cap. de Melissa.

Herba canis morsum superaddita cū sale curat.

Chyrandrus lib. 1. cap. vltimo: In lapide ochitorio, id est echite, id est lapide
prægnante sculpe hirundinem, & ad pedes eius scorpionem, & super, meni-
dam, id est mȩnulam piscem marinum stantem: & sub lapide reclude oculos
scorpionis, & mȩnidæ, herbæ scorpinȩ, id est basiliconis radiculam, & porta-
Auertet enim omne venenum animalium, inimicos & insidiatores humilia-
bit: si quis percussus fuerit à scorpione cum sigillo prȩdicto sigillet plagam, &
mox sanabitur. si quis à rabido cane fuerit morsus factus ὑδρόφοβος, id est timēs
aquam, & bibere nequit prȩ timore lymphȩ, id est aquæ: Accipe annulum prȩ
dictum, & mitte in aquam, & dabis bibere, & sanabitur: & si maniaco dederit,
non fiet maniosus. Libro 2. cap. de Hyæna, id est animali quadrupede sylue-
stri bifido, quod nascitur fœmina, & post annum fit masculus: deinde post a-
lium annum fit fœmina: aliquando calcat, aliquando succumbit, & parit, & la-
ctat. Si autem hydrophobico, i. timenti aqusi axūgiam Hyænȩ dederis, sanabi
tur. Dabit autem ignoranti: dexter autem pes si circumligetur phialæ vini &
detur

detur ad potandum cum ea hydrophobico, aut morso à rabido animali, mox sanabitur. pellis autem hyenæ canes fugat ante portam suspensa, omnemq; insidiam auertit. Lib. 3. cap. de Alectore, id est gallo: Fimus eius cum aceto cataplasmatus, à feris rabidis morsus & vlcera sanat. Libro quarto capite de Cricos pisce, quem quidam smaridam dicunt: Cricos piscis quem quidam smaridam dicunt, id est piscis, quem auctores dicunt esse animal, habens pedem sinistrum magnum & longum, dextrum autem valde paruum, corium testeum, molle, nigrum, interpositis rubeis maculis, tempore sereni aeris absolutum ambulans: & tunc totum corpus eius innititur pedi sinistro, & aliũ post se trahit: cum autem nubilus aer est, immobile adhæret lapidibus: hoc etiam animal cuicunq; alteri animali inhæserit, vix euelli potest ab ipso: ad scorpionis morsum & canis rabidi crudus conuenit, sicut & ad omnia passus. Cap. de Phoca, id est vitulo marino: Corrigiam eius si liges circa phialam, desq; bibere his qui à rabido cane morsi sunt, vel lupatico, mox curabuntur. Vnaym in libro de Incantatione, adiuratione, & colli ligatione: Dentes canini in cane rabioso, cum hominem momorderit in frusto corij ligati, & artui suspensi, defendunt supportantem à morsibus canis rabiosi. Species telæ araneæ, id est spisse textæ, & candidæ est, quam si armo, suspenderis, aquam canis, id est timorem eius defendit.

Iohannes Serapionis, 5. Breuiarij, cap. de Cane rabioso Quando certi sumus, quòd canis, qui momorderit, fuit rabiosus, dilatamus vulnus cum medicinis exiccatiuis, & medicinis, quæ attrahunt, & egredi faciunt venenum: sicut cepe, & alliũ, aut sinapi, aut nasturtium, aut bezaard, id est galbanum, aut eruca, aut ruta, aut anuiden, id est sylphium, cuius gummi est assa cum sale, aut auellana cum cæpe: & magis iuuatiuum est hoc medicamen factum cum opopanaco: & iste est modus eius. ℞. opopanacis ℥. iij. picis libram 1. aceti libram 1. semis, misceatur totum & administretur: & dentur in potu ex medicinis simplicibus, litium & absinthium, & gummi alanuiden, i. assa, & scordeon, et chamedrys, & polium: & ex medicinis compositis est hoc medicamen. ℞. cancrorum fluuialium combustorum super sensir, id est ignem vitis albæ partes x. radicis gentianæ combustę partes v. thuris partem 1. tere, & cribella, & detur ex eo cochlearium 1. cũ vini puri antiqui quantitate, ℥. iij. faciat illud spacio xl. dierũ. Illis autem qui non bibunt medicinam à primo die, quo cõsequitur morsus, oportet vt detur duplum potionis, aut triplum, aut sumant in potu bis omni die: & iuuantur etiam ex therio viperarum iuuamento magno, & vtantur cum hoc regimine quod sedat & frangit ex virtute veneni, & extinguit. similiter etiam quod prohibet ipsum submergi ad profundum corporis: & ex proprietate vini antiqui, dulcis, & fortis, puri, & potu lactis, est vt faciant istas duas proprietates. Et secundum hanc formam, est etiam comestio cæpe, & alliorum, & porri. Si autem aduenit ei timor aquæ, qui est causa perditionis, tunc ingenia in hoc vt facias eos potare aquam secundum hunc modum: Sumant mel mundum, & decoquatur, donec coaguletur: & fiant ex eo trochisci subtiles, & imple eos aqua: & cooperiantur cum melle coagulato, & proijciantur in os infirmi, aut fundatur aqua in vas figuli, aut plumbi, cui sit cannula longa, & intromitte eam in os, vsque ad radicem linguæ eius, & coge eum bibere eam, alias, ex ea.

Isaac in Diætis libro 2. cap. de Medulla tritici: Granum assum apostemati, quod ex rabidi canis morsu contingit, super appositum morbum fugat. Cap. de Orobo: Farina orobi temperata cũ vino, & super rabiosi canis morsum posita valet. Cap. de Ficubus: Ficus mista cum melle, ad morsum canis rabidi valet. Capite de Melle: Mel si despumatum potui donetur, valet ad canis rabidi

morsum. Cap. de Nucibus: Si ex eis cataplasma cum cæpis, sale & melle fecerimus, morsui canis rabidi proficiet. Libro 3. cap. de Cæpis, alliјs, & porris: Allia morsibus canis rabiosi remedium præstant.

Serapio in libro de Simplicibus, cap. de Prasio, auctoritate Pauli: Quando fit emplastrum cum eo, scilicet marrubio, & cum sale, confert morsui canis rabidi valde. Cap. de Gentiana auctoritate Abix: In gentiana est proprietas quæ confert morsui canis rabidi, & quæ est contraria venenis mortiferis bibita, aut imposita super locum morsuræ: & ego non vidi medicinam meliorem ista in morsibus canis rabidi, quando datur ex ea ʒ. 1. qualibet die trita, & cribrata, cũ ʒ. 1. myrrhæ, & cum ʒ. ij. pulueris cancrorum fluuialium adustorum in principio ægritudinis, antequam timeatur aqua.

Rasis in Continente lib. 20. cap. 2. Dixit Galenus in quodam librorum suorum: Litium iuuat in morsu canis, si vngatur super locum. Ait Galenus in Catagenis: Morsus & puncturas caue ne cures cum stipticis. Dixit Galen. quòd similiter iuuat cõtra morsum canis rabiosi cinis anethi puluerizati per septem dies, & non amotus iuuat, & sanat. Qui dat litium dissolutum cum aqua vsque ad quadraginta dies, non dubitabit ex aqua. Ait Galenus, contra timorem aquæ, iuuat cataputia minor & castoreum sumpta per superiora. Et dixit dare patienti aquam, vbi ferrum sit extinctum, eo ignorante, iuuat omnino: & si ligetur sub vase, in quo bibere debet patiens, pannus, cum quo tergitur latrina, patiens libenter bibet illam aquam. Ait Galenus: Nigella habet à proprietate operationem contra morsum canis rabiosi, si sumatur frequenter. Dixit Paulus: Quando canis mordet hominem, illa hora asperge acetum super locum, & frica locum frequenter cum planta manus, & postea appone super locum nitrum tritum temperatum cum aceto, & desuper appone lanam madefactam in aceto & oleo: aut emplastra locum cum cæpa trita & mista cum melle, & si senserit caliditatem in loco, appone farinam orobi emplastratam cum melle: quoniam hæc est medicina propria ad hoc. & si in loco accidat etiam apostema calidum, vnge locum ex merdasengi, id est lithargyro, & aceto. Emplastrum factum ex semine vrticæ cum sale, curat morsum canis, & vlcera eius. Si canis fuit rabiosus, tũc pone super vulnus medicamina aperitiua, sicut allia, & nuces, & opopanacum, & medicamina corrosiua sicut medicina, quę nominatur calidicon, id est medicina de arsenico, cuius diuersæ sunt descriptiones, & postea apponas butyrum, vt vulnus teneatur apertum adminus per quadraginta dies: & de medicinis simplicibus, sumat litium, absinthium, assam, polium, & medicinam Galeni. Purgentur verò cum cucumeribus asininis: postea bibant vinum purum, vetus & dulce, & lac. Comedant cæpas, allia, & porros, & hoc erit in principio morbi. Si verò venenũ fuerit dispersum per vniuersum corpus, euacua humorẽ melancholicũ, & prouocet sudorẽ. Emplastrum ex frondibus longi cucumeris hortulani iuuat. Ait filius Mesuay: Cæpa cum sale & ruta simul iuuant contra morsum canis domestici. Nux trita cum cæpa, sale, & melle valet. Emplastra contra morsum hominis, & canis, sunt triticum masticatum, & similiter farina orobi cũ vino. Debes phlebotomare, & purgare melancholicam ante quadraginta dies: & non tardes hoc facere. Theriaca bona. ℞. cineris cancrorum fluuialium, & gentianę an. ʒ. v. olibani & menthastri an. ʒ. iij. terræ sigillatæ ʒ. ij. informentur cum vino. dosis de mane ʒ. iij. & de sero cum tepida per aliquot dies ante xl. diem: sed quando timet aquam, nõ potest liberari, id est valde rarò liberatur. Litium dissolutum in aqua frigida, iuuat contra morsum cuiuslibet venenosi, aliàs, canis rabiosi: & cibetur patiens ex cancris fluuialibus, & aqua hordei, & sumat gentianæ Romanæ aur. 1. cum aur. ij. cineris cancrorũ fluuialium, & aqua frigida: & apponatur super locum

opopa-

opopanacum diſſolutum cum aqua calida. Et phlebotometur eodem die cùm morſus fuerit ex manu dextra: deinde ſumat de coagulo catuli aur. 1. ſucci cæparum vncias duas, in quo diſſoluantur ʒ. ij. caſei vetuſti, gentianæ aur. ij. cancrorum fluuialium aduſtorum aur. iij. terræ ſigillatæ aur. iiij. doſis eius ʒ. ij. de mane, ſimiliter & de ſero: & non tardes purgare humorem melancholicum cum medicinis dictis in cap. de Melancholia, ſicut ſunt pilulæ de elleboro, quæ ſunt ſpeciales ad hoc. Medicina elargans morſum: ℞. ſalis ʒ. iij. ſalis ammoniaci ʒ. ij. vitrioli ʒ. xij. ſcillæ aſſatæ ʒ. xvi. rutæ ʒ. iiij. coralij rubei ʒ x. æris vſti drachmas iiij. viridis æris drachmas iij. marrubij, drachmas ij. fiat puluis, & aſpergatur ſuper locum. Ait Iudæus: Deterior ex morſibus eſt morſus canis & hominis nigrorum. Et caraxatio cum ventoſis, eſt cura iſtorum: & apponere ſuper locum frumentum, aliàs, fermentum diſſolutum cum oleo roſaceo. & ſumat patiens altit. 1. aſſam fœtidam, & lac recens, & comedat poma. Ait Abmurayg: Vnguentum de pice iuuat vehementer contra morſum hominis, & canis. Elleborus occidit lupos, canes, & omnes feras. Si ponatur pellis tabac claudi ſub vaſe, vbi eſt aqua, bibet eam. Et gentiana habet à ſua proprietate quòd proficiat ad hoc. Si ſumat coagulum canis ille, quem canis rabioſus momorderit, ſanabitur omnino. Si patiens ſpeculetur in ſpeculo, ſi videat formam ſuam ſanabitur. Si verò videat formam canis, morietur. Ait Achoroſcos: Linire morſum cum colla piſcis, iuuat vehementer. Cinis emplaſtratus cum melle, iuuat contra morſum hominis, canis, & ſimiæ. Pili hominis madefacti in aceto, ſi ponantur ſuper morſum canis rabioſi, ſtatim liberabitur patiens. Vrina hominis antiqua poſita ſuper locum, trahit venenum canis rabioſi. Aqua decoctionis porrorum miſta cum vrina fœtida hominis, & ſparſa ſuper locum iuuat. Vrina hominis miſta cum nitro, & ſparſa ſuper locum iuuat. Emplaſtrum factum ex cinere vitis, nitro & aceto iuuat. Myrrha ſi ſumatur iuuat. Ait filius Patriarchæ: Vnge morſum canis ex litio diſſoluto in aqua frigida. Et quando locus morſuræ fuerit putrefactus, emplaſtra cum lentibus decoctis cum aqua, & melle, & liga ſuper locum, & non remoueas vſque ad dies ſeptem. Emplaſtrum iuuatiuum ad morſum hominis, & canis: Gluten piſcium iuuat contra morſum canis. Caſtaneæ cum cæpis, & oleo, aut caſtaneæ cum ſale. Ad morſum canis folia cucumeris longi, & folia citruli cum vino emplaſtra. Canis rabioſus non comedit nec bibit, &c. Cura eius, eſt in principio elargare vulnus, quantum poſſibile eſt cum medicinis, & coctura aliquot diebus. & prouoca ſudorem, balneationem, & ambulationem. Et poſtea purga humorem melancholicum cum elleboro, & hiera Ruffini: & vtatur cibarijs humectatiuis, & linias corpus cum oleo: & bibant vinum lymphatum, & in principio phlebotoma, & vtaris clyſteribus purgantibus melancholiam, & ingenieris quantum poteſt, vt aquam bibant. Medicina valde experta: ℞. cantharides abſciſſis alis, & capitibus, & ponantur in oleo per diem & noctem, & mutentur de oleo in oleum tribus vicibus: poſtea extrahe eas, & deſicca in vmbra, & pone in eis tantundem de lentibus excoriatis. doſis eſt ſcrupulus 1. cum vino, aut aqua tepida. Et quando accipit iſtud patiens, moretur in ſole, aut cooperiat ſe fortiter, aut deambulet deambulatione multa, & currat quouſque ſudauerit. Quòd ſi ſentiat dolorem, ſumat butyri aut olei vncias tres. Et ſi patiatur retentionem vrinæ, ponatur in pila aquæ calidæ, & ſi minxerit ſanguinem, ſecuratur à periculo timoris aquę. Raſis: Dico, in principio ponantur ventoſę ſuper locum, & emplaſtra locum cum rebus elargantibus, & ingenietur eis dare aquam priuatè: dico quòd debet euacuari melancholia ſæpe: phlebotometur, & dentur res infrigidantes. Dico, poſt quintum diem venenum eſt diffuſum per totum corpus.

ergo non intendas elargare vulnus, nisi vsque ad duos dies, vel tres. Dico
cura istorum postquam extraxeris venenum exterius, est exhibere medica-
mina confortantia membra interiora, & prohibentia discursum veneni, &
defendentia cor, sicut est medicamen de cancris: & non detur medicina la-
xatiua, nec phlebotometur, quia trahit materiam venenosam ad interius
corporis: sed postquam tractum fuerit venenum exterius duobus aut tri-
bus diebus, securè poteris laxare, & mundificare. Medicina bona experta,
Recipe cantharides abscissis capitibus, alis, & pedibus, & ponantur in a ce-
toso lacte vaccino, postquam ex eo tractum fuerit butyrum per diem & no-
ctem, & renouetur lac tribus vicibus in prædicto tempore: deinde siccentur
in vmbra, & tere, & cribella, & pone cum eis tantundem de lentibus exco-
riatis, & fac trochiscos ponderis dauich ij. id est quartæ partis drachmæ v-
nius: detur vnus cum vino & aqua tepida: postquam verò acceperit, stet
in sole, aut cooperiat se bene, aut deambulet quousque sudauerit: & si sen-
serit dolorem, sumat butyri vaccini, aut olei clari vncias tres, & si retinebitur
vrina, intret pilam aquæ calidæ: & si minxerit sanguinem, erit securatus à ti-
more aquæ, & liberabitur. Ait Philaretus: Cura eorum, antequam timeant
aquam, est dare illis ex puluere cancrorum fluuialium adustorum, & gentia-
næ similiter aur. quatuor cum vino subtili puro, & hoc fiat vsque ad deci-
mum diem: & si intra decem dies non poteris succurrere, eis dabis de præ-
dicto puluere bis tantum: deinde carasetur vulnus in circuitu eius carasatione
profunda, quousque euacuetur multa quantitas sanguinis: deinde appone ven-
tosas, & medicinas calidas, vt attrahant venenum exterius vehementer: &
melior cura est, vt cauterizetur locus in principio, quoniam liberat patien-
tem, & non permittit venenum profundari, & da eis bibere vinum purum,
& lac: quoniam sunt contraria huic veneno: & comedat allia, & cæpas,
quia prohibent venenum penetrare per corpus: & si cum hac cura non suc-
curreris patienti in principio, sed tardabis pluribus diebus, non iuuabit ei
cura: neque intendas circa apertionem vulneris, si multi dies transiuerint:
quoniam venenum est profundatum, & penetrauit per corpus totum, imo
tribuas hieram Ruffinam, & festines purgare patientem ab humore melan-
cholico: & hoc quidem tempore multum iuuat comestio alliorum, & cæ-
parum, & bibere vinum purum: & prouoca sudorem quantum potes, & pro-
pina illis elleborum, antequam timeant aquam: quia illud liberat eos. Et dixit:
Quando timet aquam, pone eam in pelle animalis quod vocatur tabac clau-
dus. & propina, quia pro firmo bibet eam: & quando iam venenum est diffu-
sum per corpus phlebotoma, & clysteriza quolibet die ipsum: deinde pur-
ges, & caue ne intromittas ipsum in balneo, imo regas ipsum cùm cibis & po-
tibus humectantibus, quoniam defendunt corpus à nocumento veneni, &
solicites eum, vt frequenter assumat aquam. Cura carasetur vulnus, & pone
ventosas, & trahatur de sanguine quantum possibile est, & pone super locum
de capillis proprijs: & sumere cancros fluuiales, & gentianam, & coquere,
sunt de medecinis maximi iuuamenti contra morsum cuiuslibet venenosi.
Elargetur vulnus cum allijs, & assa, & non permittas vulnus consolidari, quo-
usque patiens fuerit liberatus: potus eorum sint vinum, & lac: quia oppo-
nuntur omnibus venenis: & cibentur allijs, & cæpis, quia similiter opposi-
sitionem habent cum venenis. Et sumant theriacam & mithridatum: quia de-
fendunt cor à nocumẽto veneni: & studium tuum sit in elargatione vulneris,
& extractione veneni in principio, sed post per aliquot dies minimè: quia
venenum iam penetrauit per totum corpus. Et bibere vinum, remittit mali-
tiam veneni, & expellit extra, Sumantque elleborum, & ne timeas vehementer
de

de patiente, quia multi euaserunt ante quadragesimum diem: & sumere sanguinem canis rabiosi contra morsum eiusdem, est res certa & experta: & similiter si suspendatur maior dens canis rabiosi, sanat à morsu canis rabiosi & certum, & expertum est. Et si volueris elargare vulnus, pone desuper frustum piscis saliti, aut parum salis, & si non poteris succurrere infirmo nisi in tempore, quo incipit timere aquam, da ei bibere in vase cooperto ex pelle tabac claudi, aut ex pelle canis rabiosi, & comedat ex hepate, & corde canis rabiosi assatis. Inquit Aaron: Da bibere patienti per cannulam eo ignorante: & ponantur super caput & stomachum eius medicamina humectantia, & infrigidantia, & ex hoc erit liberatus. Ait Georgius: Pellis tabac, & elleborus non iuuat eos, sed iuuat diatessaron, id est theriaca diatessaron. In Antidotario veteri: Antequam patiens timeat aquam, phlebotometur, si fuerit repletus, & euacua melancholiam frequenter: & cibetur cum cibis humectantibus & æqualibus, siue temperatis, & bibat vinum, & quolibet die sumat medicinam de cancris, & elargetur vulnus, & pone desuper matarat, id est fel. Cinis cancrorum fluuialium bene adustorum, iuuat multum cõtra morsum canis rabiosi. Modus adustionis est: Accipe vas æris rubei, & pone in eo cancros viuos fluuiales, & pone in furno, & dimitte eos assari, quousque possint puluerizari, & caue ne omnino comburantur: & hoc fiat sole existēte in leone, & de hoc puluere: ℞. aristolochiæ par. x. gentianæ, par. v. thuris, par. I. & reseruetur, & detur in principio patienti quolibet die aur. I. cum aqua, & si prolongatum fuerit tempus à morsura, dentur quolibet die aur. ij. & pone super vulnus medicinas elargantes, sicut vnguentum ex pice, opopanaco, & aceto, aut sumantur opopanaci ℥. iij. picis libram I. aceti fortis libram vnam: coquantur insimul, donec fiant sicut vnguentum. & ex hac cura curaui multos qui nondum timebant aquam: & per eam nõ timuerunt aquam, & liberati fuerunt. Dicit Populus: Hepar canis rabiosi iuuat multum. Dicunt, qui portaret super se scaliones, i. dentes anteriores maiores canis rabiosi, canis rabiosus non appropinquat ei. Emplastrare ex carne piscis saliti iuuat. Cancrorum fluuialium aur. iij. gentianæ aur. I. semis, sumantur per tres dies. Lambere mel paulatim iuuat. Allia comedere aut emplastrare iuuat. Ait Christianellus filius sapientis, id est Iohannes Damascenus: Medicina de cantharidibus mirabilis: ℞. cantharidum magnarum & pinguium absque capitibus & alis, lenticulæ excoriatæ an. partem I. croci, spicæ, caryophyllorum, darseni, id est cinnamomi, an. part. VI. aliàs vij. puluerizentur bene, & specialiter cantharides, & informentur cũ aqua, & fiant trochisci pondere ℈ I. & sumat quolibet die trochiscum I. cum aqua tepida per aliquot dies. & si ex hoc habuerit dolorē in vesica, & torsiones, bibat aquam decoctionis lenticularum excoriatarum cum oleo amygdalino, et butyro, & intret quolibet die balneum post assumptionem medicinæ, & sedeat in tina plena aqua calida, donec mingat: & accipiat gallum pinguem paratum ad pidebeg, & bibat vinum forte lymphatum parum cum aqua tepida, & caueat à frigore: & sedere in tina, est multum iuuatiuum contra morsum canis rabiosi. Ait Simeon: Primò attrahas venenum exterius cum emplastris, & cum ventosis, & scarificationibus, & postea purga melancholiam, & humectetur corpus, & emplastretur stomachus, & hepar cum rebus quæ mitigant sitim: & infrigidant. Ait Martaris: Pone patientem in cameram lucidam, & calidam caliditate temperata, & phlebotometur, & remoueas sanguinem coram eo, & clysterizetur cum oleo & aqua, quia alleuiat eum à dolore, et mitigat sitim: & cibetur cum iusellis, et fugiat balneum, quia est nociuum. Narrauit Suhares, quod elleborus laudatur cõtra hoc venenum, et contra venena calida: et dixit quod pellis tabac claudi nullo modo iuuat.

Rasis in Continente lib. 21. cap. de Homine: Auctoritate Athuri, aliàs, A-
chori: Pili hominis madefacti in aceto, & positi supra morsum canis, sanant i-
psum. Cap. de Vrina: Vrina, supple, hominis, diu mincta, curat morsum canis
rabiosi hominis, & simiæ, & prohibet ipsum apostemari, & extrahit humidita-
tes similes loturæ carnis de morsu canis rabiosi, cùm abluitur ex ea. Cap. de V-
rina puerorum: Airelau: Vrina puerorum mista cum nitro & effusa super mor-
sum canis confert. Cap. de Pomo paradisi, seu Ficu Pharaonis: Ficus immatu-
ræ cum melle mistæ, valent contra morsum canis rabiosi, & vlcera gummosa.
Libro 22. cap. de Fœniculo: Dixit Bymasui, & Massa: Semen, supple, fœnicu
li, bonum est morsui reptilium, & canis non rabiosi. Capite de Cancro flu-
uiali: Cancer fluuialis vstus, datus in potu in aur. pondere trium in cinere cum
pondere aur. 1. semis gentianæ cum vino per triduum, confert efficaciter mor-
sui canis rabidi, & similiter coctus cum melle solo cocto confert. Dixit Pau-
lus de cancro fluuiali, quòd cinis ipsius habet propriè effectum mirabilem in
morsu canis rabidi. Cap. de Pisce marino: Species piscium appellata mars
salita, caro eius valet ad morsum scorpionis, & canis rabidi, ad modum carnis
cuiuslibet piscis marini saliti: & pisces marini recentes, ius habent laxans
ventrem, & confert morsui canis positum in emplastro. Sed piscis, quem ap-
pellant habitatores vltramarini thunnum, confert morsui serpentis cornuti, si
frequens fit comestio, & potus ipsius secuto vomitu, vna vice post aliam post
comestionem ipsius, etiam confert morsui canis rabidi. Capite de Prasio: Di-
xit Bymasui: Medicamen appellatum baluich, quod est prasium nigrum, quo
ties masticatur cum sale, confert morsui canis rabidi. Libro vigesimo tertio
capite de Hepate: Dixit Dioscorides, quòd hepar canis dictum habet finale,
quod assum & comestum prohibet laborantem morsu canis rabidi, quòd non
expauescat de aqua: & quidam catulos canis rabidi superlaborantem morsu
ipsius sunt ligantes super membrum ad iuuamentum, ad conseruandum custo
diam de morsu ipsius. Dixit Galenus de Hepate canis rabidi: Dixerunt qui-
dam, Si comeditur & bibitur, confert morsui canis rabidi: & vidi quosdam co
medentes illud & vixerunt, tamen vtebantur in cura ipsorum cum hoc, alijs
medicinis, & intellexi quòd quidam ex negligentia, quia non comederunt il-
lud, mortui sunt. Capite de Cappare: Dico, quòd posset fieri cum succo cap-
paris clystere ad ischiadē, & conuenire morsui canis rabidi, & potui veneni.
Cap. de Cane: Dixit Dioscorides in libro ipsius, quòd canis rabidi hepar cum
finali efficacia assum, & comestum, confert morsui canis rabidi de terrore a-
quæ. Capite de Caule: Caulis dixit Costa, si comeditur, purificat vocem & con
fert morsui canis rabidi.

Rasis octauo Almansoris, capite de Morsu canis non rabiosi, & beluarum
ac furonum & hominum: Horum morsus tunc est deterior, cū sunt famelici,
quorum morsibus confert cæpas, & salem, ac mel per diem vnam & noctem,
superponere: deinde cum vnguento nigro curentur, quod fit ex cera, & se-
po, & pice atque galbano. Hoc enim vnguentum plus alijs omnibus vn-
guentis, morsibus, & perforationibus, quæ ex vnguibus auium fiunt, confert:
atque omnibus vulneribus, cum quibus confert attritio, aut separatio, vel in-
cisio magna auxiliatur. Est etiam vtile, vt morsus canis, & hominis à principio
cum isto curetur vnguento. Morsibus verò leonis, atque leopardi, & phehet,
id est leonzæ in principio, sunt eò adhibenda, quæ attrahunt: deinde loca cum
aceto, & sale lauanda, & ad vltimum cum isto vnguento medicanda, si Deus
voluerit. Capite de Morsibus canis rabiosi: Cùm canem, qui hominem mo-
morderit, cognoueris, & in eo aliquod istorum signorum, supple, significan-
tium canem esse rabiosum, sic succeperis, citò percurre, & ventosas morsui

superpone,

ſuperpone, & diutiſſimè, ac multũ ſugatur, ſcarificetur quoq́, ac ſanguinis extrahatur multitudo: deinde ſuper locum morſus medicamina quæ ipſum dilatent, & conſolidari prohibeant, pone, vt ſunt ſicla, id eſt blitis & eruca, atq́ cæpę cum butyro confectæ: vnguentum quoque quod locum vlcerat eſt adhibendum, quod fit ex liquore anacardi & picæ, ſicut eſt in ſuo capite nominatum. Si autem in principio ex quo morſus fuerit locum comburas, multũ confert: ventoſas tamen atque combuſtionem vſq́ ad tres tantùm dies exercere debes, poſtquam verò dies tres tranſierint, ægrum non fatiges: quia venenum in totum corpus diffuſum eſt: ſed vulnus nullo modo conſolidari penitus permittas, ita vt emplaſtrum ex eruca & butyro, & ex aliquo eorum, quæ diximus, ſuperponas, deinde redi ad curationem perfectam, antequàm ab aqua terreri incipiat: quia poſtquam ab aqua terreri incœperit, euadere non poterit. Horum verò quidam ſunt, qui poſt hebdomadam vnam ab aqua terrentur: ſunt alij qui poſt duas hebdomadas: alij autẽ qui poſt quadraginta dies terrentur: & quandoq́ etiã reperiuntur quidã, qui tantũ poſt 6. menſes, aut 1. annum terrentur, & iſti quidem ſunt complexiones habentes humidiſſimas. In principio itaque eorum curæ ventrem cum pilulis, & medicinis nominatis in capite melancholiæ ſoluere incipe, eóſque eodem ciborum, ac balnei regimine conſerua, lac quoq́ atque vinum cum aqua multum temperatum eis ad bibendum tribue, & ſtude, vt eorum corpora in craſſitie augmententur, prout in capite de melancholia dicturi ſumus: diætam quoque cum carne, & confectionis ex melle & vino amplifica: eis inſuper pręcipe, vt multum dormiant, & lætentur, atq́ quieſcant: & ad vltimum regimine melancholiam habentium eos conſerua. medicamen quoque Galeni eis ad bibendum tribue. Deſcriptio medicaminis Galeni: Caucros fluuiales ſume, & in olla poſitos in furno donec terantur combure, & ne multum terantur caue: de quibus, poſtquam triueris, partes decem, gentianæ partes v. & olibani partem 1. accipe, & coniuncta ſimul tere, deinde reconde: & cùm opus fuerit, ægro quotidie ℥. ij. in mane, & alias duas circa noctem cum frigida his diebus, quibus non das medicinam ventris ſolutiuam ad bibendum tribue: hoc verò multis diebus facere debes. Galenus nanq́ refert ſe nunquam vidiſſe aliquem à cane rabioſo morſum ab aqua terrefactum, poſtquam ex hoc medicamine aliquid datũ fuit ei. Poſtquam autem æger ab aqua terrefactus fuerit, vix vnquam liberabitur. In ipſo tamen aliquid ſpei, licet parum, habemus. ipſum itaque in loco frigido ſtatue, & ingenia qualiter in os eius longam mittas embubam, id eſt cãnulam, per cuius locum occultum, ne eam videre poſſit, aquam immittas: caput etiam ipſius ac totum corpus ex oleo roſaceo infunde: deinde aquam hordei, & oleum roſaceum, ac ſuccum pſillij, & portulacæ, & his ſimilium, per clyſtere inijce, ideò videlicet, vt de eius ſiti aliquid mitigetur.

Raſis in Diuiſionibus, cap. de Remedijs venenorum: Cùm ſentit infirmus, quòd canis, qui eum momordit, ſit rabioſus, oportet vt ſuper locum morſuræ ponantur ventoſæ, & ſugatur, & ponatur deſuper eruca elixata contrita cum butyro vaccino, & ſumat in potu medicamen de cancris, cuius confectio. ℞. cineris cancrorum ℥. x. gentianæ ℥. v. thuris ℥. 1. puluerizentur & bibantur ℥. iij. cum aqua calida: & rege ipſum regimine melancholicorum, ex humectatione corporis, & eductione melancholiæ cum medicinis, quę hoc efficiunt. Raſis in lib. de Proprietatibus Animalium, cap. de proprietatibus cancri: Cancri fluuiales propriè conferunt extra morſum rabidi canis: marinus idem operatur, ſed remiſſius: nam ſumitur de cinere eorum ad pondus ℥. iij. cum pondere aur. 1. ſemis gentianę, et vino myrtino, et competentius tempus combuſtionis cancrorum eſt ęſtiuum, et apud ortum canis, ſole exiſtente in Leone, et lu-

na in ariete, in primo gradu, in mense Iulij: & modus combustionis est: Sumantur cancri viui, & ponantur in vase æreo rubeo, & ponantur in furno calido, donec redigantur in cinerem. Cap. de proprietatibus hominis: Capilli hominis remolliti, in aceto positi super morsum canis rabidi remedium præstāt. Vrina hominis posita super morsum canis rabidi, idem facit.

Albucasis 2 particula Azarauij, tractatu 2. capite de Morsu canis rabiosi: Curatio morsus canis rabiosi: Oportet in principio rei, antequam aliquid resultet ex prædictis signis, cauterizare festinanter locum morsus cum igne, profunda, & ampla cauterizatione, vt deuoret ignis multum de loco: vel superponantur ei aliqua medicinarum calidarum & vrentium, quæ stant in loco cauterij: & si non est possibilis cauterizatio, nec valet fieri, superponatur loco ventosa magna cum scarificatione & attractione nimia, vt extrahatur multum ex sanguine: & apponatur super loco aliquid, quod teneat eum apertum, & ampullosum, vt non consolidetur, vel amplificetur cum ferro. Cauterizatio in hoc loco melior est, atque nobilior, & appositio ventosarum post ipsam vsque ad tres dies. Transactis autem tribus diebus à tempore morsus non molestetur de cætero tormentis cauterij, vel appositione ventosarum, cum venenum iam dilatatum sit per totum corpus: veruntamen non permittatur locus morsus consolidari, & claudi: sed superponatur ei de scilla trita cum butyro vaccino, & melle, & dimittatur vulnus apertum, vsque ad tres menses, vel quasi, & studeatur apud curationem infirmi sapienter, antequam perueniat ad timorem aquæ: quoniam si ad illud peruenerit, nulla erit spes suæ liberationis & mortis euasionis. & oportet potare ipsum ex compositione cancrorum in suo loco descripta, & administrari ei reliquas compositiones & medicinas simplices ad hoc competentes: & regi oportet curatione passionis melancholiæ, scilicet quòd euacuetur cholera nigra, & impinguetur corpus cibis humidis, & vino blanco, & multo somno, & lætificatione animæ cū cantis & similibus'. Et quidam antiquorum dixerunt: Si accipitur catulus canis latrans, & viuus scindatur per ventrem, & extrahatur ex eo coagulum, & exiccetur ad vmbram, & biberit ex eo patiens ad modum grani ciceris misto cum melle vij. aut xiiij. diebus, confert ei: & confert ad hoc, quòd bibat ex succo cæparum depurato, ʒ.ij. aliàs ℥.ij. misto cum modico vini antiqui: & comedat patiens nuces magnas & bonas, vel accipiantur nuces, & terantur cum modico salis, & conficiantur cum melle, & superponantur loco morsus. Capite de Morsu hominis, & canis non rabiosi', & animalium quæ dicuntur alsalaa: Curatio ipsorum, est quòd accipiantur ossa vituli, & comburantur, donec reddatur cinis albus: deinde verò terantur bene, & distemperentur cum melle, & locus cum eo emplastretur: & confert ei, quòd liniatur corpus in principio cum oleo communi, & confert ei appositio cæpe, & salis, & mellis, per diem & noctem: deinde curetur cum vnguento nigro, quod dicitur akabay, cuius modus est, quòd accipiantur adipis, ceræ, picis, galbani partes æquales, & liquefiant super ignem, & administretur.

Albucasis 4 particula Azarauij: Theriaca morsibus omnium reptilium, & rabidi canis, &c. Nominatio medicinæ Galeni morsibus serpentum, & scorpionis, & canis rabidi, probata à multis, &c. Alia Galeni morsibus serpentum, & scorpionum, & canis rabidi, & mortiferis potionibus confert, &c. Theriaca morsibus serpentum & scorpionis, & canis rabidi, & mortiferis medicinis, &c. Alia theriaca completa, morsibus serpentum, viperarum, scorpionis, canis rabidi, & mortiferis potionibus, &c. Nominatio medicinæ morsibus serpentum, scorpionis, & viperæ, & venenosorum animalium, & canis rabiosi, &c. Medicina valens cani rabioso. Recipe olibani ʒ.i.

gentianæ

gentianę ʒ.v.cineris cancrorum fluuialium ʒ.x.fiat puluis.dosis ʒ. 1. ieiuno cũ aqua frigida detur. Cura morsus canis rabiosi,quæ in ipso die sanat. In primis phlebotoma in manu dextra.Et post minutionem , hanc medicinam bibat: ℞.assæ fœtidę,polij montani,an.aur. ij.croci,galangæ,an. aur. iij : conficiantur insimul. dosis ʒ.ij.cum succic rudi fœniculi,& apij, an. ℥ ij. Alia ad idem : Da coaguli catuli ʒ.1.anisi,aur.1.vel da ℥.ij.de succo cæparum cum mica panis veteris triti. Alia:Gentianæ, aur. ij. cancrorum fluuialium incensorum aur.iij.terræ sigillatæ,aur.iiij.dosis vespere, & mane ʒ.ij.cum aqua decoctionis cancrorum fluuialium , & anethi : & post hanc medicinam purgentur cum medicina choleram nigram purgante. Alia ad idem:℞. myrobalanorum bellíricorum,aur,ij.semis,opij,aur.ij.salis Indi. aur . semis,polij,lapidis Armeni,agarici,an.aur.1.ellebori nigri,aur.ij.puluis inde fiat, dosis aur.ij. cum tepida ieiuno : & cum ventris fluxus cessauerit,comedat ceruoía, aut pullos.Nominatio theriacæ diatessaron , quæ puncturis scorpionum,&c.cõfert, & morsui rabidi canis,&c.℞.gentianæ,aristolochię, baccarum lauri, myrrhę omniũ partes æquales.Hæc cum melle confecta reponantur.Et ex hac medicina, cũ necesse fuerit,in potu ab vno aureo,vsq; ad ij.semis cum ℥.1.veteris vini sumatur. virtutes huius theriacæ sunt nouem,&c.dosis in modum auellanæ.i. aur. 1.cum frigida. Medicina Dioscoridis probata morsibus rabiosis:℞. cancrorum fluuialium incensorum cum igne de vitibus albis, aur.iiij.radicis gentianæ, aur.ij.vini veteris , & boni.aur.viij.cinis,& gentiana trita cum vino misceantur, & potui tribuatur : quia si prima die patienti non succurrat, secunda die medicina duplicetur: & si tertia die patienti similiter non subueniatur, triplicetur medicina prædicta : & iterum detur vsque ad quartum diem, vel amplius,& sic medicinam ampliando,vel augumentando. Alia medicina Galeni: Accipe cancros fluuiales,& pone in olla ęnea, & in stagnata super ignem,& comburantur.Et fiat cinis in ęstate,quando sol erit in leone : accipe part.1.cineris istius,& gentianę,part.semis, & olibani quintam partem,mane, & serò pondus aur.1.accipiatur.Galenus ait : Non vidi aliquem huius morbo laborantem , quin ex toto ex ista medicina non conualuisset.

Medicina valens morsui rabioso:℞.aristolochiæ ʒ.iiij.piperis,seminis pastinacæ agrestis,an.ʒ.xiiij.gentianæ,ʒ.v.croci ʒ.iiij.cordumeni,ʒ. 1. mellis quod sufficit,& inueteretur antequàm detur.dosis aur . 1. Quidam physicorum dixerunt,quòd si quis caperet catulum , & per medium scinderet , & coagulum sumeret & ad vmbram siccaret , & propinaret patienti morsum canis in modum ciceris cum hydromelle per vij dies , aut per xiiij. pro certo curatur. Et asserunt quidam, quòd hęc medicina,si detur patienti antequã canis bibat, canis morietur.Alia theriaca,quam omnes philosophi Romani,Indi, & Saraceni cõmendauerunt morsibus serpentũ,& scorpionis,& canis rabiosi,& veneno mortifero,&c.Omnes pręfatæ medicinæ,quarum descriptiones nõ posui, descriptæ sunt superius in nono cap.primi lib.aut in 3. cap. 5. lib . auctoritate Albucasis,loco pręallegato,ideo pro eis illuc recurre.

Albucasis quinta particula Azarauij:Hiera Archigenis, morsibus canis rabiosi,& puncturę animalium prodest, &c. Albucasis 17. particula Azarauij: Trochisci ad morsum canis,& punctionẽ serpẽtis,&c.Trochisci, quos qui biberint,morsus canis eis non nocebit:℞.cantharides,& abscinde eis caput, pedes,& alas:deinde in lacte acetoso per diẽ,& noctẽ,& parum plus infundantur,& lac per tres vices mutetur,deinde in vmbra exiccẽtur, & cũ panno siricino tricocinẽtur.Et accipiatur ex eis pars,1.& ex lẽticulis purgatis, & cribratis par.ij.& cũ vino bono cõficiãtur:& fac trochiscos dauich ij.i. quartã partẽ vnius drachmę pẽsantes,& exiccẽtur, dosis,vnus cũ vino bono,aut cũ tepida,

Et cum biberit, vertat faciem verſus radium ſolis: & hoc faciat quando ſol,
per horam aſcenſus fuerit, & induat ſe multos pannos, & exerceat corpus, do
nec ſudet. Et ſi anguſtiam paſſus fuerit, bibat ℥ iij, olei calfacti, & butyri vacci-
ni, & hoc faciat per tres dies. Et ſi vrina denegata fuerit, intret balneum, ſi cu-
rationis eſt quando ſanguinem minget. Et cibus eius ſit pinguis ſine carnibus
bouinis. Et oportet antequàm medicina hæc bibatur, quòd locus puncturæ
emplaſtrizetur, & ſuperponãtur allia, & butyrum vaccinum antiquum, & ſal.
Omnia hęc ad ignem calefiant, quoniam venenum extrahunt. Et non ſanetur
locus puncturæ vſque ad xv. vel xl. dies. In circuitu pũcturæ vulneretur ne clau-
datur. Hiera Archigenis, & trochiſci, quorum deſcriptiones non poſui, deſcri
ptæ ſunt ſuperius in tertio cap. quinti lib. Albucaſis 23. particula Azarauij, di-
ctione de emplaſtris ad morſum canis rabioſi & non rabioſi, & ad morſum ho
minis. Modus emplaſtri ad morſum caninis rabioſi: Accipe mentham, & tere,
& ſuperpone. Aliud ad idem: Tere opopanacum, & ſuperpone, quoniam mul
tum valet. Aliud. Accipe limatias, & tere, & ſuperpone, aut combure eas, &
ſume cinerem, & fac ex eis emplaſtrum, & ſuper morſuram pone. Aliud: Tere
ficus non maturas cum melle, & ſuperpone. Aliud: Glandes tere cum ſale, &
cæpis, & pone ſuper morſum canis rabioſi & hominũ. Aliud: Tere nuces cum
melle, & parum ſalis, & cæpas, & ſuper morſuram pones. Aliud: Srercus capri
num recens ſuperpone. Aliud ad morſum canis rabioſi & non rabioſi: Sume
carnem viperę, & tere, & locum emplaſtriza. Aliud ad morſum canis, & homi
nis quando putredo eſt in morſura: Sume lentes coctas, & tere, & locum em-
plaſtriza. Aliud: Locus emplaſtrizetur cum ſanguine ſalito porci, aut cum ane
tho ſicco & combure, & ex eo locum morſuræ imple, & per v. dies remaneat,
deinde ſoluantur: quoniam ex eo ſanabitur. Aliud ad morſum canis non ra-
bioſi: Tere cæpam cum ſale, & rutam, & cum melle confice, & emplaſtriza.
Aliud: Cum caſtaneis, & cæpa, & oleo emplaſtriza. Aliud ad canem non ra-
bioſum: Accipe caſtanearum ʒ vij. cæparum albarum ʒ iij. ſalis ʒ ij: cum oleo
confice & emplaſtriza. Aliud: Accipe folia ficus nigræ, & tere, & emplaſtriza.
Modus medicinæ, quæ ſi ponatur ſuper morſum canis rabioſi, non dimittit lo
cum conſolidari. ℞. ſalis gemmæ aur. iij. ſalis ammoniaci aur. ij. virioli aur. viij.
ſcillæ aſſę aur. xvi. rutæ aur. iiij. æris vſti aur. iij. marubij aur. ij. terantur & cri-
bellentur, & ex eo mane & veſpere, quod ſufficit, ſuper plagam ponatur, vel
ſpargatur. Aliud: Tere litium cum aqua, & ex eo locum morſuræ illine.

Albucaſis 24 particula Azarauij: Modus ceronei albi, valet ad morſum ca-
nis rabidi, & operatur mirabili opere in his, in quibus fit morbus, qui dicitur ti
mor aquæ, quod quando ponitur ſuper locum morſurę, ęgrum à magno timo
re liberat. Et detur illud huic, quem iam morbus iſte inuaſit in modum auella-
næ, id eſt aur. 1. quotidie vſque ad xl. dies, & tranſglutiat. Et quando extenditur
ſuper pannum, & ponitur ſuper morſum locus ceronei, mutatur & denigra-
tur. Et ſimiliter valet contra morſum hominis, & ſcarificationes difficiles, &
conſolidat vulnera, & ſciſſuras, &c. Et oportet, vt quãdo ſuper vulnera poni-
tur, quod vno die liquefactũ ſit, & alio non: & quando liquefacere volueris ni
gredinẽ plagę, quę ei adhæret, remoueas, & hoc ſemper facias, donec nigredo
plagæ remoueatur, & eſt ceroneũ quòd claudit, & conſolidat, & omnibus vul
neribus cõuenit. Cuius hęc eſt deſcriptio: ℞. cerę albæ libr. ij. lithargyri, ceruſ-
ſæ, an. libra 1. myrrhæ ℥ iij. medullæ cerui ℥ ij. olibani ℥ 1. olei veteris, libr. iij. li-
thargyrũ in oleo coquatur, donec ad ſpiſſitudinẽ fęcis balnei deueniat, & tũc
cerã ſuper id proijce: deinde ceruſſam ſuper eũ ſparge, & bene incorpora. Et
quãdo ad ſpiſſitudinẽ ceronei venerit, ignẽ ſubtrahe, & adde medullam, & di-
mitte infrigidari: & cum infrigidatum fuerit: myrrham, & olibanũ puluerizata
admiſce

àdmiſce, & bene incorpora, & adminiſtra. Ceroneum quod recipit aſphaltũ,
& eſt ceroneum nigrũ, &c. valet morſui hominis, & canis, & præterea apoſte-
mata naſci prohibet: & eſt ceroneum quod ſuper omnia ceronea valet & vin-
cit. Et oportet, vt ſoluatur in hyeme de ſeptimo in ſeptimũ diẽ, & in æſtate de
quinto in quintum, & ſi opus fuerit de tertio in tertium ſoluatur, et hic eſt mo
dus eius: ℞. cerę, aſphalti, picis, reſinæ, an. lib. 1. mannis. i. minuti thuris, ſeu pul-
ueris eius, ℥. vi, ceruſſæ, calcanthi, an. ℥. iiij. opopanacis, ℥. ij. olei cotilan, 1. id eſt ℥
viiij. aceti tantundem: cera, et oleum, et aſphaltum, et acetũ in olla vna ponan-
tur, ſed parum de aceto retineas, deinde liquefiant, et poſtea pix, et venus. i. re-
ſina puluerizatæ; et cum ſemicoctum fuerit, ab igne deponatur, et parum infri
gidetur. Deinde adde chalcanthum puluerizatũ cum aceto, quod retinuiſti:
et quando impoſueris, paulatim et paulatim ponas, ne medicina ſuperius reſi-
liat: et ſuauiter ignem ſub olla accende, et agita donec ad modum ceronei ve-
niat, deinde ab igne deponatur, et adde opopanacum cum aceto ſolutum:
deinde ſparge puluerem ceruſſæ et mãnis, et bene incorpora, et caue ne opo-
panacum, et mannis comburantur, et proijce in ſcutella, et permitte infrigida-
ri, deinde adminiſtretur. Ceroneum quo vtebatur Galenus, valet ad prædicta
℞. picis, libr. v. cerę, libr. vi. ℥. viij. gummi pini, libr. v. ℥. iiij. aſphalti, libr. 1. olei
tantundem, et ℥. vi. lithargyri, aur. xxiiij. opopanaci, ſquamæ æris, galbani, an.
aur. xij. aloes, opij, an. aur. iiij. terebinthinæ aur. xiiij. ſucci ſeſami, aur. vi. aceti
cochlearia vi. id eſt ℥. iiij. præparetur, vt in prædicto diximus, reſeruetur et ad-
miniſtretur. Ceroneũ de euphorbio, valet ad morſum rabidi canis, et ad pũctu
ras ſcorpionis, et animalium, &c. ℞. olei, libr. 1. ceræ, ℥. iiij. euphorbij, ℥. 1. lique-
fiat in oleo cera, et adminiſtretur. Modus ceronei ad plebem, et eſt forte ad ve
nenum extrahendum, et prohibet illud penetrare, et ad remotas partes exten-
dere. ℞. nitri, ſinapi, ſalis kali, id eſt ſalis, qui in decoctione cineris kali, quan-
do fit vitrum, emanat, ſalis ammoniaci; fiat ex toto linimẽtum cum aceto for-
ti, et ex eo liniatur.

Auenzoar primo Teyſir, tractatu nono, cap. de Mania: Si perſeuerauerit ma
nia tãdiu, quouſq; ad timorẽ aquę deueniat infirmus, et ab ipſa fugiat, mors ei
eſt propinqua, & hæc accidit pluribus animalibus. ſ. leõnibus, canibus, equis,
mulis, et aſinis: et hæc ægritudo transfertur ab vno animali ad aliud eiuſdẽ ſpe
ciei, et etiam alterius ſpeciei: et hoc accidit ſecundũ pręparationẽ cõplexionis
et naturæ vniuſcuiuſq; ad recipiendũ dictam malam complexionem: et in hac
mania quoddam mirabile reperitur; quòd ſi collectum fuerit de vrina iſtius in
quantitate multa in vrinali vitreo, videbis quòd clarificabitur vrina, et ſine du
bio videbis intus formas catulorum natantes: et ſi illam colaueris per pan-
num ſubtilem, nullum veſtigium illorum ſeu ſignum in petia poteris inuenire,
et ſi dictam vrinam iterum in vrinali repones, et ibidem aliquantulum permã
ſerit, veraciter iterum reuidebis eos vt prius.

Rabbi Moyſes 21 particula ſuorum aphoriſmorum, auctoritate Galeni in
particula eius de theriaca ad Cęſarem: Sumitur ex theriaca ad curationẽ vene
norum quantitas auellanæ vnius miſta cum vino quantitate cochleariũ trium
id eſt ℥. ij. et quia aduerſatur melancholię expellẽs ſui materiã ſicut animalium
venenis bibitur cõtra morſum canis rabidi, et apponitur exterius ſupra plagã
velut vnguẽtũ cũ oleo roſaceo diſſoluta: et medicina hęc ſufficit ad liberatio-
nẽ hominũ à peſte ſui. Rabbi Moyſes in libr. de Venenis tractatu 1, cap. 5. ſ. de
morſura canis rabidi: Decet, cum quis morſus fuerit à cane rabido, vel ignoto
quòd regatur ſecũdum ea, quorum rememorationẽ fecimus cap. primo, de re-
gimine huius in generali. ſ. ligando ipſum, ſcarificando, ſugẽdo, & à loco mor
ſo cum ventoſis egreſſum ſanguinis procurãdo, vomitum etiam prouocãdo,

& in potu theriacam propinando. Regatur etiam cum medicinis contra mor
sum canis rabidi propinandis, quarum rememorationem faciam in hoc loco
sumendo interius, vel exterius superponendo. Ex his autem est, vt omni die
sumatur sechel. i. hexagium mediũ ex litio in aqua frigida dissoluto: aut suma-
tur singulis diebus sechel, id est, hexagiũ vnum synoni, id est petroselini agre-
stis triti, & cribrati cum frigida distemperati. Aut sumatur omni die ex gentia
na trita, & cribrata sechel, 1. cum aqua frigida. Laudabilius autem prædictis o-
mnibus, & vtilius in proposito, sunt cancri fluuiales conuenienter propinati:
propinetur ergo ex eorum vstorum, & tritorum pondus vnius drachmę sin-
gulis diebus. Ex compositis autem medicinis cõuenientibus in hoc, quarum
quidem iuuamentum verificatum est per experientiam à Galeno, & ab alijs
ab eo, est sequens theriaca, cuius compositio est hęc. ℞. thuris, gentianæ, an.
part. v. pulueris cancrorum fluuialium, part. vi: terantur, & in puluerem redi-
gantur, ex quo propinentur prima die ʒ. ij: & augeatur dosis prædicta omni
die ʒ. semis, ita quòd nona die ad ʒ. vi. perueniat. Alia medicina composita, cu-
ius etiã iuuamentũ est per experientiã probatum: ℞. gentianæ, myrrhę, an. ʒ. i.
pulueris cãcrorum fluuialiũ vstorũ, & fiat puluis, ex quo sumatur singulis die-
bus. Ex medicinis autem canis rabidi superponendis post generales opera-
tiones supradictas, vtiliores sunt istæ. s. farina orobi cum vino imbibita, & ma-
laxata superponatur morsuræ prædictæ: aut amygdalę amaræ tritæ cum mel-
le incorporentur, donec sufficientem habeant spissitudinem: & superponan-
tur, vel terantur folia menthæ cum sale, & morsuræ applicentur: vel dissolua-
tur assa fœtida in vino, & inde morsuræ ragadiæ impleantur: aut sumantur nu
clei nucis, cæpe, & salis partes ęquales, & cum melle incorporentur, ita quòd
habeant vnguenti substantiam, & superponatur loco morsuræ. Sit ergo atten-
tus patiens superponere quodcunque istorũ primò inuenerit. Et oportet, quòd
qui est morsus, continuet saltem, xl. diebus vsum emplastrorum, & potuum
prædictorum, nec permittatur morsura claudi ante diem. xl. imò decet, vt cum
arctabitur, seu clausioni appropinquabit, quòd emplastris, ac medicinis ad
hoc aptis, & compilatis aperiatur, & dilatetur. In morsu autem canum dome-
sticorum, & hominum, nec non aliorum animalium venenum non ha-
bentium, sufficit siquidem, si locus vicissim oleo calido fomentetur donec. s.
dolor patientis mitigetur, & consequenter faba cruda tandiu ore masticetur,
quòd substantiam vnguenti, vel emplastri habeat, & loco morsurę apponatur
aut frumentum masticatam, & si masticans fuerit iuuenis, & ieiunus, & prædi-
ctorum masticationem in principio diu fecerit, iuuabunt quidẽ amplius me-
dicamina antedicta. Ex conferentibus etiam ad hoc, est vt cæpa trita cum mel
le incorporata superponatur, aut mica panis fermentati masticata. Cap. sexto:
Et confert proculdubio ei, quem momordit canis rabidus quicquid dictum
est, seu cum cibis in hoc libro, sale dempto: propter quod modicum est ponen
dum de eo in cibis eius. Et de conferentibus ei ex proprietate, est sumere in
potu brodium decoctionis paruorum pullorum gallinaceorum, & laudabiliũ
auium, sicut turturum, perdicum, starnarum: vitet tamen columbos, nam sunt
ei valde illaudabiles, & nociui: vtatur in cibis suis caulibus: nam conferunt ex
proprietate contra morsuram canis rabidi. Expedit vt frequenter in cibis suis
cæpas, & allia cruda, vel decocta comedat, interdum, non tamen continue pi-
sces salsos. Caro autem cancrorum fluuialium, & ius decoctionis ipsorum, cõ-
fert ei amplius cibis omnibus, vnde sunt ei cibus, & felix medicina. Con-
ferunt enim cuilibet morso ex sui proprietate.

Auicenna secundo canone, tractatu secundo, cap. de Asefem: Asefem exi-
stimo quòd est pastura, id est stercus camelorum, plurimum confert iuuamen
tum

tum morsuræ canis rabiosi. Cap. de Alguasen: Alguasen, seu alusen, seu alisen, est herba similis lilio. Galenus dixit, quòd est iuuatiua propriè morsuræ canis rabiosi: & iam sanati sunt multi. Cap. de Baurach: Baurach, & præcipue Africanum, & similiter eius spuma ponitur cum adipe asini aut suis, id est, porcæ, vel porci super morsum canis. Cap. de Cæpe: Cæpe confert morsui canis rabiosi, cum linitur super ipsum aqua eius, aut emplastratur ex ea cum sale, & ruta. Cap. de Bersegascen: Bersegascen, seu berseoã, id est capillus Veneris cum vino, confert morsibus serpentũ, & canis rabiosi, & venenosis alijs. Cap. de Agno casto: Agnus castus confert morsui canis, & lupi, superposito emplastro. Cap. de Vrina: Vrina hominis, effunditur cum nitro super morsum rabiosi canis, & omni morsui & puncturæ valet. Cap. de Stercore: Stercus pecudis adustum præcipuè confectum cum aceto, linitur super morsum canis rabiosi. Cap. de Nuce: Ex ea cum cæpe, & sale, fit emplastrum super morsum canis rabiosi, & reliquorum. Cap. de Opopanaco: Ex opopanaco cum pice, fit emplastrum, & adhærementum bonum morsui canis rabiosi, & reliquorum. Et cum aristolochia ad puncturas bibitum, est theriaca, & similiter eius fructus. Cap. de Gentiana: Gentiana est vltima medicina puncturæ scorpionis, & pondus. ℥. ij. ex ea cum vino confert puncturæ omnium vermium venenosorum, & morsui canis rabiosi, & morsui omniũ luporum. Cap. de Sanguine: Sanguis canis rabiosi, secundum quòd dicunt vulgariter confert morsui canis rabiosi, & propriè Dioscorides dixit. Cap. de Asparago: Eius decoctio secundum quòd dicitur, interficit canes. Cap. de Licio: Licij fructus confert perniciosis, & Indum datur in potu ad morsum canis rabiosi. Cap. de Assa: Assa ponitur super morsum canis rabiosi, & vermium venenosorum, &c. & confert omnibus illis bibita. Cap. de Tritico: Triticum tritum, puluerizatum super morsum canis rabiosi, est iuuatiuum. Cap. de Luto sigillato, id est terra sigillata: Inquit Galenus, Medicamen gargarismatis facti ex eo, expertus sum in lepore marino, & cantharidibus, & inueni ipsum vomitu educens ea statim. Et iam quidem expertus sum ipsum in morsu canis rabiosi cum vino, & liniui ipsum super morsum viperæ cum aceto, & posui super ipsum linimentum, folia scordei, aut centauream. Capite de Herbo, id est orobo: Fit ex herbo, id est orobo emplastrum cum vino super morsum viperæ, & morsum canis rabiosi, & hominis ieiuni. Cap. de Hepate: Hepar canis rabiosi, datur in potu morso, & confert. Et iam dictum est, quòd ipsum prohibet metum aquę, & iam vixerunt per illud quidam eorum, & fuerunt curati in curationibus alijs. Cap. de Caule: Caulis succus cum vino, cõfert morsibus, & est conferens morsui canis rabiosi. Cap. de Cane: Sanguis canis rabiosi, conuenit morsui ipsius. Cap. de Lingua arietis: Lingua arietis, id est arnoglossa, seu plantago, ponitur cum sale super morsum canis rabiosi. Cap. de Amygdala: Amygdala confert morsui canis rabiosi. Cap. de Carne: Caro arietum adusta, confert cum vino morsibus canis rabiosi. Cap. de Mezereo: Mezereon, si quidem misceatur cum sauich, & coniungitur cum oleo, & aqua, interficit vermes, & canes, & porcos, &c. Cap. de Muri, id est salmuri: Muri, id est salmuri confert morsui canis rabiosi. Capite de Mentha: Mentha confert morsui canis rabiosi, & est propria ad illud. Capite de Cancro fluuiali: Cinis eius, confert ad morsum canis rabiosi bibitus. Capite de Sesamo: Sesamum confert morsui canis rabiosi. Capite de Pisce: Capita sumeros, id est, piscium taliter nominatorum salitorum adusta, ponuntur super morsum canis rabiosi, & puncturam scorpionis, & conferunt: & piscis, qui nominatur entaras, ius bibitum, & vomitus post ipsum multotiens prouocatus secundum continuationem, confert

serpentis morsui cornuti, & canis rabiosi. Cap. de Melle: Deglutio ipsius est cura morsus canis rabiosi. Cap. de Prasio: Fit ex prasio emplastrum cum sale ad morsum canis rabiosi. Cap. de Ostraco: Confert caro eius, supple, ostraci, id est limatiæ, morsui canis rabiosi. Cap. de Cucumere: Folia cucumeris, id est anguriæ, conferunt morsui canis rabiosi. Cap. de Fœniculo: Confert fœniculi decoctio cum vino morsui venenosorum, & cum aqua teritur eius radix, & ponitur super morsum canis rabiosi, & confert. Cap. de Capillis: Capilli hominis cum aceto in modum emplastri, ponuntur super morsum canis rabiosi. Cap. de Fico: Ponitur illa, supple, ficus quæ est immatura, aut folia recentia, super morsum canis rabiosi, & confert. Cap. de Allio: Allium confert puncturæ vermium venenosorum, & morsui serpentum, quando bibitur cũ vino. Et nos quidem iam experti sumus illud morsui canis rabiosi. Cap. de Interfectore canis: Interfector canis, interficit canes velociter. Cap. de Elleboro albo: Elleborus est venenum canibus, & porcis. Cap. de Aceto: Acetum sumptum de vua agreste cum sale, confert morsui canis rabiosi, & reliquis.

Auicenna 4 canone, fen sexta, tractatu 3. cap. de Rebus, quas quidam dixerunt in destructione rapacium: Inquiunt: elleborus interficit canes. Et strangulator adib, interficit adib, & canem. Tractatu 4. cap. de Morsu canis domestici non rabiosi, & adib, & similium. Fiat singularis curatio illius ex eis, quæ diximus in cap. vniuersalium, & in curatione morsus hominis. Et fortasse sufficit, vt aspergatur locus statim cum aceto, & conquassetur manu multoties: deinde ponatur super ipsum nitrum cum aceto, & renouetur super ipsum omnibus tribus diebus: & propriè cum timetur malitia rabiei. Et quandoque sufficit, vt curetur cum cæpe, & sale, & ruta, & fabis, & amygdalis amaris cum melle, aut arnoglossa cum sale, & folijs cucumeris, & citruli, & calamento trito cum vino. Et iterum epithema super ipsum cum lithargyro, & propriè cum est illic inflammatio vehemens cum farina herbi, id est orobi cũ melle: & ex illis quæ conferunt ei, est origanum campestre cum sale & melle, & almuri resolutum cum aceto liquido dimissum diebus aliquot. Et hoc iterum confert hominibus primis. Cap. de Morsu canis rabiosi: Curatio quidem eius, inquantum est vulnus, est consolidatio, & inquantum est morsus canis rabiosi, est saniositas, & apertio: nam si consolidatur, est in ea perditio. Quare oportet in principio rei, vt non dimittas consolidari, imò dilata, & aperi, si non fuerit amplum, & fac cum eo de suctione, & positione ventosarum, quod dictum est tibi in cap. morsus serpentium, & minus, in quo non oportet consolidari vulnus, est spatium xl. dierum. Et si traxeris in principio, deinde non consolidaueris, facies operationem iuuatiuam valde: & si error iam ceciderit, & consolidatum est, tunc oportet, vt conuertatur, & ad vltimum perueniatur in eo. Et oportet, vt ponas super ipsum de aperitiuis, cùm consequutus fueris ipsum in primis diebus: sicut sunt opopanacum, & nux, & allia, & emplastrum de pice, & opopanaco, & aceto, & sumatur aceti kist. 1. id est libr. 1. semis, & oportet vt sit acutũ, & picis libr. 1. & opopanacis ℥. iij: infundatur opopanacum in aceto, donec dissoluatur: deinde misceantur omnia: & fortasse sufficiunt allia, & cæpe, & eruca iterum, & sicla, id est, blitis, & altit, id est assa fœtida, composita, & simplicia, & cum sicla iterum quandoque ponitur enula: & fortasse necessarium erit tibi vt vtaris medicinis corrosiuis, sicut est alcalcadicon, id est calcanthum, & est species vitreoli: deinde consequenter adhibeatur butyrum: & ex dilatãtibus quidem est, vt sumantur salis par. iij. salis ammoniaci, part. ij. calcadis, id est calcanthi part. viij. scillæ assatæ, par. xvi. rutę, part. iiij. coralij, part. x. æris adusti, part. iiij. ziniar, id est, floris æris, part. iij. seminis prasij. part. ij. Et necessarium est in principio facere, vt ipse sudet ex eis, quibus est possibile, ex ambulatione, et bal-

balneatione. Et nõ oportet, vt properes in diebus primis ad euacuãtia, sed occupare in trahendo ad exteriora: nam euacuatio quandoq; adiuuat ad hoc, vt venenum penetret ad profundum, & prohibet attractionem eius ad exteriora. Et quoniam ipsa trahit humores ad interiora, tũc trahit cum eis venenum. Cùm ergo trahis quod tibi possibile est post duos dies aut tres, tũc occupêris ad euacuandum quod forsitan iam penetrauit. Et si non facta fuerit attractio, & acciderit negligentia, tunc euacuatio in ea hora erit necessaria: & melius est vt fortior sit. Et si videris repletionem augmentatam, tunc phlebotoma, & si non, tunc non. Et cùm phlebotomas, tunc non dimittas eum intueri sanguinem suum, & propriè in fine rei. Catharticum verò sit illud quod educit melancholiam, ita vt sit elleborus, & pilulæ de elleboro, & similia de illis quæ necessaria sunt. Et hiera Rufini est mirabilis eis. Et ex eis quibus oportet soluere eos, est cucumer asininus. Confectio cathartici ad eos: ℞. myrobalanorum kebulorum aur. ij. opij, aur. 1. semis, salis Indi. aur. semis, polypodij, lapidis Armeni, an. aur. 1. agarici, aur. 1. semis, ellebori nigri, aur. ij. Sitque dosis ex omnibus in pilulis confectis aur. ij. Cùm ergo ipsum dissoluerint cathartica fortia, tunc necessarium est iterum administrare in omni die, aut duobus diebus clystere non lędens anum, sicut oleum, & aqua siclæ. i. blitis, aut solutiuum sicut asphodeli cum epithymo. Et oportet, vt sit cibus eius post catharticũ ille, qui fit ex duragi. i. turture, & pullis impinguatis. Et administrentur post illud diuretica subtiliatiua, & vinum dulce, & propriè vetus cum dulcedine. Et vinũ coctum iterum, & lac, & vinum, est vehementis iuuamẽti ad eos. Et magis necessariæ res sunt, æquatio cibi eius, & humectatio: est enim necessarium rei eius: & illa sunt sicut iura auium stipticarum, & panis adarchimache sumptus in aqua frigida. Et confert eis ex aquis aqua, in qua extinguitur ferrum multotiens. Verùm cæpæ, & allia, sunt ex cibis quæ resistunt venenis, & abscindunt ea, & expellunt ipsa à corpore: vbi non excusatur eorum vsus quanuis ipsa sint medicinæ. Et vt properes, & des eis in potu theriacam magnam. Et medicamen de cancris, proprium est eis. Et dicitur quòd theriaca diatessaron, est vehementer conferens eis. Et similiter theriaca alnesea quam dicemus. Et ciba eos cancris fluuialibus. Et iam expertum est, vt sumatur pulpa cancri fluuialis adusta super lignum vitis albæ cum æqualitate secundũ quantitatem, quę teratur, & carbones gentianę super illud idem lignum, & cum illa quantitate: & detur ex eo in potu cum vino puro: & sit dosis eius cochlearia iiij. id est aur. iiij. in illo vino, & oportet vt ambo sint trita sicut alcohol. Et huius iterum est descriptio alia. Sumatur carbonis, cancrorũ fluuialium captorũ dum sol est in signo leonis, assatorum in furno, aut in vase æneo res ęqualis: & iam positę sunt in eo ex ipsis partes, v. & gentianę, part. v. & pyrorum. i. vt credo, vult dicere thuris pars 1. terantur, & misceantur cum eis, & sit dosis eius in diebus primis cochlear. 1. in aqua: & dentur in potu ei post dies præteritos cochlearia. ij. & similiter adde in eo vsque ad. iiij. cochlearia. Et ex medicinis narratis ad illud, & quæ est vltima ad eos, est medicamen de cantharidibus: & dicam ipsum in proximo. Et medicamen de cancris, non detur in primis nisi ei, cum quo est euentus timoris aqua. Et quandoq; ponitur in descriptione eius de gentiana, quantum est medietas cancrorum marinorum. Si autem consequeris eum post duos dies aut tres, oportet tunc, vt sit quod in potu das de medicamine duorum cinerum, duplum eius quod in potu dares, si eum consequutus fuisses in principio. Et similiter est dispositio aliarũ medicinarũ, quas dicemus. Et si fuerit post vij. dies, tunc sint plura duplicia, & tunc scalpella scalpellatione laboriosa: & suge suctione vehementi. Et si consecutus fueris eum post dies plures illis ei superuenientes, tunc in dilatatione vul-

neris non erit tibi vtilitas, & neq; superfluè elaboretur in ea, quoniam lædetur æger sine plurima vtilitate: imò stude in hoc, vt non remaneat apertum: nã dilatatio iam præterijt in tribus diebus primis, & qui appropinquant eis: quoniam venenum iam sparsum est. Sis ergo contentus tunc, vt remaneat vulnus apertum, & adiunge ei reliquum regimen, dando in potu eis theriacam & administrando euacuationem eius. Et similiter, quòd venenum sit sparsum vsq; ad quatuor dies si fuerit forte, & in minori spacio eo iterum: multotiens enim interficit in hebdomada vna. Et proculdubio ipsum spargitur velociter, & velocius quàm diximus, & non est aliquid de attrahentibus sicut cauterium, ita quòd quando est spacium lõgius illo, & timetur casus in terrore, supple, aquę, & properatur ad cauterium magnum post spacium, non est longinquum quin conferat. Non est ergo attractio cauterij, & corruptio ipsius in substantia veneni, sicut est attractio alliorum, & corruptio ipsorum. Quod si aliquid ab hoc prohibuerit, administra medicinas, quæ stant loco cauterij, sicut emplastrum de sale, & medicinæ rubificantes sicut emplastrum de sinapi, & similia. Et non intromittas eum in huiusmodi hora in balneum omnino. Nam si balneaueris ipsum, interficies eum. Et dicitur quòd sedere in tina, est ex eis quæ conferunt: & existimo quòd illud est in primis. & frigus est ex eis à quibus oportet ipsum cauere. Et fortasse est tibi necessarium in hac hora & post ipsam, vt phlebotomes eum secundò: ergo phlebotoma ipsum, & non permittas eũ intueri sanguinẽ suum. Quòd si videris eum iam tendere ad sanationem paulatim: tũc fac eum vti exercitio temperato, & balnea eum cum æqualitate, & funde super ipsum aquæ tepidæ plurimum, & frica eum, & inunge cum oleo temperato. Et quando peruenit esse suum ad timorem aquę, tunc tu non paueas iterum, dum non sit talis, vt non cognoscat faciem suam in speculo. Dixerunt enim: fortasse ipse non cognoscit faciem suiipsius, & fortasse imaginatur post illud quòd in speculo sit canis. Et da ei in potu illud quod diximus de aqua, in qua extinguitur ferrũ cũ ingenio, quod dicemus: est enim curatio optima. Et si necessarium tibi fuerit stringere ipsum, & vim inferre, tunc emplastra stomachũ eius cum infrigidantibus: & iam quidem expertum est vinum mistum per mediũ, & contulit iuuamentum maximum. Et contulit quidem in hac hora medicamen huius: ℞. coaguli leporis, luti lacunæ, asportati de Alexandria, granorum iuniperi, gentianæ, omnium an. aur. iiij. baccarum lauri, myrrhæ, an. aur. viij. conficiantur cum melle, & sit dosis quantum faba Aegyptiaca. id est, secundum aliquos gra. xlviij. & secundum aliquos aur. 1. & iterum sigillorum lacunæ, granorum iuniperi, an. x, coaguli vulpis, iiij. coaguli leporis, aristolochiæ rotundæ, baccarnm lauri, seminis amomi, seminis rutæ syluestris, omnium an. aur. iij. præparetur eorum massa cum vino dulci: deinde conficiatur cum melle: & sit dosis faba vna: & iterum terræ sigillatæ aur. viij. granorum adhest, id est lauri tantundem, coaguli leporis, xvi. coaguli gazelis, xxxij. radicis gentianę, iiij. myrrhę, iiij. aggregentur cum melle & retineatur. cuius dosis sit vt cicer cum aqua calida. Et quidam homines dixerunt: Qui suspendit super corpus suum dentem canis rabiosi, fugit ab eo canis rabiosus, & non intendit ad eum & similiter reliqui canes, & non est ex eis in quo est fiducia. Medicinæ, quę bibuntur, simplices quidem, sunt litium, & altit, id est, assa, & absinthiũ: & polium, & terra sigillata cum vino. Et nigella est mirabilis in hoc casu, ita quòd nomen eius in Græco, est deriuatum ex intentione iuuante ad morsum canis rabiosi. Et myrrha bona est, bibita & emplastrata: & dixerunt non est ad illud medicina melior gentiana, & chamædrys iterum. Et dicunt quidam, quòd oculi cancri, cum bibũtur, sunt magis iuuatiuæ res ad illud. & dixerunt

rũt quidam, quòd si in potu datur coagulum muris parui in aqua, sanat, & existimant quidam, quòd sanguis ipsius canis rabiosi, est curatio: verùm ego non audeo illud: & similiter dixerunt: Ciba illum hepate canis propriè illius, qui eũ momordit. Et dixerunt: Post timorem aquæ ciba eum hepate prædicto, & ante ipsum, aut cute adabaci claudicantis decorticati assata. Et dixerunt: Cùm in potu dederis menbedena, id est cataputiam minorem, & castoreum in hac dispositione, & feceris collyrium ex eo, iuuabitur eo, & remouebitur timor. Et de compositis, sunt medicamen Galeni, & theriaca propinqua ei, quod diximus in præterito: ℞. cancri fluuialis adusti, gentianæ, an. part. v. thuris, calamenthi, an. part. iij. terræ sigillatæ, part. ij. sumat ex ea in puluere, ʒ. iij. in ieiuno cum aqua tepida, & tres alias in vesperis, & vtatur illa diebus pluribus, an. xl. Alia: cantharidum magnarum pinguium ablatis pedibus, & capitibus, & alis, part. 1. lentium excorticatarum part. 1 croci, spicę, caryophillorũ, cinnamomi, piperis, omnium sextam partis. 1. terantur omnia optimè, & propriè cãtharides, & conficiantur cum aqua, & informentur trochisci ex eis, quorũ quisq; contineat tertiam drachmę vnius, & dauich ij. i. quartam partem vnius drachmę, & detur ex eis in potu omni die vnus cum aqua tepida: & si acciderit in vesica punctura, bibat decoctionem lentium excorticatarum, & oleum amygdalarum, aut butyrũ crudum, & coctum: & ingrediatur balneũ omni die post potũ eius, & sedeat donec mingat in tina, & administretur cibus humectatiuus ex esfidabegi cum pullo impinguato, & bibat vinum, & caueat sibi à frigore. Descriptio abbreuiata medicaminis de cantharidibus: Sumãtur cãtharides secũdum quòd narrauimus, & infundãtur in lacte acetoso die ac nocte: deinde effundatur illud lac acetosum ab eis, & permutetur aliud lac acetosum, & dimittantur die, ac nocte, & fiat tribus vicibus: deinde exiccentur in vmbra, & terantur cum tantis lentibus, quantæ sunt ipsę, & fiant ex eis trochisci, de quibus sit dosis tertia drachmæ vnius cum vino, aut aqua tepida. Cũ ergo biberit ipsum, fiat vt perueniat ad sudandum cum eo, quod est ei possibile, & deambulatione, aut cooperimento. Si aũt illud, quod bibit, angustiat ipsum, bibat super ipsum asartiati, id est ʒ. xxxvij. semis, de butyro cocto, aut oleo, & vtatur tina. Cum ergo minxerit sanguinem, tunc iam securabitur à timore aquæ. Emplastra, & similia ad attrahẽdum: Assa est emplastrum bonum, & dicitur quòd emplastratio eius cum hepate canis rabiosi, iuuatiua est valde, & testatur de ea communitas: & allia emplastrata, & bibita, & caro pisciũ salita, est bona iuuatiua: & de eis quæ trahunt venenum ab eo cum fortitudine, est vt ponatur super morsum vrina hominis iuuenis, & propriè cũ nitro: & cinis vitis solus, & acetum, & mentha cum sale, & opopanacum, est mirabile valde: & folia cucumeris ortulani, vehemẽtis iuuamenti sunt ad illud, & radix fœniculi. Et dixerũt: Quandoq; confert ei iuuamentum mirabile, si liniatur locus ex glutino piscium multoties: & iterum, vt emplastretur cum formicis tritis: & iterũ sumantur floris æris & salis, amborũ, an. part. iiij. adipis vitulorum, part. xij: fiat ex eis emplastrum, & iterum volubilis, ʒ. iij. baurach, ʒ. ij. spumæ maris, ʒ. 1. salis, ʒ. iiij. adipis anseris, ʒ. x. olei de alcanna, quantum sufficit. Ingenium in dãdo aquam in potu: Quidam dixerunt, sicut Feligorus, quòd quando timet ex aqua, tunc detur ei in potu in vasis ex cute adabon, id est, adabac claudi & aliorum, aut in vase cooperto cum cute adabon, & propriè si fuerit de ligno, aut cute canis rabiosi. Et dixerunt quidam, vt ponatur supra vas, aut sub eo pannus, qui sit de pannis latrinæ: & dixerunt quidam quòd aliquid de hoc non excusat, & quidam ingeniose faciunt canalem longum, & mittunt in guttur eius à longe, & fundunt aquam in ipsum tectum ex eo quod cooperiat aquam, ponitur eius extremitas in gutture, & funditur aqua in ipsum aut fistulã pro-

priè ex argento, & ex eo quod bonum est in dando aquam in potu, est vt fiat
iterum lignum concauum ex congelato melle, aut ex cera, & ponatur in eo a-
qua, & præcipiatur deglutire ipsam.

Auicenna quinto canone, summa prima, tractatu primo, cap. primo. s. de the
riaca: Hæc theriaca est sublimior medicinarum compositarum, & melior earũ
propter multitudinem sui iuuamenti, & propriè in venenis quæ sunt in pun-
cturis, sicut serpentium, & scorpionis, & canis rabiosi, & venenis ebibitis in-
terficientibus, & ad ægritudines phlegmaticas, & melancholicas, &c. Cap. de
Confectione mithridati nobilis: Cõfectio mithridati nobilis, fuit theriaca ma
gna in multitudine iuuamenti: verùm theriaca magna, est magis iuuatiua ipso
in re vna, & est venenum serpentium. In reliquis verò rebus non minuitur mi-
thridatum à theriaca diminutione, de qua sit curandum, imò est magis additi
in pluribus earum iuuamenti, & confidentioris vtilitatis: & sit dosis copio-
sior parumper. Cap. de Confectione Hermetis: Confectio Hermetis confert
ad morsum canis rabiosi, quando in potu datur cum lacte. dosis sit, ℨ. ij. aut
aur. 1. Tractatu secundo, capite de Hiera Archigenis: Hiera Archigenis descri
ptione vniuersitatis, confert omni ægritudini generatæ ex phlegmate, &c.
& datur in potu ad morsum canis rabiosi, & facit securitatem à timore aquæ
præcipuè cum pondere. ℨ. 1. de adustione cancri fluuialis. Cuius permistio:
℞. pulpæ colocynthidis, ℨ. xxiiij. prasij, stœchados, ellebori nigri, chamæ-
dryos, scammonææ, leucopiperis, id est piperis albi, macropiperis, id est pi-
peris longi, an. ℥. ij. cæpe muris, id est scillæ assatæ, euphorbij, aloes, gentianę,
petroselini, ammoniaci, opopanaci, an. ℥. 1. polij, cinnamomi, serapini, myrrhę,
spicæ, squinanthi, calamẽthi montani, aristolochiæ rotundę, an. ℨ. ij. mellis quã
tum sufficit. dosis, aur. iiij. cum decoctione epithymi, & passularum. Descri-
ptio confectionis Hermetis, posita est superius in nono capite, primi libri, au-
ctoritate Auicennę loco præallegato. Aduertendum præterea quia hiera Ru
fini cõmendatur in cura morsus canis rabiosi superius ab Auicenna, & à Ra-
si, & à pluribus alijs, nec ab aliquo eorum, cum ipsam laudant, descripta fue-
rit, debes pro ipsa habere recursum ad locum istum: vbi pono descriptio-
nem hieræ Rufi siue Rufini prædictę laudatæ à præfatis auctoribus positam
ab Auicenna immediatè ante prenominatam descriptionem Archigenis.
Hiera Rufi siue Rufini faciens ad choleram nigram, &c. ℞. pulpę colocynthi-
dis, aur. xx. chamędryos, aur. x. serapini, opopanacis, amborum, an. aur. viij. se-
minis apij montani, aur. vi. aristolochiæ rotundæ, aur. ij. piperis albi, & nigri,
amborum aur. v. cinnamomi, aur. iiij. cassiæ, aur. viij. stœchados, croci, polij, &
myrrhæ, omnium, an. aur. iiij. infunde myrrham cum vino, & tere medicinas,
& cónfice cum melle despumato, & repone, & vtere, cùm necesse fuerit. Et
in descriptione alia: Pulpæ colocynthidis, pondus ℨ. xx. aloes succotrensis
pondus ℨ. v. galangæ, ℨ. x. chamedryos. ℨ. xx. serapini, & opopanacis, am-
borum, an. ℥. viij. aristolochiæ rotundę, & petroselini, & piperis albi, & nigri,
omnium, an. aur. v. spicæ, & cassię, & cinnamomi, & croci, & ʒʒ, & myrrhæ, &
polij, omnium an. aur. ij. & inuenimus additũ in descriptione alia, relatum ad
hoc quod est in sinzamari de medicinis chamępityos, & agarici, & prasij, om-
nium, an. ℨ. x. terantur & cõficiantur cum melle, & sit dosis eius, ℨ. iiij. cum aqua
calida, & melle, & sale in ieiuno post abstinentiam.

Auerroes quinto Colliget, cap. de Narratione medicinarũ absolutè, & earũ
operationibus: Eluesac manifestior proprietas est, quia valet cõtra morsum ca
nis rabidi. Cap. de Narratione quarundã medicinarum simpliciũ, quæ sumun-
tur ex animalibus. Cãcri vsti valẽt morsui canis rabidi propter eorũ proprieta
tẽ. Auerroes in libro de theriaca: Nõ est dubiũ, quòd theriaca valet cõtra vene

gum,

num,&c. Et prima causa, propter quam inuenta fuit theriaca, fuit vt curarentur per ipsam nocumenta venenorum, quæ sunt in animalibus, sicut in lacerta vel cane rabido, &c.

Plinius Secundus de Naturali historia, libro 20. cap. de Peponibus: Cortex & folia cuiuscunque peponis, illita cum vino, sanant canis morsus. Cap. de Cæpa syluestri: Traduntur sanare canis morsus virides cæpæ syluestres ex aceto illitæ, aut siccæ cum melle & vino, ita vt post diem tertium soluantur. Cap. de Allio: Allium contra canum morsus, atque vulnera cum melle imponitur. Cap. de Generibus brassicę: Epicharmus satis eam esse contra canis rabiosi morsum impositam dicit: melius, si cum lasere & aceto acri. Necari quoque canes ea, si detur ex carne. Cap. de Scilla: Coquitur in aceto cum serpentium ictibus imponitur, canum morsibus Erasistrato placet cum pice. Cap. de Olusatro: Olusatrum quod hipposelinum vocant, canis rabiosi morsibus, potum, & illitum medetur. Cap. de Ruta: In præcipuis medicaminibus rutæ est ratio. Quæcunque autem ruta valet contra canis rabiosi morsus, acetabuli mensura succus ex vino bibitur, & folia trita lx. commanducata, imponuntur cum melle, & sale, vel cum aceto. Cap. de Fœniculo: Multi radice cum melle contra canis morsum vtuntur. Libro 21. cap. de Crocomagmate: Crocomagma contra morsus ex oleo imponitur. Libro 22. cap. de Vrtica: Vrtica canis morsibus addito sale medetur. Cap. de Fungis: Fungi canis morsibus ex aqua illinuntur. Cap. de Lasere: Laser super illitum vt hæreat, ad canis morsus facit: Excrescentis circa canis morsus semen sylphij cum germine Punici mali, ex aceto decoctum. Libro 23. cap. de Vitibus: Cinis vitium persanat scorpionum, & canum plagas cum oleo. Cap. de Aceto vini vitium: Potu medetur vlceribus manantibus, canis morsibus, &c. Cap. de Fæce aceti: Fęx aceti cum melanthio contra crocodyli morsus & canis est validissima. Cap. de Fico: Folia quæ non maturantur fici, aduersus canis morsus valent. Ramorum teneri cauliculi, canum rabiosorum morsus, folio trito ex aceto restingunt. Cap. de Caprifico: Caprificus etiam non multo efficacior lactis minus habet. Item canis morsus expurgat. Folia, quæ mollissima sunt, sanant canis morsus recentes cum vino. Cap. de Amygdalis amaris: Amaræ amygdalæ sanant canum morsus cum melle. Cap. de Nucibus iuglandibus: Nuces aduersantur cum cæpa, & sale, & melle canis hominisque morsui. Contra rabiosi quoque canis morsus nuclei à ieiuno homine commanducati illitique, præsenti remedio esse dicuntur. Libro 24 cap. de Sambuco: Sambucus refrigerat inflammationem, canis morsus cum polenta mollissimis foliorum illitis. Ad omnia efficacior quæ minor. Cap. de Alysso, id est alguasen, seu alusen: Tantum distat rubia tinctorum, quæ alyson vocatur, folijs & ramis minoribus. Nomen accepit, quòd à cane morsis rabiem sentire non patitur potum ex aceto, alligatúmque. Cap. de Ampeloprasо, id est vineæ porro: Ampeloprason in vinetis nascitur, folijs porri, ructu grauis: contra serpentium ictus efficax. datur & contra canis morsum. Libro vigesimo quinto cap. de Alisma: Vsus in radice vtriusque generis alismę drachmę pondere in vini potu, veneni vim, canis quoque rabidi morsus reprimunt. Contra quos cynorhodum, plantago etiam ad omnes bestiarum morsus, pota atque illita, prodest. Libro 27. cap. de Ballote: Balloten alio nomine melamprasion Gręci vocant: vis eius efficax aduersus canis morsus, ex sale folijs tritis imposita. Libro 28. cap. primo de Medicinis ex animalibus è caluaria. Suspendio interempti pilulam fecit contra canis rabidi morsus Antheus. Cap. de Vrina: Magna & vrinæ non ratio solùm, sed etiam religio apud

auctores inuenitur. Verùm ex his, quæ referre fas sit, impubium puerorum
ea maximè prodest confestim perfusa canis morsui, aut aduersus rabidi canis
morsus, cinere ex ea subacto. Capite de Remedijs, quæ sumuntur à corpo-
ribus mulierum: Eius quæ marem peperit lacte gustato, canes rabiosos fie-
ri negant. Capite de Remedijs ex menstruo & alijs: Multi verò inesse reme-
dia tanto malo aiunt, canum rabiosorum morsus & tertianas quartanasq;
febres menstruo in lana arietis nigri argenteo brachiali incluso. Inter omnes
verò conuenit, si aqua potusq; formidetur à canis morsu suppositi tantùm ca-
lici lacinia tali, statim metum eum discuti: videlicet præualente sympathia il-
la Græcorum cum rabiem canum eius sanguinis gustatu incipere dixerimus:
Carnes si edantur contra rabidi canis morsum efficaces esse, & canum iecur
efficacius. Capite de Remedijs ad canis rabiosi morsum: Canis rabiosi mor-
su facta vulnera circuncidunt ad viuas vsque partes. Quidam carnem vituli
admouent, & eis ex eodem carnis decoctæ dant potui, aut axungiam cum
calce tritam. Laudant hirci iecur, quo imposito, ne tentari quidem aquæ
metu affirmant. Laudant & capræ fimum, & cum vino illitum mellis, & cu-
culi & hirundinis decoctum, & potum.

Libro vigesimo nono, capite de Medicamentis lanæ: Succida lana ca-
nis rabiosi morsibus inculcata, post diem septimum soluitur. Capite de
Remedijs contra morsus rabidi canis: In canis rabidi morsu tuetur à pauo-
re aquæ canini capitis cinis illitus vulneri. Oportet autem igne comburi o-
mnia eodem modo, vt semel dicamus in vase fictili nouo, argilla circumli-
ta, atque ita in furnum indito. Item & in potione proficit. Quidam propi-
nant edendum. Aliqui & vermem è cadauere caninno adalligauere. Men-
strua de cane in panno subdidere calici, aut intus ipsius caudæ pilos com-
bustos in suo vulnere. Cor caninum habentem fugiunt canes. Non la-
trant verò lingua canina in calciamento subdita pollici: aut caudam muste-
læ, quæ abscissa dimissa sit, habentes. Est limus saliuę sub lingua rabiosi ca-
nis, qui datus in potu, hydrophobicos fieri non patitur. Multò tamen v-
tilissimè iecur eius, qui in rabie momorderit, datur, si fieri possit, crudum
mandendum, si minus, quoquomodo coctum, aut ius coctis carnibus.
Est vermiculus in lingua canum, qui vocatur à Græcis litta, quo exem-
pto, ter igni circumlatus, datur morsis à rabioso, ne rabidi fiant: & cere-
bello gallinaceo occurritur, sed id deuoratum anno tantùm eo prodest.
Aiunt & cristam contritam, efficaciter imponi, & anseris adipem cum mel-
le. Saliunt & carnes eorum, qui rabidi fuerint, ad eadem remedia in cibo
dandas. Quin & necantur catuli statim in aqua, & sepum eius, qui momor-
derit, aut iecur crudum deuoretur ex his. Prodest & fimum gallinaceum
dumtaxat rufum ex aceto impositum, & aures aranei, & cauda canis, ita vt
ipse, cui abscissa sit, viuus dimittatur. Gleba ex hirundinum nido illita, vel
pulli hirundinis combusti, membrana siue senectus anguium vernatione
exuta, cum cancro masculo trita. vrina quoque colata rabiosi canis nocet
maximè vlcus habentibus. Remedium est fimum caballinum adaspersum a-
ceto & calfactum infixo impositum.

Libro trigesimo primo, capite de Garo: Nanq; & halece contra canis mor
sus draconisue marini prodest. In linteolis autem concerptis imponitur: Con
tra canum quoque morsus prodest. Capite de Medicinis, & obseruationibus
ex nitro: Nitri probatio, vt sit tenuissimum, & quàmmaximè spongiosum
fistulosúmque. Contra canis morsus addita resina in initijs cum aceto illi-
nitur. Cap. de Spongiarum natura, & medicinis earum: Ad canum morsus v-
tilites

tiliter concisæ imponuntur ex aceto, aut frigida, aut melle abundè subinde humectandæ. Libro trigesimo secundo de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Imponuntur salsamenta & contra morsum canis rabiosi, vel si non fuerint ferro vstæ plagæ corporáque clysteribus exinanita, hoc per se sufficit. Capite de Cancris contra venena: Cancri fluuiales triti potique recentes ex aqua seu cinere asseruato, contra venena omnia prosunt. Cinis eorum asseruatus, prodest pauori aquæ. Prodest periclitantibus ex canis rabiosi morsibus. Quidam adijciunt gentianam, & dant in vino. Nam si iam pauor aquæ occupauerit, pastillos vino subactos deuorandos ita præcipiunt. Capite de Remedijs contra venena ex piscibus coracinis & vitulis marinis. Canis rabidi morsu potu expauescentibus faciem perungunt adipe vituli marini: efficacius si medulla hyenæ, & oleum è lentisco, & cera misceatur. Libro 33. cap. de Stibio, vel alabastro: Farina eius & thuris gummi admisto, sistit sanguinem crebrò profluentem: efficacior & contra recentia vulnera, & contra veteres canum morsus inspersa farina. Lib. 34. cap. de medicina ex ferro: Humores qui punctionem afferant, quadam vstione sanantur: priuatim verò canis rabidi morsus, quippe etiam præualente morbo expauentesq; potum vsta plaga liberantur.

Iohannes Mesue in suo Antidotario, distinctione 3. Confectio Hieræ Archigenis descriptione vniuersali, &c. Datur in potu ad morsum canis rabiosi, & facit securitatem à timore aquæ, & præcipuè cum pondere ʒ. 1. de adustione cãcri fluuialis: cuius permistio: ℞. pulpæ colocynthidis ʒ. ij. prasij, stœchados, ellebori nigri, chamædryos, scammoneæ, leucopiperis, macropiperis, omniũ an. ℥. ij. cæpe, muris assati, id est scillæ assatæ, euphorbij, aloes, croci, gentianæ, petroselini, ammoniaci, opopanacis, omnium an. ℥. vnam, polij, cinnamomi, serapini, myrrhæ, spicæ, squinanthi, calamenti montani, aristolochiæ rotuudæ, omnium an. ℥. ij. mellis, quod sufficit: & sit dosis aur. iiij. cum decoctione epithymi, & passularum mundatarum.

Halyabas in Regali dispositione, quarto Practic. cap. de Morsus hominis, & simiæ, & canis medela: Canis, & simiæ morsus in primis cura cum cæpa fit, & sale contritis, ac distemperatis cum melle, & loco appositis. Contra canis morsum, statim acetum acerrimum superfunde, aut acetum nitri: aut lanam sume succidam, & aceto infusam, ac oliuæ oleo appone. Cæpa quoque cum melle tusa, si cataplasmetur, prodest: hoc quoque vnguento attractionis locus: assignatio eius: æris, corticis galbani, zeniarij, id est floris æris, ireos radicum, cuiusque partem 1. purgamenti argenti partes ij. tere diligenter, & quæ teri non possunt, liquefac cum oliuę oleo, & cera, & contrita admisce medicamina, & vnguentum fac, locóque appone. Vnguentũ ad hominis, simiæ, canísque morsum: Sume ceræ, adipis, galbani, cuiusque drachmas v. olei loti ʒ. xx. liquefac omnia in oleo, vt fiat vnguentum, & locum morsus cataplasma: sanabitur enim. Capite de rabidi canis morsus medela: In rabidi canis morsu medela primùm omnium locus scindendus est, & dilatandus, & sitiæ apponendæ, fortiterque sanguis sugendus, donec de eo plurimum educatur: deinde vulneri vnguenta sunt apponenda adurentia, & comedentia, vt zeniarij, id est viridis, seu floris æris vnguentum, & chalcon, id est chalcanthi, seu vitreoli, & beledari, id est anacardi vnguentum. Assignatio eius picis libræ iij. aceti acerrimi libra vna, cassiæ fistulę ℥. vna, euphorbij dimidia: gummas in aceto dissolue, & vulneri appone: quoniam cicatricem fieri vetat, & venenum abstrahit. Et hoc emplastrum vtile valde, si morsuræ apponatur loco: Salis Adriani ʒ. x. colcotari, i. colcotar, i. speciei vitreoli viij. pigani, i. speciei rutæ recentis iij. floris æris ij. euphorbij 1. tere omnia dilgenter & super vulnus

pulueriza donec aduratur: & comedatur: dehinc cum butyro miſce, & loco ap
pone, donec caro aduſta cadat. Et ſi allium teras, & cum butyro diſtemperes,
& aceto acerrimo, & ſuper vulnus ponas, prodeſt. Sic & ſi ſinapi tritum cum
butyro diſtemperes vaccino, & aceto, aut melle, ac vulneri impoſueris, pro-
deſt. Medicaminis aſſignatio, quod & venenum abſtrahit, & vulnus dilatat.
Sume iauſiri, id eſt opopanacis ℥.iij. picis libram 1. aceti vini libram ſemis, tere
cum aceto diligenter iauſirum, & picem liquefac, ac deſuper mitte acetum &
iauſirum, & decoque donec ſpiſſetur, & vtere. Eſt enim medicamen duris vti-
le, & conueniens corporibus. Et ſi eius, qui morſus eſt, corpus tenerum eſt cũ
blito, & eruca, ac cæpa in butyro, & oliuæ oleo decocta loto, cataplaſmetur lo
cus, aut allio, cæpa, ſaleq; contritis, alias, coctis diligenter. Et vitis cineres ad-
miſce cum oliuæ oleo miſtos, locoq; appone. Omnia hæc medicamina os cor
rodunt vlceris, dilatantq;, & venenum deſiccant. Nec verò deſiſtas hæc face-
re diebus continuis à diẽ morſus, antequam patienti aquæ accidat timor: ſi e-
tenim acciderit, vix ſaluabitur. Expectatur autem timor hic aquæ poſt ſeptem
dies, aut xlij. ideoq; vulnus cicatrizari non expedit, donec quadraginta duo
tranſeant dies. Propinabis autem patienti cum eorum, quæ diximus, vſu vn-
guentorum, & emplaſtrorum cancrorum medicamen, & hæc eſt eius aſſigna-
tio: Cancros ſume viuos, & in vas mitte æreum, ac ignem ſuppone, donec ci-
nis fiat. De hoc puluere ſume ʒ.x. olibani 1. gentianæ iiij. tere omnia diligen-
ter, & patienti propina die, quo morſus accidit ʒ.1. Quòd ſi patienti iam ex paſ
ſione corruptio fit ʒ.ij. propina cum vino miſto, aut aqua frigida, melle, & ace-
to. Probus nanq; Galenus tradit ſe hoc expertum medicamen vtile probaſſe,
nec vidiſſe ſe cui propinatum ſit, alicui timorem accidiſſe aquę. Prodeſt autem
hanc patiẽtibus potionem theriacæ faruæ, id eſt theriacæ magnæ, ʒ. ſemis vſq;
ad hexagium ſemis, in primis propinatæ manifeſtiſſimé. Et oportet patienti
hoc medicamen quod choleram laxat nigram porrigere, vt epithymi deco-
ctionem & ſtœchados pilulas, pilulaſq; aſthamaicõ. Cùm feceris omnia hæc,
& patientem aquam timere non videris, non tamen credas, nec vulnus cica-
trizes, niſi prius probaueris quę dicemus. Sume itaq; nucem diligenter tritam
& vulneri appone per diem & noctem, ſicq; gallo proijce: ſi comederit, & nõ
moritur æger, ſanatus eſt, & nulla reſtat timoris aquæ ſuſpicio: tuncq; vulneri
obducere cicatricem confide. Quòd ſi gallus moritur, aut gallina, emplaſtra
iterum apponenda ſunt, & patienti theriacam, aliaq; propina choleram ni-
gram medicamina deponentia, quiq; illam generant, caueat cibos: Sint ergo
illi cibus, agnorum carnes & hœdorum, gallinæq; cum eſpidabago. Ex fructi-
bus vuæ, ficus, nuces, vuæ etiam paſſæ cum amygdalis. Ex oleribus bederam-
bina, id eſt meliſſa, mentha, origanum, omniq; illum rege choleram nigram ha
benti competenti regimine, donec intelligas totum corpus eius veneno pur-
gatum, & iam nulla aquæ timendæ ſuſpicio. Cui autem aquæ accidit timor, ab
hac non liberabitur paſſione. Oportet autem illum, cui hæc accidit paſſio, eo
diſponi regimine, quo & qui deſipientia laborat nigra, & cum emboto eius o-
ri aquam infundere. Aiunt antiquorum quidam, quoniam ſi in ligneo vaſe a-
qua illi porrigatur, & papionis claudi, id eſt animalis parum maioris vulpæ, ha
bentis luporum mores, pellis ſuperponatur, ipſemet aquam ſuſcipit, & bibit,
& propinanda eſt illi hordei aqua, & lahaba, id eſt mucilagines trochiſciq; ſi-
tim mitigantes. Aſſignatio eorum: Sume medullæ ſeminis cucurbitæ, & ſemi
nis cucumeris, & ſeminis citrulli, & ſeminis cydoniorum, ac portulacę, ſeminis
medullæ, cuiuſq; partem vnam, gummæ Arabicæ, amili, quetircæ, id eſt draga
ganti, tabauſiri, id eſt ſpodij, cuiuſq; parte ſemis, tere omnia diligenter, & cum
ſeminis pſillij lahabo, id eſt mucilagine diſtempera, trochiſceaq;, & ad vmbram
deſicca.

deſicca. Et propinabis de eis hexagij pondus cum aqua frigida, gutturiq́ eius cum longo infunde canali, ſicq́ & cum hac propina aquam canali. Tradunt autem antiquorum quidam, quoniam rabidi canis hepar, ſi aſſetur, & ei quem momordit porrigatur, maifeſtiſſime prodeſt. Halyabas in Regali diſpoſitione x. Pract. cap. de Theriacæ magnæ vtilitatibus, &c. Theriaca omnes morbos qui corpori accidunt, ſanat, &c. Contra ſerpentum morſus, & animalium morſum venenum ferentium ſub auellanæ, id eſt aurei vnius quantitate, propinanda eſt cum quatuor viui ribani vncijs, aut decocti. Et contra canis rabidi morſum hexagium dabitur 1. cum ʒ.1. cineris cancrorum fluuialium: nonnunquam autem quem pupugerit ſerpens, aut theria letalis, aut canis momorderit rabidus, aut qui letale biberit poculum, ab vno hexagio bibat vſque ad duo iuxta eorum quæ accidunt virtutem percuſſionis, aut morbi cauſam, aut veneni bibat. Cap. de Theriacæ Azeræ aſſignatione: Theriacæ Azeræ, id eſt Eſdræ, aſſignatio eius, vtilitatisq́ & magnæ. Theriacæ Azeræ deſcriptio poſita eſt ſuperius in 9 cap. 1 lib. auctoritate Halyabatis, loco pręallegato. Halyabas x. Practicæ, cap. de Hieris: Hieræ Archigenis confectio, quæ omnibus interioribus eſt vtilis morbis, & rabidi canis morſui: neq; etenim quem hic mordet, aquæ patietur timorem, ſi hanc ſumant cū cancris fluuialibus aduſtis ſub. ʒ.1. quantitate: Sume colocynthidis adipis ℥.ij. praſij, ſtœchados, ellebori nigri, diagridij, piperis nigri, & longi, cuiuſq; ℥.iiij. ſcillæ aſſatę, euphorbij, aloes hepatici, gentianæ, cuiuſq; ℥.1. cinnamomi, polij, ſerapini, myrrhæ mundæ, ſpicæ aromaticę, adechari, id eſt ſquinanthi, ſautenegi montani, i. calamenti montani, ariſtolochiæ rotundę, cuiuſq; ʒ.ij. Medicamina hæc adunabis trita, & cribrata, vinoq́ claro gummas infundes, & cum melle diſtemperans deſpumato poſt ſex menſes, cùm opus fuerit, vteris hexagijs iiij. datis cū aqua, in qua myrobalanum coxeris kebulum, epithymum, vuam paſſam, agaricum, & vaſtrenſe ſal, cum his quæ diximus competere morbis.

Conſtantinus in Pantechni, quarto Practicæ, cap. de Morſu canis rabidi cura: Oportet, vt morſuram rabidi canis ante timorem aquæ medicemus. Aperiantur ergo vulnera cum igne, vel ferro fortiter, & cū ſanguine venenum effluat. Apponantur ſanguiſugæ quæ venenum eijciant. Dentur & acuta medicamina, quæ vulnera aperiunt, ſicut allium, ſinapi, ſal, acetum, cæpe, calamenthum, ſimplicia, vel compoſita, cum aceto, & cum melle temperata ſuperponenda, vel fac hoc experimentum expertiſſimum: Accipe gallinam viuā, & pone culum eius, vbi morſuræ locus eſt, tenendo eam in manu: gallina attrahendo venenum inflabitur, & morietur, & homo ſine dubio liberabitur. Et quod dictum eſt, fac etiam hoc idem ad morſum omniū animalium. Quòd ſi magna ſigna præoccupauerint, oportet dari medicinam purgatiuam choleræ nigræ, & nutriatur diæta ſubtili. Et ad digerendum facilius, demus theriacam, & medicinam in qua cancri fluuiales ponantur. Dioſcorides dixit: Cineres eorum accipiantur in pondere ʒ. iij. & gentianæ ʒ. ij. & bibant cum vino. Galenus his adiunxit olibanum, & hoc modo cōpoſuit: ℞. cancri incenſi ʒ.v. gentianæ ʒ.ij. terræ ſigillatæ ʒ.vi. fac puluerem, & da bibere ʒ. ij. cum aqua vbi cancri ſint cocti. Aliam quam Canthæus fecit: ℞. cancri, incenſi ʒ.xv. myrrhę ʒ.iij. croci ʒ.ij. gentianę ʒ.1. ſemis, fac puluerem, & da cum vino. Alia Galeni: ℞. baſiliconis, ariſtolochiæ longę an. ʒ. vij. gentianæ ʒ. viij. piperis, opopanacis, an. ʒ.1. mellis quod ſufficit, da ʒ.1. ſemis: dentur nuces ad comedendum. Nuces etiam cum ſale piſtatæ, & vulneri ſuperpoſitæ valent. Si aquam timeant, oportet machinari quomodo detur neſcienter: faciat igitur canalem quæ gulæ appoſita multam aquam infundat. Quidam medici dicunt: Iecur canis aſſatum datum, cum terretur aqua, iuuat contra timorem aquæ. Item iuuat

aqua,vbi ferrarij sua instrumenta extinguunt, inscijs oblata. Itē medicina mor
sui canis rabidi,siue aliorum superponenda hæc est: Litium,opopanacum,cæ
pe,sal,ruta,nuces,frumentum,frondes ficus,mentha,orobum,sulphur,simpli-
cia,vel composita,cum aceto,vel melle superponantur. Constantinus in Pan-
techni,10 Practicæ,cap. de Hieris: Hiera Archigenis ad morsus canis rabiosi,
& vt ad hoc non veniant, vt timeant aquam, detur cum cinere cancrorum v-
storum, pondere ℥. 1. qui timent aquam bibant hoc cum succo hypocistidos,
&c. Huius hieræ descriptio posita est superius in pręsenti cap. auctoritate Io-
hannis Mesue & Halyabatis. Constantinus 7 Viatici,cap. de morsu canis ra-
bidi: Auctor præsentis operis: Constantinus loco præallegato eadem præci-
sè pro rabidi canis cura asserit,quæ in Pantechni 4 Practicæ dixit.

Antidotarium vniuersale: Antidotum Athanasia minus faciens ad nau-
seam stomachi,&c. Morsibus rabidi canis, & venenatorum animalium me-
detur, &c. Emplastrum ceronium optimum,&c. Ad serpentis ictum, & rabi-
di canis morsum appositum auxiliatur. Emplastrum diadictamum vtillimū,
&c. morsus reptilium,& rabidi canis,seu scorpionis ictus,locis patientibus im
positum curat,&c. Mithridatum magnum,&c. venena omnia reprimit,& ve-
nenatos morsus,seu rabidi canis,vel cuiuscunq; reptilis, impositum,siue bibi-
tum cum admiratione magna emendat, &c. Theriaca diatessaron morsis à ra-
biosis vrsis, & canibus,vel à quibuslibet alijs venenatis animalibus,&c. opti-
mè facit. Vetonica,id est Betonica,ad canis rabidi morsum contrita,et vulneri
applicata prodest. Auctor præsentis operis: Omnes medicinæ appositæ su-
prascriptæ,positæ sunt superius in 3. cap. 5. lib. auctoritate Antidotarij vniuer-
salis. Nicolaus in Antidotario: Esdra valet propriè melancholicis timidis,&c.
prodest toxicatis hominibus,& morsui rabidi canis,si trium vel quatuor anno
rum fuerit cōfecta,cum vino bibita,& super vulnus inuncta prodest cum suc-
co menthæ. Mithridatum valet maximè melancholicis, timidis,maniacis,&c,
præcipuè datur contra venenum : præcipuè distemperatum cum succo
menthæ potetur,& si superponatur morsuræ rabidi canis,vel aliorum anima-
lium prodest. Theriaca diatessaron valet propriè toxicatis hominibus,& mor
sis à canibus rabiosis, vel ab alijs venenosis animalibus. datur cum succo men-
thæ ad bibendum, & super vulnus de eadem inungitur,& venenosa aposte-
mata sanat superinuncta. Auctor præsentis operis: Prædicta antidota descri-
pta sunt superius in 3 cap. 5 lib. auctoritate Antidotarij vniuersalis,præter mi-
thridatum,quod descriptum est in 10 capite 1 lib. Albertus Magnus in suo de
Animalibus lib. 22. tractatu 2. cap. 4. Rabiei canis mederi dicitur fimo gallina-
ceo cibis eorum immisto. Morsui autem rabidi canis,dicitur esse medicina ra-
dix rosæ syluestris.

Gilbertus Anglicus 7 sui Compendij medicinæ, cap. de Morsu canis non
rabidi: Statim cùm mordetur homo à cane non rabioso, abluatur vulneris lo-
cus cum aceto. & multoties postmodum ponatur super locum nitrum cum a-
ceto, & remaneat hoc emplastrum conueniens, quando canis ille dispositus
fuerit ad rabiem : pòst accipe cæpam, & sal,& rutam,& farinam fabarum,& a-
mygdalas amaras: & hæc omnia conficiantur cum melle, & superponatur hoc
emplastrū. Quando autem accidit ex morsu huius canis inflammatio magna,
& vehemens,tunc oportet vt conuertatur huiusmodi medicatio ad frigidita-
tem. Fiat ergo emplastrum ex plantagine,& sale,& folijs cucumeris, & citrull.
Et loco istorum, si non iuueniantur, accipiatur morella,id est solatrum,vel la-
ctuca: commisceantur cum aceto & superponantur. Calx,calamenthum,& li-
thargyrum cum aceto, confert,si non fuerit vehemens inflammatio, & cala-
menthum cum sale,& melle superpositum confert: & tamen ista conferunt in
morsu

morſu canis rabidi. Cap. de Morſu canis rabidi: Primum conſilium eſt, vt non claudatur vulnus: & ſi clauſum fuerit, aperiatur, vt putredo & ſanies effluat: quia ſolet latere per multa tempora. Aperiatur igitur cum phlebotomo: vel ſi apertum ſit, vtrobique ſuperponatur ventoſa, vel iuxta apponantur ſanguiſugæ, & memento quòd poſt apertionem exprimatur, vt effluat putredo & ſanies: quia ſolet latere per multa tempora venenum clauſum. Offeratur 3 dieb. continuis theriaca, vt dictum eſt in curis ſuperioribus: & coagulũ catuli cum vino: & quæ dicuntur in morſu ſerpentis, hîc adhibeantur ſuper morſuram. Fiat emplaſtrum ex ficubus, & nucibus, & ſale & allio inſimul miſtis, & alia localia. Quarto die fiat phlebotomia: poſt phlebotomiam tertio die fiat balneũ. Et quia venenum poſt multum tempus latet vſq; ad circularem anni reuolutionem, meum conſilium eſt, vt quater in anno purgetur, & in ſingulis xv. aliàs x. diebus, vſq; ad finem anni accipiat theriacam magnam ad pondus 1. ʒ. cum vino decoctionis gentianæ, vel baccarum lauri, vel myrrhæ, & vulnera ſemper teneantur aperta: detur ſtatim ad potandum gentiana, ariſtolochia rotunda, dictamnum, vel aſſa fœtida in principio, & vulneri ſuperponatur. Et apponatur ſæpius ſanguiſuga, vt venenum extrahatur. Detur etiam acuta medicina, quæ vulnus aperiat, ſicut allium & ſinapi, pudicus circulus gallinæ ſuperponatur, vt in anthrace. Canis etiam rabidus fiſſus, vel aliquod membrum ipſi vulneri ſuperponatur. ſic dico de ſerpente in morſu ipſius. Item ſtercus columbinum emplaſtratum valet: detur etiam cinis cancrorum fluuialium, vel hæc: ℞. cineris cancrorũ fluuialium ʒ. iij. ſemis, gentianæ ʒ. ij. terræ ſigillatæ ʒ. v. da bibere ʒ. ij. cum aqua, vbi cocti ſunt cancri. Aliud: ℞. baſiliconis, ariſtolochiæ longæ an. ʒ. vij. gentianæ ʒ. vij. piperis, opopanacis an. ʒ. 1. mellis quod ſufficit. da ʒ. ij. ſemis cum aqua calida. detur nuces ad comedendum. Dicitur quòd aqua maris eos curat. Iecur canis aſſati datum comedat: dicunt enim iuuare: ſimiliter aqua ferrariorum vbi ferrum extinguitur, datur neſcienti. Item litium, opopanacum, cæpe, ſal, ruta, nuces, frumentum, ficus frondes, mentha, orobum, ſimplicia, ſiue compoſita cum melle ſuperpoſita valent.

Ioannes Gadeſden 2 ſuæ Practicæ dictæ Roſa, cap. vltimo: Ad curam, ſupple, morſus à cane rabido, rutam, mentham, & ſaluiam, ſal, & oleum ſuperpone per quinque dies. Item betonicam contuſam pone, & liberabitur: ſed morſum canis non rabidi, & hominis, & lupi, & cuiuſcunque alterius, curat cerotum de ſepo, pice & galbano. Tadæus de Bononia in ſuis conſilijs: Ad morſum canis rabidi pro valde probato: Accipe tres cantharides, & diſtempera eas, terendo cum aliquo liquore, tribuáſque patienti in potu: quòd ſi non recipit, intromittatur taliter, vt tranſglutiat. Petrus de Abano in ſuo libro de Venenis, capite de morſu canis rabidi: Cura eſt, vt ſuper locum morſus ponantur ventoſæ cum ſcarificatione, & ponatur deſuper allium, vel cæpe tritum, & confectum cum butyro vaccino, & ſumat in potu electuarium cancrorum fluuialium, & intret balneum omni die, & laboret in cura ethicorum melancholicorum, & balneetur ante quadraginta dies aqua maris: & eius bezaar, ſunt cancri fluuiales aduſti, & puluerizati, & dare ex eis drachmas tres omnibus tribus diebus. Gulielmus de Varignana in ſua Practica, ſermone 4. tract. 3. cap. de Morſu canis rabidi: Nos experti ſumus contra morſum canis rabidi radicem gentianæ, vt omni manè ſumatur ex ea ʒ. 1. myrrhæ ʒ. ſemis, pulueris cancrorum fluuialium ʒ. ij. cum vino.

De Hominis morſibus Cap. III.

HOminis, nempe quiditas, omnibus nota eſt: eſt nanq; animal rationale, mortale, ad ſimilitudinem Dei factum.

NATVRA ipsius, siue complexio, perfectior est cæteris naturis quorum-
cunq; aliorum animalium: verùm quandoq; ex ęgritudinibus variatur, & non
modicum ab ipsius perfectione recedit. Fit enim rabiosa quandoq;, similis na-
turæ rabiosi canis, adeo vt mordendo inducat omnino consimilia accidentia
illis, quæ rabidus canis mordens inducit, non autem, vt prædixi in immediatè
præcedenti cap. ex Galeni mente fieret ab intrinseco vnquam homo naturæ
talis: licet nanq; ab intrinseco fieret quantumcunq; maniacus, vel furiosus, nũ-
quam, vt existimo, mordendo induceret accidentia protinus consimilia acci-
dentibus, quæ inducit mordendo rabidus factus immeditatè, vel mediatè, ex
canis rabidi morsu: ita etenim appropriatur modus ille rabiei cani, quòd non
alteri animali de per se. Et hoc assero iuxta Galeni mentẽ, quanuis in hoc non
adsit demonstratio: & sicut dixi, de homine, ita dico de lupo, & adib, & mulo,
& cæteris alijs animalibus à cane, qui à multis auctoribus rabiem aliquando
dicuntur incurrere. Dico tamen, quòd homo, seu lupus, seu adib, seu vulpes,
seu mulus, seu mustela, seu aliud quodcunq; animal simile rabido factum ab in
trinseco mordendo inducit accidentia valde sæua, quanuis præcipuè non fa-
ciat morsum latrare, vt canis, & in vrina, vel aqua, vel alio liquore, vel speculo
catulos apparere, & sic intellexit, vt existimo, Galenus.

ACCIDENTIA consequentia morsum hominis non rabidi, sunt acciden-
tia consequentia vulnus consimile à quacunque re factum: parumper attamen
deteriora propter ipsius saliuam aliquali venenositate participare. Accidentia
verò consequentia morsum hominis rabidi immediatè, vel mediatè ex canis
rabidi morsu, sunt omnino consimilia accidentibus consequentibus ex ipsius
rabidi canis morsu prædictis in immediatè præcedenti cap. & consimiles sunt
eorundem accidentium causæ.

SIGNA morsuræ hominis rabidi, sunt accidentia prædicta in immediatè
præcedenti cap. & diligens informatio habita, quòd homo, qui momordit,
fuit morsus à cane rabido, vel ab homine morso ab illo.

PRAESERVRTIO fit præcauendo protinus à conuersatione cum tali
homine.

CVRA morsus ab homine non rabido, est cura vulneris in generali, & prę-
cipuè cura posita in præsentis lib. 1. cap. Cura verò in generali morsus hominis
rabidi, est cura posita in 3 cap. 5 lib. In speciali verò, est cura posita in immedia-
tè præcedenti cap. Quæ tamen specialius pro morsu hominis rabidi, vel non
rabidi cura dicuntur, statim infrà describam. Dioscorides in lib. de Simplici-
bus, cap. de Agrimonia: Agrimonia viridis trita, & pota, ad serpentium mor-
sum, canis hominisq; rabidi, & contra venena facit. Cap. de Nuce communi:
Nux communis à ieiunis comesta, venenis contraria est, cataplasmate adhibi-
ta cum cæpa, melle, & sale, morsum hominis, & canis ad sanitatem perducit.
Rasis in Continen. lib. 20. cap. 2. Dixit Paulus: Ad morsum hominis, cura eius
est, vt linias locum ex oleo communi, & postea emplastra locum ex farina fa-
barum dissoluta cum aqua & aceto, & oleo rosaceo: & renouetur hoc empla-
strum frequenter, & quando cessauerit tumor, & apostema curetur sicut cu-
rãtur exituræ. In Antidotario veteri: Cura cuiuslibet morsus hominis, & cuius
libet morsus hominis, & cuiuscunque animalis, est aspergere desuper aquam
quotidie: postquam suxisti locum multoties, & postea calefacias locum cum
rebus suppuratiuis, vel putredinem generantibus, sicut est panis, & farina,
quousque faciat saniem, & tunc fac aperire locum, & si egreditur sanies mala,
tunc scies locum esse putrefactum, & propter hoc expedit à principio caraxa-
re locum, & coquere, id est cauterizare, cum medicinis violentis, & tunc cessa
bit nocumentum morsus. Ait filins Mesuay: Contra morsum hominis, & ca-
nis

nis superponitur triticum masticatum, & similiter farina orobi cum vino, & similiter lac ficus, & ficus immaturæ, & farina orobi cum melle, & mel ficuum emplastrata valent. Acetum & sal vetus, alias, inueteratum cum sale, iuuant contra morsum hominis, & canis. Nux cum sale bene trita emplastrata cum melle similiter iuuat, & mentha est maximi iuuamenti ad hoc. Ait Iudæus: Deterior ex morsibus, est morsus canis & hominis nigrorum, & caraxatio cum ventosis, est cura istorum, & apponere super locum frumentum dissolutum cum oleo rosaceo. Et sumat patiens altit, id est assam fœtidam, in alio loco, lac recens, & comedat poma. Ait Abmurayg: Vnguentum de pice iuuat vehementer contra morsum hominis, & canis. Ait Achoroscos: Liniire morsum cum colla piscis, iuuat vehementer. Cinis emplastratus cum melle, iuuat contra morsum hominis, & canis, & simiæ. Vrina antiqua hominis, si lauetur morsus hominis & simiæ cum ea, trahit venenum exterius, & non permittit locum apostemari. Et simile facit stercus hominis combustum & pulverizatum desuper. Ait filius Patriarchæ: Emplastrum iuuatiuum ad morsum hominis, & canis. Gluten piscium iuuat. Libro 21. cap. de Stercore humano: Stercus humanum combustum, & puluerizatum super morsum hominis, sanat ipsum, etiam super loca putrefacta. Rasis 8 Almansoris, cap. de Morsibus canis non rabiosi, & beluarum, & furonum, & hominum. Horum morsibus confert cæpas, salem, ac mel per diem vnam, & noctem superponere, deinde cum vnguento nigro curentur, quod fit ex cera & sepo, & pice, atque galbano: hoc enim vnguentum plus alijs omnibus vnguentis, morsibus & perforationibus, quæ ex vnguibus auium fiunt, confert, atque omnibus vulneribus, cũ quibus accidit attritio, aut separatio, vel incisio magna, auxiliatur. Est etiam vtile, vt morsus canis & hominis à principio cum isto curetur vnguẽto.

Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, capite de Morsu hominis & canis non rabiosi, &c. Curatio ipsorum, est quòd accipiantur ossa vituli, & comburantur, donec videantur cinis albus: deinde verò terantur bene, & distemperentur cum melle, & locus cum eo emplastretur: & confert ei quòd liniatur locus in principio cum oleo tantùm communi. Et confert ei appositio cæpe, & salis, & mellis per diem, & noctem: deinde curetur cum vnguento nigro, quod dicitur Alcaban. Et eius modus est, quod accipiatur adipis, ceræ, picis, galbani, partes æquales, & liquefiant super igne, & administretur. Albucasis 4 partic. Azarauij: Theriaca Indica, quæ fuit inuenta in scrinio regis Indiæ, omnia venena tam animalium quàm hominum, & venenosorum ciborum potenter fugat. Alia theriaca morsibus reptilium, & omnibus valet, quibus & supra dicta. Albucasis 23 particula Azarauij, dictione de Emplastris ad morsum canis rabiosi, & non rabiosi, & hominis. Glandes tere cum sale & cæpe, & pone super morsum canis rabiosi, & hominum. Aliud: Tere nuces cũ melle, & parum salis, & cæpe, & super morsuram pone. Aliud: Stercus caprinum recens superpone. Aliud ad morsum canis & hominis, quando putredo est in morsura: Sume lentes coctas, & tere, & locum emplastriza. Aliud: Locus emplastrizetur cum sanguine salito porci, aut cum anetho sicco, & combure, & ex eo locum morsuræ imple, & per v. dies remaneat, deinde soluatur, quoniam ex eo sanabitur. Aliud ad morsuram hominis: Accipe vitreoli, & donec albescat, combure, tere, & cum melle confice, & emplastriza. Aliud emplastriza cum piscibus salitis veteribus. Aliud: Emplastriza cum cinere cõfecto cum oleo. Aliud: Emplastriza cum farina orobi confecta cum lacte ficus. Albucasis 24 partic. Azarauij: Modus ceronei albi valet ad morsum canis rabidi, &c. & contra morsum hominis, & scarificationes difficiles, &c. Ceroneum quod recipit asphaltum, & est ceroneum nigrum, valet morsui hominis & canis, etc. De-

scriptiones prædictorum duorum ceroneorum, positæ sunt in immediatè pręcedenti cap. auctoritate Albuc. præallegata 24 Azarauij. Descriptiones vero theriacæ Indicæ, & aliæ theriacę, de quibus parum antè mentionem feci, auctoritate Albucasis, 4 particula Azarauij, positæ sunt superius in 9 cap. 1 libri auctoritate eiusdem ibidem. Rabbi Moyses in suo libro de Venenis tractatu primo, cap. de Morsura canis rabidi, etc. In morsu autem canum domesticorum, & hominum, nec non aliorum animalium venenum non habentium, sufficit siquidem, si locus vicissim oleo calido fomentetur, donec scilicet dolor patientis mitigetur, & cõsequenter faba cruda tandiu ore masticetur, quod substantiam vnguenti, vel emplastri habeat, et loco morsuræ apponatur: aut frumentum masticatum: & si masticans fuerit iuuenis, & ieiunus, et prædictorum masticationem in principio diu fecerit, iuuabunt quidem amplius medicamina antedicta. Ex conferentibus etiam ad hoc, est, vt cæpa trita cum melle incorporata superponatur, aut mica panis fermentati masticata.

Auicenna secundo canone, tractatu secundo, capite de Homine: Est theriaca stercus eius puluerizatum super morsuram hominis. Capite de Herbo: Fit ex herbo, id est orobo, emplastrum cum vino super morsum viperæ, & morsum canis rabiosi, & hominis ieiuni. Auicenna 4 canone, fen 6. tractatu 4. capite de Morsu hominis in hominem: Ponitur super morsum, cùm accidit, vt sit vehemens, cæpe, sal & mel, die & nocte: deinde curetur cum vnguento nigro facto ex adipe, & cera, & oleo, & albezaard, id est galbano. Est enim emplastrum melius ad illud quod morsum est: & similiter cinis confectus cum aceto, melle & cæpe, & iterum minutum thus cum vino & oleo, & iterum ossa vitulorum adusta, vsque quo albificentur cum melle confecta, & iterum sal conritum cum melle, aut myrrha, & gummi albotin, id est terebinthina: vulnere iam repleto, anetho sicco adusto, liniatur, & ligetur: & liniatur super ipsum iterũ cinis cauliũ: & quandoque accidit ex morsu hominis, & propriè ieiuni, et accipientis medullas granorum præparatas ad corruptionem, et propriè lentes, corruptio: quare oportet vt inungatur locus cum oleo abstergendo, et emplastretur ex radice fœniculi cum melle, aut farina fabarum cum aqua, et aceto, et permutetur emplastrum omni die vice vna. Plinius Secundus de Naturali historia libro 20. cap. de Pulegio syluestri: Pulegium syluestre cum sale, priuatim valet contra hominis morsum. Libro vigesimo secundo cap. de Eruo: Contra serpentium ictus ex aceto, et ad crocodilorum hominumque morsum. Lib. 23. cap. de Nucibus iuglandibus: Nuces aduersantur cum cæpa, et sale, et melle canis hominisque morsui. Lib. 28. cap. de Remedijs ad morsus bestiarum et ad venena. Iubent ad hominis morsus carnẽ bubulam decoctam superponi, efficacius vituli, ante quintũ diem antequam soluant. Lib. 32. cap. de promiscuis medicinis ad ægritudines diuersas: Mitulorum carnes ad canis morsus imponantur. Halyabas in Regali dispositione, 4 Pract. cap. de Morsus hominis, et simiæ, & canis medela: Attende morsum hominis, si ieiuni est, magis nocet, ideoque accelerandum, & locus cum pice emplastrandus, et emplastrum cineris vitis adhibendum distemperati cũ aceto: aut sume cæpam, et tritam cũ melle distempera, et appone: vel sume Ireos radicem tritam diligenter, et cum aceto distemperatam appone, vel radicum fœniculi cortices cõtritos, & cum melle mistos: sed & fabarum farina cum aqua distemperata, & aceto oleoque rosaceo, & si locus tumet, lithargyro cataplasma. Vnguentum ad hominis simiæ canisque morsum: Sume ceræ, adipis, galbani, cuiusque drachmas v. olei loti ʒ. xx. liquefac omnia in oleo, vt fiat vnguentum, & morsus locum cataplasma, sanabitur enim.

Constantinus in Pantechni quarto Practicę, cap. de Cura morsus hominis,

vel

vel simiæ, vel mustelæ. Morsui hominis, vel simiæ, vel mustelæ, prosunt ossa vituli incensa, & cum melle temperata, & superposita. Item fel taurinum illinitum, morsum simiæ, & hominis curat: idem facit folium. Constantinus 7. Viatici, capite de Morsu canis rabidi: Morsibus humanis prosunt ossa vituli incensa, & cum melle temperata, & superapposita.

Gilbertus Anglicus septimo sui Compendij medicinæ, cap. de Morsu hominis rabidi: In morso ab homine rabioso accipiatur cæpa, sal, & mel, & commisceantur, & per continuitatem diei, & noctis superpone vulneri: postea fiat vnguentum nigrum, & vngatur: & istud vnguentum fit ex adipe anserino, & galbano, & cera, & oleo, & theriaca: postea accipiatur thus puluerizatum, & commisceatur cum oleo, vel vino, & superponatur. Item ossa vitulina adurantur, donec albescant: postea conficiantur cum vino, vel oleo, & superponantur cum melle: similiter sal, & myrrha cum melle confecta. Cum vulnus fuerit magnum tunc oportet, vt impleatur anetho sicco adusto, & aspergatur super ipsum cinis caulium, & quando fit morsus in ieiuno, fit deterius, & magis timorosum. & superponitur emplastrum factum ex farina fabarum temperatarum in aqua, vel aceto: & nota, quòd quidquid vulneri superponitur, debet actu esse calidum. Iohannes Gadesden secundo suæ Practicæ dictæ Rosa, capite vltimo: Morsus canis non rabidi, & hominis, & lupi, & cuiuscunque alterius, curat cerotum de sepo, pice & galbano. Et confert etiam vulneribus, quibus accidit contusio & incisio, quod vocatur Vnguentum nigrum. Item agrimonia potata cum vino, mirè valet contra anthracem, & teneatur ibi, & etiam contra morsum serpentis, & canis rabidi, & hominis. Gulielmus de Varignana in sua Practica, sermone quarto, tractatu tertio, capite quinto: Ad morsum hominis, emplastretur locus cum folijs agni casti: & hoc idem confert morsui canis. Stercus etiam hominis emplastratum super morsum etiam hominis, illum sanat: & similiter cæpe, sal & mel, trita per diem & noctem imposita: & demum vnguentum nigrum. Contingit autem frequenter hominem incurrere rabiem, & maximè quando morsus est à cane rabido, & non sanatur. Tunc ergo si alium momorderit, curetur ille morsus cura morsus canis rabidi.

Petrus de Abano in suo lib. de Venenis, cap. de Morsu hominis ieiuni. Ille qui morsus fuerit ab homine ieiuno, ponat super morsurē stercus gallinę, alioquin patietur vulnus venenosum difficilis consolidationis.

De Lupo, Adib, Vulpe, Mulo, Equo, Asino, & Camelo, eorúmque morsuris Cap. IIII.

Lvpus est animal notum, ferox & dolosum. Adib, est species lupi, & secundum aliquos, est lupus ceruerius. Vulpis est animal notum, dolosum valde. Mulus est animal notum, quod generatur ex spermatibus equi, & asinæ, vel asini & equæ. Equus est animal notum, cuius multæ sunt species. Asinus est animal notum, cuius quidam est domesticus, & quidam syluestris, qui onager dicitur. Camelus est etiam animal notum gibbosum.

NATVRAE prædictorum omniū animalium, licet inter se diuersificentur, in relatione tamen ad hominem, eorum omnium carnes generant sanguinem grossum, & melancholicum, & sunt difficilis digestionis, quorum omnium saliuæ quadam venenositate participant: & ideo eorum morsuræ inter morsuras venenosorum animalium connumerantur. Verùm, cùm sunt sana, minori valde secundum eorum saliuas venenositate participant: cùm verò sunt male disposita, aut quodammodo rabida, participant secundum eorum saliuas venenositate valde maiori.

ACCIDENTIA morſuras eorum ſanorum exiſtentium conſequentia, ſunt accidentia vulnus conſimile à quacunque re factum conſequentia, aliquantulum tamen deteriora propter ſaliuas eorum aliquali venenoſitate participare, & ſunt præſertim dolor vehemens, & apoſtema. Accidentia verò conſequentia morſuras eorum, dum ſunt male diſpoſiti, & quodammodo rabidi, ſunt conſimilia accidentibus conſequentibus rabidi canis morſuram, præterquam quòd non ſequitur apparitio catulorum in vrina, vel in aqua, vel in alio liquore, vel ſpeculo, neque de canibus aſſidua imaginatio, niſi fortè talia animalia, rabida effecta forent ex rabidi canis morſu. Accidentia tamen propria conſequentia morſuram mulorum iuxta Raſim vigeſimo Continentis, auctoritate Pauli, ſunt punctio, & ampullæ circa locum plenæ humiditatibus ſanguinolentis, quæ velociter putrefiunt, & dolor, & ſtranguria, & ſudor frigidus, & torſio.

CAVSAE accidentium conſequentium morſuras pręfatorum animalium, ſanorum exiſtentium videlicet, præſertim doloris vehementis, & apoſtematis, ſunt ſolutio continui, & mala complexio, præcipuè ſaliuæ eorum, ad quas conſequitur concurſus humorum, & conſequenter dolor, & apoſtema. Cauſæ verò accidentium conſequentium morſuras præfatorum animalium male diſpoſitorum, ſeu quodammodo rabidorum, ſunt conſimiles cauſis accidentium conſequentium morſuram rabidi canis prædictorum in 2 huius libri capite. Cauſæ autem accidentium, & propriè conſequentium morſuras mulorum, & primò punctionis, & ampullarum circa locum, etc. cauſa eſt ſaliua ipſorum vulneri in morſu communicata, ſui acuitate locum pungens, et conſequenter ipſum ampullificans, concurrentibus præ dolore humiditatibus ſanguinolentis, quæ ob mortificationem caloris innati loci morſuræ præcipuè velociter putrefiunt, prius tamen eorum viſcoſitate ampullificantur. Cauſa doloris, eſt ſolutio continui, & mala complexio, calida, & ſicca, & ſaliua eorum loco morſuræ communicata. Cauſa ſtranguriæ, et torſionis, eſt ſiccitas exceſſiua, & venenoſa ſaliuæ ipſorum eiuſdem venenoſa caliditate coadiuuante exiccans, et conſequenter conſtringens vias vrinæ, & præcipuè colli veſicæ, cauſando ſtranguriam, coadiuuante ipſius ſaliuę venenoſa caliditate, acuitatem in vrina inducente, incitante ad ipſius frequentē, et guttatim expulſionem: quę nempe ſaliuę ſiccitas et caliditas venenoſa, inteſtinis cōmunicata, cauſat torſionem in eis: ſiccitas quidem conſtringendo, & corrugando ipſa inteſtina, et eorum anfractus, ad quod ſequitur fæcum & humiditatum, ac ventoſitatum in eis retentio: caliditas verò ventoſando humiditates viſcoſas in ipſis exiſtentes. Inſuper poteſt eſſe ſtrangurię cauſa, debilitas expulſiuæ veſicæ, facta à partiali mortificatione caloris innati eius, inducta à venenoſitate ſaliuæ mulorum, quæ nempe debilitas amplius in veſica manifeſtatur, quia ipſa eſt membrum pauci caloris: quare vrinam quam præ eius debilitate non poteſt raròo, & totam ſimul expellere, frequenter, et guttatim, et paulatim expellit: et conſimilis poteſt eſſe cauſa torſionis inteſtinorū, quæ etiam ſunt membra naturaliter pauci caloris, quorū diminuto calore agente in humiditates viſcoſas in ipſis exiſtētes, generantur ventoſitates in eis, quas ob eorum expulſiuæ debilitatem, non poſſunt expellere, & ob eorum diminutam caliditatem non poſſunt reſoluere, neque conſumere. Cauſa ſudoris frigidi, eſt mortificatio caloris innati, & membrorū præcipuè ſubcutaneorum contentiuæ debilitas cauſatæ præſertim à venenoſitate ſaliuæ mulorū, pręſertim male diſpoſitorum, ſeu quodammodo rabidorū.

SIGNA morſurarum præfatorum animalium, ſunt manifeſta diligenti habita informatione.

PRAESERVATIONES & curæ prædictorum animalium ſanorum exiſtentium

stentium morsurarum, sunt præseruationes, & curæ morsurarum canis, & hominis non rabidorum, prædictæ in duobus capitibus immediatè præcedentibus. Præseruationes autem, & curæ præfatorum animalium existentium male dispositorum, seu quodammodo rabidorum, sunt consimiles præseruationibus, & curis canis, & hominis rabidorum prædictis in eisdem duobus cap. immediatè præcedentibus. Quæ tamen pro eis priuatim ab auctoribus dicta sunt, statim infrà describam.

Rasis vigesimo Continentis, cap. 2. Dixit Paulus: In morsu mulorum accidunt punctio, & ampullæ circa locum plenæ humiditatibus sanguinolentis, & accidit similiter dolor, & hæc velociter putrefiunt, & accidit ex hoc stranguria, & sudor frigidus, & torsio, & iuuat ad hoc emplastrare locum ex farina hordei dissoluta cum syrupo acetoso, aut pyrethro, vel opopanaco, seu gentiana fermentata, aliàs, distemperata cum vino: vel sumas myrrhæ partem vnam, & aristolochiæ partes duas dictæ partis. Ait Abmurig: Elleborus occîdit lupos, canes, & omnes feras. Ait Rasis in lib. Animalium: Lupus non appropinquat scillæ. Ait Mesuay: Amygdalæ amaræ occîdunt lupos. Ait Dioscorides: Elleborus occîdit asinos subito, si ponatur in aqua vbi bibunt equi: arsenicum rubeum interficit eos velociter. Amygdalæ amaræ, interficiunt vulpes velociter. Elleborus interficit canes, & vulpes, & omnia animalia. Rasis octauo Almansoris, capite de ijs qui venenosa animalia, & serpentes, & beluas rapaces, & lupos fugant. Adib non approximat loco, vbi est scilla. Capite de Morsibus canis non rabiosi, & beluarum, & furonum, & hominum. Auctor præsentis operis: Recurre ad cap. immediatè præcedens, vbi describitur cap. prę-allegatum, auctoritate Rasis loco præallegato. Rasis in libro de Proprietatibus Animalium, capite de Proprietatibus leonis: Suffumigatio ex sepo eius, si fiat circa aquam, aut ex eo aliquid ponatur circa eam, non accedent lupi, nec bibent ex ea. Si ex sepo eius cum allijs misto, ita vt vincat odor alliorum, corpus hominis inungatur, ad ipsum nunquam accedent. Si cum sepo eius liquefacto destilletur, aliàs, designetur circuitus ouium, non accedent lupi ad gregem illum, nec alia animalia rapacia. Capite de proprietatibus Lupi: Dens caninus lupi suspensus super aliquem, non timebit lupum. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, capite de Morsu hominis, & canis non rabiosi, & animalium quæ dicuntur alsalaa, id est beluæ. Auctor præsentis operis: Caput præallegatum descriptum est in secundo capite præsentis libri, auctoritate Albucasis loco prædicto, ideo illucre curre.

Auicenna 2 canone, tractatu 2. cap. de Agno casto: Agnus castus, confert morsui canis, & lupi, superposito emplastro. Cap. de Gentiana: Pondus ʒ. ij. ex ea cum vino, confert morsui canis rabiosi, & morsui omnium luporum. Capite de Calamento: Calamentum montanum, quando bibitur succus eius cum decocto, id est vino cocto, confert morsui luporum. Cap. de Interfectore adib: Virtus eius, est virtus strangulatoris leopardi, nisi quòd eius proprietas est in adib. Capite de Strangulatore adib: Strangulator adib, præfocat adib, & porcos, & canes. Capite de Strangulatore leopardi: Strangulator leopardi, suffocat leopardos, & lynces, id est lupos ceruerios. Auicenna 4 canone, fen 6. tractatu tertio, capite de Rebus quas quidam dixerunt in destructione rapacium: Strangulator adib, interficit adib, & canes: & amygdala amara, interficit vulpem. Tractatu quarto, cap. de Morsu canis domestici & adib, & similium. Auctor præsentis operis: Præfatum caput descriptum est superius in secundo capite præsentis libri, auctoritate Auicennę loco prę-allegato, Halyabas in Regali dispositione, quarto Practicę, capite de Morsu

ebenars, id est cameli, & hadiæ, id est harbæ, id est lacertæ, seu speciei eius me-
dela. Ebenars, id est cameli morsus cum cæpa, & allio cataplasmandus est, &
patientem allium & cæpam comedere præcipe. Ioannes Gadesden 2 suæ Pra-
cticæ dictæ Rosa, capite vltimo: Morsum canis non rabidi, & hominis, & lu-
pi, & cuiuscunque alterius, curat cerotum de sepo, pice & galbano, quod vo-
catur Vnguentum nigrum. Petrus de Abano in suo libro de Venenis, capite
de Morsu canis: Scias quòd si equus, & mulus, & asinus, & simia patiuntur ra-
biem propter morsuram circa magnum calorem, eius cura est, vt super locum
morsus ponantur ventosæ cum scarificatione: & ponatur desuper allium, vel
cæpe tritum & confectum cũ butyro vaccino, & sumant in potu electuarium
cancrorum fluuialium: & intret balneum omni die, & laboret in cura ethico-
rum melancholicorũ, & balneetur ante xl. dies aqua maris: & eius bezaar, sunt
cancri fluuiales adusti, & puluerizati, & dare ex eis ʒ.iij. in potu omnibus tri-
bus diebus. Guilielmus de Varignana in sua Practica, sermone 4. tractatu 3.
cap. quinto: Ad morsum lupi bibantur gentianæ drachmæ ij. aut bibatur ex
decoctione calamenti montani. Et dixit Aamech, quòd qui vngitur sepo leo-
nis, vel leporis, nõ timet ire inter lupos, nec accedent ad eum: & idem dicit de
stercore vtriusque.

De Leone, Pardo, Leopardo & Leonza *Cap. V.*

LEo est animal notum, ferox & liberale, prædæq́ communicatiuum, pro-
pter quod rex ferarum ponitur. Pardus est animal ferè magnitudinis leo-
pardi totum varietate distinctum maculis orbiculatis ad modum oculorum,
ex flauo calore interdum ad album, & interdum ad cœruleum terminatorum,
simile pantheræ animali, quod quidam dicunt ex cane, & panthera procreari,
velox valdè, potius saltibus quàm cursibus prædam insequens, abundans in
Africa. Leopardus est animal satis simile pardo, pellis rufę, nigris atq́ rotundis
maculis interpositis, quod equidem generatur ex leæna & pardo, ferox & for
tis iræ, præsertim cum in 3. vel 4 saltu prædam non capit. Leonza est animal fe
rox nimis, quod ex leone & leoparda fœmina procreatur.

NATVRA cuiuslibet prædictorum animalium, calida est & sicca, & præci-
cipuè natura saliuæ cuiuslibet eorum, calida est & sicca, aliquali venenositate
participans.

ACCIDENTIA consequentia morsuras prædictorum animalium, sunt
consimilia, & sunt principaliter dolor vehemens, & inflammatio præcipuè lo-
ci morsuræ et apostema.

CAVSAE prædictorum accidentium, sunt solutio cõtinui, & mala comple
xio calida, & sicca venenosa, ad quas sequitur præcipuè dolor vehemens, &
inflammatio præcipuè loci morsuræ, ad quod equidem sequitur cõcursus hu-
morum, & per consequens apostema.

SIGNA præfatarum morsurarum, sunt accidentia prædicta, & diligens in-
formatio habita, si aliqua ex prædictis animalibus momorderunt.

PRAESERVRTIO fit præcauendo se à conuersando cum aliquo prædi-
ctorum animalium: & si contingeret aliquem cogi ad standum in loco vbi ta-
lia animalia, vel eorum aliquod solita sunt nocere, fiat ab eorum morsibus præ
seruatio cum his quæ infrà scripti auctores eos docent interficere, vel fugare.

CVRA verò fit sicut infrascripti docent auctores, & per hanc curam elici
potest cura morsurarum cæterorum animalium consimilium. Galenus in li-
bro de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Est autem succositas huius, sup-
ple, centaureæ minoris factæ modo suprà scripto in 3 capite quinti lib. stipti-
ca et siccatiua, et calefactiua cum virtute immanifesta operans, quam non
est

est possibile exponere verbo, neq; ad excogitationem venire, ita est vtilis ad multa. Confert autem & in feris venenosis interficientibus, in apum quidem, & incisiuorum morsibus vncta cum vino, in reliquorum verò consimiliter, sicut & canis omnis, & propriè rabiosi, & leopardi, & crocodili, & similium, &c Oribasius libro primo de Dynamidijs, tractatu de emplastris: Emplastrum, quod vocatur Melene, facit ad omnia vulnera percussa, siue morsus venenatos, scorpionis, serpentis, canis rabidi, apri, leopardi, &c. Hoc emplastrum descriptum est superius in 3. cap. 5 lib. auctoritate Oribasij loco præalegato.

Rasis 20 Continentis, cap. secundo, Ait Rasis in libro Animalium: Leo nō appropinquat arbori, quæ producit glandes: leonza genus est pardi, fugit granatum.

Rasis 8 Almansoris, cap. de his quæ venenosa animalia, & serpentes, & beluas rapaces, & lupos fugant. De beluis autem, dicunt quòd leo propter gallum album, & propter murem fugit. Et adip non approximat loco, vbi est scilla. Dicunt quoque quòd leopardus terretur, propter arborem, quæ vocatur leopardi arbor, id est granati arbor. Et quòd leo timet propter lignum, quod vocatur sindan, aliàs sindami, id est, vt credo, quercum producentē glandes. Cæpæ verò quæ vocantur scillæ, & elleborus, porcos, & canes, atq; leones, necnon ex beluis plurimas interficiunt. Herba etiam quæ leopardū strangulans vocatur, id est strangulator leopardi, leopardum cito interficit. Cap. de morsibus canis non rabiosi, & beluarum, & furonum, & hominum: Horum morsibus confert cæpas, & sal, ac mel per diem vnam, & noctem superponere. Deinde eum vnguento nigro curentur, quod fit ex cera, & sepo, & pice atque Galbano. Hoc enim vnguentum plus alijs omnibus vnguentis, morsibus & perforationibus, quæ ex vnguibus auium fiunt, confert, atq; omnibus vulneribus, cum quibus accidit attritio aut separtio vel incisio magna, auxiliatur. Morsibus verò leonis, atq; leopardi, & pheech, id est leonzę, in principio sunt ea adhibenda quæ attrahunt, deinde loca cum aceto, & sale lauanda, & ad vltimum cum isto vnguento medicanda, si deus voluerit.

Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de morsu Leonis, leopardi, & alphee, id est leonzę: Oportet superponi eis in principio ventosam cum scarificatione, vt attrahatur sanguis, & venenum, deinde abluatur cum aceto, & sale: & apponatur desuper loco de vnguento nigro, quousq; sanetur. Auicenna, secūdo canone, tract. 2. cap. de Strāgulatore leopardi: Strangulator leopardi, suffocat leopardos, & lynces. Auicenna 4 canone, fen 6, tractatu tertio, cap. de Rebus, quas, quidā dixerūt in destructione rapacium: Inquiunt strangulator leopardi, interficit leopardos. Tractatu quarto cap. de morsu leopardi, & genetæ, id est animalis paulò minoris vulpecula, colorem habentis inter nigrum & croceum, maculis nigris interpositis, & leonis, & vulnere vnguium eorum. Isti rapaces & qui similantur eis, non sunt sicut canes salui, & homines, imò dentes eorum, & vngues ipsorum non sunt vacui à natura venenosa: quapropter oportet, vt curentur in primis cum attractionē, deinde cum consolidatione, & in eius quidem attractione sufficit res parua. Halyabas in Regali dispositione, quarto Practicæ cap. de Leonis, pardi, & leopardi morsus medela: Hos morsus medicaminibus curare oportet de attrahētibus, vt emplastrato quod de aristolochia fit, & hireos radice, ac melle, & narcissi cæpa si teratur diligenter, & loco apponatur cum aceto, & aqua prodest, vnguentum etiam, quod diximus in quo æris cortices sunt, & zeniarum, id est ziniar, id est viride æris ac quemia prodest.

De Simia Cap. VI.

SImia est animal notum hominis figuræ in aliquibus satis consimile, & morum ipsius imitatiuum, cuius masculus dicitur simius. Sunt autem ipsius plura genera, quorum vnum catus maymonus hîc, & in partibus circunstantibus nuncupatur, alibi verò aliter, caudam habens valde longam, & est valde grisei coloris: quòd quidam asserunt ex cato syluestri, & simia procreari.

NATVRA ipsius est melancholica: Natura verò saliuę eius, quæ per ipsius morsuram homini morso communicatur, calida est, & sicca venenositate aliquali participans.

ACCIDENTIA morsuram ipsius consequentia, sunt dolor vehemens, & apostema. Causæ doloris vehementis, est solutio continui, & mala complexio, calida, & sicca, venenosa à saliua ipsius morsurę communicata. Causa apostematis, est concursus sanguinis, & aliorum humorum ad locũ morsurę propter doloris vehementiam, & malam complexionem calidam attrahentem.

SIGNA præfatę morsurę, sunt accidentia prædicta, & informatio habita, quòd fuit simius, seu simia, qui momordit.

PRAESERVATIO fit se præcauendo à conuersando cum aliqua eius specie. Cura fit cum his quę ex auctorum mentibus infra describam.

Rasis 20 Continentis cap. secundo: Ait Achoroscos: Cinis emplastratus cum melle, iuuat contra morsum hominis, & simię. Rasis 21 Continentis cap. de Vrina: Vrina, supple, hominis diu mincta, curat morsum canis rabiosi hominis, & simię, & prohibet ipsum apostemari, & extrahit humiditates similes loturæ carnis de morsu canis rabiosi, cum abluitur ex ea.

Auicenna quarto canone, fen 6. tractatu quarto, cap. de morsu Simij: In illo iterum quem mordet simius, fiat quod attrahat venenũ eius, si fuerit in morsu eius: & illud fit cum eis quę sunt sicut emplastratio cum cinere, & aceto, & melle, aut amygdalis amaris, aut ficubus, & propriè immaturis: & lithargyrum cum sale, & radix fœniculi. Et sedat apostema eius lithargyrum liquefactum in aqua, & aperit ipsum cum nigella, & melle, & herbo, id est orobo. Halyabas in Regali dispositione, quarto Practicæ cap. de Morsus hominis, & simię, & canis medela. Canis, & simię morsus in primis cura cum cępa fit, & sale contritis, ac distemperatis cum melle, & loco appositis. Vnguentum ad hominis, simię, canisq́; morsum: Sume ceræ, adipis, galbani, cuiusq́; ʒ.v. olei loti, ʒ.xx. liquefac omnia in oleo, vt fiat vnguentum, & morsus locum cataplasma: sanabitur enim. Constantinus in Pantechni, quarto practicę cap. de Cura morsus hominis, vel simię, vel mustelæ: Morsui hominis, vel simiæ, vel mustelæ, prosunt ossa vituli incensa, & cum melle temperata, & superposita. Item fel taurinum illinitum, morsum hominis, & simiæ curat. Idem folium facit. Petrus de Abano in suo libro de Venenis cap. de Morsu muris simiæ, aut gatti. Qui verò à mure, simia, vel gatto morsus fuerit, super morsum ponat stercus gallinę, curet illum vt in morsu hominis ieiuni dictum est. Guilielmus de Varignana in sua Practica, sermone quarto, tractatu tertio, cap. quinto: Ad morsum simiæ curam experimento didici, quòd fabæ masticatæ subito conferunt.

De Fele siue Cato Cap. VII.

CAtus à capiendo dictus. i. gattus, seu murilegus, est animal melancholicum, ex sui proprietate mures capiendo, ipsis inimicus.

NATVRA eius siue sit masculus siue fœmina, frigida est & sicca. Saliua autem ipsius morso communicata, aliquali venenositate participat.

ACCIDENTIA mosuram ipsius consequentia, sunt dolor vehemens,

& vi-

& viriditas in corpore. Causa doloris vehementis, est solutio continui, & mala complexio præsertim saliuæ eius venenositate participans. Causa viriditatis in corpore, est venenositas saliuæ eius corpori communicata, mortificans ipsius corporis calorem innatum.

SIGNA morsuræ ipsius, sunt accidentia prædicta, & informatio habita, quòd animal quod momordit fuit gattus, vel gatta, domesticus, vel syluester.

PRAESERVATIO fit se præcauendo à conuersando cum eis, præcipuè cum syluestribus, seu mordentibus.

CVRA morsuræ eius, est cura communis supradicta in primo cap. præsentis lib. quæ tamen pro ipsa ab auctoribus dicta sunt, infra describam.

Rasis 8 Almansoris cap. de his quæ venenosa animalia, & serpentes, & beluas rapaces, & lupos fugant: Gatti autem syluestres, & dalac, id est, vt credo, donnula ex succo rutæ, & amygdalarum amararum fugiunt. Rasis 20 Continentis, cap. secundo: Ait Democritus: Catus syluester fugit rutam. Auicenna 4 canone, fen 6, tractatu 4, cap. de morsu Cati: Quandoq; accidit ex morsu cati dolor vehemens, & viriditas in corpore. Et curatio ipsius, est cura communis: & iuuantur cum emplastro cæpæ, & emplastro calamenti campestris, & per comestionem amborum iterum, & cum emplastro facto ex nigella & sesamo cum aqua. Petrus de Abano in suo libro de Venenis, cap. de morsu muris, simiæ, aut gatti: Qui verò à mure, simia, vel gatto, morsus fuerit, super morsum ponat stercus gallinæ. & curet illum, vt in morsu hominis ieiuni dictum est. Guilielmus de Varignana in sua Practica sermone 4 tractatu tertio, cap. quinto: Ad morsum simiæ curam experimento didici, quòd fabę masticatæ subito conferunt. & similiter ad morsum gattę.

De Furone, seu furunculo Cap. VIII.

FVronus seu furunculus siue furettus, est animal parum maius mustela habens colorem inter album & croceum, & est ferum, & audax, sanguinis animalium auidus: licet carnes non comedat.

NATVRA saliuæ eius quæ per morsum homini communicatur, est calida, & sicca, & venenosa.

ACCIDENTIA consequentia morsuram ipsius, sunt dolor vehemens, & color præcipuè loci morsus ad subnigredinem tendens.

CAVSA doloris vehementis, est solutio continui, & mala cõplexio venenosa pręcipuè saliuæ eius. Causa subnigredinis pręcipuè loci morsus, est venenositas præfatę saliuę mortificans calorem innatum. Signa prædictę morsurę, sunt accidẽtia pręnarrata, & informatio habita quòd tale animal momorderit.

PRAESERVATIO fit se pręcauendo à conuersando cum animali pręfato, & tenendo penes se rutam, aut vngendo se succo eius.

CVRA verò fit prout ex auctorum mentibus infra patebit, non obliuiscendo curæ communis suprascriptæ in primo præsentis lib. cap.

Rasis 20 Continentis cap. 2: Ait Dioscorides: Furettus fugatur à ruta: & si gallinę vngerentur ex succo eius, non appropinquaret eis. Rasis 8 Almãsoris cap. de morsibus canis non rabiosi, & beluarum, & furonum, & hominum. Auctor pręsentis operis: Pręfatum cap. positum est superius in quinto cap. præsentis lib. ideo illic vide. Albertus Magnus 22 de Animalibus cap. de Furone, siue furunculo, siue furetto: Furonem vel furunculum, Galli furettum vocant: Si hoc animal momorderit aliquem, & locus morsus sit subnigri coloris, & augeatur in eo dolor, cura illius est, vt potet vinum purum, & ponatur in illa hora emplastrum super morsum ex cæpis tritis, & allijs tritis, & folijs ficus, & cymino tritis.

De Mustela Cap. IX.

MVstela siue donnula, est animal notum, cuius duo sunt genera, videlicet maius, & minus.

NATVRA præcipuè saliuę eius, calida est, & acuta & venenosa.

ACCIDENTIA consequentia morsuram ipsius, sunt velocitas, & augmentatio & doloris, & color loci morsus decliuis ad obfuscationem, seu subnigredinem.

CAVSA velocitatis, & augmentationis doloris, est caliditas acuta venenosa saliuæ eius per morsum ipsi morso communicata, coadiuuante solutione continui. Causa coloris loci morsus decliuis ad obfuscationem, seu subnigredinem, est mortificatio caloris innati ipsius loci facta à venenositate præsertim præfatę saliuæ.

SIGNA prædictæ morsurę, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita quòd animal mordens fuerit mustela.

PRAESERVATIO verò fit se præcauendo ab animali præfato, & vtendo præseruatione generali posita in secundo cap. quinti lib. & tenendo penes se rutam.

CVRA verò præfatæ morsuræ in generali, est cura posita in primo capite præsentis lib. Quæ tamen in speciali pro ipsius cura vel præseruatione dicuntur, statim ex auctorum mentibus infra describam. Galenus vndecimo de Simplici medicina cap. de Animalibus viuis apertis: Ea verò quæ cum aperiuntur viua, & protinus afferuntur patientibus particulis prodesse scripserunt. animalia sunt hæc: Draco quidem marinus proprio vulneri appositus, &c. sicut & mustela in suo supple morsu, vel vulnere.

Rasis 20 Continentis cap. secundo: Dixit Paulus: Ad morsum donnulę calefac locum cum cæpe, aut allijs, aut comedat de eis, & bibat postea. Absinthium cum vino bibitum valet contra morsum donnulæ. Ait filius Mesuay: Lac ficus, ficus immaturæ, & farina orobi cum melle, & mel ficuum emplastrata, valent contra morsum donnulæ. Et similiter iuuant allium, cyminum, & folia ficus. Dixit Galenus in theriaca Cæsaris, fricare cum carne donnulę, postquàm est iugulata & excoriata, morsum suimet iuuat: ego autem hoc probaui. Dictum est in libro de Agricultura Persarum: Odor rutæ fugat mustelam. Libro 21, cap. de Pomo paradisi, seu ficu pharaonis. Ficus immaturę emplastratæ cum orobis, & vino, conferunt morsui mustelæ.

Rasis 8 Almansoris, cap. de his, quæ venenosa animalia, & serpentes, & beluas rapaces, & lupos fugant. Gatti autem syluestres, & dalac, id est, vt credo donnula, ex succo rutæ & amygdalarum amararum fugiunt.

Rasis in libro de Proprietatibus animalium, cap. de Proprietatibus mustelæ: Mustela, si momorderit aliquem, & locus morsus sit subnigri coloris, & augetur dolor eius, cura illius est, vt fiat emplastrum ex allijs, & folijs ficus tritis, & cymino.

Rabbi Moyses vigesimaprima particula suorum aphorismorum, auctoritate Galeni primo medicinarum competentium morbis: & vigesimasecunda particula eorundem aphorismorum, auctoritate Galeni in particula de theriaca ad Cęsarem. Mustela capta fricato morsu eius ex ea, vidi dolorem eius cessare paulatim paulatim. Auicenna 4 canone, fen sexta, tractatu tertio, cap. de Effugatione mustelæ. Dixerunt quidam, effugat eam odor rutæ. Tractatu 4. cap. de Morsu mustelę: Dixerunt quòd morsus eius, est velocis doloris, & est color eius decliuis ad obfuscationem, & cura eius est proxima curæ, quam diximus ex emplastratione cum cæpis & allijs, & comestione amborum cum vino

vino puro super ambo. Et conferunt ad illud ficus immaturæ cum farina herbi, id est orobi. Et in libro quidem theriacę dicitur, quòd si emplastratur cum ea morsus super morsum eius, & super morsum canis rabiosi, est bona iuuatiua, sedans statim. Plinius Secundus de Naturali historia, libro 29 cap. de medicinis ex scorpione & stellione: Fel stellionum tritum in aqua, mustelas congregare dicitur. Guilielmus de Varignana in sua Practica, sermone 4 tractatu tertio, cap. quinto: Ad morsum mustelæ ruta comesta bibito vino post ipsam, est theriaca. Confert etiam eidem emplastrum factum ex ficubus, & orobo loco morsus superpositum.

De Mure Cap. X.

MVs est animal notum, cuius multa sunt genera. Domestici nanque genus omnibus notum est. Syluestris verò genus habitantis in agris amplius notum est rusticis: & reperitur duorum principaliter colorum, videlicet rubei & nigri. Reperitur etiam quoddam genus murium venenosorum, quos gatti, seu murilegę, non capiunt: & tales sunt rubei, & acutę vocis valde, & breuium caudarum respectu. s. aliorum. Quidam etiam mures de quocunque genere reperiuntur venenati accidentaliter, quia venenum aliquod comederunt. Et prout asserit Albertus Magnus 22 de Animalibus, auctoritate Alexandri, reperiuntur in Oriente mures vulpium quantitatem habentes, infestantes homines, & alia animalia. Et in Arabia reperiuntur mures magni anteriores pedes habentes ad latitudinem palmi, & posteriores admodum digiti. Est autẽ iuxta Aristotelem 6 de Animalibus cap. vltimo, muriũ generatio mirabilissima ad alia animalia cum multitudine & velocitate.

NATVRA muris videlicet carnis eius iuxta Rasim in libro de Proprietatibus animalium, cap. de Proprietatibus muris, calida est, & mollis. Natura verò saliuæ eius præsertim non accidentaliter venenati, quæ per ipsius morsum morsu communicatur, calidior est non parum. Natura verò muris accidentaliter venenati, & saliuæ eius, est consimilis naturæ veneni, quo ipse est venenatus.

ACCIDENTIA consequentia morsum muris, & pręsertim muris naturaliter venenosi, sunt consimilia accidentibus consequentibus morsuram mustelę prædictis in immediatè pręcedenti cap. Et consimiles sunt eorũ accidentium causę. Accidentia verò consequentia morsuram muris accidentaliter venenati, vtputa quia præcomederit arsenicũ, vel lithargyrum, vel aliud venenũ, sunt accidentia illius veneni quod pręcomedit in præcedentibus descripta.

SIGNA morsuræ ipsius, sunt accidentia pręnarrata, & diligens informatio habita, quòd mus fuerit animal, quod momordit. Si nanque constiterit quòd mus, qui momordit, fuerit rubeus, & acutę vocis, & breuium caudarum respectu aliorum, quem murilegę non capiunt, significat quòd morsura facta fuerit à mure naturaliter venenoso. Si verò constiterit murem, qui momordit fuisse accidentaliter venenatum, significat quòd talis morsura facta fuerit à mure accidentaliter venenato veneno, de quo informatio congrua facta fuerit.

PRAESERVATIO, fit vitando, morari, & præcipuè dormire in locis, vbi mures præfati abundant, & degunt, præmuniendo se cum ijs, quæ ipsos interficiunt, siue fugant.

CVRA verò in generali morsurę muris præsertim naturaliter venenati, est cura pręscripta in cap. 1. pręsentis lib. Cura aũt morsurę muris accidẽtaliter venenati, est etiam pręfata cura, & cũ hoc etiã, est cura illius veneni, quo ipse extitit venenatus in antè habitis pręnotata. Quę verò particulariter, & appropria

tè pro non venenati, ac venenati muris præseruatione, & cura ab auctoribus
dicta sunt, statim infra describam. Dioscorides in libro de Simplicibus, cap.
de Lisimation, aliàs, lisimachion: Lisimation, aliàs, lisimachion hastas habet al-
tas, maiores, & tenues, & fruticosas, circa quarum nodos folia minuta hahet sa
licis similia, gustu stiptica. & florem purpureum, aut aurosum. nascitur in locis
humectis, herba suffumigatione adhibita vim veneni longius arcet, sorices, id
est mures occîdit.

Rasis 20 Continentis, cap. secundo: Dictum est in libro de Agricultura Per
sarum, lityargyrum, aut elleborus mista cum pasta, & data muribus occîdunt
eos. Si decoriaretur vnus mus viuus, & dimitteretur in camera, omnes alij fu-
gerent. Et si ligetur viuus in camera, omnes alij fugient. Ait Tabri: Fumigium
ex vitreolo, expellit mures. Et fumigium ex oleo, in quo multę muscæ fuerunt
submersæ, facit omnes mures de domo currere illuc. Elleborus & colocynthis
impastata cum pasta occîdit mures. Ait Democritus: Si abscindantur testicu-
li muris, aut excoriaretur, & dimiteretur ire per domum, fugerent alij.

Ait Rasis in libro Animalium: Elleborus albus contritus, dissolutus cum fa-
rina, & melle, occîdit mures. Ait Ioannitius: Limatura ferri occîdit mures, &
cinis glandium similiter. In lib. Agriculture Romanæ: Si folia oleandri ponan-
tur in foraminibus muriũ, omnes morientur. Ait Dioscorides, Lithargyrum,
& scoria ferri, interficit mures.

Rasis 21 Continentis cap. de Scilla: Scilla, ait Abugerig, interficit murem.
Lib. 22. cap. de Argento viuo: Dixit Chuz: Puluis ipsius interficit mures.

Rasis 8 Almansoris, cap. de his quæ venenosa animalia, & serpentes, & be-
luas rapaces, & lupos fugant. Mures autem interficiuntur, si ex merdasengi, id
est lithargyro & squama ferri, & galla metallina, id est vt credo, confectio
Galliæ de illo loco, & ex elleboro quolibet istorum accepto, & cum farina si-
mul consparso, & proiecto comederint, & finiet eos omnino. Sed & si domus
cum azezi, id est vitreolo suffumigata fuerit, fugiunt. Quidam etiam referunt,
quòd si vnus ex muribus castretur, & dimittatur, omnes alios interficiet mu-
res, & finiet eos omnino, & quòd si vnus ex muribus capiatur, & subtili corda
ligetur immedio domus, alij ab eo fugient neq; de suis egredientur foramini-
bus, Dicunt etiam, quod si quis vnum ceperit murem, & eius excoriauerit fa-
ciem, & dimiserit eum, omnes alij fugabuntur.

Rasis in libro de Proprietatibus animalium cap. de Proprietatibus mulæ:
Si suffumigetur domus cum vngula mulæ, fugient ab ea mures. Cap. de Pro-
prietatibus muris: Arsenicum tritum, & pistatum cum farina, si deinde cibetur
ex eo mus, morietur. Spongia marina minutim incisa, misceatur pinguedine
liquefacta, si ex ea mus cibetur, morietur. Lithargyr, ũ & scoria ferri, & ellebo-
rus, vnumquodq; eorum quando commiscetur cum farina, & projicitur mu-
ribus, si comederint, morientur. Albucasis secunda particula Azarauij, tracta-
tu secũdo, cap. de morsu muris, & similium. Curatur curatione ceterorum vul-
nerum cum emplastris. s. & oleis. Albucasis 18 particula Azarauij, Fumi-
gium ad mures de domibus expellendos. Suffumigetur domus cum vitreo-
lo, & fungient.

Auicenna secundo canone, tractatu secundo, cap. de Scilla: Scilla est cæpe
muris, & interficit mures. Cap. de Argento viuo: Argentũ viuũ sublimatũ, in-
terficit murem, &c. Auicenna quarto canone, fen 6. tractatu 3. cap. de Effuga-
tione muris, & eius interfectione. Murem interficiunt lithargyrum, & ellebo-
rus, & iterum elleborus, & semen hyoscyami albi, & similiter radix caulis, & cę
pe muris, id est scilla, & sue, id est confectio Galliæ, & scoria ferri, & crocus e-
tiam. Et fugat ipsos mus masculus, cum excoriatur, & dimittitur in domo,
aut

aut castratur, aut abscinditur cauda eius, & excoriatio est fortior, & dicitur, quòd si ligatur vnus eorum in domo ligato pede ad passilum cum filo, effugiunt reliqui, & in eo est consideratio. Plinius Secundus de Naturali historia libro 21. cap. de Allio: Allio magna vis, magnæ vtilitatis, atq; vt aliqui tradidere, & bestiarum omnium ictibus medetur, potu vel cibo, vel illitum atq; etiam contra araneos, aut murium venenatorum morsum. Item contra canum morsus atque vulnera cum melle imponitur. Cap. de Generibus brassicę: Apollodorus cum rutæ semine, muris & aranei morsus foliorum aridorum farina alterutra parte exinaniuit. Cap. de Eruca: Erucæ semen, scorpionum venenis & muris aranei medetur. Cap. de Malua: In magnis laudibus malua est vtraque, & satiua, & syluestris. Ex syluestribus, cui grande folium, & radices albæ, althæa vocatur, ab excellentia effectus. Huius contra omnes aculeatos ictus efficacior vis, præcipuè scorpionum, vesparum, similiumq;, & muris aranei. Quin & cum oleo quarumlibet earum peruncti non feriuntur. Cap. de Althæa: Althęæ in omnibus supradictis efficacior radix.

Libro 21. cap. de Helemio: Helemium mures contritum dicitur necare. Libro vigesimo quarto, cap. de Taxo arbore: Taxi arboris fumus, mures necat. Libro vigesimo quinto, cap. de Elleboro albo: Elleborus albus, mures polenta admista necat. Petrus de Abano in libro de Venenis, cap. de Morsu muris, simiæ, aut gatti. Qui vero à mure, simia, vel gatto morsus fuerit, super morsus ponat stercus gallinæ, & curet illum vt in morsu hominis ieiuni dictum est. Guilielmus de Varignana in sua Practica, sermone quarto, tractatu tertio, capite septimo: Mures interficiuntur, si cum farina vel alio delectabili cibo eis detur argentum viuum mortificatum, aut etiam plumbum vstum, aut squama ferri, vel galla, vel elleborus niger, vel realgar: & si domus suffumigetur cum atramento, id est vitriolo, fugiunt omnes: & dixerunt quidam, quod etiam si suffumigetur cum vngulis muli, & fuit Hamech, & dixit: Cum vngula muli sinistra, omnes fugiunt.

De Mugali, seu mure araneo Cap. XI.

MVgali est animal paruũ, minus mustela, muri simile, coloris decliuus ad cinereitatem cum subtilitate, & tenuitate, cuius oris lõgitudo est ad vltimum, & labium in vltimo, & oculi parui, & dẽtes trium ordinum retorti ad superiora torsione parua. hoc animal vocatur à Plinio mus araneus, & similiter vocatur in excerptis ex libro decimo Oribasij.

NATVRA eius, & præsertim saliuæ ipsius, calida est, & venenosa, & ideo morsus eius, per quem saliua ipsius morso communicatur, est venenosus.

ACCIDENTIA consequentia morsuram ipsius, sunt dolores vehemẽtes, & punctura in corpore, & apparitio ruboris in locis morsuræ secundum dentes eius, & accidunt in circuitu vesicæ plenę humiditate sanguinea fusca super bases fuscas, & cum funditur ab eo, quod est sub eis egreditur caro alba in colore nerui habens tunicas: & quandoq; apparet in eis adustio quædam, & quandoq; corroditur, & cadit, imò currit in primis pus virulentum, deinde putresit, & corroditur, & cadit caro eius: & quandoq; peruenit res ad puncturam in intestinis, & difficultatem vrinæ, & sudorem frigidum corruptum.

CAVSA dolorum vehementiũ, sunt solutiones continui, seu vulnera facta à multitudine dentium ipsius aliqualiter retortorum ad superiora, & mala complexio calida venenosa, locis morsurę cõmunicata. Causa puncturę in corpore, est ebullitio, & inflammatio in humoribus corporis, facta à venenosa caliditate saliuę mugali per morsum ipsi corpori cõmunicata. Causa apparitionis ruboris in locis morsurę secundũ dentes eius, supple, in principio, est pręfatę sa-

liuæ venenosa caliditas, & multiplex, ac profunda, & acuta continui solutio, ad quas sequitur sanguinis ad morsuræ locum attractio, & consequenter rubor, supple, in principio, vt prædixi, quia subsequēter remouetur rubor, & inducitur obfuscatio propter ipsius sanguinis corruptionem. Causa vesicarum plenarum humiditate sanguinea fusca super bases fuscas accidentium in circuitu morsuræ, est venenosa caliditas prædictæ saliuæ ebullire faciens sanguinem, præsertim ipsius circuitus, & humiditates viscosas, ipsi sanguini cōmistas ampullificans, & vesicans, & mortificando calorem innatū conseruantem humiditatem sanguineam in rubedine, ipsam, & bases eius obfuscat. Causa propter quā cùm effunditur à circuitu morsuræ, quod est sub eius vesicis, egreditur caro alba habens tunicas in colore nerui, & quandoque apparet in eis adustio quædam, & quandoque corroditur, & cadit, imò currit in primis pus virulentum: deinde putrefit, & corroditur, & cadit caro eius, est venenositas præfatæ saliuæ, quæ mortificando partem caloris innati videlicet in principio, est causa quòd caro sub vesicis existens cōcurrente residuo caloris innati, saniatur sanie alba, cuius saniei aliqua pars viscosa ab adustiua venenosæ saliuæ caliditate, conuertitur in tunicas in colore nerui, videlicet albas, in quibus quandoq; apparet adustio quædam, & quandoq; ob nitrositatem saniei corroditur ipsa caro, & cadit, & putrefit, & currit inprimis pus virulentum. Causa puncturę quandoq; in intestinis, est venenosa caliditas prędictę saliuę intestinis communicata, humiditates in ipsis existētes ebullire faciēs atq; vētosans. Causa difficultatis vrinę, est prędictę saliuę venenositas debilitans expulsiuam vesicę, mortificādo eius calorem innatum: quę nempe expulsiuę debilitas amplius in vesica, quàm in alijs membris manifestatur propter ipsam esse naturaliter pauci caloris. Causa sudoris frigidi corrupti, est mortificatio caloris innati, ad quā sequitur infrigidatio præcipuè partium cutanearum, & corruptio humiditatum subcutanearum, & debilitas contentiuę præsertim partium subcutanearum.

SIGNA prędictę morsurę, sunt accidentia pręnarrata, & informatio habita, quòd mugali fuit animal, quod momordit, & pręsertim apparitio vulnerum in loco morsurę quàmplurimorum secundum tres dentium ordines.

PRAESERVATIO verò fit cum supradictis in secundo cap. quinti lib. & à præfato animali cautè se præcauendo.

CVRA aūt ex auctorū mentibus, statim infrà patebit. Dioscorides in lib. de Simplicibus cap. de Allio: Allium mugali morsus cum folijs fici agrestis, & cymino medetur. Cap. de Absinthio: Absinthium morsibus megaletis, id est mugali, aut draconis marini vel similium, cum vino bibitum prodest. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Succositas centaureæ, supple, minoris facta modo supradicto in tertio capite quinti lib. auctoritate Galeni loco præallegato, confert in feris venenosis interficientibus, & non interficientibus, in apum quidem, & incisiuorum morsibus vncta cum vino, in reliquorum verò consimiliter sicut mugali, &c. Excerpta ex libro decimo Oribasij, contra murem araneum: Coagulum agninum ex vino bibitur, vngulę arietis cinis cum melle imponitur. Aduersus hoc plurimum vinum bibitur. Talpa, id est animal paruum de genere muris, non habens oculos, sed in loco eorum habens pellem non pilosam, dissecta imponitur, supple, loco morsuræ. Creta ex aceto imponitur.

Auicenna secundo canone, tractatu secundo, capite de Absinthio: Absinthium confert morsui mugali, &c. cum vino. Cap. de Allio: Quando fit emplastrum ex allijs, & folijs ficus, & cymino super morsum mugali, confert.

Auicenna quarto canone, fen 6, tractatu quarto, cap. de morsu mugali. C

de cura

de cura eius. Dixerunt, oportet vt ponatur super locum galbanum singulare, & cum aceto, & embrocetur cũ aqua, & farina ordei, & syrupo acetoso, & scindatur animal ipsum, & ponatur super ipsum pyrethrũ, aut maluæ, aut allia contrita, aut sinapi, totum illud si non fuerit apostema: cum apostemate verò cortices granati dulcis decocti, & emplastretur cum eis. Illud verò quod datur in potu eius, est sceha Armenum, id est species absinthij dicta santonicũ, seu herba lũbricorum, bullitum cum vino, aut eruca, aut sisymbriũ, aut nux cypressi cũ vino, & pyrethrum, & semẽ erucæ, aut carthamũ. Et ex eius quæ sunt iuuatiua fortia, est buchor marien. i. panis porcinus cum syrupo acetoso, aut opopanacum, aut radix gentianæ, aut coagulũ hœdi, & coagulum agni: sunt ambo bona valde. & confert ei lac cum syrupo acetoso iuuamentum vltimum. Et dixerunt quidam sapientes: Res magis conferens ei, est succus foliorum lauri. Et folia lauri humida cum vino, & decoctio sampsuci, aliàs absinthij, aut erucę, aut decoctio abrotani, aut decoctio lebleb. i. volubilis, aliàs, lubnæ. i. arboris styracis cum vino: & styrax iterum bona est ei, cum datur in potu cum vino. & similiter cum comeduntur res prædictæ cum dispositione sua. Cum ergo cadit caro corrupta, curetur vulnus curatione sua.

Plinius Secundus de Naturali historia libro 23. cap. de Aceto vini vitium: Vini etiam vitium acetum potum, medetur scorpionum ictibus, scolopendrarum, muris aranei, &c. Cap. de Fico: E nigra ficu candidi cauliculi illinuntur muris aranei morsibus cum cera. Cap. de Caprifico, Cauliculi autem grossi eius quàm vtilissimè ad scorpionum ictus è vino bibuntur. Lac quoque instillatur plagæ, & folia imponuntur. Item aduersus murem araneum. Libro 27 cap. de Absinthio: Absinthij genera plura sunt. Aduersatur ex vino muris aranei morsibus. Libro 28 cap. de Medicinis ex leporibus: Coagulo leporis ex aceto, contra scorpionem, & murem araneum vtuntur.

Lib. 29 cap. de Remedijs aduersus ictus phalangiorum & muris aranei: Muris aranei morsus, sanatur coagulo agnino in vino poto. Vngulæ arietinæ cinere cum melle. & ipse mus araneus contra se, remedio est diuulsus & impositus. Optimum si imponatur, qui momorderit: sed & alios ad hunc vsum seruant in oleo, aut luto circumlitos. Est & contra morsum eius remedio terra ex orbita. Ferunt enim non transiri ab eo orbitam torpore quodam naturæ.

Libro trigesimo cap. de Medicinis ex talpis, & alijs animalibus: Nec quicquã probabilius inuenietur, quàm muris aranei morsibus aduersari talpas morsui diuisas superpositas.

De Vnguibus animalium, præcipuè rapacium Cap. XII.

VNgues animalium, siue rapacium, siue non, sunt superfluitates terrestres cordis præcipuè, ab eo tanquam ab omnium membrorum rege expulsę ad digitorum extremitates tanquam ad partes ab eo lõginquiores, ex quibus etiam nutriuntur nutritione non vera, cuius nempe veritatis signum, est quòd in morte, & in sincope, & in ceteris vehemẽtibus cordis passionibus, color naturalis vnguium primitus permutatur.

NATVRA ipsarum præsertim vnguium animalium rapacium, de quibus principaliter hîc est sermo, quantum ad earum complexionem elementarem, frigida est, & sicca, & melancholica, quantum verò ad earum proprietatem, est aliquantulum venenosa.

ACCIDENTIA vulnera earum consequentia, sunt ferè similia accidentibus consequentibus morsuras leonis, & pardi, & leopardi, & leonzæ supradictis in quinto præsentis lib. capite. & consimiles sunt eorum accidentium causæ.

SIGNA vulnerum factorum ab eis, sunt accidentia prædicta & diligens habita informatio.

PRAESERVATIO fit vitando conuersationem talium animalium.

CVRA prædictorum vulnerum, est cura communis posita in primo cap. lib. huius, & etiam posita in præfato quinto capite. In quo quidem quinto capite, Auicenna præsertim singularem facit de ipsis mentionem, vt ibidem patet.

LBER OCTAVVS DE MORSVRIS PARVORVM ANIMALIVM VENENOSOrum, aculeatorum, & non aculeatorum.

De Scorpione terrestri in communi: & scorpione terrestri nigro existente in superficie, qui communiter reperitur,

Cap. I.



SCorpio terrestris, vermis est notus habens ante, loco manuum duo bifurcata magna respectu sui corporis, & cornua gracilia, sicut cancer, & est multorum pedum & longæ caudæ habentis in quibusdam sex spondyles, in quibusdam verò pauciores, & in extremitate eius in quibusdam sunt duo aculei, & in quibusdam vnus, quo, vel quibus arcuata ad superius cauda ferit dimittendo in puncturæ loco duo foramina, si duos habet aculeos, & dimittendo foramen vnum, si aculeum vnum habet. Dicuntur autem penes auctores colores eorum principaliter esse nouem. Quidam nanque eorum sunt albi, quidam citrini, quidam rubei, quidam cineritij, quidam ferruginei, seu nigri, quidam virides, quidam aurei habentes caudas, & earum extremitates nigras, quidam vinosi coloris, & quidam fumosi, seu fusci. Præterea ex eis, quidam est masculus, & talis cæteris paribus, est minor, & extenuatus, & minutus, & habet aculeum grossum: quidam verò est fœmina, & talis cæteris paribus est maior, & pinguis, & habet aculeum subtilem. Et iterum ex eis reperiuntur quidam magni, alas habentes, & volantes: quos à volatu prohibet aliquando ventus, & facit eos cadere, & ob hoc quandoque transmutantur de regione ad regionẽ. Et iterum sunt ex eis quidã, quos Albucasis secunda particula Azarauij tractatu secundo, cap. proprio vocat alhatrakay, aliàs, alhatraham, quos dicit esse multorum, & paruorum pedum, & assimilari radici basbayg. i. polypodio, & esse lõgitudinis vnius palmi, vel aliquid plus vel minus, quorum aliqui sunt rubei, aliqui cytrini, aliqui verò virides, & videtur habere bina capita, sed non est ita.

Natura eius iuxta famosos auctores, diuersificatur iuxta ipsius diuersa genera. Quidam nanque scorpiones, sunt naturæ, seu complexionis valde frigidæ quales sunt illi qui communiter in istis partibus inueniuntur existentes nigri in superiori parte, de quibus principaliter hic est sermo. Quidam verò sunt naturæ, seu complexionis calidæ, quales sunt illi de quibus in immediatè sequenti cap. sermo fiet. Conueniunt tamen omnes in hoc, videlicet quòd omnes sunt venenosi: habent autem in communi, vt asserit Plinius de Naturali historia lib. 29. cap. de Remedijs aduersus puncturas scorpionum ex eorũ proprietate, non ferire palmam manus, nec nisi pilosa tangere. Accidentia consequentia puncturam scorpionis diuersificantur, sicut & cæterorum venenosorum morden-

mordentium, siue pungẽtium accidentia iuxta diuersitatem specierum,& naturarum,& malitierum eius. Si nãq; scorpio fuerit speciei, ac naturæ magis malignæ sæuiora consequentur accidentia: si non fuerit speciei ac naturæ minus malignæ, consequentur accidentia minus sæua. Et si fuerit speciei, ac naturę venenosæ calidæ, consequentur accidentia caliditatem consequentia vltra ea, quæ venenositatem,& proprietatem ipsius consequuntur. Et si fuerit speciei, ac naturæ venenosę frigidæ consequentur accidentia frigiditatem consequentia vltra ea quæ venenositatem,& proprietatem ipsius consequuntur. Diuersificantur etiam iuxta diuersitatẽ locorũ, in quibus puncturæ fiunt. Si nanq; pũctura facta fuerit in arteria, aut in loco propinquo cordi, sequentur accidentia cordis magis, vtputa syncope,& consimilia: si verò fuerit in neruo, accidet spasmus: si prope cerebrum, aliquando accidet desipientia,& cõsimilia cerebri accidentia. Si autem fuerit in venis, aut in loco propinquo hepati, consequetur putrefactio,& consimilia hepatis accidentia:& sic de alijs. diuersificantur etiã iuxta diuersitatem horarum,& temporum anni. Si etenim fuerit punctura facta hora vehementis eius famis, aut tempore ortus syderis canis cum sole, cõsequentur accidentia sæuiora: tunc enim exacuitur magis venenũ eius. Si verò facta fuerit hora saturitatis eius, aut tempore hyemis, consequentur accidentia minus sæua. Et vniuersaliter diuersificantur etiam iuxta diuersitatem locorum eius, ætatum, sexuum, quantitatum corporum, passionum animaliũ, virtutum,& consimilium, prout in generali de omnibus animalibus mordentibus, siue pungentibus præcipuè venenosis superius in primo cap. quinti lib. satis lucidè declaraui.

Accidens cõmuniter consequens puncturã scorpionis absolutè, est dolor fortis, & molestus, similis dolori consequenti ex mala punctione acus. Accidentia verò propria cõsequẽtia pũcturam scorpionis existentis naturę valde frigidæ, qualis est ille qui cõmuniter in istis Italiæ partibus inuenitur, existẽtis nigri in superiori parte,& sibi cõsimilis, sunt apostema durũ, rubeũ in loco pũcturę, statim factum punctionis hora,& dolor protensus,& quandoq; inflammatio in ipso puncturę loco,& quãdoq; infrigidatio in eo, adeò vt iuxta Galenum tertio de Interioribus cap. 7. patiens arbitretur se fuisse percussum à grandinibus,& à niue, qui nempe dolor aliquando augetur, & aliquando minuitur:& imaginatio quòd corpus eius comprimatur cũ pilis salis,& sudor,& tremor,& frigus labij,& expulsio cum vomitu rei viscosæ, quæ congelatur super ipsum,& horripilatio,& ruptura pilorum,& tremor,& frigus corporis præcipuè extremitatum eius,& propriè earũ, quæ sequuntur vulnus, & sudor frigidus,& mollificatio totius corporis,& eminentia amborum inguinũ,& tensio virgæ,& inflatio ventris, & fortasse bubus seu bubo. i. apostema in inguine, & propriè si fuerit morsus, siue pũctura in inferioribus,& apostemata axillarũ et eructatio plurima, et propriè si fuerit morsus, siue punctura in superioribus, & alteratio coloris,& quãdoq; syncope,& propriè si in arterijs punctura ceciderit,& quàdoq; spasmus, siue epilepsia,& propriè si punctura ceciderit super neruos,& aliquãdo putrefactio,& propriè si punctura ceciderit super venas, & quandoq; egressio multarum ventositatum cum sonitu. Cum aũt scorpio præfatus fuerit multũ intensæ malitiæ propter causas superius enarratas, aut earum aliquam, siue aliquas, accidẽtia pręfata superfluunt:& fit punctura sicut cauterium in adurendo,& corpus totũ rigorẽ patitur cum frigore,& eleuatur super labium humiditas viscosa, quæ congelatur super ipsum, & currit ex oculo similiter humiditas: deinde in eius angulo coagulatur lippa, & alteratur forma,& egreditur anus, & apostematur priapus,& ingrossatur lingua, & strident dentes, & spasmantur membra posteriora:& quandoq; componuntur

quidam dentes super alios, & non aperiuntur, & est signum malum. Acciden
tia propria consequentia puncturam scorpionis albi, & fusci coloris, atque
viridis, sunt prædicta accidentia, seu aliqua ex eis cum forti rubedine, & cor-
poris inflammatione, & calore sicut calor febris vrentis: & hęc pręcipuè iuxta
Albucasim secũda particula Azarauij, tractatu 2, capite. de Punctura scor-
pionum. Accidentia autem magis propria consequentia puncturam scorpio
nis coloris vinosi, id est coloris vini albi mediocriter colorati tendentis ad au
reitatem, siue modicam valde rubedinem, sunt sensatio puncturæ subtilissimi
acus, & dolor valde nociuus. Accidentia verò magis propria consequentia
puncturam scorpionis fumosi. i. coloris fumi, sunt risus, & quandoq; fletus, &
permistio rationis.

Causa doloris fortis, & molesti cõmuniter consequẽtis puncturã scorpionis
absolutè similis dolori cõsequenti ex mala punctione acus, est mala cõplexio,
& venenosa proprietas veneni ipsius scorpionis, & solutio cõtinui facta ab e-
ius aculeo subtili, sicut subtilis acus: in cuius equidẽ aculei extremitate, est fora
men valde paruũ inperceptibile paruitate sua, per quod scorpio venenũ suũ
loco puncturæ communicat, prout colligitur de mente Galeni tertio de Inte-
rioribus, cap. septimo, vbi sic inquit: Acumẽ verò caudę scorpionis, quia adeò
tenuissimum est, nullus potest cõsiderare eam aliquod foramen habere, vnde
necesse est, vt credamus in ea esse aut ventũ aut humorẽ paruissimę quãtitatis
maximę virtutis existentẽ, &c. Causa apostematis duri rubei in loco pũcturæ
statim facti pũctionis hora, propriè cõsequẽtis puncturã scorpionis existẽtis
naturę valde frigidę, qualis est ille, qui cõmuniter in istis Italię partibus inueni
tur existẽtis nigri in superiori parte, & sibi cõsimilis, est cõcursus præcipuè san
guinis, & spirituum ad locum puncturæ ob præfatum dolorem à natura ilico
transmissorum, eorum rubore in ipso puncturę loco, rubedinẽ inducentiũ: qui
nempe sanguis, & spiritus à veneni excessiua frigiditate cõdensati, etiam in eo
loco duritiem causant. Causa doloris protensi, est ventositas in loco punctu-
ræ generata à prædicta veneni frigiditate. Causa quandoq; inflammationis in
ipso puncturę loco, est concursus sanguinis, & spirituũ calidorum existentiũ
à natura ad prædictum locum aliquando pro sui defensaculo trãsmissorũ. Cau
sa quandoq; infrigidationis in dicto pũcturæ loco, est præfati veneni frigidi-
tas quandoq; extinguẽs sanguinis, & spirituũ caliditatẽ, & secũdum quòd na
tura sanguinem, & spiritus transmittit ad puncturę locum, sentitur caliditas, et
secundũ quod extinguitur sanguinis, & spirituũ caliditas, sentitur frigiditas: &
quia præfati veneni frigiditas, est nimium excessiua, sentitur aliquando frigi-
ditas similis frigiditati grandinis, atq; niuis. Causa aliquando augmenti dolo-
ris, & aliquando minutionis eius, est excrescentia, & decrescentia concur-
sus sanguinis, & aliorum humorum ad puncturæ locum causantium in eo ma
lam complexionem, & malam aliquando compositionem, & aliquando con-
tinui solutionem, & excrescentia, & decrescentia malæ complexionis frigidæ
à veneno præfato inductæ. Causa imaginationis quòd corpus eius compri-
matur pilis salis, vel sibi consimilibus, est ingrossatio, & turbulentia, & ponde-
rositas pręcipuè à pręducto veneno inductę in sanguine, & in spiritibus, quæ
cerebro cõmunicatæ inducendo ferè quandam melancholię speciem, faciunt
taliter imaginari. Causa sudoris, & tremoris, & frigoris labij pręcipuè inferio-
ris, est venenosa frigiditas communicata stomacho, & consequenter labio pre
sertim inferiori propter illius labij colligantiam cum meri, & stomacho, me-
diante ipsius labij superficiali pellicula, quæ nempe venenosa frigiditas la-
bio communicata, causat tremorem, & frigus in eo, ac etiam sudorem ob de-
bilitatem ipsius labij contentiuæ. Causa expulsionis cum vomitu rei viscosæ,
quæ

quæ congelatur super ipsum, est præfata venenosa frigiditas stomacho communicata, inuiscans humiditates in ipso existentes, quas postea immediatè vomitu natura conatur expellere, quæ euomitæ & derelictæ, à calido naturali subitò congelantur. Causa horripilationis pilorum, id est erectionis, seu subleuationis pilorum, & rupturæ, id est casus eorundem, est constrictio porositatum partis corporis in qua pili sunt, facta ab excessiua frigiditate veneni dictis porositatibus communicata: ex quarum equidem constrictione primò sequitur constrictio vaporum fumosorum viscosorum, qui sunt radices, & materia pilorum, ex quarum radicum pilorum constrictione pili ipsi eriguntur, seu subleuantur, prout quandoqꝫ accidit in subitis timoribus. Secundariò autem accidit ruptura, i. casus pilorum propter prædictam porositatum constrictionem adauctam, & propter defectum dictorum vaporum fumosorum viscosorum factum ob extinctionem, seu notabilem diminutionem caloris naturalis totius corporis, & præcipuè partis magis vicinæ puncturæ, factam à præfata excessiua veneni frigiditate. Causa tremoris, & frigoris corporis, & præcipuè extremitatum eius, & propriè earum, quæ sequuntur vulnus, est extinctio caloris naturalis facta ab excessiua frigiditate veneni, & retractio eiusdem caloris ad partes interiores, præsertim sanas, & præcipuè ad cor. Causa sudoris frigidi, est præfata naturalis caloris extinctio, & retractio, & debilitas contentiuæ partium subcutanearum. Causa mollificationis totius corporis, est prædicta caloris naturalis extinctio, propter quam multiplicantur humiditates aquosæ, siue subtiles in toto corpore, præcipuè ob prohibitam earum resolutionem, mollificationem, seu paralysim inducentes. Causa eminentiæ amborum inguinum, & tensionis virgæ, & inflationis ventris, est præfata caloris naturalis extinctio, ad quam consequitur in dictis partibus multiplicatio ventositatum, & hoc præsertim accidit cùm in partibus inferioribus fuerit facta punctura. Causa fortasse bubi, siue bubonis, est quia vltra ventositates in inguinibus multiplicatas, aliquando etiã multiplicantur siue occurrunt humores superflui, in eis præfatum apostema causantes, & præsertim si morsus siue punctura, facta fuerit in partibus inferioribus. Causa apostematum axillarum, & eructationis plurimæ, est multiplicatio, siue concursus superfluitatum ad ipsas axillas in eis apostemata facientes, & multiplicatio ventositatum in stomacho eructationem plurimam facientium, & propriè si fuerit morsus, siue punctura in superioribus, & hoc contingit ob frigiditatem veneni amplius illis partibus communicatam. Causa alterationis coloris, videlicet ad palliditatem, siue liuedinem, est supradicta caloris naturalis extinctio facta à præfata veneni frigiditate. Causa quandoque syncopes, est læsio cordi à veneno communicata, præsertim si pũctura ceciderit in arterijs ob maiorem earum cum corde colligantiam. Causa spasmi, siue epilepsiæ, est læsio à præfato veneno cerebro communicata, propter quam in eo multiplicantur superfluitates grossæ, oppilationem diminutam in ventriculis eius, & cõsequenter epilepsiam facientes, quæ etiam descendentes ad neruos, spasmum proportionatum ad materiam causant, & etiam causare possunt spasmũ non proportionatum ad materiam ex colligantia sola eorum cum cerebro ob ipsius læsionem, ac etiam ob frigiditatẽ veneni neruos ipsos cõtrahentem, & hoc propriè accidit si punctura ceciderit super neruos. Causa putrefactionis aliquando, et propriè si punctura ceciderit super venã, est lęsio à prędicto veneno per venas hepati cõmunicata, propter quam ipsum debilitatũ, et in naturali calore notabiliter diminutũ, humores generat putrescibiles putrefactionẽ in corpore aliquãdo causantes. Causa ęgressionis quandoqꝫ multarũ ventositatum cũ sonitu, est diminutio caloris naturalis facta à venenosa præfati veneni frigiditate, ꝓpter

quam quidem naturalis caloris diminutionem, multiplicantur ventoſitates in
corpore, quę quandoqꝫ à natura expelluntur præcipuè per os, vel per anũ: per
os quidem eructando, præſertim cùm in ſuperioribus punctura fuerit, per a-
num verò pedendo, præcipuè cùm punctura fuerit in inferioribus. Egrediun
tur autem ventoſitates dictæ cum ſonitu propter anguſtiam meri, & inteſtini
recti, factã à veneni frigiditate prædicta. Cauſa propter quam ſcorpione exi-
ſtente multæ malitiæ accidentia præfata ſuperfluunt, eſt quia ſicut intenditur
veneni malitia, ita pariformiter intenduntur accidentium cauſæ prædictæ, &
per conſequens etiam accidentia prænarrata. Cauſa propter quam fit punctu
ra ſicut cauterium in adurendo, eſt quia propter intenſiorem veneni malitiam
fit maximus, et ſubitus concurſus ſpirituum ad puncturam. Cauſa rigoris & fri
goris totius corporis, eſt veneni intenſa frigiditas, & retractio ſanguinis, & ſpi
rituum ad interiora. Cauſa eleuationis humiditatis viſcoſæ ſuper labium præ-
ſertim inferius, quæ ſuper ipſum congelatur, eſt multiplicatio præfatæ humidi
tatis in ore, et fortaſſe deſcenſus ipſius à cerebro, aut aſcenſus eius à ſtomacho,
quæ veneni frigiditate, & expulſiuæ debilitate ſuper ipſum labium, præſertim
inferius congelatur. Cauſa curſus humiditatis ex oculo, deinde coagulationis
lippę in eius angulo, eſt debilitas cerebri, & diminutus calor naturalis eius cau
ſatus à frigidi veneni malitia, propter quod multiplicantur humiditates in ce-
rebro, quæ deſcendentes ad oculum currunt ex eo, & non reſolutæ debilitate
oculi in eius angulo cõgregantur, & derelictæ à naturæ regimine putreſcunt,
& frigiditate veneni oculo communicata in eius angulo congregantur, & cõ-
gelantur, lippam in ipſo facientes. Cauſa alterationis formæ, eſt extinctio ca-
loris naturalis à veneni frigiditate. Cauſa egreſſionis ani, eſt mollificatio, ſiue
paralyſis muſculorum eius, facta à veneni frigiditate. Cauſa apoſtematis pria-
pi, & ingroſſationis linguæ, eſt curſus humiditatum ad membra prædicta, ad
priapum quidem præcipuè, ſi punctura fuerit in inferioribus, ad linguam ve-
rò ſi punctura fuerit in ſuperioribus. Cauſa ſtridoris dentium, & ſpaſmationis
membrorum poſteriorum, & quandoqꝫ compoſitionis quorundam dentium
ſuper alios, eſt deſcenſus humiditatum groſſarum à cerebro ad membra poſte
riora, facientium ſpaſmum in eis, & ad muſculos fauciũ ſpaſmantium eos: qua
re conſequitur dentium ſtridor, & compoſitio quorundam eorum ſuper alios
qui non aperiuntur: & eſt ſignum malum, quia ſignificat magnam veneni in
corpore impreſſionem, & prohibetur exinde aſſumptio cibi & potus, qua cor
pus indiget neceſſariò. Cauſa prędictorum accidentium, ſeu aliquorum ex eis
cum forti rubedine, & corporis inflammatione, & calore, ſicut eſt calor febris
vrentis propriè conſequentium puncturam ſcorpionis albi, & fuſci coloris,
atqꝫ viridis, eſt, aut fortiſſimus dolor conſequens ex illius punctura, ad quem
conſequitur vehemens agitatio in ſanguine & in ſpiritibus, corpus inflam-
mans, & fortiter calefaciens, atqꝫ rubefaciens, aut eſt fortè caliditas veneni prę
fati ſcorpionis. Cauſa ſenſationis puncturæ ſubtiliſſimi acus conſequẽtis pun-
cturam ſcorpionis coloris vinoſi, & doloris valde nociui, eſt maxima ſubtili-
tas aculei præfati ſcorpionis: propter quam humores ad puncturam concur-
rentes tranſpirare non poſſunt, propter quod ſequitur dolor valde nociuus.
Cauſa verò riſus, & quandoque fletus, & permiſtionis rationis magis propriè
conſequentium puncturam ſcorpionis fumoſi, eſt proprietas ipſius veneni
diſpoſitionis melancholicę talis modi generatiua cerebro communicata. Ad-
uertendum autem, vt pluries in præcedentibus de aliorum venenorum acci-
dentibus ſuprà dixi, quòd licet dixerim præfata accidentia conſequi punctu-
ram ſcorpionis, non eſt credendum ſemper ea omnia conſequi, & ſi ſit poſſi
bile, ſed vt plurimum aliqua, quanuis aliquando plura, aliquando verò pauci-
ra iuxta

ora iuxta dispositionem passi, ac veneni malitiam.

SIGNA puncturæ supradictæ, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita, quòd animal, quod pupugerit, fuerit aliquis de scorpionib. prenarratis.

PRAESERVATIO sit cautè se præcauendo à conuersando in locis frigidis, & humidis, & præcipuè in quibus scorpiones morari consueuerunt, vtendo vniuersaliter præseruantibus supradictis in secundo capite quinti libri, ac etiam infrà describendis, & cum statim infrà descriptis.

CVRA verò fit cum remedijs generaliter curatiuis supradictis in 3 capite 5 lib. Quæ autem pro prædicta puncturę præseruatione, & cura particulariter, & generaliter ab auctoribus enarrantur, statim infrà describam. Dioscorides in lib. de Simplicibus, capite de Amomo: Amomum ictibus scorpionum cum ocymo tritum, & vt cataplasma impositum occurrit. Cap. de Aqua salsa: A qua marina tepida accepta, scorpionum ictus, vel aspidum non admittit. Cap. de Blito: Blitum, id est olus iamenum, quod vulgariter in Marchia Anconitana vocatur Biedono, natura frigidum est & humidum nimis. Succus eius cum vino datus, vtiliter scorpionum venenis resistit. Quidam etiam putant ipsum tritum & impositum plagis mederi. Capite de Cardamomo: Cardamomum serpentium morsibus occurrit, cum vino, ictus scorpionum, vel omnium serpentium salubriter curat. Cap, de Chamæsyce: Succus ipse superunctus, ictus scorpionum mitigat. Cap, de Cochlea terrena: Cochlea terrena, id est limacia eustomacha est. Tritæ etiam crudę, & cum lacte asinino bibitę, morsibus venenatis opitulantur, scorpionis ictum prohibent: scorpioni applicatæ repentinam inferunt mortem. Possunt hæc omnia & marinę cochleę facere, sed minorem habent virtutem. Cap. de Heliotropio maiori, i. herba rabiosa, seu verrucaria: Radix eius inutilis, ac tenuis est: nascitur locis asperis. Manipulus 1. elixus cum vino bibitus, ictibus scorpionũ occurrit. Cataplasmate adhibitus, eadem facere potest. Multi etiam radicem eius collo suspendunt contra vim scorpionum. Cap. de Fœniculo: Fœniculum calefacit manifestè: desiccat autẽ mediocriter. Aduersus ictus scorpionum itemq; serpentum optimè semen ex mero sumitur. Cap. de Fimo: Fimus asini ex armento herba nutriti aridus & siccus cum vino potui datus, percussuris scorpionum subuenit. Cap. de Verbasco, id est tasso barbasso: Verbasci folia cocta in aqua cataplasmate imposita, aceto misto punctum scorpionis mitigant. Capite. de Phalangio: Huius folia, et radices, & semen, & flores cum vino bibita, ictus scorpionis mitigant: morsibus venenatis occurrunt. Cap. de Lauro: Huius bacca cum vino bibita ictibus scorpionũ occurrit. Cap. de Lactuca: Succus agrestis lactucæ bibitus, percussis à scorpione occurrit, &c. Semen eius bibitum omnibus suprascriptis maximè prodest. Cap. de Lapatho: Lapathi quatuor sunt genera: omnium virtus vna est. Semẽ lapathi agrestis, aut oxylapathi, cũ vino, aut aqua bibitum, ad percussuram scorpij maximum remedium est. Cap. de Lotio: Lotium bibitum punctiones scorpionis & draconis curat. Capite de Lychnide: Lychnis quam Latini genicularíam vocant, id est bellariam, florem habet similem violæ albę, sed paulò fuluiorem. Substernitur ad scorpionum vim repellendam, & semen eiusdem cũ vino bibitur. Cap. de lapide Achate: Lapis achates potẽtias habet maximas, sed qui colorem habet similẽ pelli leonis, valet ad morsum scorpionis. Alligatus enim vel illitus cum aqua, statim tollit dolorem. Cap. de Melissophyllo: Folia eius cũ vino bibita, & in cataplasmate, vim scorpionis non admittũt. elixatura eius id etiã facere potest, etc. Nitro addito, folia ipsa omnia suprascripta facere norũt. Cap. de Myrto: Myrtus scorpionis morsui impositus atq; potui datus prodest. Cap. de Ocymo: Ocymũ, i. basilicõ, cuius virtutis sit penè inter medicos opinio incerta est. Nam qui autore Chrysippo illud criminãtur,

aiunt, ſi tritum lapide contegatur, ſcorpiones gigni. Hoc eſſe perſuaſerim,
quòd ſi quis eo die quo ocymum ſumpſerit à ſcorpione feriatur, non poſſe ſal-
uari. Sed qui in diuerſa opinione ſunt, hæc falſa eſſe obſeruant: Percuſſum ſcor
pij mitigat. Capite de Origano: Origanum ex vino albo tritum, & in potione
ſumptum, ſcorpionnm & aranearum venenis reſiſtit, & ſerpentes fugat. Cap.
de Oluſatro, id eſt apio Macedonico: Oluſatri ſemen, ſcorpionum ictibus &
morſui canis ex vino datum occurrit. Cap. de Succo ficus: Succus, ſeu lachry-
ma agreſtis ficus ad percuſſum ſcorpionis impoſitus opitulatur. Cap. de Pole-
monio: Polemonij radix collo ligata, ictus ſcorpionum curat. Cap. de Paſtina
ca: Semen ex poſca, vel vino datum, ſcorpionum venenis reſiſtit. Cap. de Scor
piode: Scorpiodes, florem & ſemen habet ſimilia caudæ ſcorpionis. Catapla
ſmate adhibita, percuſſum ſcorpionis mitigat, & venenis reſiſtit. Cap. de Sam-
pſucho: Sampſuchus, id eſt maiorana medetur cataplaſmate adhibita ſiue po-
tata ſcorpione vexatis. Scorpionum ictus cum aceto, & ſale compeſcit. Cap.
de Scordeo: Scordeon, ſcorpiones & ſerpentes, itemq́; alias latentes beſtias,
odore ſolo fugat: ictibus eorum æquè medetur, ſiue vulneri illinitum, ſiue in
potione, ſiue in cibo ſumptum. Cap. de Seride, id eſt endiuia: Seridis folia im-
poſita vt cataplaſma, percuſſum ſcorpij mitigant. Cap. de Scorpione: Scorpio
tritus crudus, & impoſitus, percuſſuræ ſuę ſuorumq́; contrarius eſt. Nam & aſ-
ſus contrarius eſt huic. Cap. de Salibus: Sal ſcorpionum ictus cum ſemine lini
impoſitum mitigat. Cap. de Sinapi: Sinapi ſerpentium ictibus & ſcorpionum
cum aceto tritum illinitur. Cap. de Satureia: Satureia contra animalia quæ acu
leatis ictibus ſæuiunt non inutiliter adhibetur. Cap. de Hippoſelino: Hippoſe
linum, quod alij apium agreſte vocant, ſiue, vt Latini, oluſatrum, ſcorpionum
ictibus & morſui canis ex vino datum occurrit.

Andromachus in libro de Theriaca: Primum & melius quod datur in potu
de theriaca, eſt ad prohibendum nocumentum medicinarum nocentium, ſiue
interficientium, propter id quod iam bibitum eſt, aut propter id de cuius po-
tu timetur, & ad puncturam reptilium habentium venenum cum quantitate
trium cyathorum, id eſt ℥. iiij. ſemis vini. & ad reptilia quidem habentia vene-
na, ſicut ſunt viperæ & ſcorpiones, &c.

Galenus in libro de Malitia complexionis diuerſæ, capite 6. Fit, vt quorun-
dam, ſupple, animalium humores non adinuicem conueniant, ſed præter hoc
corrumpant ſe, & interficiant, ſicut homo & vipera: cuiuſq́; enim eorum ſaliua
alterum perimit, & ex hoc quidem fit, vt cùm homo ſuper ſcorpionem expuit,
cum eſt ieiunus, interficit ipſum. Galenus Simplici de medicina, lib. 6. cap. de
Balſameleo: Balſameleum, id eſt oleum balſami, i. verum balſamum propina-
tum cum lacte muliebri eis, qui venenoſa ſumpſerunt, maximũ fit remedium,
et maximè morſis à ſcorpione, ſi morſui adiungatur. Lib. 9. capite de Lapide,
Sapphiro: Etiam Sapphirus bibitus, creditus eſt conferre morſis à ſcorpione.
Lib. 10. cap. de Saliua: Secundum totam ſubſtantiam verò ſaliua contrarijſſi-
ma eſt feris interficientibus homines, ſicut & poeta Meandrus, aliàs, Nican-
drus, dicit, & quidem mihi promittens carmen interimens ſcorpionem oſten-
dere ſemel dicens, illud ſpuit in ſcorpionem: deinde ſecundariò, dicens: rurſus
ſpuit, ac tertiò dicente eo, & ſpuẽte, mortuus eſt ſcorpio. Poſtea verò ego abſ-
que carmine vidi ſola ſaliua perijſſe ſcorpionem, & hoc ipſum patientem cito
quidem in ſaliua eſurientium, & ſitientium, tardè verò in ſaliua repletorum ci-
bo & potu: in alijs verò proportionaliter. Lib. 11. cap. de Animalibus viuis a-
pertis: Ea verò quæ cùm aperiuntur viua, & protinus afferuntur patientibus
particulis prodeſſe ſcripſerunt animalia, ſunt hęc: Draco quidem marinus pro
prio vulneri appoſitus, &c. Mures autem qui ſunt in domibus in eo qui à ſcor-
pione,

pione,&c.Scorpionem verò suum morsum sanare superpositum tritum. Similiter autem & assatum,& comestũ congruere etiam ipsum dixerunt, Ascalauotin, id est speciem stellionis,siue lacertæ eis qui à scorpione. Galenus in libro de Simplicibus ad Paternianum: Myrti nigræ, quę in montuosis locis nascitur grana sicca, vel viridia scorpionum morsibus prosunt, si imponantur, aut in potu dentur, aut locus, qui tactus fuerit, ex eisdem cataplasmetur. & viridis myrtus similiter operatur. Galenus in libro de Experimentis, capite de Medicinis acceptis à quodam viro experimentatore: Ad puncturam scorpionis: ℞. assæ fœtidæ, scordei, centaureę minoris an.ʒ.1.seminis rutæ, castorei an.ʒ.iij. semis. pilulæ conficiantur cum vino antiquo,& da ʒ.ij. cum vino antiquo. Cap. de Medicinis quibus vtebatur Cassion, qui erat de Armenia: Medicamen valens ad morsum scorpionis: ℞. assæ fœtidæ, galbani an. confice cum decoctione scordei,& aristolochiæ rotundæ: & accipe ex eo in modum auellanæ cum aqua calida. Cap. de Medicinis andaran, aliàs, beraz Siciliæ: Medicinæ andaran (aliàs beraz Siciliæ) sunt tres, quas probauimus sæpe, & veras inuenimus. &c. Secunda medicina valet ad morsum scorpionis, & calefacit corpus, & aufert tremorem in febribus frigidis: Recipe castorei part.1.scordei partes ij.costi amari partem 1.semis, assæ ʒʒ.an.part.semis: confice cum melle, & detur ʒ.1.semis, & forti ʒ.ij. cum vino. Capite de Medicinis quidleas: Medicamen quidleas quod valet morsibus scorpionis: ℞. aristolochiæ longæ & rotundæ an.aur.1. cymini ʒ.1.assæ fœtidæ, carui, seminis rutæ an. ʒ. ij. castorei ʒ. iiij. confice cum melle, & dentur ℥.ij.(aliàs ʒ.ij.) cum aqua calida decoctionis gentianæ, vel cum aqua decoctionis aristolochiæ cum mero. Cap. de Medicinis sumptis à Chazon experimentatore de ciuitate Athenarum, medico nobilissimo. Dabat ʒ.ij.assæ fœtidæ contra morsum scorpionis: dabat ʒ.iij. laureolæ cũ aceto,& morsum scorpionis curabat. Capite de Medicinis Androz Gręci philosophi. Electuarium valens ad morsum scorpionis. Recipe seminis rutæ, sulphuris non positi ad ignem an. aur. vi. castorei aur. 1. assæ fœtidæ aur. semis aliàs, aur.iij.semis, pyrethri, styracis liquidæ an.aur.vnũ. Confice cum melle,& dentur ʒ. iiij. cum bono aceto, aliàs, cum bono vino. Electuarium huiusmodi est valde expertum: Recipe seminis rutæ an.aur.1.castorei aur.semis, aristolochiæ longæ & rotundæ an.aur.ij.gentianæ, assæ fœtidę an.ʒ.viij.aliàs,aur.viij. confice cum melle,& detur ex eo ʒ.1.semis, aliàs ʒ.semis, cum vino puro. Cap. de Medicinis Zenonis de Athenis, qui fuit vir experimentator ex magnis medicis: Medicamen 19. quod dicitur electuarium rutæ, valet ad morsum scorpionis,&c. Recipe assæ fœtidæ, costi amari, & dulcis an.aur.v.aristolochię rotũdæ ʒʒ.asari an. aur.ij.castorei, cinnamomi, aloes an.ʒ.iij. radicis lilij cœlestis, sarcacollæ an.ʒ.1.semis, aristolochiæ, gentianæ an.ʒ.vi. puluerizentur, & conficiantur cum bono vino, vel melle rubeo, & dentur ʒ. iij. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Est autem succositas centaureæ minoris facta & administrata modo supradicto in tertio cap.quinti lib. stiptica, & siccatiua, & calefactiua cum virtute immanifesta operans, quam non est possibile exponere verbo, neq; ad excogitationẽ venire, ita est vtilis ad multa. Confert autem & in feris venenosis interficientibus, & non interficientibus: in apum quidem, & incisiuorum morsibus vncta cum vino, in reliquorum verò consimiliter sicut araneæ, scorpionis,&c.

Oribasius 2 suæ Practicę, capite ad Serpentium morsum: Cancros fluuiales in olla ignita vres, & ipsum puluerem ad scorpionis ictum cum lacte caprino bibant. Capite ad scorpionis ictum: Agrimoniæ ʒ.ij. vini cyathos ij. id est ℥.iij. bibant. Item dragonteæ radices cum vino teres, & tepefactum bibant. Item lilij radices, aut folia trita, et imposita, venenum discutiunt. Oribas.lib.1.Dyna-

midiarum, tract. de Emplastris: Emplastrum quod vocatur Melene, facit ad omnia vulnera percussa, siue morsus venenatos scorpionis, serpentis, &c. Emplastrum quod facit ad omnes infirmitates, &c. venenum, morsum ferarum rabidarum, scorpionis morsum, &c. Emplastrum Giras, quod facit ad scorpionis ictum, &c. ℞. herbæ giras, id est ierobotani, seu berbenæ ℥.iij. resinæ ℥.vi. ceræ, picis an. ℥. ij. & semis, olei ℥. semis, herbam teres, species resolues, terendo bene commiscebis, facies magdaleones, & vteris. Auctor præsentis operis: Descriptiones duorum primorum emplastrorum, positæ sunt superius in 3 capite 5 libri auctoritate Oribasij loco præallegato.

Macer in lib. de Simplicibus, cap. de Allio, seu Scordeo:

Curat quos serpens, vel scorpius intulit ictus.

Cap. de Semperuiuo:

Taliter & cunctis obstat potata venenis.
Affirmant istam qui secum gesserit herbam,

Hunc non affectat letali scorpius ictu.

Cap. de Pastinaca:

Ex vino pastinacæ si sperma bibatur,
Compescit diros quos scorpius intulit ictus.

Chyrandrus lib. 1. cap. vltimo: In lapide okitorio, aliàs, echitorio, id est echide, id est lapide prægnante, sculpe hirundinem, & ad pedes eius scorpionem, & super mænidam, id est mænulam piscem marinum stantem, & sub lapide reclude oculos scorpionis, & mænidæ, & herbæ scorpinæ, id est basiliconis radiculam, & porta: auertet enim omne venenum animalium: inimicos & insidiatores humiliabit. Si quis percussus fuerit à scorpione cum sigillo prædicto, sigillet plagam, & mox sanabitur. Lib. 2. cap. de Ono, id est asino: Siquis à scorpione percussus fuerit, & dixerit in auricula asini: quoniam scorpius me percussit, percussus quidem sanabitur, asinus autem morietur. Lib. 3. cap. de crincos, id est gallina: Cerebrum gallinæ cum vino bibitum, eos, qui sunt morsi à scorpione, sanat. Lib. 4. cap. de Gesenteria: Gesenteria, id est lumbrici terræ soluti cum melle, & triti, & superpositi, faciunt ad morsos à scorpione, & ad puncturas murænæ piscis. Capite de karis marina: karis marina, id est cancer marinus, circumligata, scorpionis morsus sanat. Sed si superscribas percusso loco, karis, citius dolorem tollit huiusmodi efficacia. Si quis verò sculpserit karis in lapide agathe, & gestauerit in annulo, non percutietur à scorpione. Capite de Cancris fluuialibus: Cancri fluuiales triti & bibiti cũ lacte caprino, percussos à scorpione, ab araneo, & à serpente dipsaco, id est serpente sitim vsq; ad mortem faciente, sanat. Cap. de Cricos pisce, quem quidam smaridam dicunt: Cricos piscis, quem quidam smaridam dicunt, ad scorpionis morsum, & canis rabidi crudus conuenit, sicut & ad omnia passus. Capite de Testudine terrestri: Chelonis, id est testudinis terrestris sanguis potatus ab echidna, id est vipera, vel à scorpione percussos sume, sanat, vel adiuuat. Vnaym in lib. de Incantatione, adiuratione, & colli ligatione: Semen croci hortensis, id est carthami, ad scorpionum morsum valet, in manu retentum, vel collo suspensum. Simile facit radix lauri. Idem etiam ireos agit.

Iohanues Serapionis 5 Breuiarij. cap. de Puncturis scorpionum: Oportet, vt properet infirmus ad sumendum in potu medicinas calefacientes, sicut est theriaca de viperis, & theriaca diatessaron, & sagzenea, & confectio de assa. & ex eis quæ conferunt iuuamentum magnum, est hæc confectio. ℞. castorei, corticis radicis capparis, rauud, id est raued, seu reu, aliàs, caruid, id est carui, aristolochiæ longæ, omnium an. part. 1. terantur & cribellentur, & conficiantur cum melle despumato, & detur ex eo pondus ʒ.ij. cum vino antiquo. Confectio alia: ℞. pyrethri, aristolochiæ longæ an. ʒ.iiij. piperis albi ʒ.ij. anuiden, id est plantæ sylphij, cuius gummi est assa, & altit, id est assę an. ʒ.1. terantur, et conficiantur cum melle, & detur ex eo quantum est lupinus, id est aur. semis cum

aqua

aqua rutæ, est enim bonum, & expertum. Quòd si medicinæ istæ præsentes
non sunt, dentur vij. bondoch, id est auellanæ numero, quas permisce cum ru-
ta sicca trita, & ficubus, aut allium cum vino. Et oportet, vt fiat embroca super
locum cum aqua, in qua decocta sunt sulphur, & andacocha, id est species v-
na trifolij: & liniatur post illud cum linimẽto ex castoreo, & allijs confectis cũ
oleo antiquo, aut altit, id est assa, infuso cum saliua hominis, aut cum sulphure
aggregato cum alcalimbat, id est terebinthina, aut bezaard, id est galbano. Et
ex eis quæ conferunt iuuamentum magnum, sicut dixit Paulus, est argentum,
quando ponitur statim super locum punctum: & confert ligamentũ strictum,
quod ligatur super locum, donec non ambulet venenum in corpus totum. Et
confert etiam sudor corporis multus, & balneatio cum aqua calida, & potus
vini multi antiqui. Iohan. Serapionis 7 Breuiarij, cap. 8. particula de Theriaca
scorpionum: Theriaca scorpionum: ℞. calamenti fluuialis & montani, ambo-
rum an. ℨ. vij. gentianæ ℨ. viij. piperis, opopanaci, omnium an. ℨ. 1. conficiantur
cum melle quantum necesse est, & detur. potio eius sit ℨ. 1. cum vino puro. Par
ticula de Confectione de assa ad puncturam scorpionum, etc. Confectio de as
sa conferens ad puncturam scorpionum, & omnium reptilium malorum, etc.
℞. assæ, myrrhæ, piperis, foliorum rutæ, omnium an. partes æquales: confician-
tur cum melle, sitq; potio pondus ℨ. 1. ad puncturam scorpionum cũ vino. Par-
ticula de Confectione Galeni ad puncturam scorpionum: Confectio Galeni
conferens ad puncturam scorpionũ: Recipe aristolochiæ aur. iiij. piperis aur.
ij. opij aur. 1. pyrethri aur. iiij. conficiantur, & fiant pilulæ cum quantitate potio
nis, & dentur vt deglutiantur ex eis duæ cum vini puri quantitate ℥. iiij. aliàs, ℥.
iij. Particula de Confectione alia Galeni ad scorpiones quando mordicant:
Confectio alia Galeni ad scorpiones quando mordicant: ℞. aristolochiæ ℨℨ.
amborum an. aur. viij. aliàs, aur. 1. calamenti fluuialis, cimarum rutæ syluestris,
omnium an. aur. xi. id est pondus granorum xxxvi. hordei, aliàs, carat viij. id est
pondus xxxij. granorum hordei: conficiantur cum sanguine testudinis, fiant
trochisci, sitq; pondus cuiuslibet trochisci carat xij. i. grana xlviij. hordei, cum
vino puro dentur. Confectio alia Galeni ad idem: ℞. cymini, herbi, i. orobi, a-
liàs, Aethiopi, sulphuris, quod nõ tetigit ignis, piperis albi, omnium an. aur. iij.
castorei aur. 1. semis, anuiden, i. sylphij, cuius gummi est assa, andacochæ, i. trifo
lij an. aur. 1. semis, terantur, & conficiantur cum vino puro, & detur ex ea aur. 1.
cum vino puro. Confectio alia Galeni ad idem: ℞. cymarum rutæ syluestris, ci
marum erucæ, (aliàs bauciæ) pyrethri, styracis, sulphuris, quod non tetigit i-
gnis, omnium an. aur. vi. castorei aur. ij. conficiantur cum sanguine testudinis,
& detur pondus carat xij. id est granorum hordei xlviij. cum vino puro. Et em
plastretur cum ea locus cum folijs lauri decoctis cum vino puro, aut emplastra
ipsum cum radice lilij, aliàs, liquiritiæ cum aceto. Cap. 7. scilicet de Pilulis: Pi-
lulæ ad puncturam scorpionum: ℞. aristolochiæ longæ, gentianæ, zedoariæ,
aliàs, doronici, pyrethri, radicis capparis, omniũ an. part. æquales: fiant pilulæ,
potio ℨ. ij. Isaac in Diætis lib. 3. cap. de Endiuia: Endiuia syluestris, frigida est i-
nitio primi gradus, sicca in fine eiusdem: quę si manducetur, aut succus eius po
tetur, morsui scorpionum subuenit. Cataplasmata etiam simili modo opera-
tur. Auctor præsentis operis: Existimo quòd magis conferat morsui scorpio-
num veneni calidi. Isaac cap. de Natura aquæ marinæ: Qui balneantur in ea
pori corporis aperiuntur, & aqua perforans vsq; ad interiora, trahit intrinse-
cam superfluitatem totius corporis ad exteriora: morsus etiam araneæ, & scor
pionis curat.

Serapio in lib. de Simplicibus, parte 2. cap. de Andacocha, id est trifolio: A-
bug erig: Andacocha, i. trifolium, si ponitur super morsum scorpionis, sedat do

lorem ex eo, & ſemen eius eſt fortius folio. Cap.de Abſinthio: Raſis & alij di-
cunt quòd nabati ex abſinthio, eſt fortiter amarum, & eſt bonum morſui ſcor-
pionis, & eſt mirabile in hoc. Capite de Endiuia: Alchanzi, & Aben Meſue:
Taraxacon, id eſt cichoreum, confert puncturæ ſcorpionis. Vnaym: Taraxa-
con bibitum, confert puncturæ ſcorpionis, &c. Capite de Lactuca: Ignotus:
Semen eius ſedat dolorem puncturæ ſcorpionis, quando teritur & comedi-
tur cum allijs. Cap. de Gentiana: Abix: In Gentiana, eſt proprietas, quæ con-
fert morſui canis rabidi, quæ eſt contraria venenis mortiferis bibita, aut impo-
ſita ſuper locum morſuræ, & morſui therij, & ſerpentum, & ſcorpionis, & alio-
rum venenoſorum, &c. Cap.de Colocynthide: Raſis: Dixit mihi quidam ꝙ
radix colocynthidis, eſt melior medicina, quæ eſſe poſſit puncturæ ſcorpio-
nis. Et Arabes habent ipſam pro communi, & manifeſta medicina ad hoc. Et
dixit mihi Arabs, quòd ſcorpio pupugerat filiũ ſuum in quatuor locis corpo-
ris, & dedit ſibi in potu ʒ. 1. de radice colocynthidis, & ſedata ſunt omnia ſta-
tim quæ patiebatur. Chriſtianus: Quando teritur & linitur ſuper locum pun-
cturę, ſedat dolorem eius, maximè radix colocynthidis maſculi, nã fœmina eſt
mollis, alba, & eſt debilior in hoc. Capite de Mumia: Mume, id eſt mumia ſe-
pulcrorum, eſt aloes & myrrha, & quod admiſcetur eis ex humoribus corpo-
ris humani. Raſis: Et dantur in potu ad venena grana ij. cum decoctione tri-
bulorum marinorum, & foliorum anuiden, id eſt ſylphij, cuius lachryma eſt
aſſa, & ad puncturam ſcorpionis pondus vnius kirat, id eſt quatuor granorum
hordei cum vino puro, & ponitur in loco puncturæ cum butyro vaccino. Ca-
pite de Ameos: Aben Meſuay: Quando decoctio eius ponitur ſuper punctu-
ram ſcorpionis, aufert dolorem. Cap de Serapino: Attabari & meſarugie, con-
fert puncturæ ſcorpionis. Aben Meſuay, de proprietate eius, eſt conferre pun-
cturæ ſcorpionis: & doſis eius ſimplicis eſt à ʒ. 1. vſque ad aur. 1. Cap. de Ra-
phano: Aſeros in lib. de Agricultura: Quando contunditur raphanus, & pro-
ijcitur ſcorpionem, moritur ſtatim. Raſis: Dixit mihi amicus meus, quòd ex-
pertus eſt hoc, & inuenit verum. Nam diſtillauit aquam raphani ſuper ſcor-
pionem, & vidit ſtatim ipſum immobilem, deinde continuò inflatus eſt, & cre-
puit per mediũ. Et ſi quis pungitur à ſcorpione qui præcomederit raphanum
non ſentiet dolorem ex punctura. Capite de Lapide Albezaar: Aſius: Colo-
res lapidis bezaar, ſunt multi: nam ex eo eſt citrinus, & velut puluerulentus, &
nabati, & eſt ille qui participat viriditate, & ille qui participat albedine. Me-
lior verò omnibus eſt citrinus, & poſt puluerulentus, & hic defertur ex Cora-
ſten: & ibi nominant cum bezaar, & expoſitio eius eſt contra venenum, etc.
Et quidam eſt qui dicitur cobhori, & mariam, & nidear, & eſt lapis in quo nul-
lus errat: ſed multi errant in alio, qui dicitur chindos (aliàs, chicos) & eſt lapis
multæ humiditatis, mollis tactu, mollitie ſine ſuperfluitate, & caliditas eius eſt
ſine ſuperfluitate etiam. Et proprietas eius eſt, quòd confert venenis anima-
lium omnium, & plantarum, & morſibus, & puncturis venenoſorum: quan-
do bibitur ex eo pondus duodecim granorum hordei, aut fit linimentum cum
eo ſuper locum morſus. liberat enim à morte, & expellit venenum per ſudo-
rem, &c. Et ſi ponitur lapis ille ſuper locum puncturæ, & morſus animalis ve-
nenoſi, quemadmodum ſunt punctura ſcorpionis, aut cantharidum malarum,
aut zambor, confert iuuamentum manifeſtum, &c. Et ſi locus, vbi eſt morſus,
eſt putrificatus, & puluerizatur ex hoc lapide ſuper locum, mundificat & cu-
rat. & quando tangitur cum hoc lapide aculeus ſcorpionis, prohibet potentiã
ab eo pungendi. Haben medbernisi, id eſt lapis bezaar, confert veneno ſcor-
pionis quando portatur in annulo, et ſculpe in eo imaginẽ ſcorpionis luna exi-
ſtẽte in ſigno ſcorpionis, et aſpice ꝙ ſit aſcendẽs, ſupple, ſcorpio: deinde ſigilla
cum

cum eo olibanum, luna existente in scorpione, quod tritum exhibe patienti ad
potandum, & euadet. Cap. de Stagno: Rasis: Quando bibitur & teritur, con-
fert puncturæ scorpionis.

Rasis in Continente lib. 20. cap. 2. In 4. Miemir: Ait Galenus: Ad morsum
scorpionis: ℞. opij, seminis hyoscyami an. informetur cum melle, & admini-
stretur. Dixit Galenus: Carthamus, & flos eius, & semen eius, & piper sum-
pta, iuuant, supple, contra morsum scorpionis. Opinati sunt quidam homi-
nes, quòd si ille, quem scorpio momordit, teneat ista in manu sua, non sentiet
dolorem, & si dimiserit, statim redibit dolor. Medicina ad hoc: ℞. herbæ quæ
dicitur morsus scorpionis aur. iij. alliorum excorticatorum, aur. iiij. assæ fœti-
dæ, origani syluestris seminis an. aur. 1. informentur cum melle. dosis eius ʒ. ij.
cum oleo aut sapa veteri. Ait Dioscorides: Sulphur cum resina emplastra-
tum cum aceto, est valde bonum contra morsum scorpionis. Et valet similiter
emplastrum ex semine lini cum sale. Et emplastrum cum piscibus salitis iu-
uat. Et scorpiones pistati, & positi supra vulnus conferunt. Iuuat similiter bi-
bere, aut comedere eos assos. Et emplastrare locum ex pinguedine, similiter
iuuat. Ait Galenus in lib. quem fecit de Medicinis compositis ægritudinibus.
Hęc est medicina mirabilis cõtra morsum scorpionis & rutelę: ℞. aristolochię,
opij an. aur. iiij. pyrethri aur. iij. fiant trochisci sicut faba. dosis eius sint trochisci
duo cum ℥. tribus vini puri. Rasis: Dico: Narrauit mihi quidam certus homo,
quem scorpio momordit, quòd sumpsit ex atramento Indico cũ magna quan
titate vini, & liberatus fuit. Quidam puer fuit punctus à scorpione, & fricauit
locum puncturæ cum baderugi, id est basilicone fluuiali, seu hortulano, & co-
medit ex eo, & cessauit dolor. & narrauit quidam ex Christianis, quòd vnus
Arabicus fuit morsus à scorpione in quatuor locis, & sumpsit ʒ. ij. ex colocyn-
thide trita, & liberatus est. Dico: ℞. nucum & alliorum mundatorum an. pisten
tur simul: & dosis eius sit ℥. 1. & post horam vnam bibat rotulum 1. vini meri. I-
tem ℞. nucum & alliorũ excorticatorum an. partem 1. rutæ siccæ, assæ, & myr-
rhæ an. part. semis, pistentur cum ficubus siccis. dosis eius sit ʒ. iij. cum rotulo 1.
vini puri. Dico: Narrauerunt mihi plures Christiani quòd colocynthis sumpta
aut fricata super locum morsurę, est mirabilis, et experti iuuamenti, quod expe
rimento didicerunt. Dixit Dioscorides: Spina alba siue carthamus syluestris, si
teneatur in manu ab illo, quem scorpio momordit, nõ dolebit, & cùm eiecerit,
statim redibit dolor. & hoc confirmat Galenus in Simplicibus: & ego proba-
ui, et inueni expertum. Dico medicinam quã probaui & inueni expertam con
tra morsum scorpionis: ℞. alliorum mundatorum ʒ. v. nucum ʒ. x. assæ ʒ. 1. infor
mentur simul, & totum sit dosis vna. Et post horam mediam bibat vini puri ro
tulum vnum, id est cyathum, & cooperiat se bene, & prouocet somnum. Hæc
enim medicina liberat patientem, cum magno sudore: & si necesse fuerit, se-
quenti mane phlebotometur. Dico: Narrauerunt plures homines, quòd oleũ
scorpionum, est valde expertum ad hoc. Vnctio faciens cessare dolorem hora
qua vngitur: ℞. chebiget, id est chebichegi, id est botrachion, seu apij ranini,
euphorbij, & tapsiæ an. fiat ex eis vnctio. Dico: Narrauit mihi Abunasar, ꝙ
fuit morsus à scorpione, & accepit statim ʒ. iiij. theriacæ diatessaron, et sanatus
fuit. Et fricare locum cum lacte ficuum immaturarum iuuat. Dico: Et similiter
fricatio cum anacardis iuuat. Theriaca contra morsum malorum scorpionum
& rutelæ: ℞. fęcis vini ʒ. vi. sulphuris citrini ʒ. viij. seminis rutæ ʒ. iij. castorei, se-
minis erucæ an. ʒ. ij. informentur cum sanguine testudinis marinæ. dosis eius,
ʒ. ij. cum ℥. v. vini. Alia theriaca similis illi: ℞. pyrethri, aristolochiæ an. partem
vnam, piperis albi part. semis, foliorum marut, id est marrubij, seu prasij, part.
iiij. informentur cum melle, dosis eius ʒ. 1. Alia medicina: Recipe radicum cap

paris,ariſtolochiæ longæ,baccarum lauri,& gentianæ an.adminiſtrentur cum
vino. Similiter iuuat ad hoc diaaſſa,id eſt confectio de aſſa cum vino. Et dico
quòd medicinæ ad puncturam ſcorpionum debent eſſe ſubtiles, inflamman-
tes corpus velociter abſque ſtipticitate: & cortices capparis non ſunt de nu-
mero iſtorum, ſed ſunt huius virtutis altit, id eſt aſſa, myrrha,piper,allia,pyre-
thrum,vinũ vetus odoriferum, & ſimilia. Dico:Narrauit mihi quidam, quem
ſcorpio momorderat, quòd diſſoluit alkali, id eſt cinerem plantæ ſimilis ver-
miculari, naſcentis in litoribus maris, ex quo cinere fit vitrum cum aceto, &
ex eo emplaſtrauit locũ,& liberatus fuit.Inueni quòd ſi quis comederit beda-
rugi, id eſt baſiliconem hortulanum, & ſcorpio poſtea morderet ipſum, non
timeret. Alibi inueni, quòd eſt valde periculoſum. Ruta ſylueſtris eſt valde
bona comeſta, vel emplaſtrata. Dico,Poſt comeſtionem alliorum per horam
vnam bibat vinum purum, & cooperias eum pannis, & ſuffumiga eum deor-
ſum, vel cum igne, vel cum aqua calidiſſima, vt membra per vaporem ſudent:
& bibat vinum purum frequenter. Dico:Audiui,ſi quis comedat lothos,id eſt
trifolium Barbaricum, iuuat multũ contra morſum ſcorpionis,quia eſt multæ
caliditatis: &, ſicut caliditas vini, rubificat faciem, & ingroſſat venas, & ſi vis
experiaris. Dico,quòd ſi ſumatur de altit quantitas vnius auellanæ,id eſt aur.
vnius,& poſtea comedat offam factam ex pane, butyro, alliis, & nucibus, &
bibat frequenter vinum purum, iuuat iuuamento manifeſto. Et ſimiliter eſt
vtilis fortis ligatio, & ſtrictura in membro patiente. Et calefac locum cum a-
qua decoctionis anethi, fortiter calefacta, & ex ea recipiatur fumus, quouſque
patiens ſudauerit, & deinde ingrediatur balneum, & iterum ſudet, & prouo-
cetur ſudor, fortiter cooperiendo patientem, quouſque ceſſet dolor. Dico:℞.
nigellæ part.1.altit,id eſt aſſæ, part.iij. confice cũ vino veteri,& fac trochiſcos
vnius aur. doſis eius,vnus cum ℥.1.vini. Et ſoluatur vnus cum oleo ſambacino,
i.ieuſimino,aut cum oleo communi, & vngatur locus. & ſi dolor non ceſſaue-
rit,adminiſtra allium. & poſtea cibetur manè cum pullo pingui præparato ad
ſpidebeg, & tertio die phlebotometur: & hoc vtere quouſque liberabitur. Et
prohibuimus phlebotomiam fieri ſecunda die propter debilitatem virtutis,&
vigilias. & dico celebrari phlebotomiam,poſtquam comederit, & dormierit.
Semen trifolii tritum & diſſolutum cum vino veteri,iuuat ſi bibatur. Narrauit
quidam ex amicis meis, quòd probauit vngere locum cũ caſtoreo, & inuenit
iuuamentum: & ſimlliter iuuat vngere locum cum melle anacardino. Iurauit
mihi quidam amicorum meorũ qui fuit morſus à ſcorpione, & ſumpſit aur.
ij. diateſſaron cum ℥. iij. vini veteris, & liberatus fuit: & vnxit ex ea locum, &
ceſſauit dolor poſt mediam horam. Medicina propria ad puncturam ſcorpio-
nis: Recipe caſtorei, corticis radicis capparis,ariſtolochiæ, pyrethri an.infor-
mentur cum melle. Doſis eius aur.ij.cum vino claro. Alia: Recipe pyrethri,
ariſtolochiæ, gentianæ, piperis, foliorum arboris aſſæ fœtidæ an. informen-
tur cum melle. doſis eius drachmæ duæ cum vino,& vnge locum cum aſſa &
ligare laminam argenteam ſuper locum iuuat. Et ſimiliter iuuat prouocare ſu-
dorem, & ponere membrum in aqua calida, & ligare prope puncturam ſtri-
cta ligatura. & poſtea bibat multum vini puri. Dico: Bibat vinum forte vſque
ad ebrietatem, manè autem phlebotometur. Et narrauit mihi Abumorſyra-
ſy,quòd fuit à ſcorpione morſus,& bibit atramentum Indicum,& ceſſauit do-
lor. Et quidam fuit morſus à ſcorpione,& fricauit locum cum bedarugi,id eſt
baſilicone hortulano, & fuit liberatus. Medicina qua vtuntur in exercitu,aliàs
Aegyptii,quæ vocatur chiloe:Recipe radicis colocynthidis, radicis capparis,
abſinthii,ariſtolochiæ longæ,& ſeminis endiuiæ ſylueſtris an.deſiccatis,& pul
uerizatis. doſis hominis ʒ.1. & doſis pueri ℈.1. Narrauit mihi Albucaſis, quòd
pœ

per ìstam medicinam liberatus est famulus eius de morsu scorpionis, & multi
alij liberati sunt ex ista medicina, & est mirabilis valde. Securati sunt homi-
nes aliqui dare bibere lapidem, qui dicitur lapis sapphiri contra morsum scor-
pionis, secundum sententiam Galeni. Dixit Galenus: Sumere cordumeni
cum vino iuuat. Carthamus, & flos eius, & semē eius, & piper sumpta iuuant.
Opinati sunt quidam homines, quòd si ille, quem scorpio momordit, teneat
ista mann sua, non sentiet dolorem, & si dimiserit, statim redibit dolor. Lac la-
ctucarum syluestrium, valet contra morsum scorpionis. Dico, fricetur locus,
donec membrum rubificetur: aut vngatur locus cum succo endiuiæ. & come-
stio herbæ pyrethri iuuat. Ait filius Patriarchæ: Siquis acciperet iararet ma-
gnum, & desiccaret, & daret ei in potu, quem scorpio momordit, præstat iu-
uamentum. Ait filius Mesuay: Cinnamomum cum basilisco, aliàs, bedarugi,
emplastrata iuuant. Theriaca excellens, quam ordinauit Machimet, filius Ca-
leph ad calefaciendum extremitates manus, & facit immediatè cessare dolo-
rem. ℞. aristolochiæ longæ, gentianæ, baccarum lauri, radicis capparis, colo-
cynthidis, absinthij, chelidoniæ, vitis albæ an. Theriaca alia valde: ℞. myr-
rhæ, opopanacis & opij an. ʒ.1. semis, vitis albæ, aristolochiæ longæ, & pyre-
thri an. ʒ. vi. seminis rutæ, cymini nigri, (id est secundum expositionem reper-
tam in Continente, nigellæ) & seminis trifolij an. ʒ. iij. gummi Arabici quod
sufficit: impastentur cum aceto, & fac trochiscos, de ʒ.1. semis, & non plus, quia
si essent maioris quantitatis, periculosum esset: dosis eius, fit trochiscus 1. & si
non iuuerit post horas duas, addas ei medietatem vnius trochisci. Alia medici
na: Ruta decocta in aceto, administretur, postquam transierint horę duæ post
morsuram tribus vicibus, & si non fuerit liberatus, administretur iterum. The-
riaca contra morsum scorpionis & rutelæ: ℞. castorei, piperis albi, myrrhæ, &
opij an. emplastretur cum melle. dosis eius sit aur. 1. cum ℥. iiij. vini puri. Hoc e-
nim subitò iuuat. Et vitis alba magnæ virtutis est contra morsum scorpionis,
& tarantulæ. Ait Iudæus: Scorpio pistatus, & emplastratus, prohibet vene-
num penetrare interius. Et si emplastretur cū eo locus sanus, narcothizabit lo-
cum, & mortificabit ibi sanguinem. Iuuat contra venenum scorpionis, come-
dere nouem capita alliorum, & pistata similiter appositaq́ꝫ loco. Inquit Aaron:
Accidit spasmus ex morsu scorpionis, & facit stupefactionem in neruis: &
ad hoc iuuuat theriaca, quę fit ex quatuor rebus, id est theriaca diatessaron, cu-
ius permistio est hæc. ℞. gentianæ, aristolochiæ rotundæ, baccarum lauri, myr
rhæ, omnium an. partes æquales, confice cum melle. dosis eius ab aur. 1. vsque
ad ij. semis cum vini ℥. 1. Et similiter iuuat sagzenea, & diaassa, & allia condîta,
& ligare iuxta locum puncturæ, ne penetret venenum, & calefacere mem-
brum cum decocto in aqua. Ait Sarac: Curatio huiusmodi, est prouocare sudo
rem, & fricare locum cum oleo, & sale, & calefacere, & dare bibere vina calida
ad prouocandum sudorem. Et similiter iuuat hæc medecina: ℞. pratillorum, a-
liàs, aspratillorum, id est sparagorum siccorum tritorum subtiliter, & commi-
sce cum butyro & melle. dosis eius aur. ij. cum tepida aqua. Alia: Bibat de inte
riori medulla auellanæ Indæ, i. secundum Auicennam 2 can. raba cum aqua.
Ait Iohannitius: Medicina extinguens huiusmodi venenum statim, sicut extin
guit aqua ignem, est dare bibere medullæ cataputiæ maioris ʒ. iiij. aliàs. ℈. iiij.
cum tepida: & vngere locum cum oleo petroleo albo, aut emplastrare cum al-
lijs & butyro, aut cum castoreo, allijs & oleo, aut vngere cum succo porrorum
puro. Ait Iohannitius: Siquis inunxerit manus suas ex succo porri, & tenuerit
scorpionem, si mordeat eum, non nocebit. Castoreum & allium an. emplastra
cum argento viuo plumbino iuuant. Sagzenea dissoluta in vino, & bibita, iu-
uat. Siquis vnxerit manus suas frequēter ex succo radicum, ita quòd multoties

desiccentur, & postea teneat scorpionem in manu sua, si mordeat eum, non
nocebit. Facetena, id est lacerta leprosa, decocta cum butyro vaccino, quouſ-
que dissoluatur posita super locum iuuat. Si ponatur lac ficuum supra vulnus
scorpionis, sanabit, eò quòd non permittit venenum penetrare interius. et qui
comederit de scilla, eadem die nō nocebit ei venenū scorpionis. | Dixit Iohan-
nitius: Piper iuuat ad hoc. Ait Masernihay: Endiuię syluestres, iuuant contra
morsum scorpionis, & facetenæ, id est lacertæ leprosæ. Nepita iuuat simili-
ter. Ait Admuraby: Fomentare membrum morsurę cum aqua decoctionis
chamæmillæ iuuat. Aspergere aquam decoctionis trifolij supra morsum scor-
pionis, facit cessare dolorem. Et si aspergatur supra membrum sanum, facit ac-
cidere dolorem: & potior operatio eius est, quando est siccum. Dixit Alcuzi,
aliàs, Alcanzi: Serapinum est valde bonum ad hoc bibitum, vel inunctum. Di-
citur in lib. de Agricultura Persarum, quòd radices tritę, & positæ supra scor-
piones, coquunt eos. & sumere ex semine earum, valet cūtra venenū: & si scor-
pio mordeat aliquem qui vtatur radicibus, non sentiet dolorem ex eo. Inquit
Georgius: Cura huiusmodi est comedere allia cum sapa, i. vino musto decocto
quousq; eius solùm tertia pars remaneat. Et sumat theriacam magnam, & the-
riacam Esdrę, & theriacam diatessaron, & sagzeneam, & diasulphur, et diaassa.
& bibat vnum scyphum butyri, mellis, & origani. Et calefac locum cū ficubus
montanis, aut cum furfure cocto & ligato supra locum. Ait Simeō in quodam
libro suo, quem composuit de Venenis, quòd iuuat contra venenum scorpio-
nis, si bibat patiens theriacam magnam, aut diatessaron, aut Esdræ, aut sagze-
neam, aut diasulphur, aut diaaltit in quantitate 1. nucis, id est auellanæ, i. aur. 1.
cum aqua tepida: & detur etiam ad sorbendum butyrum vaccinum cum mel-
le tepido. Et comedat allia pistata cum sapa, & bibat vinum: et emplastretur lo-
cus cum ficubus montanis, & furfure frumenti. & iuuat similiter, si vngatur lo-
cus ex sagzenea, & theriaca calefactis. & liga membrum ligatura stricta, ne ve-
nenum extendatur ad membra nobilia. Medicina contra venenum scorpio-
nis, est spargere supra locum aquam decoctionis trifolij. Alia medicina: Re-
cipe nepitæ, gentianæ, piperis, opopanaci, & assæ an. dissoluatur opopana-
cum cum vino, & cum eo conficiantur medicinæ. dosis eius aur. 1. cū sapa. Ait
Vigilator: Auellanæ Indicæ, id est secundum Auicen. roba, masticatę & appo-
sitæ supra locum, iuuant valde. Inueni quòd eryngi desiccati & puluerizati, si
bibantur cum aqua calida, iuuant valde statim, & similiter cuscute iuuat. Me-
dicina de qua si quis biberit semel, toto illo anno non timebit morsum scorpio-
nis, & hæc quidē medicina vocatur cornaphilon, & inuenitur in terra Hierusa-
lem, & habet radices similes mandragoræ. Sume ex ea quantitatem trium digi-
torum secundum longitudinem, & pone in vino, aut lacte recenti, & bibatur
manè, ieiuno stomacho, & non comedat vsq; ad mediū diem. Et dixerunt anti-
qui, quòd similiter iuuat vngere cum ea, sicut si bibatur, & quòd non solùm iu-
uatur ille, qui hanc medicinam sumit, sed filius qui postea generabitur ex eo: &
qui vtitur hac medicina, inueniet iuuamentum. Theriaca valde bona: ℞. aristo-
lochiæ, gentianæ, menthastri hortulani, rutæ, baccarum lauri an. coquantur in
vino, & illud vinū bibatur, & substātia comedatur. Et qui sumeret de agarico,
statim cessaret dolor. Iuuat similiter, si sumatur herba carthami syluestris cum
pipere & vino puro: & si habuerit radicem enulæ supra se, non nocebit ei scor-
pio. & similiter facit agarici radix, & similiter operatur iua, siue polium cum a-
qua. Et similiter facit napellus, si sumatur ex eo modicum, quia mortalis: dosis
eius est aur. 1. Ait Tabri: Qui suspenderit nucellas Indicas, id est secundum Aui-
cennam, roba, in brachio suo, & portaret, non timeret venenum scorpionis.
Ait Democritus: Fumigium scorpionis, fugat alios scorpiones: & similiter gal-
banum, arsenicum, & vngula asinina.

Ralis

Rasis in Continente libro 21. cap. de Mustela: Animal appellatum moali, id est, vt arbitror, mugali, id est animal pusillum venenosi morsus muri simile, confert morsui scorpionis, si poneretur desuper caro eius. Capite de Locusta: Locustæ, grilli appellatæ asinini, sunt sine alis longarum tibiarum, parũ assati, & desiccati, & triti, & sumpti cum sapa, valent contra morsum scorpionis. Et similiter dixit Paulus, in vij. & hac cura vtuntur homines in ciuitate Napti, & in regione Niniue. Cap. de Haze. i. zufure. Haze. i. secundum Auicennam zufure, dixit Bymasui, habet virtutem rutæ, desiccat sperma, valet contra morsum scorpionis. Cap. de Colocynthide: Aliquãdo narrauerũt plures, quòd radix eius, est sublimis medicina contra morsum scorpionis, & hoc est expertum apud Arabas. Et intellexi per quendam Arabem, quòd filius suus fuit morsus in quatuor locis à scorpione, & sumpsit 5. 3. radicis eius & liberatus est. Ait Christianus. i. Iohannes Damascenus: Radix trita, & emplastrata supra morsum scorpionis iuuat, & propriè radix colocynthidis masculinæ, quæ est vbicũq; lipposa, & fœminę quę est alba, lenis, & mollis. Cap. de Lapide topatio: Lapis topatius, valet multum contra morsum scorpionis. Capite de Lapide tastris videlicet feruzezi, id est topatio: Lapis tastris videlicet feruzegi, id est topatius secundum filium Mesuay, si fricatur super locũ, confert morsui scorpionis. Cap. de Lactuca: Inquit Costa in libro de Agricultura: Eius semina trita, & comesta, mitigant dolorem morsus scorpionis. Libro 22. capite de Musca. Dixit Bymasui: Expertus sum eam, supple, muscã, & inueni quòd si fricatur cum ea super morsum scorpionis, confert ei manifestè, sed considerandum est in hoc. Capite de Roba quæ est auellana Inda: In libro Baelba de Venenis, dixit, quòd cortex ipsius superior si teritur & datur in potu ad modum lenticulæ, & imponitur orificio partis in qua fuit morsus, & datur in potu quantitate aurei ponderis vnius, cum succo herbę appellatæ habet, siue origani, & fit illinitio cũ ea super locum morsus scorpionis aut tarãtulę, confert, & valet ad omnia venena. Cap. de Arpa quæ est auis alba: Arpa auis est alba. Dixit Bymasui: Fel arpæ debet siccari in vmbra in vase vitreo obturato, & ad morsum viperæ, scorpionis, vel alterius animalis, fricari in aqua dulci in concula, & imponi loco parti sanæ per oppositum, & sanabitur. Dixit: Expertus sum illud, & inueni ipsum ad venenum serpentis, scorpionis, & vesparum valde conferre. Capite de Zufara: Zufara, dixit Chuz, quòd valet ad morsum scorpionis si datur in potu, aut effunditur decoctio eius super eum. Capite de Cancro fluuiali: Cancer tritus, crudus, & bibitus cum lacte asinino, confert ictui furunculorum, tarantulæ, & scorpionis. Et si teruntur cum ocymo, id est basilicone foliorum latorum, & approximantur scorpioni, eum interficiunt. Et cancri marini etiam hoc faciunt, tamen debiliores sunt. Dixit Bymasui, quòd si teritur cum sinapi, & ponitur in domo, interficit scorpiones. Cap. de Pisce marino: Species piscium appellata mars salita, caro eius valet ad morsum scorpionis, & canis rabidi ad modum carnis cuiuslibet piscis marini saliti. Capite de Serapino: Dixit Tabri, quòd confert illinitum, supple, serapinum super morsum serpentium, & scorpionum. Cõfert etiam bibitum ad hoc cum vino cocto in quantitate aur. ponderis vnius. Dixit Mesuay: Confert morsui scorpionum. Cap. de Mure: Conuenerunt homines quòd si mus scinditur, & superponitur morsui scorpionis, confert. Cap. de Radice: De filaha Fastix dixit, si superponitur particula radicis scorpioni, morietur. Dico: Retulit amicus qui expertus est hoc, & inuenit illud firmum esse, quòd ipse stillauit super eum de aqua foliorũ radicis, & vidit eã penetrare, & inflatus fuit exinde & crepuit in medio horę. Si mordet scorpio comedentem radicem, non infert ei dolorem vehementer, sed tollet vestigia percussionis. Cap. de Mentha.

ſtro: Dixit Meſuay: Menthaſtrum ſylueſtre, valet ad morſum ſcorpionis val-
de. Libro 23 cap. de Sulfure: Sulfur, dixit Dioſcorides, miſtum cum reſina, ſa-
nat morſum ſcorpionis, & miſtum cum aceto, confert morſui ſcorpionis. Ca-
pite de Butyro: Butyrum coctum vaccinum, valet ad morſum ſcorpionis. Ca-
pite de Saliua: Quidam cum ſaliua ſua, interficit ſcorpionem, & hoc fit magis
per ſaliuam famelici, & ſitibundi. Cap. de Mumia. Dixit Salmuya: Confert ad
morſum ſcorpionis kerat 1, id eſt pondus quatuor granorum ordei cum ſim-
plici vino, & ſuperponatur loco cum butyro. Cap. de Atramento: Dixit qui-
dam veridicus quòd paſſus eſt morſum ſcorpionis, & ſequuto atramento In-
do in cura mitigatus eſt dolor. Cap. de Aqua: Si patiens ingreditur aquã ma-
ris calidam, ſequetur iuuamentum morſui ſcorpionis, &c. Cap. de Nemica, id
eſt ameos: Si effunditur decoctio ipſius ſuper morſum ſcorpionis, diſſoluit do
lorẽ ſtatim. Cap. de Endiuia: Dixit Bymaſui: Balabſicuk, id eſt taraxacon, ſeu
endiuia ſylueſtris, frigidum eſt, & ſiccum in principio ſecundi, & ſiccitas in eo
eſt cum dominatione: confert tritum, & ſuperpoſitum morſui ſcorpionis, aut
ſi comeditur, aut ſi aqua ipſius bibitur, ei confert. Dixit Iohannitius in Electio
nibus ipſius: Taraxacon, ſi bibitur, confert morſui ſcorpionis, &c.

Raſis octauo Almanſoris, cap. de Puncturis ſcorpionum: De his quæ ſcor-
pionum conferunt puncturis, eſt bibere pondus vnius aurei cum aqua aut vi-
no ex radicibus colocynthidum ſiccis, aut vnius aurei pondus ex medicami-
ne de aſſa cum ℥. 1. vini, aut locum, qui eſt ſupra puncturam, ſtringere, & ex o-
leo de ben, & aqua calida embrocare, & cum ſambacino, id eſt oleo ieuſmi-
no, in quo caſtoreum, & euphorbium confricata fuerint, inungere, atq; cum
eo locum fortiſſimè fricare. Theriaca quæ valde ſcorpionum puncturis profi-
cit: ℞. radicum corticum capparis, abſinthij, nabati, ariſtolochiæ, gentianæ, o-
mnium partes æquales. doſis huius in potu ʒ. iij. ſic enim eſt congrua. Theria-
ca diateſſaron, quæ puncturis ſcorpionum, & puncturis aliorum reptilium,
& pernicioſis venenis confert, & magnæ theriacæ in bonitate vicina exiſtit:
℞. gentianæ, ariſtolochiæ, baccarum lauri, myrrhę, omnium partes æquales.
hæc cum melle confecta in vaſe reponantur, & ex hac medicina, cùm neceſſe
fuerit, in potu ab vno aur. vſque ad ij. & ſ. cum ℥. 1. vini veteris ſumatur. The-
riaca quæ ſcorpionum puncturis vehementer auxiliatur: ℞. gentianę, ariſtolo
chiæ, myrrhæ, coſti, caſtorei, rutæ, menthaſtri ſicci, pyrethri ʒʒ piperis, nigellę,
aſſæ, omnium partes æquales: conficiantur cum melle. Detur ex ea ad auella-
næ magnitudinem, id eſt aur. 1 cum vino. Quòd ſi de prædictis medicinis nul-
lam habueris, vinum vetus & allia ad comedendum tribue, atq; ex eis loco em
plaſtri ſuperpone, locum quoq; aſſidue calefacias, & cum medicinis calidis,
quas habere poteris. Cum autem theriacam dederis, & dolor ſedatus fuerit, ſi
febris ſuperueniat ſequenti die, ſummo manè ęgrũ phlebotoma, & aquam hor
dei, ac cibaria vltimæ humiditatis ei tribue, & in ipſius cautela, ne ægritudi-
nem incurrat acutam, ſtude. Omnes pręterea abſtinendos ab apij comeſtione
qui in locis ſunt, vbi ſcorpiones aut iararet habitant, iubeo. Cap. de ijs, qui ve-
nenoſa animalia, & ſerpentes, &c. fugant. Si ſcorpiones multi capiuntur, & ex
eis domus ſuffumigetur, omnes alij fugient. domus præterea, ſi cum ſulfure,
& vngula aſini, & galbano ſuffumigata fuerit, fugabuntur. Oleum ipſorum in
foraminibus, ſi infuſum fuerit, non vlterius exibunt, imò fugient: formicę pre-
terea comedunt ſcorpiones, & propriè eos, qui vocantur iararet. Aſſa quoq; ſi
in aqua diſſoluatur, & ex ea locus roretur, non ibi approximabunt, & ſi pennę
liniantur ex alkitran, aut ex aſſa reſoluta, & ipſorum foramina ex eis inungen-
do circundetur, non exibunt inde vlterius.

[illegible] Diuiſionibus. cap. 143. ſ. de Remedijs venenorum. Mordicationi
autem

autem scorpionum confert vaporatio, & assa, & allia, & medicamen de assa, & theriaca diatessaron, & epithema cum euphorbio & oleum antiquum. Rasis in libro de Proprietatibus animalium, cap. de Proprietatibus asini: Stercus asini syluestris desiccatum cum vino bibitum, valet contra morsum scorpionis iuuamento magno. Capite de Proprietatibus mustelæ: Mustela posita super morsum scorpionis, confert nimium. Capite de Proprietatibus cancri: Cancer fluuialis, aut marinus tritus, si potetur cum albedarugi, id est basilicone habente lata folia, cuius flos est rubeus, confert contra morsum scorpionum. Cap. de Proprietatibus muris: Si scindatur mus, & superponatur morsui scorpionis, dolorem eius tollet. Rasis in libro de Experimentis: Oleum sinapis fit hoc modo: Pista sinapim, & mitte in aqua calida, & misce parũ, & dimitte per vnam noctem, & exprime donec oleum exeat, & serua. valet morsui scorpionis, &c. Oleum maioranæ, valet morsui scorpionis.

Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Punctura scorpionũ: Curatio huius est, quòd celeriter administretur morso de theriaca alfarot. i. theriaca magna Andromachi, aut do theriaca alarba. i. quatuor specierum, seu diatessaron, aut de electuario sechanaya, id est sagzenea, si haberi possunt: sin autem, cito emplastretur locus cum sale calido, vel approximet se ad ignem, & sustineat calorem, quoniam tũc recedet dolor: aut supponatur loco asarum factum ex lacte, vel sepo, quoniam est expertũ: & cõfert ei potatio puri vini, & comestio alliorum, & assæ fœtidæ, & comestio nucũ sua proprietate: & ligetur locus puncturę, & vngatur cũ oleo de ben pluribus diebus, & liniatur de oleo de sambaco. i. de ieusimino in quo teratur de castoreo, & euphorbio, & hoc fiat pluries: & confert ei sumere in potu butyrũ vaccinum calidum cũ vino, vel cũ melle, & accipiat ex puluere radicis algahadę. i. policariæ, aut forsan colocynthidis cũ aqua, vel accipiatur canis marinus exiccatus, & tritus, & bibat cũ lacte asinę. Et dixerunt, quòd accipiatur ipse scorpio, & teratur & superponatur loco punctionis, & recedet dolor: vel liniatur locus cum theriaca alfarot. i. magna, & sechanaya. i. sagzenea. Aliud: Teratur castoreũ, & allia cum oleo oliuarum veteri, & emplastretur locus cum eo, quoniam sanabitur. Albucasis tertia particula Azarauij: Antidotum muguet. i. adiutorium, in quo concordati sunt omnes Philosophi Saraceni, Indi & Romani, quòd istud antidotũ prępualet, & omnibus passionibus plusquã alia medicina opitulatur, &c. Morsibus scorpionis cũ aqua distemperetur assę fœtidæ, &c. Antidotũ aliud muguet, &c. Morsibus scorpionis, & reptilium, & serpentium confert. Antidotum aliud muguet valet supradictis passionibus, &c.

Albucasis quarta particula Azarauij: Medicina Almansoris. Rasis contrafacta venenis nominata medicina de assa fœtida, quę ad frigida venena facit, atque ictibus scorpionis, & rutelæ morsibus, necnon ęgritudinibus frigidis confert: ℞. foliorum rutę siccæ, costi, menthastri sicci, pyrethri, cordumeni, omniũ partes ęquales, assę fœtidę quantũ est, omnium quartam par. mellis quòd sufficit. dosis eius in potu sumitur à magnitudine incipiẽs auellanę, & vsq; ad nucis protẽditur magnitudinẽ. Theriaca propria morsibus scorpionis: ℞. menthastri montani, & hortulani, piperis, myrrhæ, foliorum rutæ, an. partẽ 1. mellis quantũ sufficit. dosis ʒ. 1. cum vino puro. Alia theriaca contra morsum scorpionis: ℞. castorei, opopanaci, opij, seminis pastinacę agrestis, hyoscyami, an. par. 1. mellis quod sufficit. dosis aur. 1. cum calida. Alia theriaca ad idem: ℞. radicum capparis, absinthij, aristolochiæ rotundæ, gentianæ æquales partes, mellis quãtum sufficit. dosis eius, ʒ. iij. Alia theriaca morsibus scorpionis: ℞. gentianæ, aristolochiæ, myrrhę, costi, castorei, menthastri, pyrethri, ℥ piperis, nigellæ, assæ fœtidæ, ęquales partes, mellis, quantũ sufficit, dosis in modũ auellanæ. i. aur. 1.

cum vino. Theriaca Pauli morſibus ſcorpionis: ℞. ſulfuris viui in modum auel
lanæ, & viij grana piperis: puluis iſtorum cum vino bibatur. Alia theriaca: ℞.
aſſæ fœtidæ, cancrorum, ſceum, id eſt nigellæ, cymini, ſeminis pentaphyllii æ-
quales partes, & fiat puluis. detur de eo cum vino quantum tres digiti leuare
poſſunt. Alia theriaca Pauli morſibus ſcorpionis, & reptiliũ: ℞. fæcis vini ʒ. vi.
ſulfuris viui ʒ. v. pyrethri, ʒ. iiij. caſtorei, ſeminis erucę, an. ʒ. ij. de omnibus fiat
puluis, & conficiatur cum ſanguine teſtudinis marinæ, aut cum vino decoctio
nis gentianæ. doſis ʒ. 1. cum v. ʒ. vini puri. Alia theriaca ad idem: ℞. pyrethri, ari
ſtolochiæ, an. ʒ. ij. piperis, radicis anuiden, id eſt ſylphij, an. ʒ. ij. cum melle con-
ficiantur. doſis in modum fabæ Aegyptiacæ, id eſt aur. 1. Theriaca Ioannis Da
maſceni morſibus reptilium, ſerpentum, & ſcorpionis, &c. Theriaca propria
morſibus ſcorpionis, & reptilium, &c. Theriaca Indica morſibus ſerpentum,
& ſcorpionis. Theriaca cuiuſdam Hiſpani morſibus ſerpentum, & ſcorpionis,
& omnium reptilium venenoſorum. Nominatio medicinæ morſibus ſer-
pentum, & ſcorpionis, & cætera. Nominatio medicinæ Galeni morſibus
ſerpentum, & ſcorpionis, & cætera. Alia Galeni morſibus ſerpentum, &
ſcorpionis, &c. Theriaca morſibus ſerpentum & ſcorpionis, &c. Nominatio
medicinæ omnibus morſibus ſerpentum, & ſcorpionis. Alia theriaca, comple
ta morſibus ſerpentum, viperarum, ſcorpionis, &c. Theriaca ſcorpionum: ℞.
ariſtolochiæ, gentianæ, menthaſtri hortulani, baccarum lauri, pigani, id eſt
vnius ſpeciei rutæ, an. part. 1. omnes ſpecies in vino coquantur, & vinum po-
tui tribuatur. Nominatio medicinę morſibus ſerpentum, & ſcorpionis, & vi-
peræ, &c. Medicina morſibus ſcorpionum: ℞. ariſtolochię rotundæ, & longę,
opopanaci, ſeminis harmel. *i.* vnius ſpeciei rutę an. mellis quod ſufficit. doſis
aur. 1. cũ vino, & locus emplaſtretur. Alia ſcorpionũ, & ſerpentũ. Nominatio
theriacæ diateſſaron, quę puncturis ſcorpionũ, & pernicioſis venenis aliorum
venenoſorũ animalium confert, & maiori theriacæ in bonitate ſimilatur. Alia
theriaca quam omnes Philoſophi Romani, Indi, Saraceni commendauerunt
morſibus ſerpentum, & ſcorpionis, canis rabioſi, & veneno mortifero, &c.

Albucaſis quinta particula Azarauij: Hiera de anacardis mirabilis, & exper-
ta puncturis ſcorpionum, & omnibus morbis frigidis, ſpaſmoſis: poſt aſſum-
ptionem iſtius hieræ ſudor prouocatur, &c. ℞. pyrethri ʒʒ. ſceum, id eſt nigel-
læ, coſti, melanopiperis, acori, an. ʒ. x. foliorum rutę, aſſę fœtidę, gentianę, ari-
ſtolochiæ, baccarum lauri, caſtorei, ſceitaragi, id eſt caſſię Indæ ſeu caſſiæ lig-
neæ, ſinapis, mellis, anacardorum, an. ʒ. v. puluis prius cum oleo nucum malaſ-
ſetur, & poſtea cum ſucco radicis conficiatur. doſis ʒ. 1. quotidie. Albucaſis 15
particula Azarauij: Modus condiendi allia domeſtica, valet venenis reptiliũ,
& morſibus ſcorpionum, & omnibus morbis ex frigiditate, & humiditate, &c
Et nos probauimus hanc medicinam in morſibus ſcorpionum, & inuenimus
efficaciorem in hac cauſa, &c. Albucaſis 17 particula Azarauij: Trochiſci ad
morſum canis, & punctionem ſerpentis, & ſcorpionis, &c. Albucaſis 18 parti-
cula Azarauij: Fumigium ſcorpiones fugant: Locus fumigetur cum ſcorpio-
nibus, & alij ſcorpiones fugient, aut cum ſulfure, aut cum vngula aſini.

Albucaſis 23 particula Azarauij, cap. octauo: Ad morſum ſcorpionis: Acci
pe faias, alias, fabas agreſtes, & tere, & ſuper morſuram pone. Aliud ad idem:
Accipe calamẽtum, & tere, & fac emplaſtrum ſuper puncturam ſcorpionum:
& fac ſimiliter cum polio montano. Aliud ad morſuram animalium, & ſcor-
pionum: Allia ſola, aut cum vino tere, & pone ſuper locum morſus, aut pun-
cturę. Aliud ad idem quod venenum extrahit: Allia tere, & cum eis caſtoreum
miſce, & cum oleo veteri confice, & pone ſuper locum: quoniam venenum ex
trahet. Aliud, Sagapinum, id eſt ſerapinum tere, & fac emplaſtrum ſuper pun-
cturam

cturam scorpionis & reptilium. Aliud ad puncturam scorpionis: Sume soricē fœminam viuam, & scinde, & calidam pone super locum puncturæ, aut ranā scinde, & superpone, aut pullū gallinaceum, aut gallinā, & calidam super morsuram, aut puncturam pone. Aliud ad puncturam scorpionis. ℞. galbani, sulfuris, rutę, alliorum partes ęquales, terantur, & emplastrizentur. Aliud ad idē: Accipe ipsos scorpiones, & tere, & desuper pone. Aliud ad morsum viperę masculi: Tere sal cum semine lini, & emplastriza, & similiter ad puncturam scorpionis. Albucasis 24 particula Azarauij: Ceroneum de euphorbio, valet ad morsum rabidi canis, & ad puncturas scorpionis, & animalium, & oēs dolores frigidos: ℞. olei, lib. 1. ceræ, ℥. iiij. euphorbij, ℥. 1. liquefiat in oleo cera, & administretur. Albucasis 25 particula Azarauij: Oleum de sinapi, calidum est & subtile, &c. Valet ad puncturā scorpionum, & omnium animalium, excepto morsu viperę, &c. Oleū de lateribus, & est probatum, quod dicitur petroleum, & est dictum oleum benedictū, &c. Omnibus venenis frigidis, & puncturis scorpionū, & bibentibus opium, & hyoscyamū & his similia valet, &c. Modus olei de sampsuco, &c. cōfert puncturis scorpionū, &c. Omnia suprascripta auctoritate Albucasis, quorū descriptiones minime posui, descripta sunt eiusdē auctoritate superius in 9. cap. 1. lib. aut in 3. cap. 5. lib. Et cōsimiliter descripta sunt quędā alia posita aliquorū aliorū precedētiū auctoritate, quorū descriptiones similiter nō pręscripsi. Ideo pro eorū descriptionibus recurre ad præfata cap.

Rabbi Moyses 21 particula suorum aphorismorum, aphorismo vltimo: Dixit Cōplutus in Introductorio suo quòd selica. i. cassia lignea, expellit venenū scorpionū, & aliorum animaliū, & est bona his bonitate cognita. Rabbi Moyses in libro suo de Venenis, tractatu primo cap. 4. Theriaca ex quatuor. i. theriaca diatessaron propinatur propriè contra morsuram scorpionis, ex qua dandum est ab vna, ʒ. vsq; ad iiij. Et Galenus retulit similiter aliam, quam prodesse asseruit propriè contra morsuram scorpionis, & puncturam rutelę, cuius cōpositio est hæc: ℞. aristolochiæ sechel, id est hexagia, iiij. pyrethri, sechel, iij. piperis, sechel, ij. opij, sechel 1. mellis quod sufficit, & fiant iude pilulę compressæ ad quantitatem fabæ Aegyptiacæ ex quibus propinetur duę cum ℥. iij. vini puri. Non enim decet vt sumatur aliqua ex his medicinis simplicibus, vel compositis contra morsuram scorpionis ordinatis, nisi cum vino puro: hoc nanq; venenum est adeò frigidum, quòd sui frigiditate interficit, verùm si potus vini non permittatur, sumatur vice eius decoctio anethi, & similium, sicut dixi. De expertis etiā est, vt sechel. i. hexagium vnū thuris triti, & cribrati sumatur cum vna libra, aliàs vncia vini. Et quod experientia pręteritorum est approbatū, est vt sumatur stercus colūbi viridis coloris, & teratur, & tritū cribro valde subtili, & denso cribretur, & cū butyro vaccino, & melle incorporetur, & propinetur duo sechel ex eo ei, quē pupugit scorpio: nā mitigabit ilico dolorē, & cruciatū patiētis. Ait aūt Iohānitius quòd si ex alkitran albo. i. resina, seu gūma cedri alba, emplastretur locus morsus, quòd immediatè dolor eius mitigatur. Cap. quinto: In morsura ergo scorpionis inchoetur ab eo, quòd dictum est in cap. primo de Regimine istorum in generali. s. à ligaturis, scarificationibus, & suctionibus, & superpositione emplastrorum super morsuram, & consequēter sumātur quęcunq; prius reperta fuerint ex simplicibus medicinis, specialibus, & proprijs contra morsuram scorpionis, quarum. s. rememorationem faciā in hoc loco. Sumatur ergo foliorū melissę in potu, ʒ. iij. & fricetur hoc locus morsuræ ex eisdem. Competit etiā in proposito vt ʒ. ij. seminis boni citri propinentur in potu. Et radix quidē colocynthidis, est perutilis medicina cōtra morsurā scorpionis. maior aūt dosis eius est ʒ. ij. Expedit etiā vt ipsa trita more emplastri, superponatur morsurę recenter factę. Cap. sexto. Quicunq; morsus fue-

rit ab aliquo venenoſo, aut etiam venenum in potu aſſumpſerit, vtatur micis
panis cum oleo, & butyro, &c. Congruit etiam vt inquantum poterint vinum
bibant, & etiam cum eorum cibis miſceatur, & pręſertim in eo qui à ſcorpio-
ne morſus erit: & vinum quidem inebrians eſt eis congruum. Si etiam morſus
à ſcorpione repleretur, & reficeretur nucibus, ficubus, allijs, ruta, & vino, for-
tè mitigaretur illi dolor eius, nec alio regimine indigeret: hoc autem regimen
cõgruit cuilibet morſo, cum eis accidit frigus forte, &c. Fumus reſolutus à plu
ribus ſcorpionibus combuſtis, fugat omnes ſcorpiones ab inde.

Auicenna ſecundo ſui canonis Medicinę, tractatu ſecundo, cap. de Abſin-
thio: Abſinthiũ confert morſui ſcorpionis, &c. Et propriè cũ bibitur cũ aceto.
Cap. de Myrto: Myrtus confert morſui rutelæ, & ſimiliter fructus eius, cum po
tatur cum vino, & ſimiliter puncturę ſcorpionis. Cap. de Citro: Citri ſemen, eſt
calidum in primo, ſiccum in ſecundo. Eius pondus duarum ʒ. cum vino, & thi
le. i. ſapa. i. vino muſto cocto, quouſq; tantũ tertia pars remaneat, aliàs thure,
& aqua calida illinitum, reſiſtit venenis omnibus, & propriè veneno ſcorpio-
nis, bibitum, aut linitum. & eius cortex eſt vicinus illius. Cap. de Homine: Eius
ſputum, dum eſt ieiunus, interficit ſcorpiones, & ſerpentes. Cap. de Bedegar:
Bedegar eſt ſpina alba: confert ſi maſticatur, & ſi ponitur ſuper puncturam
ſcorpionis, attrahit venenum: & ſi bibatur ſemen eius, confert morſuræ vene-
noſorum reptilium. Cap. de Balſamo: Eius oleum confert hyoſcyamo, cum bi
bitur cum lacte, & venenoſis, & propriè ſcorpionibus. Capite de Bedarugi,
aliàs bederugi. Bedarugi, aliàs bederugi eſt ocymũ fluuiale, id eſt baſilicon fo-
liorum latorum: ponitur ſuper puncturã veſpæ & ſcorpionis, & draconis ma-
rini. Capite de Auellana: Auellana, confert venenis, & morſibus, & propriè
cum ficubus, & ruta puncturæ ſcorpionis. Capite de Saliua: Saliua fortis ope-
rationis eſt illa, quæ eſt famelici, & ieiuni, & propriè cuius complexio eſt ca-
lida: interficit venenoſa omnia, & ſerpentem, & ſcorpionem. Cap. de Cępe a-
zir: Cæpe azir eſt ſimile cæpæ muris, id eſt ſcillæ in virtute, & ſapore ſuo, & ad
miniſtratur loco eius, ſed eſt debilior eo. Confert venenis, & puncturæ ſcor-
pionis, & rutelæ bibitum, & more emplaſtri ſuperpoſitum cum miſcetur cum
ficubus. Cap. de Geloum: Geloum eſt granum pini maioris, cum ficubus, & da
ctylis, confert puncturæ ſcorpionis. Capite de Gentiana: Gentiana eſt vlti-
ma medicina puncturæ ſcorpionis, & pondus ʒ. ij. ex ea cum vino, confert pun
ctur ę omnium vermium venenatorum, &c. Capite de Polio montano: Po-
lium montanum, confert puncturę ſcorpionis, & decoctio maioris, morſui
vermium venenatorum omnium, & ex eo ſuffumigatur, & ſternitur, & fu-
gat venenoſa minora. Capite de Locuſtis: Locuſtæ groſſæ, quæ alas non ha-
bent, aſſantur, & comeduntur propter puncturam ſcorpionis. Cap. de Cinna-
momo: Cinnamomum confert morſui vermium venenoſorum, & fit ex eo em
plaſtrum cum myrrha puncturæ ſcorpionis. Cap. de Dirungi. i. doronico: Di-
rungi, id eſt doronicũ eſt herba lignea radicalis, cuius quãtitas eſt nodus pol-
licis vſq; ad extremum manus, & minus habens quod eſt interius album, &
quod eſt exterius cinericium declinans ad duritiẽ, & grauitatem: confert vene
nis, & puncturæ vermium venenoſorũ, & ſcorpioni, & rutelę bibita, & empla-
ſtro facto ex ea cum ficubus. Cap. de Endiuia: Endiuia, quãdo ponitur empla-
ſtrum cum radice ſua ſuper puncturam ſcorpionis, & vermium paruorum ve-
nenoſorum, &c. confert, & ſimiliter cum ſauich. Cap. de Stercore: Stercus aſi-
ni paſcentis ſiccum cum vino, puncturę ſcorpionis eſt valde bonum. Cap. de
Ariſtolochia: Ariſtolochia confert puncturæ ſcorpionis, & propriè lõga. Qui-
dam autem dixerunt cùm ex longa bibuntur, ʒ. ij. cũ vino, aut fit ex ea empla-
ſtrum, confert puncturæ vermium venenoſorũ, & venenis. Cap. de Amomo:
Em-

Emplastrum factũ ex amomo cum bedarugi. i. ocymo, seu basilicone fluuiali, valet puncturæ scorpionis. Cap. de Assa: Assa ponitur super morsum canis rabiosi, & vermium venenosorum, & propriè scorpionis & rutelæ: & confert omnib. illis bibita. Cap. de Colocynthide: Radix eius est ex medicinis magis iuuantibus ad puncturam scorpionis. Et quidam iam narrauit quòd ipse vni Arabum iam dedit in potu, quẽ scorpio in quatuor locis pupugerat drachmam ex ea, & sanatus est statim, & similiter confert epithema factum ex ea. Capite de Acetosa: Acetosa confert puncturæ scorpionis, & propriè syluestris. Et si administretur semen eius ante puncturã scorpionis, non nocebit ei punctura. Capite de Andachocha: Andacocha, id est trifolium ex ea est alia syluestris, & alia est domestica, & alia est Aegyptiaca: Quando aspergitur aqua eius super puncturam scorpionis, sedat dolorem statim. Et si aspergatur super membrum sanum, excitat mordicationem, & dolorem. & eius semen est fortius in curatione scorpionis. Cap. de Taraxacon: Taraxacon, id est endiuia syluestris, seu cichoreum seu grugnum porcinum, resistit venenis. Et ex ea fit emplastrum ad puncturas, & propriè ad puncturam scorpionis. Cap. de Apio Cum scorpio pungit comedentem simurion, aliàs semurion, aliàs smirinon, id est vna species apij sic nominata, fortior fit res propter illud. Capite alio de saliua: Saliua resistit venenis: & cum ieiunus expuit super scorpionem multotiens moritur. Capite de Carne: Caro arietum adusta, confert morsibus serpentum, & scorpionum, & alierarat. Capite de Maiorana: Ex maiorana cum aceto, fit emplastrum ad puncturam scorpionis. Cap. de Mumia: Mumia confert ad scorpionem kerates, id est 4. grana cum vino puro, & ad puncturam eius kerates cum butyro vaccino. Capite de Myrrha: Myrrha datur ad bibendum ad puncturas scorpionum cum vino. Capite de Sale: Fit ex sale emplastrum cum semine lini ad puncturam scorpionis. Capite de Furfure: Furfur confert puncturæ scorpionis, & serpentis more emplastri superpositus. Capite de Ameos: Decoctio ameos, effunditur super mordicationem scorpionis, & sedat. Capite de Cancro fluuiali: Cancer fluuialis confert morsui scorpionis, & rutelæ more emplastri superpositus, & comestus: & existimauerunt etiam quòd quando cum bedarogi, id est basilicone fluuiali seu latorum foliorum approximat scorpioni, moritur scorpio. Capite de Lilio: Lilium confert puncturæ vermium venenosorum propriè scorpionis: ipsum & succus eius & syrupus eius, & semen ipsius bibita, conferunt omnibus puncturis. Capite de Semabras, id est salamandra: Semabras, id est salamandra finditur, & ponitur super puncturam scorpionis. Cap. de Pisce: Capita sumeros, id est piscium taliter nominatorum salitorum adusta ponuntur super morsum canis rabiosi, & puncturam scorpionis, & conferunt. Capite de Calamento: Calamentum quando bibitur, aut fit ex eo emplastrum, confert puncturæ vermium venenosorum, & approximat liniri ex illo operi cauterij: & syluestre, est bonum puncturę scorpionis. Capite de Raphano: Si ponatur frustum eius super scorpionem, moritur, & aqua eius est experta in hoc. Et si momorderit aliquem scorpio, qui raphanum comedit, non nocebit ei. Capite de Mure: Conuenerunt omnes in hoc, quòd mus quando scinditur, & ponitur super puncturam scorpionis sanat eam. Cap. de Cordumeni: Cordumeni confert mordicationi scorpionum. Capite de Arundine: Arundo confert mordicationi scorpionis. Cap. de Carthamo: Conferunt folia syluestris carthami, aut fructus eius, aut amborum commistio, quando in potu tribuuntur cum vino ad puncturam scorpionis. Quidam autem homines dixerunt, quòd si morsus tenuerit in ore suo folia syluestris carthami, & fructum eius, non sentiet dolorem, & quando à se ea proiecerit redibit dolor.

Capite de Galbano:Galbanum eſt theriaca,quando bibitur cum vino vene-
nis ſerpentum & ſcorpionum. Capite de Rehan ſalamonico:Rehan ſalamo-
cum linitur ſuper mordicationem ſcorpionis. Capite de Roba:Roba eſt auel-
lana Indica:eſt theriaca morſui ſcorpionum & rutelæ, & quidam ſtudent ad
hoc,vt ſumant de cortice eius ſuperiore ſicut lens,& proijciant in fixurã pun-
cturę.Capite de Chamat:Chamat,aliàs alchamat:Inquit filius Alpatrich:Eius
fel exiccatur in vaſe vitri in vmbra: & quidam dixerunt quòd expertum fuit
ad venenum ſcorpionis,& ſerpentis,& veſpæ maioris, & iuuit.& videtur mi-
hi quòd liniendo factum eſt. Cap.de Sceha:Sceha, id eſt abſinthium, cuius
duę ſunt ſpecies:eius oleum confert puncturæ ſcorpionis, & rutelæ,& vene-
nis.Cap.de Fico:Fici lac,cõfert puncturę ſcorpionis inunctũ,& ſimiliter rute-
lę.Cap.de Lactuca:Lactuca ſylueſtris datur in potu morſui rutelę,& ſcorpio-
nis.Cap.de Aſphodelo:Quando dantur ab bibendum fructus, & flos eius in
vino,confert magnificè mordicationi ſcorpionis, & habentis xliiij. cum hoc
quod ſoluit.Capite de Strangulatore leopardi:Strangulator leopardi dicitur,
quando apropinquat ſcorpioni,congelat eum. Capite de Lauro:Laurus con-
fert mordicationi ſcorpionis cum vino, & arob.i.rob.i.ſapa.

Auicenna 4 canone,fen ſexta.tractatu 3.cap. de Effugatione ſcorpionum,
& interfectione eorum. Scorpiones interficit ſputum ieiuni calidæ comple-
xionis ſuper eos proiectum, & raphanus maſticatus: & ſuccus eius cum tan-
git eos, & folia ipſius, & ſimiliter albedarogi,id eſt baſiliconis latorum folio-
rum.Suffumigium educens ſcorpiones.Sumantur ſtyracis, arſenici, ſtercoris
ouium, adipis zirbi ouium, an. partes æquales, diſſoluatur cum vino, &
miſceantur cum eo medicinæ, & fiat ſuffumigatio apud foramen ſcorpio-
num. Et quando ponitur raphanus inciſus ſuper foramen ſcorpionum non ti-
metur quòd ęgrediantur ex eo. Et ex ſuffumigationibus ad ſcorpiones ipſos
eſt, cum fit ſuffumigatio ex ipſis, & ſimiliter arſenicum. Tractatu quinto ca-
pite de Punctura ſcorpionis,&c. Curetur per canones communes, & per va-
porationes cum eis,quæ ſunt ſicut ſal,& millium, & ſimilia. Et primum quod
facis,eſt ſuctio cum conditionibus ſuis,& reliqua,quę dicta ſunt in attractio-
ne.Et adminiſtrentur ſuper ipſum medicinę acutæ,ſubtiles velocis inflamma-
tionis,ſicut ſunt allia, & aſſa, & pyrethrum: verùm ſtercus eſt de melioribus
medicinis ei. Et ſimiliter eſt auellana Inda.i.roba,& omnis auellana, & herba,
cuius folia ſunt quaſi folia ſampſuci expanſa ſuper terrã ſecundum rotundita-
tẽ,cuius diametrũ eſt vnius palmi,& in ſapore eius eſt viſcoſitas, cuius guſtus
eſt ſicut guſtus anabac recẽtis,& bibitur cũ aqua,& ſedat dolorem ſtatim. Et
dixerunt iterum,herbas,& arbores cum nominibus ſuis, quas ego non noui.
Et iterum arbor cuius crus eleuatur ſuper terram quantitate vnius digiti: dein
de naſcũtur virgę æquales,quę eleuantur quãtitate vnius cubiti: & apparet ſu-
per eas res ſicut balla,cuius ſapor eſt ſicut ſapor in quo dactyli naſcũtur,cuius
potus ſedat dolorem ſtatim.Et nabi Barbari ſunt vltimi in hoc:& cæpa ſcillæ,
eſt mirabilis in hoc,quando comeditur.Et cõferunt ei theriaca magna, & mi-
thridatum & theriaca Eſdræ,& theriaca diateſſaron,& ſagzenea, & medica-
men de aſſa:& eſt bonũ medicamen ei.Et vitis alba,& alharmel. i. vna ſpecies
rutę,eſt ex eis,quę experta ſunt nunc.Et carthamũ cãpeſtre ſecundũ quòd te-
ſtatur Galenus,ſi retinuerit ipſum,ſedat dolorẽ,& de ſpeciebus carduorũ pun-
gitiuorũ. Et dixerũt quidã:Si in potu detur de napello quãtum eſt granũ vnũ
ſeſami,ſedat dolorẽ eius ſubitò,& nõ interficit:quoniã interficiens eſt vſq; ad
ʒ.s. Et de medicinis bonis ſunt allia bibito vino ſuper ea poſt horam, & pro-
priè quando eſt cũ æquali quantitate nucũ: & comeditur de ambobus circiter
ʒ.1,aliás ℥.1,Et oportet poſt acceptionem alliorũ & vini,vt pręparẽtur in loco

vehementis æſtus. Et ſi ingenietur, vt eius præparatio ſit ſupra vaporem aquæ
calidæ, erit iuuatiuum. Et intentio quidem in hoc eſt, vt ſudet. Et intentio in
hoc vt ſudet, eſt mouere materias ad exteriora. Et ſudare in balneo, eſt vehe-
mentis iuuamẽti ei: & cum mouetur, bibat vinum purum. Theriaca bona: Ari
ſtolochia longa, gentiana, baccæ lauri, cortex radicis capparis, radix colocyn-
thidis, abſinthium, nabati, venę citrinæ. i. radices chelidoniæ, vitis alba, aggre-
gentur cum melle. Alia bona: Seminis rutæ campeſtris, cymini Aethiopici, ſe-
minis andacochæ. i. trifolij, omnium, an. partes æquales, aceti quantũ ſufficit,
ad conficiẽdum gummi quantum cõglutinet acetũ, & aggreget medicinas, &
ſit doſis eius aur. 1. & non addatur ſuper illud: quoniã in eo eſt timor, imò ſi ne
ceſſariũ eſt poſt horã aliã addere, detur in potu aur. ſem. alius. Theriaca alia: ℞.
alliorum, & nucũ, amborum, an. par. 1. foliorũ rutæ ſiccæ, & altit. i. aſſæ fœtidæ,
& myrrhę, omnium an. par. ſemis, cõficiãtur cũ lacte. & ſit doſis eius ʒ. iij. cũ vi-
no. Theriaca bona ei: Caſtorei, piperis albi, myrrhæ, opij, an. cõficiantur, & in-
formẽtur trochiſci. doſis ſit tres oboli. i. grana ordei, xxxvi. cũ ℥. iiij. vini. Et con
fert iterum morſui rutelæ. Et iterum opopanacũ, myrrha, galbanum, caſtoreũ,
piper album, conficiantur cum ſtyrace & melle cum æqualitate. Et medica-
men exercituale, cuius confectio eſt hęc: ℞. radicis colocynthidis, radicis cap
paris, abſinthij, ariſtolochię lõgæ, taraxacon. i. cichorei, omnium, an. partes ę-
quales, cuius doſis ſit pueris tertia pars drachmę, vnius & magnis. Eſt enim
vltima mirabilis, cui non eſt par. Et ex medicinis eſt altit. i. aſſa, & iterum vitis
alba, & iterum, cordumeni pondus ʒ. ij. cum vino, & cyperi, & grana myrti, ex
albedarogi. i. baſilicon fluuialis ſeu latorum foliorum, & ſemen eius, & ſemen
acetoſæ campeſtris, & taraxacon, id eſt cichoreum, & endiuia, & ſerapinum
bibitum & linitum, & calamentum campeſtre, & cancer fluuialis, ſi bibitur
cum lacte aſinino. Et Arabes quidem dant in potu pondus ʒ. 1. de radicibus co
locynthidis: & confert ei iuuamentum viſibiliter. Et quidam experti ſunt ſa-
lem. ſ. ſalem maſſę, quando ex eo ſumitur quantum planta manus capit. Et exi
ſtimauerunt quidam quòd aluſuen viridis. i. planta ſimilis vermiculari in litto-
ribus maris naſcẽs, ex qua cõbuſta fit cinis vocatus kali ſeu alkali, ex quo fit vi-
trũ quando conficitur cũ butyro cocto vaccino poſt contritionem & cribella
tionem: & ſumuntur ex eo propè aur. ij. eſt maximi iuuamenti. Et ei qui come-
dit raphanum, & albedarogi non nocet ſcorpio. Et locuſta quæ non habet a-
las magni corporis, quæ nominatur hercul, cum exiccatur & bibitur cum vino
cõfert. Inquit Fidelis: quòd ſi in potu dẽtur morſis ab eo opium & ſemen hyo-
ſcyami albi æquali menſura confecta cum melle conferunt. Et exiſtimauerunt
quidam quòd encauſtrum Indum, iuuatiuum eſt bibitum, ſicut cõfert linitum.
Et agaricũ eſt mirabilis iuuamenti: & fructus aſphodeli, & flos eius, & baccæ
lauri propriè, & ſemen andacochę. i. trifolij, & folia raphani, & kemet, & paſti-
nacę ſiue bautiarum, & iterum ariſtolochię, nigellæ, radicis opopanaci, & ſe-
minis harmel. i. rutę montanę ſiue cãpeſtris partes ęquales. cuius doſis ſit aur.
ij. cũ vino. Et iterũ pyrethri, ariſtolochiæ, & bautiæ, an. par. 1. piperis pars ſem.
maroch. i. marrubij, ſiue praſij, quarta par. vnius, cuius doſis ſit ſicut faba vna.
Et iterum ariſtolochiæ longæ, & pyrethri partes æquales. conficiantur cũ mel
le. cuius doſis ſit, ʒ. ij. cum vino. Et iterum myrrhę, opopanacis, opij, partes ę-
quales, vitis albæ, partes iiij. fiant, ex eis trochiſci. Et iterum corticis ariſtolo-
chiæ longæ, radicis pyrethri, an. pars 1. detur in potu quãtitas neceſſaria. Et di
xerunt quidam: Sumantur fæcis vini ʒ. vi. ſulfuris citrini, ʒ. viij. ſeminis rutæ, ʒ.
iij. caſtorei, ſeminis erucæ, an. ʒ. ij. aggregẽtur cũ ſanguine teſtudinis marinæ.
doſis ſit ʒ. 1. cum ℥. v. vini. Epithemata, & emplaſtra: Scorpio ipſe eſt de empla
ſtris bonis ad ſcorpionem, & cauda eius iterum. Et iterum planta quæ dicitur

planta ſcorpionis propter ſimilitudinem quam habet cum eo.i.ſecundũ Dioſ
coridem ſcorpiodes,quanuis ipſa ſtupefaciat illud quod cum eo emplaſtratur
in diſpoſitione ſanitatis,& mortificat ſanguinem in eo,ſecundum quòd exiſti
mant quidã Iudæorum.Et mus,cũ finditur & ponitur ſuper puncturam ſcor-
pionis,iuuat cum communitate,& ſimiliter rana. Et nos quidem iam experti
ſumus encauſtrum Indum liniẽdo:& contulit & ſedauit dolorem. Et lac ficuũ
immaturarum,& caſtoreũ, & anacardus,vt quidã dicunt, eſt mirabilis in hoc
ſedans dolorẽ: & alkali.i.cinis ex quo fit vitrũ,eſt bonum: Et ſulfur viuum cũ
gumma pini,aut glutine albotin.i.terebenthina: Et caro piſcis ſalita,& allia de
cocta,& butyrum coctum ponantur calida. Et iterum ſemen rutæ, aut ſemen
altheæ,aut ambo cum ſale:& iterum ordeum cum ſucco rutæ,aut decoctione
eius:Et iterum furfur tritici decoctum cum fimo columbino. Et albedarogij
.i.baſilicon fluuialis,ſeu latorum foltorum eſt de epithematibus bonis ſedans
dolorem ſtatim.Et ſimiliter ſunt radices colocynthidis,& taraxacon.i. cicho-
reũ,& endiuia.Et amomum cum albedarogi epithematum eſt bonum:& ſam-
pſucus ſiccus.i.maiorana ſicca.Et iterum ſal vrinę eſt ex medicinis poſtquã nõ
eſt ei iuuamentum.Et ex eis quę cõferunt ei eſt vt teneat morſum ſuper vapo
rem calidum prouenientem à lapide ignito.Et ex embrocis eius,eſt decoctio
furfuris,& decoctio vrticæ:& decoctio chamęmillæ eſt mirabilis, & aqua ma
ris calefacta,& ſuccus andacochæ.i.trifolij,aut decoctio eius,eſt mirabilis: &
oleum in quo decoctus eſt ſtellio,cum diſtillatur ſuper morſum calidum, eſt
mirabilis iuuamenti:& napta alba calefacta,eſt mirabilis.

Auicẽna quinto canone,ſumma prima,tractatu primo,cap.primo. ſ.de the
riaca.Hęc theriaca eſt ſublimior medicinarũ compoſitarum, & melior earum
propter multitudinẽ ſui iuuamenti,& propriè in venenis quæ ſunt in punctu-
ris ſicut ſerpẽtum,& ſcorpionis,& canis rabioſi,&c.Cap. de Confectione mi
thridati nobilis: Cõfectio mithridati nobilis, eſt cõfectio quã fecit Mithrida-
tes rex,& c.Fuit ergo theriaca magna in multitudine iuuamenti:verùm theria
ca magna eſt magis iuuatiua ipſo in re vna,& eſt venenũ ſerpẽtium:in reliquis
verò rebus non minuitur mithridatũ à theriaca diminutione de qua ſit curan-
dũ:imo eſt magis additi in pluribus earũ iuuamẽti & cõfidẽtioris vtilitatis. &
nõ prolongemus ſermonẽ in numero illorũ iuuamentorum quoniã ipſa ſunt
illa prædicta quæ ſunt theriacæ,& ſit doſis copioſior parumper. Cap.de The-
riaca diateſſaron:Theriaca diateſſaron:℞.gentianæ Romanę,baccarum lauri,
ariſtolochiæ longę,myrrhę,an.partes ęquales:terãtur, & conficiantur cũ mel-
le deſpumato ſecundũ quantitatem ſufficientiæ.cuius doſis ſit aur.1 cum aqua
calida,& hæc theriaca confert puncturis ſcorpionũ & aranearũ & ęgritudini-
bus frigidis,&c.Cap.de Diaſulfure:Diaſulfur,fortaſſe hæc medicina æquatur
theriacæ,& confert ad puncturam ſerpentium,& ſcorpionũ iuuamentũ mani
feſtum,&c.Cap.de Confectione diaaſſa:Confectio de aſſa,expellit nocumen
tum puncturæ propriè ſcorpionis, & rutelæ, & quæ ſunt ſicut illa duo:cuius
permiſtio:℞.aſſæ,piperis,myrrhę,& foliorum rutæ partes æquales: confician
tur cum melle.cuius doſis ſit pondus ʒ.1.aliàs ℥.1.in punctura ſcorpionũ cũ vi-
no. Auctor pręſentis operis:Deſcriptio diaſulfuris, poſita eſt ſuperius in no-
no cap.primi lib.auctoritate Auicen.loco pręallegato.

Auerroes quinto Colliget cap.de Narratione medicinarũ abſolutè,& earũ
operationibus.Polium montanum habet duas ſpecies. & dictum eſt quòd va
let contra morſum ſcorpionis.Cap.de Narratione particularium operationũ
medicinarum ſimplicium,quæ à Galeno teſtificatæ non ſunt.Lapis albezaard
eſt valde manifeſti iuuamenti omnibus ſpeciebus venenorum,& propriè mor
ſui ſcorpionis:& eius doſis eſt quarta pars aurei vnius.

Plinius

Plinius Secundus de Naturali historia lib. 20 cap. de Cucumere agresti, seu asinino: Aliqui etiam ab eo scorpionũ cucumerẽ vocant, efficacissimũ contra scorpionũ ictus, & semine & elaterio, & ad purgandũ vterum aluosq;. Modus portione virium à dimidio obolo. i. pondere sex granorum ordei, ad solidum .i.3. 1. semis, copiosius necat. Cap. de Raphano syluestri, & satiuo: Cæterum scorpionibus aduersatur, vel ipso, vel semine: infectis manibus impune tractabis: impositoq; raphano scorpiones moriuntur. Cap. de Pastinaca erratica: Semen satiuæ pastinacæ, contra scorpionum ictus ex vino aut posca salutare est. Capite de Cæpa syluestri: Traduntur sanare canis morsus virides cæpe siluestres ex aceto illitæ, aut siccę cum melle & vino, ita vt post diem tertium soluantur. Sic & tritæ sanant. succum plagis bestiarum omniũ priuatim scorpionum, instillant. Cap. de Porro satiuo: Succus ad serpentiũ scorpionumq; ictũ in potu bibitur cum mero. Cap. de Allio: Allio magna vis, &c. Serpentes abigit & scorpiones odore. Cap. de Lactuca: Serpentium ictibus medetur. In vino potus succus, & folia tosta, thyrsiq; triti ex aceto bibũtur. Vulneri illinuntur maximè contra scorpionum ictus. Semen satiuarum lactucarum contra scorpiones dari inuenio. Cap. de Olusatro: Olusatrũ, quod hipposelinũ vocãt aduersatur scorpionibus. Cap. de Ocymo: Ocymum quoq; Chrysippus grauiter increpuit, dicens insaniam facere, & lythargos, &c. Adijciunt quidam tritum, si operiatur lapide, scorpionem gignere: comanducatum & in sole positum, vermes afferre. Afri verò, si eo die feriatur quispiam à scorpione, quo ederit ocymum, sanari non posse. Quinimo tradunt aliqui manipulo ocymi cum cancris decem marinis vel fluuialibus trito, conuenire ad id scorpiones ex proximo oẽs. Secuta ætas acriter defendit. Nec minus quàm mẽtham & rutã scorpionũ terrestriũ ictibus marinorumq; venenis mederi ex vino, addito aceti exiguo deprehendit. Capite de Ocymo syluestri: Syluestri ocymo vis efficacior ad eadem omnia: bestiarum morsui radice efficacissima. Capite de Eruca: Erucæ semen scorpionum venenis & muris aranei medetur. Capite de Nasturtio: Nasturtium dicitur serpentes fugare, scorpionibus resistere, &c. Capite de Ruta: Quæcunque autem ruta siue in potu siue in cibo valet contra scorpionum ictus, &c. Acetabuli mensura succus ex vino bibitur. & folia trita vel commanducata imponuntur cum melle ac sale, vel cum aceto, & pice decocta. Succo verò perunctos aut eam habentes, negãt feriri ab his maleficijs. Capite de Pulegio domestico: Ad scorpionum ictus in vino tritum sumitur. Capite de Syluestri pulegio: Syluestri pulegio ad eadem efficacior vis est. Cum sale vtile est contra scorpiones, &c. Cap. de Syluestri cymino: Cyminum syluestre valet ad serpentes cum oleo, ad scorpiones & ad scolopendras. Cap. de Ammi: Est cymino simillimum, quod Græci vocant Ammi: Mitigat cum lini semine scorpionum ictus, vino potum drachmis duabus. Cap. de Cunila: Tertium genus cunilæ, quæ à Gręcis mascula, à nostris cunilago vocatur, odoris fœdi, folio aspero est. Priuatim eam aduersus scorpiones ex posca pollere aiũt. Cap. de Origano: Origanũ contra araneos scorpionesq; in vino albo bibitur. Cap. de Gith: Gith vt Gręci, alij melanthiũ, alij melaspermon vocant, medetur serpentium plagis, & scorpionũ. Illiniri ex aceto, & melle reperio. Cap. de Aniso: Anisum aduersus scorpiones ex vino bibitur, à Pythagora inter pauca laudatũ, siue crudũ siue decoctum. Capite de Papauere, Opium ex vino meraculo, si protinus detur, scorpionũ ictibus resistit. Aliqui hoc tantũ nigro tribuunt, si capita eius, vel folia terãtur. Cap. de Malua: In magnis laudibus malua est vtraq;, & satiua, & syluestris. Huic contra oẽs aculeatos ictus efficacior vis, præcipuè scorpionũ, vesparũ, similiũq;, & muris aranei.

Quin & trita cũ oleo qualibet earum peruncti an. vel habẽtes eas nõ feriũtur.
Folium impoſitum ſcorpionibus torporẽ affert. Aculeos omnes extrahunt illi
tæ crudę cum nitro. Cap. de Althæa: Althęę in omnibus ſupradictis efficacior
radix. Cap. de Lapatho: Syluestria ſcorpionum ictibus medẽtur, & ferire pro-
hibẽt habẽtes. Cap. de Sinapis tribus generibus: Sinapi, cuius in ſatiuis tria ge-
nera diximus, ad ſerpẽtium ictus & ſcorpionũ tritũ cũ aceto illinitur. Cap. de
Serpyllo: Serpyllũ aduerſus ſerpẽtes efficax eſt maximè ceraſtes & ſcorpiões,
decoctis ex vino ramis folijsꝗ. Cap. de Blito: Blitũ dicitur aduerſus ſcorpio-
nes potũ ex vino prodeſſe. Cap. de Fœniculo: Satiuũ prodeſt ad ſcorpionũ i-
ctus & ſerpentiũ, ſemine in vino poto. Hippomarathrũ ad omnia vehemẽtius
quã domeſticũ. Lib. 21. cap. de Cypero: Radix cyperi aduerſus ſerpentiũ ictus
& ſcorpionũ præſenti remedio eſt. Cap. de Violis ſylueſtribus: Semẽ violę ſyl
ueſtris purpureę ſcorpionibus aduerſatur. Cap. de Crocogmate: Crocomag-
ma cõtra ſcorpiones duarũ drachmarũ põdere cũ pane vel aqua ſumitur. Cap.
de Chryſocome: Apes nullo magis gaudẽt flore: copia iſtius examina facillimè
cõtinentur. Præſtãtiſſimũ eſt cõtra ictus earũ, &c. itẽ ſcorpionũ. Cap. de Trifo-
lio: Trifoliũ ſcio credi præualere cõtra ſerpentium, & ſcorpionũ ictus ex vino,
aut poſca ſeminis granis, xx. potis, vel folijs, et totam herbã decoctam. Cap. de
Abrotano: Abrotanum duorum traditur generum, campeſtre, ac montanũ.
Serpentes fugat. Contra ictus eorum bibitur cum vino, illiniturꝗ efficaciſſi-
mum contra ea quorum veneno tremores, & frigus accidunt, vt ſcorpionum,
& phalangiorum, &c. Cap. de Sampſucho: Sampſuchum ſiue amaracum, ſcor
pionibus aduerſatur ex aceto ac ſale illitum. Cap. de Hyacintho: Contra ſer-
pentes & ſcorpiones morbumꝗ regium ſemen eius cum abrotano datur è vi
no. Sylueſtris eadem duabus drachmis ſcorpionibus tam contraria, vt omni-
no viſa ea torpeſcant. Capite de Corcoro: Corcorum Alexandrini cibi herba
eſt, conuolutis folijs, ad ſimilitudinem muris. Conſtat à ſcorpione percuſſum,
quandiu tenuerit eam herbam, non ſentire cruciatum.

Libro 22 cap. de Vrtica: Semen eius ſiccum Apollodorus aduerſari ſerpen
tibus, & ſcorpionibus aſſerit. Capite de Scorpio herba: Ex argumento accepit
nomẽ ſcorpios herba: Semẽ enim habet ad ſimilitudinẽ caudę ſcorpionis, fo-
lia pauca. Valet aduerſus animal nominis ſui. Cap. de Chamęleone: Chamęle-
onẽ aliqui ixion vocãt: duo genera eius. Omnium aũt generum earũ radices,
ſcorpionibus aduerſantur. Cap. de Heliotropio: Serpẽtibus & ſcorpionibus
reſiſtit ex vino, aut aqua mulſa, id quod helioſcopiũ vocãt, vt Apollodorus tra
dit. Alterũ genus, quã tricoccũ appellauimus, & alio nomine ſcorpiuron voca
tur. ſemẽ habet effigie ſcorpiõis caudę: vñ nomẽ. Vis ei ad omnia venenata, cõ
tra phalãgia, & ſcorpiones pręcipuè illita. Nõ feriuntur habẽtes, & ſi terrã ſur
culo heliotropij circũſcribat aliquis, negat ſcorpionẽ egredi: impoſita verò her
ba, aut omnino reſperſum, protinus mori. Cap. de Aſphodelo: Nicãder cõtra
ſerpẽtes ac ſcorpiões vel caulẽ vel ſemẽ vel bulbos dedit in vino tribus drach
mis, ſubſtrauitꝗ ſomno cõtra hos metus. Cap. de Sõcho: Sonchus albus bibi-
tur cõtra ſerpentes ſcorpionesꝗ. Cap. de Laſere: Laſer è ſylphio profluens, in
ter eximia naturę dona numeratũ. Circũlinitur ſcorpionũ tãtũ plagis ex oleo,
vlceribus verò nõ matureſcẽtibus cũ farina ordeacea, vel fico ſicca. Capite de
Zea: Zea, ex qua alican fieri diximus, efficacior etiã ordeacea videtur, ex vi-
no rubeo. Ad ſcorpionũ ictus tepida, & ſanguinem excreantibus confert. Li-
bro 23 cap. de Vitibus: Cinis vitium perſanat ſcorpionũ, & canum plagas cum
oleo. Capite de Vino: Merum remedio eſt contra ſerpentum ſcorpionumꝗ
ictus, contráque omnia quæ refrigerando nocent. Cap. de Aceto vini vitium:
Potũ medetur ſcorpionum ictibus, contraꝗ omnium aculeorũ venena. Cap.
de

de Malis punicis: Cityni ſiccati aduerſantur ſcorpionibus. In hoc ipſo cytino floſculi ſunt, antequam malum ipſum prodeat, erumpentes, quos balauſtium vocari diximus. Hos quoque inuenerunt ſcorpionibus aduerſari. Cap. de Fico: Lactis ficulnei natura aduerſatur priuatim ſcorpionum ictibus. Capite de Siccis ficubus: Siccæ ficus ſcorpionum ictibus cum ſale tritæ illinuntur. Cap. Caprifico: Cauliculi groſſi eius ad ſcorpionum ictus è vino bibuntur. Lac quoque inſtillatur plagæ, & folia imponuntur. Cap. de Moris: Mora trita, aut arida decocta, ſerpentis ictibus imponũtur. Aduerſatur ſcorpionibus è radice corticis ſuccus ex vino, aut poſca potus. Cap. de Lauro: Baccæ aduerſus ſcorpiones quaternæ ex vino bibuntur. Cum vino ſerpentibus, et ſcorpionibus, et araneis reſiſtunt. Quidam aduerſus ſcorpionum ictus x. baccas dari iubent potui. Capite de Myrto ſatiua: Myrtus ſatiua candida, minus vtilis eſt medicinæ, quàm nigra. Semen eius imponitur cõtra ſcorpionis ictus in mero. Lib. 24. capite de cerro: Radix cerri, aduerſatur ſcorpionibus. Cap. de Cupreſſo: Ramenta pota, ſcorpionum ictibus aduerſantur. Cap. de Galbano: Serpentes fugiunt perunctos galbano. Medetur & à ſcorpione percuſſis. Cap. de Chamæpity: Omnes ſpecies chamępityos, proſunt aduerſus ſcorpionum ictus. Cap. de Platano: Aduerſantur pilulæ earum in vino potæ iiij. ʒ. pondere, omnibus ſerpentum & ſcorpionum venenis. Cortex è vino, ſcorpionum ictus reſtinguit. Cap. de Spina alba: Spinæ albæ ſemen, cõtra ſcorpiones auxiliatur. Cap. de Rubo: Aduerſantur flos, aut mora ſcorpionibus. Cap de Chamęcypariſſo: Chamæcypariſſos herba ex vino pota, contra venena ſerpentium omniũ ſcorpionumq́ pollet. Cap. de Nodia herba: Efficaciſſimã aduerſus ſcorpiones potã ex vino aut poſca reperio. Lib. 25. ca. de Ebulo: Ebuli quoq; quẽ nemo ignorat, fumo fugantur ſerpentes. Priuatim aduerſatur ſcorpionibus polemoniæ radix, vel alligata tantũ ſcorpionibus ariſtolochia. Agaricũ obolis iiij. in vini miſti cyathis totidem. Cap. de Verbaſco: Contra ſcorpiones bibitur radix cũ ruta ex aqua. Cap. de Theliphono: Teliphonõ herba ab alijs ſcorpion vocatur, ꝓpter ſimilitudinem radicis, cuius tactu moriuntur ſcorpiones: itaq; cõtra eorum ictus bibitur. Scorpionem mortuum ſiquis elleboro candido liniat, reuiuiſcere aiunt. Theliphonon, omnem quadrupedem necat, impoſita verendis radice: folio quidem intra eundem diẽ, quod eſt ſimile cyclamino. Scorpionibus aduerſatur. & vetonicæ ſuccus ac plantaginis. Cap. de Semperuiuo: A ſcorpionibus feriri id habentem negant. Lib. 26. cap. de Saluia: Contra ſcorpiones ſaluia & dracones marinos efficax. Lib. 27. cap. de Aconito: Scorpionum ictibus aduerſatur aconitum datum in vino calido. Ea eſt natura, vt hominem occîdat, niſi inuenerit quod in homine perimat. Cum eo ſolo colluctatur, velut pari intus inuento. Sola hęc pugna eſt, cum venenum in viſceribus reperit. Mirumq́ exitialia per ſe ambo cũ ſint, duo venena in homine commoriuntur, vt homo ſuperſit: imò verò etiam ferarum remedia antiqui prodiderũt, demonſtrando quomodo venenata quoq; ipſo ſanarentur. Torpeſcunt ſcorpiones aconiti tactu, ſtupentq́ pallentes, & vinci ſe cõfitentur. Auxiliat̃ eis elleborũ albũ, tactu reſoluente, ceditq́ aconitũ duobus malis ſuo hominumq́. Cap. de Alga: Alga ruaſ ſcorpionũ ictibus medeť. Cap. de Abſinthio: Abſinthij genera plura ſunt: aduerſatur ſcorpionibus. Cap. de Cucubalo: Cucubali folia trita cum aceto, ſerpentium ictibus & ſcorpionum medentur. Cap. de Phalangite: Phalangitis folio, vel flore, vel ſemine, auxiliatur contra ſcorpionum ictus. Cap. de Proſerpinata: Proſerpinata eſt eximia aduerſus ſcorpiones remedio. Libro 28. cap. de Quibuſdam ſortilegijs, & de ſaliua hominis. Excepit fidem impudens cura, qua ſordes virilitatis, i. ſaliuam hominis, contra ſcorpionum ictus ſingularibus remedijs celeberrimi auctores clamãt. Cap. de Vrina: Magna et vrinæ

non ratio ſolùm, ſed etiam religio apud auctores inuenitur: verùm ex his quæ
referre fas ſit, impubium puerorum ſcorpionum ictibus illinitur, &c. Cap. de
Medicinis ex leporibus: Coagulo leporis ex aceto contra ſcorpionem vtun-
tur. Aiunt autem non feriri leporis coagulo perunctos. Percuſſis à ſcorpione
fimum capræ efficacius cum aceto decoctum auxiliatur. Quin etiam ſi quis a-
ſino in aurem dixerit, percuſſum ſe à ſcorpione, tranſire malum protinus tra-
dunt. Et fimo vituli ſuffiri percuſſis à ſcorpione prodeſt. Lib. 29. cap. de Reme
dijs aduerſus puncturas ſcorpionum: Scorpionibus contrarius maximè inui-
cem ſtellio traditur, vt viſu quoq; pauorem his afferat, & torporem frigidi ſu-
doris. Itaq; in oleo putrefaciunt eum, & eo vulnera perungunt. Quidam oleo
illo ſpumam argenteam adijciunt ad emplaſtri genus, atq; ita illinunt. Prodeſt
& gallinaris fimi illitus cinis, draconis iecur, lacerta diuulſa, mus diuulſus, ſcor
pio ipſe ſuæ plagæ impoſitus, aut aſſus in cibo ſumptus, aut potus in meri cya-
this duobus, id eſt ʒ. iij. Proprium eſt ſcorpionum, quòd manus palmam nō fe
riunt, nec niſi piloſa tangūt. Lapillus qualiſcunq; ab ea parte, qua in terra erat,
appoſitus, plagę leuiat dolorem. Non debet reſpicere qui imponunt: etiam ca
uere ne ſol aſpiciat. Vermes terreni triti impoſiti proſunt. Lib. 31. cap. de Natu
ra ſalis, & eius medicinis: Auxiliatur aduerſus ſcorpionum ictus cum quarta
parte lini ſeminis, & oleo, vel aceto illitus, &c. Ad omnia ſpuma ſalis iucūdior
vtilioróq;. Cap. de Spongiarum natura & medicinis earum: Contra ſcorpio-
num ictus ex aceto ſpongiæ imponuntur. Lib. 32. cap. de Medicinis ex caſto-
reis: Teſtes caſtorum medentur, poti contra venena. Aduerſus ſcorpiones, ex
vino bibuntur. Cap. de Medicinis ex teſtudinibus terreſtribus: Fel teſtudinū
cum Attico melle prodeſt ſcorpionum plagæ inſtillari. Cap. de Remedijs con
tra venenata ex animalibus quibuſdam: Contra venenata omnia auxiliatur
mulus. item contra paſtinacam, & ſcorpiones terreſtres & marinos, & draco-
nes, & phalangia, illitus ſumptúſue in cibo. Mala medicamenta inferri negant
poſſe, aut certè nocere, ſtella marina vulpino ſanguine illita, & affixa limini ſu-
periori, aut clauo æreo ianuæ. Draconis marini ſcorpionumq; ictus carnibus
earum impoſitis. Contra ſcorpiones largius ſumi, ſed non euomi ſalſamenta
piſcium prodeſt, ita vt ſitis toleretur, & imponere ea plagis conuenit. Cap. de
Remedijs ex ranis marinis & rubetis contra venena. Ranæ fluuiatilis ſi carnes
edantur, iúſue decoctarum ſorbeatur, contra ſcorpiones ex vino. Cap. de Can
cris contra venena: Cancri fluuiales triti potiq; recentes ex aqua ſeu cinere aſ-
ſeruato, contra venena omnia proſunt, priuatim cōtra ſcorpionum ictus cum
lacte aſinino, vel ſi non adſit, caprino, vel quocunq; alio, addi & vinum opor-
tet. Decem verò cancris cum ocymi manipulo adalligatis, omnes, qui ibi ſunt
ſcorpiones, ad eum locum coituros magi dicunt, et cum ocymo ipſos cinerém
ue eorum percuſſis imponunt. Minus in omnibus his marini proſunt. Ictibus
ſcorpionum carnes fluuiatilium cochlearum reſiſtunt crudæ vel coctæ. Qui-
dam ob id ſalſas adſeruant, imponunt & ipſis plagis. Cap. de Remedijs contra
venena ex piſcibus: Coracini piſces Nilo quidem peculiares ſunt, ſed nos hos
omnibus terris demonſtramus: Carnes eorum aduerſus ſcorpiones valent im
poſitę. Lib. 35. cap. de Sulphure & generibus eius: Natura mira eſt ſulphuris,
quo plurima domantur. Prodeſt contra ſcorpionis ictus. Capite vltimo, de
Terra: Terra ex Galata inſula, & circa Clupeam Africæ, ſcorpiones necat. Li-
bro 37. cap. de Gemmis: Achates in magna fuit auctoritate, nunc in nulla. Re-
perta primùm in Sicilia iuxta flumen eiuſdem nominis, poſtea plurimis locis,
excedens amplitudine. Putant eam contra araneorum & ſcorpionum ictus
prodeſſe: quod in Siculis vtiq; crediderim: quoniam primùm eius prouinciæ
afflatu ſcorpionum peſtis extinguitur, Et in India inuentæ contra eadem pol-
lent,

lent,& alijs magnis miraculis, Thebis Aegyptijs repertę carent rubentibus venis & albis, & hæ quoq; contra scorpiones validę. Eademq; auctoritas & Cyprijs est. Aliæ apud magos differentiæ Leoninæ pelli similes, potentiam habere contra scorpiones dicuntur.

Ioannes Mesue in suo de Simplicibus, cap. de Scammonea: Et ipsa quidem facta, supple, scammonea, curat scorpionum morsus & propriè desuper linita cum succo menthæ, aut cum vino. Iohannes Mesue in suo Antidotario, distinctione prima: Theriaca diatessaron, confert morsui scorpionis, &c. Descriptio theriacæ diatessaron, posita est superius in 9 cap. 1 lib. & in 3 cap. 5. lib. auctoritate plurium.

Halyabas in Regali disposit., 4 Pract. cap. de Scorpionum percussionis medela: Cùm aliquem pupugerit scorpius, supra locum percussum ligari oportet fortiter vittis, ne fortè venenum in corpus diffundatur, scorpionemq; contere, & loco superpone. Emplastriza etiam hoc emplastro: Assignatio eius: Sume seminis lini ʒ. v. sulphuris, croci, & salis, cuiusq; iij. botami, gummę, id est terebinthinæ x. tere, & distempera medicamina cum ea, & emplastriza: aut cum nuce Indica masticata & in mortario trita, vel certè cum fautenego, id est origano syluestri diligenter trito, & hordei farina cum pigani, i. rutæ aqua distemperata. Et si aliquid theriacæ diatessaron dederis cum vino proderit: & theriaca magna, si præstò est, vtilior est, si bibatur, & locus oleo cataplasmetur oliuæ. Medicaminis assignatio contra scorpionis morsum: Gendebedestati, i. castorei, obolos ij. id est grana hordei xxiiij. allij ʒ. 1. diligenter tere, & cũ cocto propina vino. Aut sume aristolochiæ rotundæ ʒ. iij. capparis radicis corticis ʒ. ij. hendecoqui, id est andacochæ, seu trifolij ʒ. 1. tere omnia diligenter, & propina de eo ʒ. ij. cum veteri vino, aut vuarum passarum. Theriacæ assignatio contra scorpij percussionem: Aristolochię rotundę, quemiæ, id est xauan, seu chauan, castorei, rutæ agrestis, fautenegi fluuialis, id est menthastri, habelgari, id est grani, seu baccæ lauri, myrrhæ, pyrethri, gentianæ ʒʒ. piperis nigri, heltiti, id est assæ, sume ęquales partes. Tere diligenter, & cum melle distempera despumato. huius potus quasi auellana, id est aur. 1. cum vino: aut certè allium tunde, & cũ vino coque, patientique propina vinum hoc: Membro autem instillabis patienti aquam in qua chamæmilla & bersesiasecum, id est capillum Veneris decoxeris, piganum, id est rutam, ac furfur, sitq; calida, prodest enim. Cataplasma quoque cum oliuæ oleo, aut bani, id est deben cum euphorbio, aut modico castoreo, corpusq; patientis diligenter frica, butyrúmque porrige vaccinum, & mel. Assignatio alia: Piperis ʒ. viij. darfufeli, id est piperis longi quinque, spicæ optimæ ij. aristolochiæ, & radicis, cuiusq; tres: tere omnia diligenter, & distempera cum vino, & pilula, porrigesq; ex eis dimidiam drachmam. Electuarium aliud vtile: Gedebedestati, id est castorei, capparis radicis, aristolochiæ rotundæ, harcaræ arahæ, id est pyrethri, cuiusq; partem 1. tere medicamina diligenter, & subtili cribra panno, ac cum despumato distempera melle, dabisq; de eo ʒ. ij. cum vino veteri. Halyabas decimo Practicæ, capite de theriacæ magnæ vtilitatibus, & probatione eius, &c. Theriaca omnes morbos qui corpori accidunt, sanat, &c. Contra scorpionis percussionem drachma vna cum mero, aut zibibi vino, supple, in quantitate quatuor vnciarum dabitur, & super locum percussum cataplasmabitur cum oliuæ oleo. Cap. de Theriacæ Azeræ, id est Esdræ assignatione: Theriacæ Azeræ, id est Esdræ assignatio eius, vtilitatisq; & magnæ, &c. Cap. de Electuariorum calidorum confectione: Medicaminis sulphuris assignatio, serpentium prodest morsui, & scorpionis, etc. Theriacæ proxima operatur. Mithridati nobilis assignatio, &c. venenorum nocumenta propellit, multisq; & pluribus quib. theriaca magna prodest, &c. Cap. de pul

ueribus,

ueribus. Pulueris assignatio, scorpij percussioni vtilis: Sume aristolochiæ longæ, radicis capparis, pyrethri, partes æquales: tere, & tritas cribra, dabisq; ex eis ʒ.iij. vsq; iiij.

Constantinus in Pantechni 4 Practicæ, cap. de Punctura scorpionis: Scorpij puncturam medicamus cum theriaca maiore, vel socrugene, id est sagzenea, ex quibus inungendus est locus ille: detur & aristolochię rotundæ ʒ. i. semis cum vino. baccæ lauri cum vino, butyrum bouinum cum melle cancri pistati cum lacte asinino, agaricus cum vino, radix croci hortensis, vel frondes eius cum vino: hæc omnia prosunt. Quidam medici dicunt: Dum infirmus illam radicem tenuerit in manu, nullum dolorē sentiet. Confectio, quam Cleopater fecit, valet ad morsum scorpionis & araneæ: ℞. aristolochiæ ʒ. vi. piperis ʒ. iij. opij ʒ. i. semis, pyrethri ʒ. v. tempera cum vino, & fac pilulas inde in modum fabæ, & da ʒ. ij. bibendas. Alia: ℞. calamenti agrestis, & domestici, piperis, myrrhæ, rutæ seminis, pondus æquale: tempera cum melle, da drachmam i. bibere. Alia: ℞. rutę, seminis erucæ, pyrethri, styracis, sulphuris an. ʒ. x. castorei ʒ. iij. fac puluerem: tempera cum sanguine testudinis, & da bibere. Alia mitigans dolorem de morsu reptilium, quam Cleopater dicit se probasse: ℞. castorei, piperis albi, myrrhæ, opij, pondus æquale: tempera cum vino, & da in modum fabę cum vino, sicut fecit Galenus: Cleopater verò alio modo: ℞. mandragoræ, piperis albi, castorei, opij pondus æquale: tempera cum vino. Sicut dixit Galenus, oportet quòd iterentur allia pistata comedenda cum vino. bibat vinum forte: in balneo assuescat sudare. auellanæ cum melle comestæ iuuant, vel facto inde cataplasmate. Dioscorides basiliconem similiter valere dixit. Sulphur citrinum, maluæ semen, & lini, sampsuchus, id est maiorana cum aceto, & sale: omnia valent si pistentur. Quidam medici dicunt: Si accipias castoreum, & allium, & pisces, & cum oleo temperes, & cataplasma facias, iuuat. Ego autem dico: Si pimpinella cum vino bibatur, & cum puluere gentianę, allij, cinnamomi, & centaureæ, ab omni veneno cor hominis defendit. Item dico: Si stercus gallinæ, vel cor ipsius ictui scorpionis apponatur, ferè super omnia valet. Similiter si cum sputo eiusdem hominis locus puncturæ fricetur cum digitis, illo nihil erit melius. Item si scorpio pistetur, & cum oleo coquatur, & superponatur, mirum est. item lac de ficu, vel cortice eius cum sale tritum superponatur, si æstas est, morsum araneæ & scorpionis curat. Constantinus 10 Practicæ, cap. de Theriacis, & alijs antidotis: Theriaca probata contra venenum, & morsum serpentis, scorpionis, &c. Antidotum de assa: ℞. assę, piperis, rutæ, myrrhæ æqualia pondera, ad scorpiones da cum vino. Aliud ad scorpionem: ℞. aristolochiæ rotundæ ʒʒ. anethi an. ʒ. ij. calamenthi, rutæ syluestris an. ʒ. i. tempera cum sanguine testudinis: da ʒ. ij. cum vino, & cataplasmetur locus cum frondibus lauri in vino coctis. Aliud ad scorpionem: ℞. calamenthi domestici & syluestris, gentianæ, an. ʒ. vij. piperis, opopanaci an. ʒ. ij. aliàs, ʒ. i. da cum vino ʒ. i. Constantinus 7 Viatici, cap. de Morsu scorpionis: Auctor præsentis operis: Constantinus loco præallegato præcisè replicat, quæ suprà dixit quarto Practicæ.

Haly in Centiloquio Ptolemæi in expositione verbi noni illius videlicet: Vultus huius seculi, sunt subiecti vultibus cœlestibus, & ideo sapientes, qui imagines faciebant stellarum, introitum in cœlestes vultus inspiciebant, & tunc operabantur quod debebant. Scorpio cœlestis, terrenis scorpionibus dominatur: & cœlestis serpens, terrenis serpentibus. Et sapientes imaginuma, spiciebant quando planeta de subradijs solis egrediebatur, & ingrediebatur vultus, eumq; in ascendente ponebant, & vultum, quem intrabat, sculpebant in lapide, & miscebant cum eo alia ad hoc necessaria, faciebantq; cum eo

exapta-

exaptatione sine destructione quod volebant, & vis illa in lapide multis temporibus durabat. & ego vidi in temporibus Chomarohę regis Christianum satellitem, qui ad nos ex Romanis venit, & Sapiens dicebatur, qui Saracenus effectus est, & in Aegypto morans in geometria peritus, faciebat imagines, quæ artificialiter mouebantur, lapidumq́ naturas & herbarum cognoscebat. Quadam autem die dum cum eo essem, armigerum vociferantem audiuimus, quem scorpius pupugerat, qui statim ex marsupio sigilla odorem incensi habentia extraxit, eiq́ vnum ipsorum porrexit, & tritum potare iussit: statimq́, vt bibit armiger, requieuit: tunc illa ego aspexi sigilla, & in vno quoq; eorum vidi vultum scorpionis impressum: interrogauiq́ eum cum quo illa sigillaret: tunc ipse ostendit mihi annulum aureum, cuius lapis erat bezaar, in quo scorpionis vultus sculptus erat. Item interrogaui eum qua hora illum lapidem sculpserat: Dixitq́ mihi luna existente in scorpione sculpsi: eratq́ scorpius vnus ex quatuor angulis, & sigillaui cum eo incensum masticatum in eadem hora. Alia quædam etiam cum eo sigillaui, quia putabam quòd vis in incenso esset, sed in alijs rebus tantundem valebat. Existimo quòd si cum simili sigillo simili hora sigillaretur aliquid appropriatum cõtra scorpiones ac puncturas eorum efficacius nempe valeret. Antidotarium vniuersale: Emplastrum diadictamnum vtillimum, &c. Morsus reptilium, & rabidi canis, seu scorpionis ictus, locis patientibus impositum curat, &c. eiusq́ suffumigatione venenosa animalia in domibus latentia fugantur. Puluis adcepladeus, quo Constantinus Imperator vtebatur, vnde incolumis vsq; ad vitæ suæ terminum permansit, &c. Contra venenum cuiuslibet reptilis serpentis siue scorpionis cum vino veteri propinatus subuenit. Theriaca Andromachi, &c. Ad serpentium & venenatorum animalium morsum cum succo menthæ oblata, & vulneribus cum vino austero soluta & iniecta peculiariter medetur. Medicamina suprascripta auctoritate Antidotarij vniuersalis, & aliorum præcedentium, & sequentiũ, quorum descriptiones non posui, vel non ponam, omnia descripta sunt superius in 9 cap. 1 lib. vel in 3 cap. 5 lib. præter theriacam & mithridatum, quæ ambo descripta sunt in 10 cap. 1 lib.

Albertus Magnus in suo de Animalibus lib. 22. tract. 1. cap. 5. Si saliua hominis diu ieiuni, cuius saliua bene subtiliata sit à cibi viscositate in os, vel vulnus scorpionis, vel serpẽtis, vel alterius venenati animalis, ponatur ita q̃ ad interiora penetret, interficit ipsum animal. Tract. 2. cap. 2. Stercus asini syluestris desiccatum, cũ vino bibitũ, valet contra morsum scorpionis & puncturam. Cap. de Animal. quadrup. incipientibus à litera m. Mustela posita super morsum scorpionis confert valde. Caro eius siccata, si potetur cum ruta, valet contra morsum omnium animalium. Mus scissus & morsui scorpionis superpositus, sedat dolorem eius. Gilbertus Anglicus 7 sui Compendij medic. cap. de Morsu scorpionis, & araneæ: Confectio valens ad morsum scorpionis & puncturam araneæ: ℞. aristolochię ʒ. vi. piperis ʒ. iij. opij. ʒ. 1. s. pyrethri drachmas quinq;, tempera cum vino, & da in modum fabæ. Alia: ℞. calamenthi agrestis & domestici, piperis, myrrhæ, rutæ an. tempera cum melle, & da bibere. Alia: ℞. rutæ, seminis erucæ, pyrethri, styracis, sulphuris, an. drachmas ix. castorei drachmas. iij. fac puluerem, tempera cum sanguine testudinis, & da bibere.

Guiliel. de Placentia 3 suæ Pract. parte 2. cap. 6. scilicet de Punctura paruorum venenosorum, & morsu eorum: Curatur cura communi & generali cũ theriaca & cauterio loci, & extractione statim à principio sanguinis ex punctura cum ventosis. Sed cura eius propria, est cũ oleo de scorpionibus, quod sic fit: ℞. aristolochiæ, gentianæ, cyperi, corticum radicis capparis an. ʒ. 1. pistentur omnia grosso modo, & proijciantur in libra vna olei amygdalarum amararũ, &

dimittatur ſic per hebdomadam vnam, deinde coletur, & proijciantur in oleo
ſcorpiones x. & ſtet ſic ſub ſole tribus hebdomadis: deinde adminiſtretur ſu-
per locum morſum. Theriaca ad illud valde bona ſic fit: ℞. caſtorei, piperis al-
bi, myrrhæ, opij an. ʒ. 1. informentur trochiſci cum ſucco ariſtolochię, vel rutę,
& ſit vnuſquiſq; in pondere xxxvi. granorum hordei, & detur cum ℥. iiij. vini.
valet etiam hoc in morſu rutelæ. Ad idem: ℞. opopanacis, myrrhæ, galbani, ca-
ſtorei, piperis albi an. terantur, & cõficiantur cum melle & ſtyrace an. & detur
cum vino ad modum caſtaneæ. Aliud: ℞. radicis colocynthidis, capparis, ab-
ſinthij, ariſtolochię longæ, cichorei an. ℥. ſemis: fiat puluis: detur de eo cum vi-
no tertia drachmæ 1. pueris & magnis. eſt enim mirabilis in hoc, cui non eſt
par. Dicitur ſi in morſu malitioſi ſcorpionis in vltimo duo grana opij, & duo
hyoſcyami confecta cum melle dentur, quòd multum confert. Emplaſtra bo-
na: Si ponatur anacardus ſuper morſum, erit vtilis valde, ſi fuerit contuſus &
humidus. Aliud: ℞. maioranam ſiccam, vel viridem, & miſceatur cum vrina
hominis, & fiat emplaſtrum. Aliud quod datur ad bibendum in hoc valde bo-
num: Terantur dentes tres allij, & dentur cum vino veteri optimo, & erit val-
de bonum: & ſi fiat ex eis emplaſtrum ſuper locum morſum, erit magis confe-
rens, ſi Deus voluerit.

Iohannes Gadeſden 2 ſuæ Practicæ, dictæ Roſa, cap. vltimo: Ad morſum
ſcorpionis: Scorpio coctus in oleo ſuperpoſitus curat, & cum oleo illo vnga-
tur locus, & dentur allia cum vino, & decoctione aniſi, & terebinthina optima
eſt. Item olibanum optimum eſt. aut repleat ſe ficubus, nucibus, & ruta, & ine-
brietur bono vino: item aſſa fœtida cum vino optima eſt: & detur theriaca a-
riſtolochiæ: ℞. ariſtolochiæ ʒ. x. aliàs ʒ. vi. piperis ʒ. iij. opij ʒ. 1. ſemis, pyrethri ʒ.
iiij. ſemis, fiant pilulæ cum melle ad quantitatem fabæ, vel lupini. & dentur ʒ.
ij. cum ℥. 1. vini fortis. Petrus de Abano in lib. de Venenis, cap. de Morſu ſcor-
pionis: Mordicationi autem ſcorpionis, confert euaporatio olei, & alliorum,
& theriaca diateſſaron, & oleum antiquum linitum, & eius bezaar eſt ſcorpio-
nis corpus contritum, & ſuperpoſitum loco. Guilielmus de Varignana in ſua
Practica, ſermone 4. tractatu 3. cap. 3. ſcilicet de Punctura ſcorpionis: Ego
autem dico, quòd ſtercus aſini comedentis fœnum, quod ſit ſiccum miſtum
cum vino, & bibitum, confert iuuamento maximo in corporibus ruſticorum.
Et dixerunt quòd ſemen lapathi agreſtis, maximum facit remedium, ita quòd
etiam ſi præbibatur, punctura non nocet, & quòd abſinthium eſt mirabile in
hoc caſu. Cap. 7. ſcilicet de Fugandis animalibus venenoſis in ſpeciali: Dixit
Hamech: Si fumiges domum, aut curiam cum pulmone aſini, mundas eam ab
omni ſerpente & ſcorpione. Scorpiones fugantur ſi plures ex eis capiantur, et
domus ſuffumigetur ex eis.

De Iarraria, ſeu Alierarat, ſeu Algerarati Cap. II.

IAarraria, ſeu alierarat, ſeu Algerarati, eſt ſcorpio quidam de ſpecibus ſcor-
pionis, habens corpus paruum & gibboſum, & caudam acutam, quam val-
de mouet, ac ipſam trahit per terram quaſi raſtellando, & celeriter currit: & re-
peritur in quibuſdam regionibus orientalibus, & præſertim in Coz, & in Ha-
ſcarin honorato, & etiam alibi: & pro vt aſſerit Bernardus de Gordonio, re-
peritur etiam in Auinione. Hic autem ſcorpio à Raſi 20 Continentis, capite 2.
vocatur Iarraria: 8 verò Almanſoris, vocatur Iarrareti: in Diuiſionibus autem
vocatur gerarat. Ab Albucaſi verò ſecunda particula Azarauij, tractatu 2. ca-
pite de Algrata, vocatur algrata, propterea quia valde mouet caudam. A Rab-
bi Moyſe autem in ſuo lib. de Venenis, tractatu 1. vocatur celeriter currens, i-
deo quia celeriter currit. Ab Auicenna verò 2 canone, cap. de Carne vocatur
aliera-

alierarat: quarto autem canone, fen 6. cap. de Algerarati, vocatur algerarati: ab Halyabate verò in Regali dispositione 4. Practicæ, cap. de Rastellantis scorpij puncturæ medela, vocatur scorpius rastellans.

NATVRA eius calida est & venenosa valde: diuersificatur tamen iuxta diuersitatem regionis, temporis anni, & aliorum, prout in præcedenti capite de Communi scorpione prædixi.

ACCIDENTIA puncturam ipsius consequentia, sunt quòd in hora punctionis, siue morsuræ, non sentitur dolor, præcipuè de quo curetur. Die verò sequenti accidit angustia & tristitia fortis. Et alteratur color eius aliquando quidem ad citrinitatem, adeò vt fiat icteritia, aliquando ad rubedinem, & aliquando ad viriditatem, & calefit locus puncturæ, & vlceratur, & cùm vlceratur, est spes salutis: & sentit in eo pruritum vehementem: & superuenit ei in secunda die sincope, ac cordis tremor. & aliquando post dictam sincopem, superuenit febris acuta valde. & sequitur tumor, seu apostema linguæ, & vomitus rei viridis similis succo porri, & minctus sanguinis, & quandoque sensatio doloris ventris cum incisione, & quandoque retinetur natura, & fortasse conuertitur esse eius ad perditionem, & incipit cum pulsu cordis, & syncope.

CAVSA propter quam in hora punctionis, siue morsuræ non sentitur dolor, præcipuè de quo curetur, est proprietas præfati veneni, quæ est tardè, & non ilico molestare. Causa propter quam die sequenti accidit angustia & tristitia fortis, est malignitas ipsius veneni fortiter lædens, cum aliquantulum diu moram traxerit in corpore. Causa alterationis coloris eius aliquando quidem ad citrinitatem, adeò, vt fiat icteritia, est commotio, & agitatio magna choleræ citrinæ, adeò, vt per totum corpus expansa, icteritiam causet, & hoc à maligna veneni præfati caliditate. posset etiam esse dissolutio phlegmatum, præcipuè grossorum ad poros felleos, facta à prædicta veneni caliditate, ex qua dissolutione in eis causaretur oppilatio, ad quam consequenter accideret icteritia. Causa alterationis coloris aliquando ad rubedinem, est commotio magna, facta in sanguine, ex qua sequitur motus sanguinis ad cutem, & rubedo per consequens. Causa alterationis coloris aliquando ad viriditatem, est præfata veneni maligna caliditas adurens choleram, præcipuè vitellinam, ex cuius adustione communiter prasina cholera generatur: quæ viridis existens ad cutem expansa tum vigore ebullitionis factæ in corpore à prædicta veneni caliditate, tum etiam vigore naturæ ipsam ab interioribus ad superficiem expellentis, causat viriditatem. aut fortè posset accidere ex mortificatione caloris innati, facta à malignitate præfati veneni. Causa calefactionis loci puncturæ, est veneni prædicti caliditas, & etiam concursus sanguinis, & spiritus ad dictum locum præ dolore. Causa vlcerationis aliquando loci puncturę, est acuitas & nitrositas præfati veneni. Causa propter quam, cũ locus puncturæ vlceratur, est spes salutis, est quia significatur quòd natura prohibet venenum præfatum ad interiora corporis penetrare: aut fortè, postquam penetrauit ad corporis interiora, natura, mediantibus præsertim congruis adiutorijs, ipsum venenum ad locum puncturæ redire facit, quod equidem acutum, & nitrosum existens, vt prædixi, vlcerationem causat. Causa sensationis pruritus vehementis in loco puncturæ, est ipsius veneni magna nitrositas & acuitas. Causa superuentus syncopes, & tremoris cordis in secunda die, est malitia veneni prædicti, cordi dicta die communicata. Causa superuentus aliquando post dictam syncopem febris acutæ valde, est vehemens veneni caliditas, cordi, & consequẽter toti corpori communicata. Causa consequutionis tumoris, seu apostematis linguæ, est concursus humorum ad linguam, factus à vehementi humorum ebullitione, facta à præfata

veneni caliditate, aut febre prædicta, ad quam nempe ebullitionem humo-
rum sequitur ipsorum liquefactio, præsertim à capite, & à partibus gutturi cir
cunstantibus ad linguam. Causa vomitus rei viridis, similis succo porri, id est
choleræ prasinæ, est adustio choleræ, præcipuè vitellinę, facta à vehementi ca-
liditate veneni, præsertim in stomacho, quam postea natura conatur expelle-
re per vomitum. Causa minctus sanguinis, est vehemens veneni caliditas,
atque nitrositas, quæ renibus, & vijs vrinæ communicata aperiendo, seu cor-
rodendo eorum venas, seu earum orificia, minctum sanguinis causat. Causa tri
stis sensationis, & doloris ventris cum incisione, est præfata vehemens veneni
caliditas, atq; caliditas, stomacho & intestinis communicata. Causa retentio-
nis naturæ, id est stipticitatis ventris, quandoq; est diuersio choleræ consuetę
transmitti ad intestina ad incitandum expulsiuam eorum ad corporis circum-
ferentiam, seu cutem, aut oppilatio pororum felleorum, per quos transmititur
cholera à chisti fellis ad intestina ob causas pręassignatas. Causa propter quam
fortasse conuertitur esse patientis ad perditionem, incipiendo cum pulsu cor-
dis & syncope, potest esse punctura facta in loco arteriali, seu cordi propin-
quo: & potest etiam esse maior veneni malitia, propter aliquam de consimili-
bus causis de communi scorpione in præcedenti cap. prænarratis.

SIGNA puncturæ præfatæ, sunt accidentia præscripta, magis tamen pro-
prium ipsius signum est, quòd non sentitur in punctions hora dolor de quo
curetur, imò vt plurimum ad sequentem diem tardant euenire accidentia
prænarrata.

PRAESERVATIO in generali, fit cum supradictis in 2 cap. 5 lib. Præserua-
tio verò in speciali, fit cum prædictis in immediatè præcedenti cap. præseruã-
tibus à punctura communis scorpionis.

CVRA autem fit sicut statim infrà ex auctorum mentibus enarrabo, subue-
niendo accidentibus consequentibus cum his, quę ab auctoribus in proprijs
capitibus enarrantur. Rasis 20 Continentis, capite 2. Inquit Aaron de Mor-
su iarrariæ, cuius venenum est calidum, &c. Laudabilior cura eius, est sugere
locum cum ventosis, & inungere locum cum succo scariolarum syluestrium,
oleo rosaceo, aqua hordei, & de puluere pomorum, & in summa cũ omnibus
rebus infrigidantibus: & si patiens fuerit stipticus, clysterizetur. Theriaca de
styrace valde certa, & probata ad hoc: ℞. opopanacis, myrrhæ, galbani, casto-
rei, & piperis albi an. conficiantur cum styrace & melle an. partibus æquali-
bus. dosis eius quantitas vnius iuiubæ. Et sumere ex aqua pastæ frumẽti, quan-
tum capit palma manus, subitò iuuat & multũ. Et similiter iuuat ad hoc calefa-
cere lapidem molarem, & irrorare super ipsum acetum, & suffumigare mem-
brum. Inquit Aaron: Medicina ad hoc est, quæ dicitur ziduar, aliàs, coral, a-
liàs, zeduar, id est zedoaria, & valet contra specialiter comesta, & emplastra-
ta contra venenum iarrariæ. Ait Iudæus: Cura morsus iarrariæ, est cauteriza-
re locum, & sumere succum endiuiæ syluestris, & aquam lactucarum sylue-
strium, & aquam hordei: & clysterizetur cum clysteribus lenitiuis. Ait Geor-
gius: Laudabilior cura in morsu iarrariæ, est apponere supra locum ventosas,
& sugere fortiter. & postea bibatur succus endiuiæ syluestris cum oleo rosa-
ceo, & bibatur suprà puluis pomorum: & si fuerit stipticus, clysterizetur. Ait
Symeon: Iarrariæ autem venenum, est valde calidũ, &c. Et laudabilis cura est
sugere locum cum ventosis: & detur bibere succus endiuiæ cũ oleo rosacco, et
clysterizetur cũ clysteribus lenitiuis. & in summa medicetur cũ infrigidatiuis
& humectatiuis. Ait Vigilator: Contra morsum iarrarię sumat salis grossi quã
titatẽ plantæ manus, & iuuabit: & iuuat similiter comedere radicem enulę, &
qui

& qui habuerit eam super se, non nocebit ei scorpio.

Rasis 8 Almansoris, cap. de Puncturis iarrareti: Hi sunt scorpiones parui valde, caudas post se trahentes, & sunt in terra Coz: cuius habitatores theriacam optimam inuenerunt, quæ exercitualis theriaca dicitur, cuius hæc est descriptio: ℞. corticum radicum capparis, radicis colocynthidis, absinthij Romani, aristolochiæ rotundæ, herbæ, quæ vocatur lingua Chaldæorum, hanezez, id est, secundum Albucasim 4 partic. Azarauij dictam theriacam describentem hazez, id est hepaticæ, seu licenæ, troximel, i. taraxacō syluestris siccę. ex his omnibus bene puluerizatis ʒ. ij. tribuantur. Illud præterea quo medici vtuntur in huius ægritudinis cura, est, quòd ei qui est punctus de troximel syluestri sicca, id est taraxacon, quantum ter vna manu contineri potest, tribuunt, & quòd poma acetosa dant ad comedendū, & quòd de sauich pomorum cum aqua frigida donant, aut cum iuleb. quòd si multus ei superuenerit calor, aquam hordei ad potandum tribue: & si ventris dolorem cum incisione senserit, oleum rosaceum cum aqua hordei da ei ad potandum: ac citrulos, et cucurbitam, & lac acetosum ei tribue. In loco quoq; puncturę ventosa ponatur, & ilico fugatur locus. præterea comburatur, & medicinæ calidissimę desuper ponantur. Negligentia itidem in harum puncturarum cura, licet dolor qui in eis sentitur sit debilis, habenda non est, &c. Si autem venter eius qui punctus est, sit strictus, iniectio ex succo siclæ, i. blitis, & baurach, i. spuma nitri, & oleo violaceo ei per clystere fiat. Cui si fortem inuenerit angustiam, succus malorum acetosorum, & granatorum acetosorum, & oleum rosaceum, atq; aqua hordei, & lac statim mulsum tribuantur. Si verò infirmum sanguinem mingere contingat ipsum, prius phlebotoma: deinde de medicinis ad hoc nominatis, ei in potu aliquam tribue. Ius quoque pinguium pullorum eum potare facias. Lingua quoq; si quasi apostematibus plena fuerit, vena quæ est sub ea incidatur, atq; gargarismus ex succo enduiæ, & syrupo acetoso ei fiat. Tremor autem cordis vehemens si acciderit, sauich de hordeo cum syrupo de pomis, atque lac acetosum cum trochiscis de caphura patienti donentur. Istis enim medicinis, & earum similibus, vtuntur medici cùm morsus iarraret curare volunt. Theriaca enim exercitualis non ob aliud hîc ponitur, nisi propter famam, quæ est apud vulgus, scilicet quòd scorpionum puncturis proficiat. Theriaca quæ morsibus congruit iarraret: ℞. troximel syluestris siccæ, i. taraxacon, seu enduiæ syluestris siccæ, foliorum malorum acetosorū, coriandri sicci, omnium partes æquales. bibatur ex ea quantum tribus vicibus ore capi potest. Quòd si corrosio in loco morsus acciderit, cum medicamine acuto curetur, & ea quæ sunt in ipsius circuitu ex bolo Armeno, & forti aceto epithementur, & cū alijs medicaminibus quæ in cura pessimorum vlcerum, & corrodentium nominauimus sanentur. Rasis in Diuisionibus cap. de Remedijs venenorum: Ad ierrarat autem puncturam, confert theriaca alascarin, id est exercitualis, & poma acetosa, & folia eorum, & taraxacon, & absinthium nabatium, & scarpellatio in loco mordicationis, & suctio.

Albucasis 2 particula Azarauij, tractatu 2. cap. de Punctura algrata: Hi sunt parui scorpiones valde mouentes caudam: quapropter appellantur grata, &c. Curatio eius, est quòd acceleretur appositio ventosarum super loco, aut cauterium, & administretur clystere lene, & vniuersaliter bibat omnem medicinam frigidam: & est quòd bibat ter de taraxacon sicco, & comedat poma acetosa, & bibat ex puluere ipsorum cum aqua & syrupo iuleb, & cum manna, & sumat ptisanam de hordeo. Et si sentit dolorem & truncationem in intestinis, bibat ex oleo rosaceo, & comedat cucurbitas & lac acetosum. & oportet non tradi negligentiæ curam ipsius, quoniam accidentia vigorantur super i-

psum post dies, sicut diximus. Et confert ad hoc theriaca quæ nominatur alhascarin, id est exercitualis, quæ continetur cum reliquis theriacis in suo loco, id est in quarta particula Azarauij, posita auctoritate ipsius ibidem in 9 capite, 1. libri. accipiatur exinde. Rabbi Moyses in libro de Venenis, tractatu primo, capite quinto: Quoddam animal venenosum, cuius rememorationem fecerunt sapientes in libris huius artis, quod nominarunt celeriter currens, est quidem vna ex speciebus scorpionis, habens corpus paruum, &c. & quia celeriter currit, sicut dictum est, ideo nominarunt eum scorpionem celeriter currentem, &c. & breuiter quidquid confert puncturis, & morsibus aliorum, confert etiam puncturis, & morsibus istorum, &c.

Auicenna 2 canone, tractatu 2. cap. de Carne: Caro arietum adusta, confert morsibus serpentum, & scorpionnm, & alierarat. Auicenna quarto canone, fen 6. tractatu 5. cap. de Algerarati: Post curam communem meliores curationes, sunt cauterizare locum, & potiones aquæ lactucę amaræ, & aqua altaraxacon, & aqua hordei, & omnia extinctiua propriè cùm fortis sit inflammatio. Et melior curationum eius expertarum, est sauich malorum cum aqua frigida, id est ptisana facta ex puluere malorum, seu pomorum cum aqua frigida. & dixit quidam: Radix polij, cum bibitur cum aqua, confert. Et enula est medimen bonum ei secundum quod dicitur. Et theriaca alhascari, i. theriaca exercitualis in Hascari prouincia primitus adinuenta, est bona: cuius descriptio est hæc: ℞. corticum capparis, gentianæ, absinthij Romani, aristolochiæ rotundę an. part. 1. taraxacon siccæ, terantur omnia, & sit dosis eius pondus ʒ. ij. Alia theriaca taraxacō siccæ, foliorum malorum acetosorum, coriandri, omniū an. part. æquales. Sumatur pulueris eius quantum in vola manus capitur ter. Et, cùm accidit ei inflammatio vehemens, sedetur cū aquis fructuum, & succis eorum infrigidatis. & si acciderit pulsus cordis, confert syrupus de malis alsemijs, & sauich de malis, & lac valde acetosum cum trochiscis de caphura. & si angustia sit fortior, tunc adhibeantur aquæ fructuum cum oleo rosaceo infrigidato: quòd si natura retineatur, clysterizetur. & si mingit sanguinem phlebometur, & administretur curatio minctus sanguinis. & si apostematur lingua, phlebotometur vena quæ est sub ea, & gargarizet cum aqua endiuiæ, & syrupo acetoso. Et si acciderit in morsu corrosio, curetur cùm medicamine acuto, & in partibus eius, id est circum circa cum bolo Armeno, & aceto linito: & curetur cura vlcerū malignorum. Quia in præcedentibus facta fuit pluries mentio de trochiscis de caphura, nec eorum descriptio ab aliquo notata fuit: cùm plurimæ à diuersis auctoribus diuersimodè eorum annotentur descriptiones, ponam in pręsenti descriptionem ipsorum positam à Iohanne Mesue in Grabadin, seu Antidotario suo, quæ magis præsenti curæ videtur mihi conformis, quæ est: ℞. foliorum rosarum ʒ. iiij. spodij ʒ. ij, sandalorū citrinorum ʒ ij. semis, croci. ʒ. 1. liquiritiæ ʒ. ij. seminis citruli, melonis, cucumeris, cucurbitæ, draganti, gummi, spicæ an ʒ. 1. ligni aloes, cardamomi, amyli, caphuræ an. ʒ. 1. part. ij. sacchari tabarzet, id est albi, & altereniabin, id est mannæ an. ʒ. iij. conficecum mucilagine psyllij, & aqua rosacea.

Halyabas in Regali dispositione 4 Pract. cap. de Rastellantis scorpij puncturę medela. Huic antiqui medici medelam ignorauerunt: Sed qui secuti sunt de gente Hascarin equeren, phlebotomo extrahebant sanguinem quantum patiebatur virtus, percussoq; lac propinant dulce, statim apponentes situam, i. ventosam loco, qui punctus erat, & fortiter sugebant quò venenum abstraherent. Adhibent autem loco medicamina calida, vt euphorbium, castoreum, terram Armenicam circumponentes cū aceto. patienti hordei aquā propinant, aut anachusi, i. anchusæ, i. albugilissæ, seu lactucæ asini, pomaq; porrigunt

gunt acida tarsacoquum, i. taraxacon, succumq́ pomorum acidorum. Reficiunt illum cum pullis ac gallinis cum granatorum aqua condítis, & heserem, id est agresta, ac pomorum: daturq́ hęc theriaca. Assignatio eius: Sume taraxa coqui, i. taraxacon pomi acerbi, foliorũ quessaræ siccæ, i. coriandri sicci, æquales partes. Tere diligenter, & tria de eo propina cochlearia, prodest enim. Omnis autem populus Hascarin equeren consueuit in huius scorpionis punctura aquam pomorum etiam in domibus quoq́ suis illam vsui reseruare. Statímque, vt cum aliquis pungit hominem, accelerat de hac aliquid bibere, passióque cessat ab eo, & sanatur. Componunt autem theriacam ei. Assignatio eius: ℞. capparis radicis corticis, radicis handeli, i. colocynthidis, gentianæ, absinthij, aristolochiæ rotundæ, tarsacoqui, id est taraxacon sicci, æquales partes, tere, & propina de ea ʒ.ij. cum vino. Propinant etiam barmeli, id est rutæ campestris radicis hexagium 1. tritum diligenter cum vino, prodestq́ illis, manifesta vtilitate. Christophorus de Bononia in suis Problematibus de Venenis, problemate de Iararria: Bezaar eius, est lac acetosum, datũ in magna quantitate.

De Alhatrahay, aliàs, Alhatraban Cap. III.

ALhatrahay, seu alhatrabam, est scorpio multorum, & paruorum pedum, & assimilatur radici polypodij, & est longitudinis vnius palmi, vel aliquid plus, vel minus: de cuius specie aliqui sunt rubei, aliqui citrini, aliqui verò virides, & videntur habere bina capita, sed non est ita: de quibus nempe scorpionibus solùm ex auctoribus reperi Albucasim loco inferius allegato in speciali facere mentionem.

NATVRA eius frigida est, similis naturæ scorpionis terrestris prædictæ in præsentis lib. 1 cap. quæ nempe diuersificare potest in intensione & remissione malitiei, propter varias causas in dicto 1 cap. enarratas, intendentes, & remittentes accidentia.

ACCIDENTIA puncturam ipsius propriè consequentia, sunt rubor loci in principio punctionis: deinde obfuscatur, & facit vlcerationem cum vehementi dolore & corporis incendio, veruntamen statim recedit.

CAVSA ruboris loci in principio punctionis, est concursus sanguinis, & spirituum ad locũ, præcipuè propter dolorẽ ex punctura causatum. Causa cõsequẽter offuscationis loci prædicti, est mortificatio caloris innati facta à prędicto veneno frigido. Causa vlcerationis cum vehementi dolore, & corporis incendio, quod statim recedit, est concursus præfatus subitus sanguinis, et spirituum, malam complexionem calidam in loco inprincipio inducens, ex qua vehemens consequitur dolor, & corporis incendium, & vlceratio ob supercalefactionem causatam in dictis sanguine, & spiritibus, factam à præfata doloris vehementia: veruntamen prædicta doloris vehementia, & corporis incendium, statim recedit ob mortificationem caloris innati.

SIGNA puncturæ prædictæ, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita, quòd animal pungens fuit scorpio præfatus.

PRASERVATIO fit cum illis præseruantibus quę dixi in 1. huius lib. cap.

CVRA autem fit consimiliter cum curantibus prædictis in eodem capite. Quæ tamen appropriatè pro eius cura dicuntur, infrà describam. Albucasis 2. partic. Azarauij, tract. 2. cap. de Punctura scorpionis qui dicitur alhatrahay, aliàs, alhatrabam: Curatio eius, est quòd bibat ex aristolochia cum vino: vel bibat ex ocymo aquatico, i. basilicone latorum foliorum, vel rutam, vel menthastrum: & emplastretur locus cum aceto, & melle, et sale trito, vel cum sale trito, & ruta, & cum aceto: aut abluatur locus cum aqua & aceto vna vice post aliam: quoniam hæc erit curatio ipsius.

De Rutela, seu Phalangio Cap. IIII.

RVtela iuxta plurimos auctores, ponitur esse species, seu genus araneę, cuius rutelę species omnes ferè auctores de ipsis tractantes, asserunt esse sex præter Galenum, qui, prout asserit Auicenna 4. canone, fen 6. tract. vltimo, capite de Rutelis, ponit earum species esse duodecim. Rasis enim 8 Almansoris, cap. de Morsibus rutelæ, & siptu, & aranei, rutelam in genere primo describens, dicit quòd rutela est animal paruo araneo assimilatum, quod vocatur phiphir, muscas venari solitum. Demum sex ponens earum esse species, dicit quòd quædam est rubea, quædam est viridis, quædam est depicta, id est diuersorum colorum, quædam est alba, quædam supra dorsum lucẽtes habet lineas, & vocatur stellata, & quædam est citrina super se villos habens. Auicenna verò loco præallegato, auctoritate quorundam antiquorum medicorum ponẽs consimiliter sex esse rutelarum species, dicit quòd species earum nominantur albaribon, aliàs, albarhasion, & est rotundę figuræ, & coloris vuei, id est coloris ad nigredinem decliuis. Secunda species nominatur aucos, aliàs, auricos, & est latioris corporis prima, & rotundæ figuræ, & in partibus, quæ sunt in collo eius, sunt squamæ apparentes, & super os eius sunt tria corpora eminentia, procedentia ad exteriora rara & lenia. Tertia species nominatur murchion, & est in magnitudine apis magnæ nominatæ ageruf, & color eius est ad citrinitatem decliuis, & tegitur corpus eius corporibus eminentibus paruis rubeis, & propriè apud dorsum eius. Quarta species nominatur sagluuscolon, aliàs, saglucisçolon: quoniam totum corpus eius & caput ipsius est durum, & est habens alas sicut sunt alæ formicæ magnæ. Quinta nominatur surclion, aliàs, suchon, & ista est longi corporis, subtilis, & super corpus ipsius sunt puncta, & propriè apud caput eius, & ipsius collum. Et sexta nominatur surbultutis, aliàs, suburclitis, & ista est longi corporis, viridis coloris: cui est quasi aculeus sub collo ipsius. Auctoritate autem Galeni, asserens rutelarum species esse duodecim, dicit quòd de eis est rubea, quasi ipsa sit aranea rotunda. & de eis est alba, habens rotundum ventrem, & paruum os, stellata, & est acuti dorsi cum lineis lucidis, & de eis est citrina pilosa, & de eis est vuea, i. coloris decliuis ad nigredinem, & de eis est, cuius medium capitis, & pedes sunt breuia, & decliuia ad posteriora: & cùm vult pungere, proijcit se super pedes suos, & quando vult bibere euomit humiditatem paucam, & est subtilior vuea prima. & de eis est formicalis, similis formicæ, rubeum habens collum, nigrum caput, album dorsum, punctata coloribus diuersis. & de eis est vespalis rubea, similis vespæ, & de eis est altursimati, aliàs, alheremati, aliàs, alkersenati, i. herbina, ad similitudinem grani herbi, i. orobi, quæ nominatur per hoc propter paruitatem suam, &c. quasi ipsa sit herbus, i. orobus, rotunda, paruum habens os, subalbidum ventrem, albos pedes multorum pilorum.

NATVRA generaliter speciei cuiuslbet rutelarum, est frigida & venenosa, quædam tamen magis, & quædam minus, deterior attamen omniũ est Aegypticaca, i. quę in Aegypto reperitur, præcipuè habens ventrem magnum, et caput magnum, similis animali, quod volat in circuitu candelæ.

ACCIDENTIA puncturas, seu morsuras rutelarum consequentia, diuersificantur iuxta diuersitatem quorundam auctorum. Rasis nanque octauo Almansoris, capite præallegato, dicit, quòd ex morsu rutelæ rubeæ accidit fortis dolor, & egerendi duricies: ex morsu rutelæ viridis accidit paruus dolor, & pruritus, qui velociter sedatur: ex morsu rutelæ depictæ, accidit fortis dolor, & in corpore frigiditas, & tremor: ex morsu rutelæ albæ, accidit paruus dolor, & pruritus, & fluxus ventris: ex morsu rutelę supra dorsum lucentis habentis lineas, quæ vocatur stellata, accidit paruus dolor, & pruritus, & stupor, &

por, & corporis relaxatio: ex morsu aūt rutelę citrinę super se villos. i. lineas habentis, accidit dolor vehementissimus, & tremor, & sudor, & vētris inflatio, & fortasse mors. Auicenna aūt loco præallegato assignādo accidentia consequētia decē rutelarum specierū morsuras, siue puncturas, omissis plurimis accidētibus, quę quorundā auctoritate cōsequi dixit, puncturas, seu morsuras rutelarū satis indistinctè, auctoritate Galeni, & aliorū, inquit, quòd ex morsu rutelæ rubeæ accidit dolor paruus velocis sedationis: ex morsu rutelę nigræ aut viridis, accidit fortis dolor cū horripilatione, & frigore, & tremore, & grauitate in coxis, & pruritu, & putrefactione, & mollificatiōe vētris, & fluxu eius: ex morsu rutelæ stellatę, accidit fortis dolor cū pruritu, & horripilatione, & stupore, & grauitate capitis, & mollificatione corporis: ex morsu rutelę vueæ. i. coloris decliuis ad nigredinem, accidit dolor vehemens, in loco percussionis, & frigus corporis totius, & horripilatio, & tremor, & spasmus, & sudor frigidus, & abscissio vocis, & stupor in toto corpore, et apostema in vētre, et tēsio in virga & pectine, & vomitus absq; voluntate, & vrina turbida: ex morsu rutelę nigrę fumosę. i. coloris fumi, quę est maligna, accidit dolor stomachi, & frequētia vomitus, & dolor capitis, & tussis cōsecutiua, & difficultas egerēdi interficiēs velociter: ex morsu rutelæ citrinæ pilosę, accidit dolor fortis valde, & tremor, & sudor frigidus cū inflatione vētris, & mors multoties: ex morsu rutelę formicalis, accidit dolor vehemēter paruus, & vesicatio corporis, & grauitas linguæ: ex morsu verò rutelæ vespalis, accidit apostema in loco morsuræ, & spasmus, & somnus profundus dominās, & debilitās amborū genuū: ex morsu aūt rutelæ alcursimati. i. herbinæ taliter dictæ: quia est ad similitudinem grani herbi. i. orobi, quæ maligna est, accidunt accidētia de genere accidentiū, cōsequentiū ex morsura rutelæ vueę, sed difficiliora: verūtamen Auicēna loco pręallegato Galeni auctoritate, pręmittit, quòd ex morsu rutelæ non accidit quod accidit ex pūctura scorpionis: quamobrē nō obuiat venæ lędēdo, et secundū plurimū nō facit difficultatē, supple, egestionis. Auctoritate verò illius, qui nominauit species rutelarum nominibus prædescriptis, inquit, quòd omnes illæ species communicant in hoc videlicet, quòd ex morsu earum accidit apostema in loco morsionis, & rubedo in primis horis ipsius morsionis, & vt plurimum coagulatio sanguinis viridis, atq; pruritus.

Causę accidentiū consequentiū morsuras seu pūcturas specierum rutelarum à Rasi positarū, sunt istæ. Et primò causa fortis doloris cōsequētis morsurā rutelæ rubeę, est solutio cōtinui, & valde mala, ac venenosa ipsius rutelę cōplexio frigida. Causa duriciei egerēdi, est frigiditas venenosa cōmunicata intestinis, & musculis ventris, debilitans, aut fere mortificans virtutē expulsiuam eorum. Causa parui doloris cōsequentis morsurā rutelæ viridis, est parua continui solutio, & non nimis mala ipsius rutelæ complexio morsuræ loco cōmunicata. Causa pruritus, qui velociter sedatur, est parua cōtinui solutio ex morsura facta, qui nempe pruritus velociter sedatur, quia præfata parua continui solutio, satis velociter remouetur, aduertendo quòd dictus pruritus, non est verus pruritus qui ab humore calido causatur: aut fortè dici posset quòd est pruritus verus qui causatur à sanguine, & spiritibus calidis existentibus, concurrentibus ad morsurę locum propter dolorem. & quia dolor prauitate sua cito remouetur, & acuitas sanguinis, & spirituum concurrentium non multorum existentium præ paruitate doloris, cito à veneni frigiditate extinguitur, velociter sedatur. Causa fortis doloris morsum rutelæ depictæ consequentis, est solutio continui, & valde mala complexio frigida ipsius rutelæ, morsuræ loco communicata. Causa frigiditatis in corpore, & tremoris, est prædicta mala complexio venenosa, frigida, corpori communicata,

Causa parui doloris consequentis morsum rutelæ albæ, est parua continui so-
lutio ex morsu facta. Causa pruritus, est similis causæ pruritus cõsequẽtis mor
sum rutelæ viridis. Causa fluxus ventris, est debilitas contentiuę intestinorũ,
causata à frigiditate veneni dictę rutelę proprietate sui amplissima debilitati-
ua contentiuę virtutis intestinorum, quàm expulsiuæ eorum: cuius contrariũ
dictum fuit de frigiditate veneni rutelæ rubeę. Causa parui doloris, & pruri-
tus consequentium morsum rutelæ stellatæ, quæ supra dorsum lucentes habet
lineas, est similis causæ prædictæ parui doloris, & pruritus consequentis mor-
sum rutelæ viridis. Causa stuporis, & relaxationis, id est mollificationis corpo
ris, est frigiditas, & proprietas veneni ipsius rutelæ, stuporis, & mollificationis
corporis inductiua. Causa vehementissimi doloris consequentis morsum ru-
telæ citrinę super se villos habentis, est solutio continui, & valde mala comple
xio frigida venenosa. Causa tremoris, est prędicta valde mala frigiditas vene-
nosa, musculis corporis præcipuè communicata. Causa sudoris, est debilitas
contentiuę membrorum præsertim subcutaneorum relaxantium humiditates
subtiles conuertibiles in sudorem. Causa inflationis ventris, est ventositas in
ventre generata ob prædictam valde malam venenosam frigiditatem. Causa
fortasse mortis, est extinctio caloris innati facta à præfata valde mala veneno-
sa frigiditate. Causæ accidentium consequentium morsuras, seu puncturas de
cem specierum rutelarum ab Auicenna prędescriptarum, auctoritate Galeni,
& aliorum, à Rasi, loco præallegato, non modicum discordante, sunt istæ. &
primò: Causa parui doloris consequentis morsum rutelę rubeæ qui velociter
sedatur, est parua continui solutio, & non nimis mala complexio ipsius rutelę
rubeæ, ex quibus consequitur paruus dolor, qui velociter sedatur. Hoc autem
contradicit Rasi: sed fortè Rasis intelligit de rutelis rubeis in alia regione, vbi
valde deteriores sunt. & consimiliter concordandus est in ceteris, in quibus
discordare videtur. Causa fortis doloris consequentis morsum rutelæ nigræ
aut viridis, est solutio continui, & valde mala dictarum rutelarum complexio
frigida, venenosa. Causa horripilationis, & frigoris, & tremoris, & grauitatis in
coxis, est frigiditas venenosa dictarum rutelarum, causans primo horripilatio
nem, id est paruum tremorem similem illi, qui in vera horripilatione causatur,
quæ vera horripilatio, causatur ab humore, seu vapore calido mordicante,
deinde causans frigus, & tremorem magnum, & consequenter grauitatem in
coxis propter extinctionem caloris in ipsis coxis leuitatem inducentis. Cau-
sa pruritus, videlicet in loco morsurę, est parua continui solutio inducens, vt
supra dixi, non verum pruritum, sed dispositionem similem illi. Causa putrefa-
ctionis, est diminuta mortificatio caloris innati consueti humiditates debitè
regulare. Causa mollificationis ventris, & fluxus eius, est præfata frigiditas ve
nenosa dictarum rutelarum mollificans, seu paralyticans ventrem, ex cuius
mollificatione, seu paralysi destruentis virtutem retentiuam ipsius, consequi-
tur fluxus ventris. Causæ fortis doloris cum pruritu, & horripilatione, & stupo
re, & grauitate capitis & mollifictiaõe corporis, sunt cõsimiles causis eorundẽ
accidentiũ pręnarratis, pręterquã quòd vbi ex morsu rutelæ nigrę, aut viridis,
ex proprietate earũ accidit grauitas in coxis ex morsu rutelæ stellatę, ex ipsius
proprietate accidit grauitas in capite. Causę doloris vehemẽtis in loco percus
sionis & frigoris corporis totius, & horripilationis, & tremoris cõsequentium
morsum rutelæ vueæ, sunt consimiles causis consimiliũ accedentiũ pręnarra-
tis. Causa spasmi, est frigiditas venenosa dictę rutelæ ingrossans humiditates
præcipuè musculorum, & neruorum, atq; chordarum, ex quarum ingrossatio-
ne, & infrigidatione sequitur accurtatio, & contractio eorum, & consequen-
ter spasmus. Causa sudoris frigidi, est debilitas contentiuæ, præcipue mẽbro-

rum

rum ſubcutaneorum, & extinctio caloris innati. Cauſa abſciſionis vocis, eſt fri-
giditas venenoſa prędictæ rutelę cōmunicata muſculis voci deſeruiētibus, im
pediēs eorū dilatationē, & conſtrictionē voci neceſſariā. Cauſa ſtuporis in to
to corpore, eſt pręfata frigiditas totū corpus ſtupefaciēs. Cauſa apoſtematis. i.
tumoris in ventre, & tēſionis in virga, & pectine, eſt vētoſitas in dictis mēbris
generata à prędicta frigiditate. Cauſa vomitus abſq; voluntate, eſt læſio à ve-
neno dictæ rutelę ex proprietate ſua, ſtomacho, & ori eius cōmunicata, prop-
ter quod naturaliter, vt nocumentū remoueatur, incitatur ad vomitū abſq; vo
lūtate. Cauſa vrinæ turbidę, eſt debilitas virtutis diſcretiuæ hepatis & renum,
cauſata à prędicta venenoſa frigiditate. Cauſa doloris ſtomachi, & frequētiæ
vomitus cōſequentiū morſum rutelæ nigræ fumoſę malignę, eſt nocumentū
ſtomacho cōmunicatū à venenoſa frigiditate dictę rutelæ. Cauſa doloris capi
tis, & tuſſis cōſecutiuę, eſt nocumentū capiti à dicta venenoſa frigiditate cō-
municatū, prohibēdo pręſertim reſolutionē ſuperfluitatū in ipſo exiſtentium
ad quarū ſuperfluitatū poſtea deſcēſum ad pulmonē cōſequitur tuſſis. Cauſa
difficultatis egerēdi interficientis velociter, ſupple, niſi cito, & debitè ſuccurra
tur, eſt proprietas venenoſę frigiditatis dictę rutelę, mortificās virtutē expulſi
uā inteſtinorū, & muſculorū vētris virtuti ipſi deſeruiētium. Cauſę doloris for
tis valde, & tremoris, & ſudoris frigidi cū inflatione ventris, & mortis multo-
tiēs conſequentiū morſum rutelę citrinæ piloſę, ſunt cōſimiles cauſis conſimi
liū accidentiū pręnarratis. Cauſa doloris vehemēter parui cōſequētis morſum
rutelæ formicalis, eſt valde parua cōtinui ſolutio ex valde paruo morſu dictæ
rutelæ facta. Cauſa veſicatiōis corporis, eſt præfatæ rutelę modicū venenoſæ
venenū frigidū quod ſui frigiditate corporis, humiditates & phlegmata prę-
ſertim ingroſſans ſuperatū à natura ob modicā ſui venenoſitatē expellitur ſi-
mul cū præfactis humiditatibus à naturali calido aliqualiter vētoſatis ad cutē
ſeu corporis ſuperficiē faciēdo veſicationes. Cauſa grauitatis linguæ, eſt ꝓprie
tas pręfati veneni ad ingroſſandū humiditates linguę, & cōſequēter grauitatē
in ipſa inducēdū: quēadmodū de proprietate veneni rutelæ nigræ, aut viridis
eſt inducere grauitatē in coxis, & de ꝓprietate veneni rutelę ſtellatę, eſt indu-
cere grauitatē in capite. Cauſa apoſtematis in loco morſuræ conſequētis mor
ſum rutelę veſpalis, eſt cōcurſus humorū, & pręſertim ſanguinis propter dolo
rem conſequentē ex dicto morſu. Cauſa ſpaſmi, eſt frigiditas veneni præfatę
rutelę ingroſſans humiditates pręcipuè muſculorū, & neruorū, atq; chordarū
ex quarū ingroſſatione, & infrigidatiōe ſequitur accurtatio, & cōtractio eorū
& cōſequenter ſpaſmus. Cauſa ſomni ꝓfundi dominātis, eſt infrigidatio, & in
groſſatio vaporū, & humiditatū pręcipuè phlegmaticarū in cerebro exiſten-
tiū. Cauſa debilitatis amborū genuū, eſt infrigidatio eorū facta à pręfata vene-
ni frigiditate, & deſcēſus humiditatū frigidarū ad ipſa factus à proprietate di-
cti veneni. Cauſę accidentiū cōſequētiū morſum rutelę alcurſimati. i. herbinę
conſimiliū accidētibus cōſequētibus morſum rutelę vueę ſcilicet difficiliorū,
ſunt cōſimiles cauſis pręfatorū accidentiū rutelę vueæ prædeſcrptis. verū iſta
accidētia, ſunt difficiliora: quia venenoſitas iſtius rutelæ, eſt etiā maior. Cauſa
propter quā ex morſu rutelę nō lęditur vena, ſicut ipſa læditur ex pūctura ſcor
pionis, eſt quia morſus rutelæ nō adeò profundatur ꝙ penetret cutem, & tuni
cam venæ, ſicut facit punctura ſcorpionis. Cauſa propter quam ſecundum
plurimum rutelæ morſus non facit difficultatem egeſtionis, eſt proprietas in
generali rutelæ: dicunt autem vt plurimum, quia, vt patet ex prænarratis, au-
ctoritate Raſis, difficultas egeſtionis accidit ex morſu rutelæ rubeæ, & e-
tiam accidit ex morſu rutelæ nigræ, fumoſę, vt aſſerit Auicenna auctoritate
Galeni, & aliorum. Cauſæ verò accidentium conſequentium morſum om-
niū ſpecierum rutelarū, prout aſſerit Auicēna auctoritate illius, qui nominauit

ſpecies rutelarum nominibus prædeſcriptis, ſunt iſtę, & primò: Cauſa apoſte-
matis accidentis in loco morſionis cuiuſcunq; ſpeciei rutelæ, eſt concurſus ſan
guinis, & humorum propter dolorem pręcipuè. Cauſa rubedinis in primis ho
ris ipſius morſionis, eſt concurſus ſanguinis ad morſionis locum. Cauſa vt plu
rimum coagulationis ſanguinis viridis, eſt quia ſanguis, qui in primis horis cō
curſum habuit ad locum morſionis rubedinem faciendo, poſteà à frigiditate
veneni mortificato illius calore coagulatur, & fit viridis. Cauſa pruritus, eſt, vt
ſupradixi, quidam modus paruæ ſolutionis continui, nec eſt pruritus verus,
vt prænotaui.

SIGNA cuiuslibet ſpeciei rutelarum, ſunt accidentia prænarrata, & infor
matio habita quòd animal, quod momordit, fuit rutela talis, & talis ſpeciei.

PRAESERVATIO in generali, fit cum ſupradictis in 2. cap. quinti libr.
& conſimiliter fit curatio in generali cum ſupradictis in 3. cap. eiuſdem quinti
lib. Pręſeruatio verò, & cura in ſpeciali, fit cum his quę ex auctorum mentibus
infrà deſcribam.

Dioſcorides in libro de Simplicibus cap. de Aſparago: Radices aſparagi in
duplici vaſe coctę, & bibitę, percuſſum phalangij compeſcunt. Cap. de Apari
ne: Aparines ſuccus morſum mitigat phalangij cum vino bibitus, & venenis
occurrit. Cap. de Semperuiuo maiori: Succus ſemperuiui bibitus, morſibus
phalangij occurrit. Cap. de Anagyri: Anagyris folia, ʒ. 1. cum vino bibita, pha-
langij morſus mitigant. Cap. de Aqua ſalſa: Aqua ſalſa tepida accepta, phalan-
giorum, & ſcorpionum ictus, vel aſpidum, non admittit. Cap. de Moro: Suc-
cus foliorum eius, morſus phalangij curat. Cap. de Cochlea terrena: Cochlea
terrena, trita etiam cruda & cum lacte aſinino bibita, morſibus venenatis prę-
ſtolatur, & phalangij vim non admittit. |&c. Poſſunt hęc omnia, & marinę co-
chleæ facere, ſed minorem habent virtutem. Cap. de Hedera: Succus radicis
hederæ cum aceto bibitus, morſibus phalangij occurrit. Cap. de Corio: Corij
ſemen bibitum, phalangij ictum mitigat. Cap. de Dauco: Semen bibitum per-
cuſſionibus phalangij occurrit. Cap. de Lactuca: Succus agreſtis lactucæ bi-
bitus, phalangij morſum mitigat. Semen eius bibitum, omnibus ſupraſcriptis
maximè prodeſt. Cap. de Malua: Cum radicibus cocta malua in iuſculo, potio
nibus venenoſis ſubuenit. Si frequenter bibatur, morſus phalangij temperat.
Cap. de Meliſſophyllo: Folia eius cum vino bibita, & in cataplaſmate, ictus
phalangij optimè curant. Elixatura eius idem facere poteſt. Nitro addito, fo-
lia ipſa, omnia ſupraſcripta facere norunt. Cap. de Succo agreſtis ficus: Ad pha
langij morſum bibitus opitulatur. Cap. de Iunco: Iunci duo ſunt genera. Folia
eius ad radicem ſunt, quæ cataplaſmate adhibita, phalangij ictus mitigant.

Galenus in libro de Experimentis, cap. de Medicinis ſumptis à Chazon ex
perimentatore de ciuitate Athenarum medico nobiliſſimo. Dabat decoctio
nem centaureæ ad morſum rutelæ. Oribaſius ſecundo ſuæ Practicæ capite
ad Phalangij morſum. Ad phalangij morſum cataplaſma ex pultibus ordei, &
ius, vbi coxerit lupinus, ad locum pones, donec eſcara leuetur. Cum ſe eleua-
uerit, medicamen ſuperpones, id eſt adipem anſerinum, & coagulum capri-
num, rutam agreſtem, & oleum, terendo commiſcebis in ampulla vitrea, ad ſo
lem, vel ad focū calefacies, & vnges. Item vetonicæ, id eſt betonicæ, ʒ. iij. teres
cum vini heminæ tertia, aliàs heminas, iij. potu dabis. Item ariſtolochiæ longę
ʒ. 1. vini heminam. 1 ſæpius bibant. venenum diſcutit. Item vuę agreſtis grana,
xxx. cum aceto teres, & vtantur. Kyrandus libro ſecundo, cap. primo. ſ. de ca-
pra, & hœdo: Stercus capræ diſſolutum cum pultibus, & ſuper aſperſum vlce
ribus, percuſſos à rutela, vel ſerpente, vel vipera perfectè ſanat. Serapio in ſuo
de Simplicibus cap. de Nigella, auctoritate Aben Meſuay: Nigella cōfert mor
ſui rutelæ.

Raſis

Rasis 20 Continentis, cap. 2. Accidunt ex morsu rutelæ frigiditas, & pruritus in membro, &c. Et stare in aqua calida, facit cessare dolorem, & cum exierit, statim redit. Cura eius, est spargere super locum eius aquam calidam cum sale, & intrare balneum frequenter. Et sume aristolochiæ, cymini, an. ʒ. iij. da bibere cum vino lymphato cum aqua decoctionis nucis cypressi, & emplastra locum cum cinere calido, ficubus, & sale emplastratis cum vino, aut cum aristolochia, & farina ordei distemperatis cum aceto. Theriaca contra morsum malorũ scorpionũ, & rutelę. ℞. fęcis vini, ʒ. vi. sulfuris citrini, ʒ. viij. seminis rutæ, ʒ. iij. castorei, seminis erucę, an. ʒ. ij. informentur cũ sanguine testudinis marinæ. dosis eius, ʒ. ij. cum ℥. v. vini. Alia theriaca similis illi. ℞. pyrethri, & aristolochię an. part. 1. piperis albi, par. sem. foliorum marut. i. marrubij, seu prasij, par. iiij. informentur cum melle. dosis eius, ʒ. 1. Alia medicina: ℞. radicum capparis, aristolochię longę, baccarum lauri, & gentianę, an. administrentur cum vino. Similiter iuuat ad hoc diaassa cum vino. Cura tarentulę, est similis curę rutelę, & iuuat ad puncturam rutelę bibere, ℥. 1. succi foliorum mori. Et similiter iuuat bibere aquam cineris ficuum. Cura morsus rutelę, & araneæ, est sumere cyminum, aut semen agni casti: aut comedant allia & bibant vinum forte. Rufus, & Galenus contra venenum rutelę: Emplastra locũ cum cinere arboris fici, & sale dissolutis cum vino, aut cũ aristolochia dissoluta cum aceto & melle: aut lauare vulnus cũ sale & aqua calida, & ponere patientem in balneo quinque diebus continuè, & dare bibere patienti aquam decoctionis cypressi, & sumere fructum tamarisci, & darsini, aliàs, cinnamomũ, cũ vino. Theriaca valde bona ad morsum rutelæ: ℞. aristolochiæ longę, abrotani, ireos radicis, spicæ Romanę, pyrethri, dauci, ellebori nigri, cymini, baurach, foliorum, xylocarattæ. i. arboris carubię, baccarum lauri, coaguli leporis, darsini. i. cinnamomi, cancrorum fluuialium, xylobalsami, carpobalsami, seminis trifolij, nucis cypressi, seminis apij, an. informẽtur cũ melle, siue cõficiantur. dosis eius, quantitas nucis cũ sapa, & aqua calida. & ingrediatur balneum, & bibat vinum vetus. Dioscorides: Sumere grana viridia cum vino, valet contra morsum rutelæ. Ait Galenus in libro, quem fecit de medicinis oppositis ęgritudinibus: Hęc est medicina mirabilis contra morsum scorpionis, & rutelę: ℞. aristolochię, opij, an. aur. iiij. pyrethri, aur. iij. fiant trochisci sicut faba. dosis eius, sint trochisci duo cum ʒ. iij. vini puri.

Rasis octauo Almansoris, cap. de Morsibus rutelæ, & siptu, & araneæ: Omnium curatio cõmunis est, vt patientes in aqua calida tãdiu stare permittãtur, donec dolor ab eis remoueatur. Nã cùm in ea per horã vnã sedẽt, quiescũt: cũ aũt de aqua exierint, dolor reuertitur. Cũ igitur dolorẽ, postquã de aqua exierint, sedari cõspexeris, locũ ex aqua, in qua multũ salis resolutũ fuerit, line. Corpora quoque eorum calefac, eosque eadem die balneum ingredi fac, & eos sudare fac. Postea diebus aliquot loca emplastrum de cinere, qui fit de ligno fici, & calce, & kali. i. plantę simili vermiculari ex cuius cinere fit vitrum, ex aqua calida cõspersis superpone. Patiẽti quoque quantitatẽ duarũ drachmarũ nigellæ tribue. Theriaca alia ad morsus rutelę vtilis, & probata. ℞. nigellę ʒ. x. dauci, cymini, amborũ an. ʒ. v. seminis harmel. i. rutæ cãpestris, gallarũ cypressi, amborũ an. ʒ. iij. spicæ Indicæ, baccarũ lauri, aristolochię rotundæ, carpobalsami, cinnamomi, gentianæ, seminis andacochæ. i. trifolij, seminis apij, omniũ an. ʒ. ij. conficiantur cum melle. detur ex ea ad nucis magnitudinẽ cũ vino veteri. Ad hoc prętérea confert, vt medicinę scorpionum dentur. Rasis in Diuisionibus cap. de Remedijs venenorum: Rutelę autem mordicationi confert calidum balneum valde, & tina, & sepeliri in aranea, & cinere calido: & accipere puluerem de nigella, & semen apij, & medicamen de assa.

Albucaſis ſecunda particula Azarauij, tractatu ſecundo, cap. de Morſu ru-
telæ:Hoc eſt animal, quod ſimile eſt araneæ paruę capienti muſcas, cuius ge-
nera diuerſificantur colore:ſed peiora ſunt quę in Aegypto reperiuntur. Cu-
ratio verò omnium, licet diuerſa ſint eius genera, eſt eadem. Curatio huius, eſt
quòd ſedeat patiens in aqua calida, vt ſedetur dolor. & ſi dolor recedit vna
hora, & poſtea redit, ingrediatur balneum, & ſudet in illo tota illa die, vel ſepe
liatur in arena, vel cineribus calidis. & emplaſtretur locus cum cineribus lig-
norum ficus, & calce, & alkali.i.planta ſimili vermiculari, ex cuius cinere fit vi
trum miſtis cum aqua vel vino. & bibat ex aſſa, & ſemine apij, an. pondus, ʒ. i.
& bibat ex nigella, ʒ. ij. & cōferunt ei vniuerſæ medicinæ morſus ſcorpionis.
Quod aūt præ ceteris valet, eſt quòd cauterizetur locus cū igne completa cau
terizatione: quoniam cum hoc ab omni euadet periculo. Albucaſis 4 particu
la Azarauij: Medicina Almanſoris: Raſis contra facta venenis nominata me-
dicina de aſſa fœtida, quæ ad frigida venena facit, atq; ictibus ſcorpionis, & ru
telæ morſibus, nec non ęgritudinibus frigidis confert: ℞. foliorum rutæ ſiccę,
coſti, menthaſtri ſicci, pyrethri, cordumeni, omnium partes ęquales, aſſæ fœtu-
dæ, quantum eſt, omniū quarta pars, mellis quod ſufficit. doſis eius in potu ſu-
mitur à magnitudine incipiēs auellanę, & vſq; ad nucis protēditur magnitudi
nem. Rabbi Moyſes in lib. de Venenis, tract. primo, cap. quinto: Rutela qui-
dem eſt nomen, quod de pluribus animalibus dicitur, &c. Rutelæ, ſeu araneæ
peior, vt aiunt, eſt illa quæ reperitur in Aegypto. Sunt tamen duæ ſpecies ex
eis valde malæ, quæ in domibus, & pluribus regionibus reperiuntur, quarum
vna parua corpore, longos pedes habet, & hæc net, ſeu texit filos longos, & ni
gros, & telam magnam, & nigram. Alia autem, habet corpus magnum, & pe-
des breues, & net, ſeu texit in tectis telam albam, & cryſtallinam, panno ſubti-
li, qui dicitur bocheram, id eſt bocaſinum, ſimillimā. Nocumentum autem triū
ſpecierum ſupraſcriptarum non eſt magnum, vnde interdum ſentit, & perci-
pit quis de nocte puncturas ipſarum, & interdum non, ſed manè ſequenti vi-
detur locus puncturę tumidus, & rubeus, & in hoc caſu, ʒ. i. panis dentibus ma
ſticati, aut farinæ, & ſalis in oleo decoctę ſuperponitur, & diſſoluitur rubor, &
tumor eodem die.

Auicenna ſecūdo canone, tract. 2. cap. de Myrto: Myrtus cōfert morſui rute
lę, & ſimiliter fructus eius, cū potatur cū vino, & ſimiliter pūcturę ſcorpionis.
Cap. de Cæpe azir: Cæpe azir, eſt ſimile cæpę muris. i. ſcillę in virtute, & ſapo-
re ſuo, & adminiſtratur loco eius, ſed eſt debilius eo. Confert venenis, & pun-
cturę ſcorpionis, & rutelæ bibitū, & more emplaſtri ſuperpoſitum, cum miſce
tur cum ficubus. Cap. de Dirūgi. i. doronico: Dirungi. i. doronicū, cōfert pun-
cturę vermiū venenoſorū, & ſcorpionis, et rutelę bibita, et emplaſtro facto ex
eo cū ficub. Cap. de Aſparago: Aſparagus quādo coquitur cū vino, cōfert pun
cturę rutelę. Cap. de Aſſa: Aſſa ponitur ſuper morſum vermiū venenoſorum
& propriè ſcorpionis, & rutelę, & cōfert omnibus illis bibita. Cap. de Grano
Lucæ. i. grano viridi ex cuius arbore emanat terebinthina: Bibitur gūma eius
.i. terebinthina, & fructus eius cū vino ad morſum rutelę. Cap. de Tamariſco:
Cōfert fructus tamariſci morſui rutelę. Cap. de Cancro fluuiali: Cācer fluuia-
lis, confert morſui ſcorpionis, & rutelæ, more emplaſtri ſuperpoſitus, & come
ſtus. Cap. de Cuſſus: Cuſſus ſpecies ſunt tres, nigra, & alba, & rubea, & omnes
ſunt acres, & ſtipticæ: quādo bibitur eius radix cū aceto, & vino, confert mor-
ſui rutelæ. Cap. de Roba. i. auellana Indica: Roba. i. auellana Indica, eſt theriaca
morſui ſcorpionis, & rutelæ: & quidā ſtudēt ad hoc, vt ſumāt de cortice eius ſu
periore, ſicut lens, & proijciant in fixurā puncturæ. Cap. de Sceha: Sceha. i. ab-
ſinthiū, cuius duæ ſunt ſpecies; eius oleū, cōfert pūcturę ſcorpionis, & rutelæ,
& ve-

& venenis. Cap. de Nigella: Nigella confert ad morsum rutelę, quãdo de ea bi
bitur aureus. Cap. de Fico: Fici lac, cõfert puncturæ scorpionis inunctũ, & si-
militer rutelę. Et fit ex ea, supple, fico immatura emplastrũ cũ herbo. i. orobo-
super morsum rutelę, & cõfert. Et aqua cineris eius iterata, cõfert morsui rute-
læ in potu data, & facta inunctione ex ea. & alumez. i. cinis ex ea, cõfert pũctu
ris venenosis bibita & linita. Cap. de Moro: Quando bibitur de succo folio-
rum arboris mori, ℥. 1. semis, confert morsui rutelę, & lenit naturam lubricitate
sua, & inflatione. Cap. de Lactuca syluestri: Lac lactucę syluestris, datur in po
tu morsui rutelæ, & scorpionis. Cap. de Cubeze: Cubeze est species maluæ, &
dicitur quòd syluestris, est cubeze, & molochia est domestica. folia eius sedant
dolorẽ vespæ more emplastri superposita, & propriè cũ oleo: & similiter bibi-
tur semen eius, & vomitur semper, & confert morsui rutelæ.

Auicenna 4 canone, fen 6. tractatu quinto, cap. de Rutelis: In cura eorum ite
tũ administretur canon vniuersalis ex attractione & suctione, & linitur cũ a-
qua salsa: & dẽtur theriacę prędictę in cap. scorpionum: & balneũ, & tina, sunt
velociores in sedando dolores eorũ: nam cum ipsi humectantur in tina, seda-
tur dolor eorũ, & si egrediuntur ab ea, redit: quare oportet, vt balneẽtur omni
hora. Theriaca bona ad rutelã, & draconẽ, & genera serpentiũ: Dixerũt: Den-
tur in potu in eorũ morsu, quę sunt sicut medicamẽ huius bdellij albi, aristolo-
chię lõgę, radicũ lilij cęlestis, spicę celticę, pyrethri, dauci, ellebori nigri, cymi-
ni, asphodeli, foliorũ algenbuc. i. carubię, alfinicon. i. dactyli foliorũ capitũ gra
natorum, coaguli leporis, cinnamomi, cãcri fluuialis, styracis, succi papaueris,
carpobalsami, omniũ an. ℥. 1. terãtur, & cõficiãtur, & informẽtur trochisci, quo-
rũ vnusquisqꝫ sit aur. 1. & est dosis. 1. detur in potu cũ vino, & semine alandaco-
chę. i. trifolij, & nuce cupressi, & semine apij. Reliquæ medicinæ, grana pini, &
cyminum Aethiopicum, & folia arboris adulb. i. arboris platani, cuius glãdes
dicuntur vulgariter valonea, & corticum eius, & semen alandacochę, & cicer
nigrum, & propriè campestre, & grana nigra. i. nigella, sunt bona valde, & se-
men abrotani, & semen anethi, & aristolochia, & fructus tamarisci, & succus
semperuiuę, & lac lactucę cãpestris. Et dosis cuiuslibet istorũ, sit pondus duo-
rum aureorum cum vino. Et iterum vinum, in quo decocta est nux cypressi, &
propriè cum cinnamomo, & ius cancrorum, & ius anseris, & decoctio radicis
asparagi cum vino & aqua. Et ex eis, quę ipsis in potu tribuuntur compositæ,
sunt aristolochię, & cymini part. æquales. & sit dosis eius ʒ. iij. cum aqua cali-
da. Theriaca experta: ℞. nigellæ, ʒ. x. dauci, cymini, an. ʒ. v. radicis nucis cypres
si, an. ʒ. iij. spicæ nardi, baccarũ lauri, aristo. rotũdæ, carpobalsami, cinnamomi,
gẽtianæ, seminis andacochæ, seminis apij, an. ʒ, ij. cõficiantur cũ melle. dosis sit
quãtitas nucis cũ vino antiquo. Epithemata, & similia: De bonis eorũ est cinis
ligni fici, cõfectus cũ vino, & sale, & culcasia: & spõgia infusa in aceto expressa
& aristolochia cũ farina ordei confecta cũ aceto, & folia alcorsuf. i. cardi, cuius
capita comedũtur, & porri, & virgæ pastoris, & aristolochiæ cum arbore fici.
Emplastrũ bonũ: Sumãtur cortices granatorum, aristolochia, & farina ordei
cũ aceto: administrẽtur post ablutionẽ vulneris cũ aqua, & sale. Et de vnguen
tis, est oleum de andacocha embrocatum calefactũ. Et de embrocis, est aqua
marina calefacta, & omnis aqua salsa, & decoctio alcorsuf, & decoctio nucis
cypressi. Auicenna 5 canone, summa prima, tract. 1. f. de theriacis: Cõfectio de
assa, expellit nocumentum puncturę, & propriè scorpionis, & rutelæ, & quæ
sunt sicut illa duo, cuius permistio: ℞. assæ, piperis, myrrhæ, & foliorum rutæ
partes æquales: conficiantur cum melle: cuius dosis sit pondus, ʒ. 1. aliàs ℥. ij. in
punctura scorpionum cum vino.

Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 23. cap. de Vino: Merũ remedio

eſt cõtra phalangia ſerpentium ſcorpionũq; ictus, cõtraq; omnia quæ refrige-
rãdo nocẽt, &c. Lib. 24. cap. de Amerina ſalice: Aduerſantur venenis ſerpen-
tiũ, maximè quæ frigus inferunt, ſemina agni caſti maioris: minor efficacior ad
ſerpẽtes. Bibitur ſemis ʒ. in vino vel poſca, aut duabus drachmis foliorũ tener-
rimorũ. Illinũtur & vtraq; aduerſus araneorum morſus. At Venereæ rei impe-
tus inhibẽt, eoq; maximè phalangijs aduerſantur, quorũ morſus genitale exci-
tat. Lib. 29. cap. de Remedijs aduerſus ictus phalãgiorũ, & muris aranei: Inter
præcipua laudãt phalangiũ. Eſt Italię ignotũ, & plurium generum. Vnũ ſimile
formicę, ſed multo maius, rufo capite, reliqua parte corporis nigrũ, albis reſper-
ſum guttis. Acerbior huius quàm veſpę ictus. Viuit maximè circa furnos, &
molas. In remedio eſt, ſiquis eiuſdẽ generis alterũ percuſſo oſtendat, & ad hoc
ſeruantur, cũ mortui inueniuntur, &c. Cõtra omniũ morſus remediũ eſt galli-
naceũ cerebrũ cũ piperis exiguo potũ in poſca. Itẽ formicę quinq; pedũ potę.
Fimi cinis illitus ex aceto, & ipſi aranei quicunq; in oleo putrefacti.

Petrus de Abano in lib. de Venenis, cap. de Morſu rutelæ: Mordicationi au-
tẽ rutelæ, confert balneum calidũ valde, & ſepeliri in arena calida, & cinere ca-
lido, & bibere pulucrem de nigella. Guilielmus de Varignana in ſua practica,
ſermone 4 tractatu 3 cap. 5: Ad morſum rutelæ: Teneatur locus in aqua cali-
da, donec dolor ſedetur, poſt ſumat in potu nigellę ʒ. ij. & emplaſtretur locus
cum cinere ligni ficus, calce, & flore ſalis miſtis cũ aqua calida, aut bibatur ſępe
& liniatur locus ex lixiuio facto ex cinere ficulneę dicto ſupra cap. de coagula-
tione lactis in ſtomacho: aut bibat ex ſucco foliorũ mori ℥. 1. ſem. Chriſtopho-
rus de Honeſtis in ſuis problematib. de Venenis, problemate de aranea, vel ru-
tela, Bezaar eius, ſunt grana viridia, i. grana arboris terebinthi cum vino.

De Tarantula Cap. V.

TArantula ſpecies eſt rutelę, vel araneę, & eſt animal paruum, ſimile araneę
magnę, ſex habens pedes, tres ex vno quoq; latere, & habet caudam extẽ-
ſam, in cuius ſuperficie, ſeu extremitate habet aculeũ paruum cum quo pũgit,
cuius duę ſunt ſpecies, videlicet nigra, & crocea clara. Hoc aũt animal à diuer-
ſis auctoribus, vt infra patebit, diuerſimodè nuncupatur. A Raſi nãq; 20. & 22
Cõtinentis, nũcupatur tarãtula. A Raſi 8 Almanſoris, nũcupatur ſiptu. Ab Al-
bucaſi, ſecunda particula Azarauij, nũcupatur Alſari. A Rabbi Moyſe dicitur
Ayyonſarpa. Ab Auicẽ. nominatur Sebegi. A Gilberto verò dicitur Taranta.

NATVRA eius frigida eſt, & ſicca, & melancholica, atq; venenoſa: verũ
deterior eſt crocea, & illa, quæ in Aegypto reperitur, deterior eſt omnibus.

ACCIDENTIA puncturam ipſius conſequentia, ſunt dolor fortis in lo-
co puncturę, & dolor ſtomachi, & vomitus, & difficultas vrinę, & difficultas
egeſtionis, & mors aliquando feſtina. Et in quibuſdã locis, vtputa in Apulia,
& pręſertim in Tarento à quo fortè nomen vnum ex præfatis aſſumpſit, acci-
dit ex punctura eius, quòd vir, vel mulier punctus, vel pũcta ab ea efficitur me-
lancholicus, vel melancholica, adeò vt perſeueret illa melancholia cum illa
phantaſia, & appetitu, & cogitatione, cum quibus tempore punctionis erat,
quouſq; venenoſitas reſoluatur.

CAVSA doloris fortis in loco pũcturę, eſt ſolutio cõtinui, & valde mala cõ-
plexio frigida, & ſicca, & venenoſa ipſius tarãtulę. Cauſa doloris ſtomachi, &
vomitus, eſt pręfecta mala cõplexio venenoſa, ſtomacho cõmunicata, ſicut de
ꝓprietate ferè cuiuslibet venenoſę rei eſt, ipſi ſtomacho nocumẽtũ cõmunica-
re, ad quẽ dolorẽ, accidit quòd natura tentãs ipſum remouere, ꝓuocat vomitũ.
Cauſa difficultatis vrinę, & difficultatis egeſtiõis, eſt venenoſa cõplexio ipſius
tarãtulę, frigida, & ſicca, cõſtringẽs vias vrinę, & egeſtiõis, & inſpiſſans atq; ad

tranſitũ,ſeu egreſſum inhabilitãs materias, quæ per vias vrinæ, & egeſtionis
debẽt expelli. Cauſa mortis aliquãdo feſtinæ,eſt extinctio caloris innati prę-
cipuè propter nocumentũ cordi communicatũ. Cauſa melãcholicitatis, & fi-
xionis in phãtaſia, & appetitu, & cogitatione cũ quibus tẽpore punctionis e-
rat,eſt ꝓprietas, & cõplexio melãcholica veneni ipſius tarãtulæ, cõmunicata
terminatiuè cerebro, adeo vt ſi tẽpore pũctionis cogitatio,ſeu appetitus, ſeu
phantaſia erat de libidine,vel tripudio,vel cantu,vel reuerẽtia,vel aliquo alio
gaudio,vel triſtitia,vel ſibi conſimili,ſemper in ipſo perſeueret vſq; ad veneni
cõſumptionẽ. Et ſi dicatur qualiter perſeuerat in diſpoſitiõe gaudij, quia natu
ra veneni eſt melãcholica: Reſpondetur, quòd perſeuerat in diſpoſitione gau
dij miſta cũ triſtitia,ſicut reperiuntur abſq; veneno effecti melancholici, gau-
dentes, & ridentes,permiſta tamen aliquando triſtitia.

SIGNA præfatæ puncturæ,ſunt animãtia prænarrata, & informatio ha-
bita, quòd animal, quod pupugit,fuit tarantula prædeſcripta.

PRAESERVATIO perficitur cũ pręſeruantibus in generali ſupraſcri-
ptis in 2. cap. 5. lib. euitando loca vbi ſolent talia animalia commorari.

CVRA verò ipſius, eſt cura rutelæ in immediatè præcedẽti cap. poſita. Quę
tamẽ ab auctoribus in ſpeciali pro eius cura dicuntur, ſtatim infra deſcribam.
Raſis 20 Continentis cap. 2. Vitis alba magnæ virtutis eſt in morſu ſcorpio-
nis, & tarantulæ. Cura tarantulæ eſt ſimilis curæ rutelę, & iuuat ad puncturam
rutelæ bibere ℥.1. ſemis ſucci foliorum mori: & ſimiliter iuuat bibere aquam ci
neris ficuum. Cura morſus tarantulæ, & araneæ, eſt cum ventoſis abſq; caraxa
tionę.i. ſcarificatione, & vngere locum cum oleo roſaceo. Raſis 22 Continen-
tis, cap. de Roba i. auellana Indica. In libro Baelba de Venenis dixit: Fit illini-
tio cum ea, ſupple, roba. i. auellana Indica ſuper locum morſus ſcorpionis, aut
tarantulæ, & confert. Cap. de Cancro fluuiali: Cancer fluuialis tritus, crudus,
& bibibitus cum lacte aſinino, confert ictui furunculorum, tarantulæ, & ſcor-
pionis: & cancri marini etiã hoc faciunt, tamen debiliores ſunt. Raſis 8 Alman
ſoris cap. de Morſibus rutelæ, & ſiptu, & araneæ: Siptu magno araneo longos
habenti pedes aſſimilatur. Omnium curatio communis eſt, vt patientes in a-
qua calida tandiu ſtare permittantur, donec dolor ab eis remoueatur. Nam
cum in ea per horam vnam ſedent, quieſcunt, cum autem de aqua exierint, do
lor reuertitur. Cum igitur dolorem, poſtquàm de aqua exierint, ſedari conſpe-
xeris, locum ex aqua in qua multum ſalis reſolutum fuerit line. Corpora quoq;
eorum calefac, eoſq; eadem die balneum ingredi fac, & eos ſudare fac, poſtea
diebus aliquot loca emplaſtrum de cinere, qui fit de ligno fici, & calce, & kali,
id eſt planta ſimili vermiculari, ex quibus cinere fit vitrum, ex aqua calida con
ſperſis ſuperpone. Patienti quoq; quantitatem duarum ʒ. nigellæ tribue. Ille e-
tiam, quem ſiptu, id eſt tarantula momorderit, cum tali medicamine, quale eſt
iſtud, curatur. Albucaſis ſecunda particula Azarauij, tractatu 2. cap. de Alſa-
ri: Hoc animal ſimilatur araneæ in magnitudine habens longos pedes, &c.
Curatio eius, proxima eſt curationi rutelæ. Rabbi Moyſes in libro de Vene-
nis, tractatu primo cap. quinto: Retulerunt quòd quædam ex eis, ſupple, ara-
neis, habent caudas, ſicut illa quæ in Aegypto, a yyonſarpa Arabicè nomina-
tur, id eſt tarantula. Punctura autem harum omnium ſpecierum, ſupple, ara-
nearum puncturæ ſcorpionis eſt ſimilis, & propinqua: vnde quicquid con-
fert puncturę ſcorpionis, confert etiam puncturæ araneæ, & tarantulæ. Aui-
cenna 4 canone, fen ſexta tractatu 5. cap. de ſebegi, id eſt tarantula. Hoc eſt ſi-
cut aranea, habens plures pedes, & longos. Et cura eius, eſt cura rutelæ. Gil-
bertus Anglicus. 7. ſui Compendij medicinæ, capite de Tarenta, id eſt taran-
tula: Tarenta, animal eſt paruum, ſex habens pedes, tres hinc, & tres inde, &c.

Detur statim theriaca maior, vel socrugene. i. sagzenea, & in vulnere ponatur aristolochia rotũda, sed prius lauetur cum vino decoctionis baccarum lauri, detur etiam butyrum, & mel: cancri fluuiales dentur cum lacte asinino, & vino, similiter agaricum, similiter radix croci. Christophorus de Honestis de Bononia in suis problematib. de venenis, problemate de tarantula: Bezaar istius, est bezaar veneni rutelæ. s. grana viridia.

De Aranea terrestri Cap. VI.

ARanea terrestris, est vermis rotũdus, longorũ cruriũ respectu sui corporis, deditus animaliũ venationi: cuius nẽpe multa sunt genera, ex quibus vt suprà dixi, vnũ est rutela. diuersificãtur nanq; araneę prędictę principaliter quadrupliciter, videlicet, venatione, opere, quãtitate, & colore: Venatiõe quidem quia quędã venantur muscas, quędã reptilia, sicut paruulas lacertas, & erucas, quædã pisces, & quędam saltando venãtur vermes: Opere aũt, quia quędam texit telã, & quædã non: & illa, quę texit, adhuc diuersificatur: quia quędã texit telam albã, quædam nigram, quædam subtilẽ, quędam grossam, & quędã medio modo, & quędam suspendit inter duos parietes, quædam in angulis parietum, & quædam in aere: Quantitate verò, quia quædam est magna, quędã parua, quædam mediocris: Colore autem etiam diuersificantur araneæ, quia quędam sunt cinereæ, quædam virides, quædam variæ per totum corpus ex albo virulento, & hyano virulento pictatæ, quædam nigræ, & quę aliter diuersimodè coloratæ.

NATVRA araneę, frigida est, & venenosa, quędam tamen magis, & quædam minus.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt ventositas plurima in ventre, horripilatio, frigus extremitatum, & erectio virgæ. Causa ventositatis plurimæ in ventre, est frigiditas venenosa araneæ, ventri communicata, diminuens illius calorem, ex cuius diminutione sequitur multiplicatio ventositatum plurimarum in eo. Causa horripilationis. i. parui tremoris similis horripilationi, & non veræ horripilationi, quæ ab humore, seu vapore calido causatur, est præfata venenosa frigiditas non multum intensè corpori, & præcipuè eius musculis, & cuti communicata. Causa frigoris extremitatum, est præfata venenosa frigiditas calorem naturalem extinguens, siue diminuens. Causa erectionis virgæ, est ventositas virgæ, & præcipuè ipsius arterijs cõmunicata, generata à calore diminuto à prędicta venenosa frigiditate.

SIGNA morsus prædicti, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita quòd animal, quod momordit, fuit aranea.

PRAESERVATIO verò, & cura eius, similis est pręseruationi, & curę rutelę. Quę tamẽ specialiter ꝑ ipsius pręseruatione, & cura, ab auctorib. enarrãtur, infrà describã. Dioscorides in lib. de Simplicib. cap. de Hierobotane: Hierobotane vires habet acres. Facit ad serpẽtis morsum, & aranearum, &c. vulnus recens, superimposita curat. Radix eius in collo ligatur. Radicem hãc qui secum habuerit, à serpente tutus erit. Cap. de Origano: Tragoriganũ maioris virtutis atq; efficaciæ sentitur in ratione medicinæ. Hoc ex vino albo tritũ, & in potione sumptum, scorpionum & aranearum venenis resistit, & serpẽtes fugat. Galenus in libro de Facilè acquisibilibus ad Solonem, capite vltimo: Embrocatio ad morsum viperæ, & araneæ. Trifolium herbam coquens embroca: nullus autem embrocetur in illa embrocatione qui non patitur: trãsit enim passio in eum, vt putet se à vipera, vel aranea esse mordicatum. Galenus in libro de Virtutibus centaureæ ad Papiam: Est autem centaureæ minoris succositas, supple, facta modo suprascripto in tertio capite quinti libri, auctio,

auctoritate Galeni loco præallegato stiptica, & siccatiua, & calefactiua, cũ vir tute immanifesta operãs, quam non est possibile exponere verbo, neq; ad excogitationẽ venire, ita est vtilis ad multa. Confert autẽ & in feris venenosis interficientibus, & non interficientibus, in apum quidem, & incisiuorum morsibus vncta cũ vino, in reliquorũ verò cõsimiliter, sicut araneę, & scorpionis, &c. Oribasius 2 suæ Practicę, cap. ad aranearũ morsum: Ad aranearũ morsum, ℞. myrrham, allij, grana viij. laseris. i. assæ fœtidæ, ℥. 1. rutæ cimas viij. piperis, grana. xi. Teres, vtiliter dabis eis in balneo cum duobus calicibus vini. Item gallinarum cerebrum cum vno cyatho poscæ, id est aceti aquæ misti deliquatum potui dabis. Macer in suo de Simplicibus, cap. de Melisa, seu melissophilo:

Auxilium præsens apum fert ictibus illa:
Ictus de trita tegitur si protinus herba:
Hoc quoq; modo, quos uespa nocet uel aranea, curat.

Chyrandus libro quarto, capite de Cancris fluuialibus: Cancri fluuiales triti, & bibiti cum lactę caprino, percussos à scorpione, ab araneo, &c. sanat. Isaac in Diętis libro tertio, capite de Asparago: Asparagi radix, & semen, nimium valet: quia eorum apozima bibitum, morsibus araneorum occurrit. Capite de Natura aquæ marinæ: Qui balneantur in ea, pori corporis aperiuntur, & aqua perforans vsq; ad interiora, trahit intrinsecam superfluitatem totius corporis ad exteriora. morsus etiam araneæ, & scorpionis curat.

Rasis 20 Continentis capite secundo: Accidunt ex morsu aranearum frigiditas extremitatum, erectio virgæ, ventositas in ventre, & horripilatio. Cura eius, est bibere aristolochiæ, ℥. iij, cum vino decoctionis gentianę, & menthastri: & similiter bibere cyperi cum vino, & similiter altit, id est assam. Et patientes ingrediantur balneum, vt prouocent sudorem multum, & bibant vinum purum, aut bibant nigellam cum vino. Cura morsus rutelæ, & araneæ, est sumere cyminum, aut semen agni casti: aut comedant allia, & bibant vinum forte. Cura morsus tarantulæ, & araneæ, est cum ventosis absq; caraxatione, id est scarificatione, & vngere locum cum oleo rosaceo.

Rasis 22 Continentis, capite de Abrotano: Dixit Bymasui: Propriè confert morsui araneæ, & scorpionis, si bibitur. Cap. de Nigella: Nigella, dixit Dioscorides, bibita in pondere, aur. 1. cum aqua, confert morsui araneæ. Bymasui: cõfert morsui araneæ. Rasis vigesimo tertio Continentis, cap. de Spina maris: Dixit Galenus in theriaca ad Cæsarem: Spina est nascens in vere: habet semen simile semini carthami: & si coquitur, & effunditur aqua eius super morsum viperæ, & animalis appellati phalangia, id est speciei araneę paruæ venenosæ, mitigat dolorem statim. & si effunditur super locum, in quo non fuerit morsus viperæ, infert nocumentum, vt nocumentum morsus ipsius. Cap. de Aqua: Si patiens ingreditur aquam maris calidam, sequetur iuuamentum eius morsui scorpionis, & araneę, &c. Rasis octauo Almansoris, cap. de Morsibus rutelæ, & sptu, & araneę: Araneorum verò quidam sunt, ex quorum morsu adeò consequuntur sæua accidentia, vt extremitates infrigidentur, &c. Istis verò ruta sicca, & cyperi cum vino dari debent. & vt in balneo sudent elaborandum: vinum quoq; purum toto illo die, licet paulatim, est tribuendum. Rasis libro de Proprietatibus animalium, cap. de Proprietatibus cancri: Cancer fluuialis, aut marinus tritus, si cum lacte asinæ potetur, confert contra morsum aranearum citrinarum pessimarum. Cap. de Proprietatibus crocodili: Decoctio ipsius, supple, crocodili, iuuat contra morsum muscarum, & aranearum, et vermiũ, & huiusmodi. Cap. de Proprietatibus gallinæ Cerebrũ gallinę bibitũ, propriè valet cõtra morsum aranearum, & huiusmodi. Cap. de Proprietatibus mulieris: Sepum hominis, confert contra morsum paruorum animalium venenosorum, sicut est aranea, & huiusmodi.

Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Morsu malę araneę: Curatio ipsius, est quòd bibat rutã siccã, & origanũ cũ vino, & sudet in balneo, & bibat ex herba alsanda.i. vt credo, alsini.i. auricula muris.i. anagalli, quę Venetijs vulgariter dicitur Pauarina, aliàs & credo melius, alsuniz.i. nigella, vel bibat ex theriaca alsuniz,i. de nigella, aut ex alijs theriacis in suo loco determinatis. Auctor pręsentis operis: Descriptio theriacæ de nigella, posita est superius in nono cap. primi lib. auctoritate Albucasis quarta particula Azarauij. Rabbi Moyses in libro de Venenis, tractatu primo, cap. quinto: Punctura autem harum omnium specierum, supple, araneæ, puncturę scorpionis est similis, & propinqua: vnde quicquid confert puncturę scorpionis, confert etiam puncturæ araneę. Reperi nihilominus quasdam medicinas speciales contra morsuram araneæ, ex quibus est vna, vt ʒ.v. radicis asparagi decoctę in vi.ʒ. vini sumantur in potu. Expedit etiam in propositis vt in potu sumantur ex folijs melissę cum vino à ʒ.1. vsq; ad ʒ iiij. & ex eis si locus emplastretur, prodest valde. confert etiam ad hoc, si sumatur in potu ex fructu tamarasci à ʒ.ij. vsque ad vi. Ex conferentibus etiam in proposito, est vt sumantur in potu ʒ.x. ex succo foliorum mori. Hæ autem omnes medicinæ cum vino, vel decoctione anethi, debent sumi. Nihilominus sechel.i. hexagium vnum sinoni.i. petroselini agrestis, quod est species apij triti, potest in proposito cum aqua frigida ministrari. Ex linimentis, seu emplastris in proposito conueniẽtibus, est linimentum ex vino cum succo myrti factum.

Auicenna 4 canone, tractatu 5. cap. de Aranea: Cura eorũ, est de genere curæ rutelæ, & confert eis sumere in potu vinũ alicuius quantitatis vna vice post aliam tota die, & ponere morsionem in vino, & sudare in balneo, & de medicinis eorum, sunt nigella, & vinum, & ruta sicca cum vino sola, aut cũ cyperis. Auicenna 5 canone, tractatu primo s. de theriacis: Theriaca diatessaron: ℞ gentianæ Romanę, baccarum lauri, aristolochiæ longæ, myrrhę, an. par. æquales: terantur, & conficiantur cum melle despumato secundũ quantitatem sufficientiæ, cuius dosis sit aur.1. cum aqua calida. & hæc theriaca confert puncturæ scorpionum, & aranearum, & ægritudinibus frigidis, &c.

Plinius Secundus de Naturali historia, lib. 20. cap. de Allio: Allio magna vis &c. atq;, vt aliqui tradidere, bestiarum omniũ ictibus medetur potu vel cibo vel illitum, atq; etiã contra araneos, &c. Cap. de Lactuca: In posca succus potus ad duos obolos, serpentium ictibus medetur. In vino potus, & folia thyrsiq; triti ex aceto bibuntur. vulneri illinuntur maximè contra scorpionum ictus: verùm contra phalãgia, commisto vino & aceto. Cap. de Brassica: Apollodorus: Serpentiũ ictibus & sordidis vlceribus vel ipsam aquã cũ ordeacea farina, vel succum, ex aceto, vel cũ fœnugræco. Sic aliqui articulis podagrisq; imponunt. Cũ rutæ semine muris & aranei morsus foliorum aridorum farina alterutra parte exinaniuit. Syluestris siue erraticæ immenso plus effectus laudat Cato. Cap. de Bulbis: Satiuorũ bulborũ semen cõtra phalãgia bibitur in vino. Cap. de Eruca: Erucæ semẽ scorpionum venenis & muris araneiq; medetur. Cap. de Ruta: Quæcunq; aũt ruta aut per se aut antidoto, valet, & contra scorpionũ ictus, & araneorũ, &c. Acetabuli mẽsura succus ex vino bibitur, & folia trita, vel comãducata imponuntur cũ melle ac sale, vel cum aceto, & pice decoctæ. Succo perunctos etiam habẽtes, negant feriri ab his maleficijs. Ad eadẽ dicitur esse efficacior sub dio pota. Capite de Origano: Origanum contra araneos scorpionesq; in vino albo elixatum, cum aceto, oleo & lana imponitur. Capite de Nigella: Nigellæ bibitur ʒ.1. contra araneos. Capite de Malua: In magnis laudibus malua est vtraque. Althææ contra omnes aculeatos ictus efficacior vis, præcipuè scorpionum, vesparum, similiumq;

æmq́ꝫ, & muris & aranei. Quin & trita cum oleo qualibet earũ peruncti an. vel habentes eas, non feriunur. Lib. 21. cap. de Iunco: Iunci radices commanducantur aduersus araneorum morsus. Cap. de Crocomagmate: Crocomagma contra serpentium & araneorum morsus ex posca valet. Cap. de Chrysocome: Apes nullo magis gaudent flore. Copia istius examina facillime continentur. Item præstantissimum est contra ictus earum, vesparumq́ꝫ, & similium, sic & araneorum, item scorpionum. Cap. de Abrotano: Abrotanum serpentes fugat: contra ictus eorum bibitur cum vino illiniturq́ꝫ. efficacissimum contra ea quorum veneno tremores & frigus accidunt, vt scorpionum & phalangiorum. Cap. de Hyacintho: Radix est bulbacea: araneorum morsibus resistit. Lib. 22. cap. de Heliotropio: Vis ei ad omnia venenata, & Phalangia, & cõtra scorpiones, præcipuè illita. Non feriũtur habentes. Adianthi duo genera. serpentium & araneorũ venenis resistũt in vino decocta. Lib. 23. cap. de Aceto vini vitiũ: Potu medetur scorpionum ictibus, aranei, &c. Cap. de Fęce vini: Illinitur et sicca, vel madida contra Phalangia. Cap. de Moris: Mora in Aegypto & Cypro largo succo abundant, summo cortice desquamato, &c. Succus aduersatur araneis in vino potus. Cap. de Lauro: Maximè eius lauri quę tenuiora habet folia, baccæ cum vino scorpionibus & araneis resistunt. Cap. de Myrto satiua: Succus seminis cum cera illinitur contra Phalangia. Lib. 24. cap. de Cupresso: Cupressi radix cum folijs trita & pota, medetur contra Phalangia. Cap. de Amerina: Duo genera eius, &c. Illinuntur vtraq́ꝫ aduersus araneorũ morsus, eoq́ꝫ maximè phalangijs aduersantur, quarum morsus genitale excitat. Cap. de Myrice: Semen 3. pondere, aduersus Phalangia & araneos bibitur. Cap. de Hedera candidiore: Hederæ candidioris radicis succus in aqua vel aceto potus, contra phalangia prodest. Cap. de Rubo: Mora rubi arefacta & contusa, vel cum hypocistide tantùm & melle, bibuntur contra araneos. Lib. 25. cap. de Ebulo: Polymonia, & allijs contra venenata. Aduersatur phalangio ac cæteris minoribus venenatis, & scorpionibus aristolochia, agaricum, obolis quatuor in vini misti cyathis totidem. Verbenaca etiam cũ posca aut vino phalangijs: item quinquefolium, daucum, &c. Cap. de Aizoo: Semperuiui duo sunt genera. Aduersantur phalangiorum ictibus. Lib. 27. cap. de Anagyri: Anagyris 3. bibuntur folia in vino veteri ad phalangiorum morsus. Cap. de Apparine: Apparine efficax contra serpentes, semine potato ex drachma, & contra Phalangia. Cap. de Phalangite: Phalangitis folio, vel flore, vel semine, auxiliatur contra scorpionum phalangiorúmque, & serpentium ictus. Cap. de Smyrnio: Smyrnion prodest contra phalangia ac serpentes, admisto gummi cedri, aut polio aut melissophyllo in vino potum: quoniam vniuersa vomitione mouet. Lib. 32. cap. de Medicinis ex castoreis: Testes castorum bibũtur aduersus phalangia & araneas ex mulso, ita vt vomitione reddantur, aut, vt retineantur, cum ruta. Cap. de Medicinis ex testudinibus terrestribus: Sunt testudinum genera terrestres, marinæ, lutariæ, & quæ in dulci aqua viuunt. Contra serpentium omnium, & araneorum, & similium, ac ranarum venena auxiliantur, sanguine seruato in farina, pilulis factis, & cùm opus sit in vino datis. Cap. de Remedijs contra venenata ex animalibus quibusdam: Contra omnia venenata auxiliatur, vt diximus, mulus. Item contra Phalangia illitus sumptúsue in cibo. Mala medicamenta inferri negant posse, aut certè nocere stella marino vulpino sauguine illita, & affixa limini superiori, aut clauo æreo ianuæ. Carnibus earũ impositis araneorum morsus sanantur. In summa contra omnia venena, vel potu, vel ictu, vel morsu noxia: succus earum è iure decoctarum efficacissimus habetur. Lib. 37. cap. de Gemmis: Achates in magna fuit auctoritate, nunc in nulla: putant eam contra araneorũ & scorpionum ictus prodesse,

Halyabas in Regali dispositione 4 Practicæ, cap. de Reptilium, & araneæ puncturæ medela: Araneę autem, & reptilium punctura, conuenientius curatur, si patiens aqua mergatur calida balneo inductus, aquaq; instilletur illi calida: locus autem puncturę cum myrrha & sale contritis, & aqua distemperatis, cataplasmetur: aut sume cinerem ligni ficus, calcem, & kaliam, i. kali, i. plantam similem vermiculari in littoribus maris nascentem: aut cinerem eius, ex qua fit vitrum, sub æqua lance, id est an. seu æqualiter, & diligenter terens cum calida distempera aqua, locumq; cataplasma, patientiq; hoc porrige medicamen. Assignatio eius: Sume sunizi, id est nigellæ, ʒ. v. dauci, id est seminis pastinacæ syluestris, cuiusq; iij. abeeli, id est fructus sauinę, vel iuniperi, nucis cupressi, cuiusq; ij. spicæ optimę, baccarum lauri, aristolochię rotundę, carpobalsami, cinnamomi, gentianæ, seminis andacoqui, id est andacochæ, id est trifolij, seminis querassi, id est apij, cuiusq; ʒ. 1. semis, trita diligenter omnia, cum melle distempera despumato: & cum veteri vino hexagium propina. Araneæ autem punctura medenda est cum sunizi, id est nigellæ, poculo ab hexagio 1. vsq; ʒ. ij. cum veteri vino propina. Aut rutam propina siccam, & sahadam, cyperum tritam optimè sub ʒ. ij. cum vino. Aut certè vinum propinabis merum, id est purum, & potens, & balneo induces, aquamq; desuper locum instilla calidam. Constantinus in Pantechni. 4 Practicæ, cap. de Punctnra scorpionis: Confectio quam Cleopater fecit, valet ad morsum scorpionis & araneæ: ℞. aristolochiæ ʒ. vi. piperis ʒ. iij. opij ʒ. 1. semis, pyrethri, ʒ. v. tempera cum vino, & fac pilulas, &c. Quære residuum suprà in 1 cap. præsentis lib. auctoritate Constantini loco præallegato: quod idem præfatus Constantinus 7 Viatici, cap. de Morsu scorpionis, ferè totum consimiliter asserit.

Gilbertus Anglicus 7 sui Compendij medicinæ, cap. de Morsu scorpionis & araneæ, &c. Confectio valens ad morsum scorpionis, & puncturam araneæ: ℞. aristolochiæ ʒ. vi. piperis ʒ. iij. opij ʒ. 1. semis, pyrethri ʒ. quinq;, tempera cum vino & da in modum fabæ. Alia: ℞. calamenti agrestis & domestici, piperis, myrrhæ, rutæ an. tempera cum melle, & da bibere. Alia: ℞. rutæ, seminis erucæ, pyrethri, styracis, sulphuris an. ʒ. ix. castorei ʒ. iij. fac puluerem, tempera cum sanguine testudinis, & da bibere. Contra puncturam araneæ, est speciale vt ponantur duæ, vel tres in oleo, & computrescant: hoc oleum omnes puncturas earum sanat. Contra morsum araneæ, emplastrentur muscæ. Iohannes Gadesden 2 suæ Pract. dictæ Rosa, cap. vltimo: Emplastrentur muscæ cum fermento in morsu araneæ, & cerebrum galli. Petrus de Abano in suo lib. de Venenis, cap. de Morsu aranearum: Mordicationi aranearum, confert succus pomorum & pyrorum, aut appositio ferri frigidi iterati, & eius bezaar, est endiuia. Guilielmus de Varignana in sua Pract. sermone 4. tractatu 3. cap. 5. Ad morsum araneæ, etiam potissimæ, valent cancri fluuiales triti, & bibiti cum lacte. Et Rasis dixit: cum lacte asini: & dixit quòd cerebrum gallinæ bibitum, valet contra morsum aranearum, & similium. Christophorus de Honestis in suis Problematibus de Venenis, problemate de Morsu araneæ, vel rutelę: Bezaar, sunt grana viridia, id est fructus arboris terebinthi, cuius resina est terebinthina cum vino.

De duobus animalibus de genere Rutelæ existentibus, quæ videntur habere duo ora, & quatuor mandibulas Cap. VII.

Reperiuntur duo animalia de genere rutelæ, quorum nomina ab auctoribus non ponuntur: quorum vnum est latum, habens pedes albos, & super caput eius, sunt duæ eminentiæ, quarum vna descendit in anteriorem partem capitis secundum rectitudinem, & altera transit incidendo hanc in latitudine: quare

quare facit imaginari, quòd illud habeat duo ora, & quaturor mandibulas. In alio verò loco eminnentiarum, sunt duæ lineæ facientes imaginari illam imaginationem.

NATVRA eorum, similis est naturæ rutelæ suprà descriptæ.

ACCIDENTIA morsum ipsorum consequentia, sunt similia accidentibus consequentibus scorpionis morsum in huius lib. 1. cap. prædescriptis. Specialiter autem accidit ex morsu eorum albedo coloris loci ipsius morsus, & extenuatio faciei, & capitis, & vigiliæ.

CAVSAE accidentium similium accidentibus consequentibibus scorpionis morsum, sunt causæ eorundem accidentium prędictæ in præfato, 1. huius lib. cap. Causa albedinis coloris loci morsus, est mortificatio caloris naturalis, facta à frigiditate veneni prædictorum animalium. Causa extenuationis faciei & capitis, est frigiditas venenosa prædicta, communicata præsertim faciei, & capiti, debilitans virtutem digestiuam eorum. Causa vigiliarum, est præfata frigiditas venenosa, prohibens ascendere ad cerebrũ vapores mulcebres, somni productiuos.

SIGNA morsus præfatorum animalium, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita, quòd animal mordens, fuit aliquod de prædictis.

PRAESERVATIO à morsibus præfatorum animalium, est præseruatio communis, quæ completur cum supradictis in 2. cap. 5. lib. & cautè se præcauendo à stando, seu conuersando, vbi præfata vigent animalia.

CVRA verò iuxta præcipuè Auicennam 4 can. fen. 6. cap. de Pręfatis duobus animalibus, est cura morsionis rutelæ suprà descripta: verùm medicinæ quæ sunt magis propriæ de illis, quæ sunt ad rutelas, sunt ocymum, id est basilicon, radix opopanaci, andacocha, id est trifolium, & abrotanum.

De animali nominato Cuharsce Cap. VIII.

CVharsce animalis quiditatem descriptam ab auctoribus non inueni. Existimo autem ipsum esse de genere rutelæ.

NATVRA eius consimiliter arbitror pro parte esse consimilem naturę rutelæ descriptæ, præsertim frigidam venenosam.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt dolor vehemens, & rubedo, & difficultas vrinæ.

CAVSA doloris vehementis, est solutio continui, & mala complexio frigida venenosa, præcipuè loco morsus communicata. Causa rubedinis, supple, loci morsus, sunt sanguinis, & spiritus, ad morsuræ locum concurrentes propter doloris vehementiam. Causa difficultatis vrinæ, est coangustatio viarum vrinæ, & debilitas expulsiuæ earundem viarum, & musculorum, præcipuè colli vesicæ, præsertim præfatæ virtuti expulsiuæ deseruientium, causatæ à prædicta mala complexione frigida venenosa, & proprietate sua.

SIGNA præfati morsus, sunt accidentia prædicta, & diligens informatio habita de animali prædicto.

PRAESERVATIO à præfato morsu, est præseruatio communis, dicta superius in 2 cap. 5. lib. & euitatio à stando vbi tale animal degit.

CVRA præfati morsus, est cura communis supradicta in 3 cap. 5. lib. In speciali autem pro dicta cura iuxta Auicennam 4 canone, fen 6. tract. 5. cap. de prædicto animali, conferunt fructus tamarisci, & cyminum campestre, & folia nucis, & allia, & vinum dulce.

De Cantharidibus Cap. IX.

CAntharis est vermis volatilis viridis, colore aureo superlucens, nascens in summitatibus ramorũ fraxini, & quarundam aliarũ arborum ex humore,

qui est in folijs, & conualescit corrosione foliorum, sicut conualescunt erucæ, & est satis similis vespæ, parumper attamen longior.

NATVRA eius, vt suprà dixi in 1. cap. 4. lib. calida est & sicca in quarto gradu, acuta, adustiua, mordicatiua, putrefactiua, vlceratiua, et maximè diuretica atque venenosa.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt similia accidentibus cõsequentibus morsum vespæ inferius describendis in præsentis lib. cap. 11. Aliquando tamen concurrere possunt aliqua ex accidentibus, assumptionem ipsius consequentibus suprascriptis in præfato 1 cap. 4 lib. remissiora tamen.

CAVSAE accidentium similium accidentibus cõsequentibus morsum vespæ, sunt consimiles causis accidentium, consequentium morsum vespæ inferius præfato cap. describendis. Causæ verò accidentiũ aliqualiter consimilium accidentibus consequentibus cantharidis assumptionem, sunt consimiles causis eorundem accidentium suprascriptis in prædicto 1 cap. 4 lib.

SIGNA morsus eius, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita, ꝙ cantharis fuit animal quod momordit.

PRAESERVATIO à præfato morsu, similis est præseruationi à morsu vespę, & apis infrà scribendæ.

CVRA etiam est consimilis curæ morsus vespæ & apis. Quæ tamen in speciali pro cantharidis morsus præseruatione, ac cura, ab auctoribus enarrantur, statim infrà describam.

Serapio in libro de Simplicibus cap. de lapide Albezaar, auctoritate Asij: Quidam, supple, lapis bezaar, est qui dicitur cobhori, & marian, & est lapis in quo nullus errat, sed multi errant in alio, qui dicitur chindos, aliàs chicos, & est lapis multæ humiditatis, mollis tactu mollicie sine superfluitate, & caliditas eius, est sine superfluitate etiam, &c. & proprietas eius, est quòd confert venenis animalium omnium, & plantarum, & morsibus, & puncturis venenosorum quando bibitur ex eo pondus xij. granorum hordei: aut fit linimentum cum eo super locum morsus: liberat enim à morte, & expellit venenum per sudorem, &c. Et si ponitur lapis ille super locum puncturæ, & morsus animalis venenosi, quemadmodum sunt puncturæ scorpionis, aut cantharidum malarum, aut zambor, id est animal simile vespæ murmurans volando, confert iuuamentum manifestum, &c. Plinius Secundus de Naturali historia libro 20. cap. de Ruta: Quæcunq; aũt ruta valet contra vesparum aculeos, & cantharides, ac Salamandras, canisue rabiosi morsus, acetabuli mensura succus ex vino bibitur, & folia trita, vel commanducata imponuntur cum melle ac sale, vel cum aceto & pice decoctæ. Succo perunctos etiam habentes negant feriri ab his maleficijs. Lib. 23. cap. de Sapa: Vino cognata res sapa est musto decocto, donec tertia pars supersit. Ex albo hoc melius. Vsus cõtra cantharides, buprestim, & contra mordentia venenata.

De Buprešti Cap. X.

BVprestis vt supradixi in 10 cap. 4 lib. est animal simile cantharidi in forma siue figura immediatè præcedenti cap. prædescripta.

NATVRA eius similis est etiam naturę cantharidis prædictæ.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt etiã consimilia accidentibus cõsequentibus morsum cantharidis prædescriptis, & cõsimiles sunt eorum accidentium causæ. Et consimilia sunt eius morsus signa, & consimilis est præseruatio & cura. Quæ tamen ab auctoribus in speciali pro ipsius morsus cura dicuntur, statim infrà describam. Dioscorides in lib. de Simplicibus, cap. de Aphronitro: Aphronitrum buprestis punctum cum aqua aut felle taurino curat.

curat. Plinius Secundus lib. 23. cap. de Sapa: Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit. Ex albo hoc melius. Vsus contra cantharides, buprestim, & contra mordentia venenata.

De Apibus & Vespis Cap. XI.

APis est vermis notus, mel congregans, ex cuius specie quædam sunt habentes aculeum, quem mordendo dimittunt in loco morsuræ, quædam verò aculeum nõ habent, vt rex earum: qui maior corpore existens, omnium dicitur esse mater, cuius signum est quia semina, seu oua earum, nonnisi in domo sua reperiuntur, & quædam apes paruæ masculinæ in famulos deputatæ ad mel fouendum, & ad construendum ex cera fauos. Vespa, est vermis similis api mel inutile colligens, cuius plura sunt genera, ex quibus quædam sunt paruæ, quædam verò magnæ: & ex magnis quædam sunt habentes capita nigra, & aculeos plurimos, quos in locis morsuum non dimittunt, & ideo vespę sæpius mordent quàm apes.

NATVRA tã apis quã vespę calida est valde, & pręsertim venenositas earũ

ACCIDENTIA morsus tam apis quàm vespæ consequentia, sunt similia: verùm sæuiora sunt accidentia cõsequentia morsus vesparũ præcipuè citrinarum, præsertim in calefaciendo, & vesparum magnarum habentium capita nigra, & aculeos plurimos. Accidentia nanq; morsus apum & vesparum continentia, sunt dolor, rubedo, & apostema, videlicet in locis morsuum, accidit tamen quandoq; ad morsus vesparum magnarum spasmus, et debilitas genuum & quandoq; mors. Et similiter quandoq; accidunt ad morsus quarundam vesparum paruarum malarum vesicæ in circuitu puncturæ, & grauedo linguæ.

CAVSA doloris, est solutio continui, & mala complexio continui venenosa. Causa rubedinis, est concursus sanguinis, & spirituum à dolore factus, concurrente præfata mala complexione calida venenosa. Causa apostematis, est concursus humorum ad locum morsus ob præfatum dolorem, & ob prædictam malam complexionem calidam venenosam, resoluentem calorem naturalem: quare prohibetur præfatorum humorum ad locum morsus concurrentium resolutio, et causatur per consequens apostema. Causa quandoq; spasmi, potest esse nocumentum terminatiuè cerebro communicatum propter dolorem excessiuum, quare contrahuntur nerui ad eorũ originem, & causatur consequenter spasmus non proportionatus ad materiam: posset etiam esse causa liquefactio humorum, facta à caliditate nimium excessiua concurrentiũ ad neruos, & cõsequenter causantium spasmum de repletione, seu proportionatum ad materiam. & eædem causæ, possunt esse causę debilitatis genuum. Causa verò quandoq; mortis, est, cùm prædictæ causæ superfluunt, & terminatur nocumentum ad cor, & à venenosa caliditate resoluitur calor innatus. Causa vesicarum quandoq; accidentium, est caliditas excessiua, ebullire facienshumores præcipuè viscositate participantes: quare vesicæ causantur. Causa grauedinis linguę, possunt esse causæ spasmi præscriptæ, & præcipuè potest esse liquefactio humiditatum in cerebro existentium, descendentium ad linguam, grauedinem in ipsa inducendo.

SIGNA morsuum prędictorum, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita de præfatis mordentibus animalibus.

PRAESERVATIO verò, & cura morsuum apum atq; vesparum, sunt ferè omnino consimiles. quæ tamen pro ipsis ab auctoribus specialiter enarrantur infrà describam: aduertendo quòd pro cura cõpleta horũ morsuum quibus aculei relinquuntur, recurrendum est ad vltimum cap. huius lib. Non enim tales morsus vllatenus curari possent, nisi prius remouerentur aculei. Dioscorides in lib. de Simplicib. cap. de Fimo: Fimus boum iuuat ad apum & graffonum, id est animaliũ nigrorũ similium vespis murmurantiũ volando, & vespa-

rum ictus illinitus. Cap. de Lauro: Lauri folia viridia tusa & cataplasmate adhi
bita, vesparum & apum percussum prohibent. Capite de Satureia: Satureia
contra animalia, quæ aculeatis ictibus sæuiunt, non inutiliter adhibetur. Gale
nus in lib. de Simplicibus, lib. 10. cap. de Stercore bouis: Habent autem & at
tractiuam virtutem, supple, stercora boum, vt declarant, conferendo morsi
bus apum & vesparum, sed hoc quidem contingit iuuare secundum proprie
tatem totius substantiæ. Galenus in lib. de Simplicibus ad Paternianum: Si
symbrium ad apiculorum, & similium animalculorum puncturas prodest. Se
men eius potatum ad eadem facit. Galenus in lib. de Virtutibus centaureæ ad
Papiam: Est autem succositas huius, supple, centaureæ minoris, facta modo su
prascripto in 3 capite 5. lib. auctoritate Galeni, loco præallegato, stiptica, & sic
catiua, & calefactiua, cum virtute immanifesta operans, quia non est possibile
exponere verbo, neque ad excogitationē venire, ita est vtilis ad multa. Confert
autē & in feris venenosis interficientibus, & nō interficientibus, in apum qui
dem, & incisiuorum morsibus vncta cum vino, &c.

Macer in lib. de Simplic. cap. de Melissa, seu Melissophyllo:

Auxilium præsens apum confert ictibus illa:	*Sicque venenosis occurrere morsibus illam.*
Ictus detrita tegitur si protinus herba:	*Succoque medeberis eius puncturis apum.*
Hocque modo, quos vespa nocet, vel aranea, curat.	*Cui si coniungis oliuum-*
Cap. de Malua:	supple, oleum oliuarum:
Sumptam sicut olus, multum prodesse fatentur:	*Corpus & inde linias, apum tibi nulla nocebit.*

Iohannes Serapionis 5 Breuiarij, cap. de Punctura apum, & vesparum: Cō
fert eis vtrisque simul linimentum luti partis confecti cum aceto, & stercus vac
cinum confectum cum aceto: est enim in eo virtus exiccatiua, & attractiua, &
ex folijs albedarogi, id est basiliconis fluuialis, seu foliorum latorum, tritis con
fectis cum aceto, quando emplastratur cum eis locus. Et ex maluis, aut alulu
bub, id est mercuriali, aliàs, ieberua, id est mandragora confectis cum farina
hordei. & confert etiam viriditas, quæ est in cisternis, & aqua, quando confici
tur cum aceto & linitur: aut terra alcori. & est furnus in quo decoquuntur pa
nes, quando teritur, & cōficitur cum aceto, & linitur super puncturam, aut fo
lia sesami, aut sesamum ipsum: quando teritur, confert natura sua. Et faciunt si
mile illis natura capita muscarū, quando abscinduntur, & fricatur cū eis locus.

Rasis 20 Continentis, cap. 2. Democritus: Ait Democritus: Vespæ fugiunt
ex fumo sulphuris, aut allijs. Et si vngatur corpus de succo maluæ, aut bismal
uæ, id est althææ, non pungent eum. Rasis. Ait Rasis: Si vngatur corpus ex suc
co maluæ hortulanæ, & oleo, apes non nocebunt ei. In punctura apum rema
net aculeus, sed vesparum non, & possibile est quòd sic. Cura eius: Vngatur lo
cus ex luto dissoluto cum aceto, aut ex stercore bouino cum aceto: quia in eis
est virtus desiccatiua, aut cum bedarugi, id est basilicone fluuiali, seu foliorum
latorum, dissoluto cum aceto, aut farina hordei, aut maluis, aut lenticulis aqua
rum, aut cum butyro recenti, aut capitibus muscarum, quæ proprietatem ha
bent ad hoc. Dico: Narrauit quidam medicus, quòd quidam fuit punctus à ve
spa, & imposuit frustum niuis in ano suo, & fuit liberatus. Dico: Vngatur lo
cus cum caphura & aceto, aut pone niuem desuper frequenter, dico ante cara
xationē nocere. Dico: Medicina valde bona contra morsum vesparum & apū
℞. opij, seminis hyoscyami, & caphuræ: informentur cum aqua rosacea, vel
cum succo salicis, & pone desuper pannum madefactum iu vino, & vnge cir
ca locum lutum dissolutnm cum aceto. Filius Mesuay. Ait filius Mesuay: Balsa
mita, id est sisymbrium, habet à proprietate, quòd si sumatur ex ea aur. 1. cum

syrupo

syrupo acetoso, facit cessare dolorem in punctura vespæ. Dioscorides: Dixit Dioscorides: Acetum, sal, & mel, si ex eis inungatur punctura vesparum & apum, iuuat. Similiter ex frondibus lauri recentibus. & iuuat bibere ex succo suchaa, id est spinæ Arabicæ, vncias duas. Et si punctura fuerit cum nimio ardore, sugatur locus frequenter, & euacua sanguinem ex loco cum scarificatione: & postea vnge locum cum luto Armenico, dissoluto cum aceto, aut mandragora, & est valde iuuatiua: aut sparge supra puncturam aquam calidam per horam vnam, & postea cum aqua salita sæpe. Galenus: Ait Galenus in libro de Venenis: Morsus fricetur ex muscis, & similiter ex succo citruli, & bedarugi, id est basiliconis foliorum latorum: aut sumat seminis sampsuchi, id est maioranæ, drachmas duas. Ait Galenus: Iuuat contra morsum araneæ marinæ lutum Armenicum cum succo agrestę, aut maluæ. & si ex ea vngatur punctura vesparum & apum', iuuat. Fricare locum puncturæ vesparum cum maluis, iuuat. Ait Galenus in lib. de Venenis: Vngere locum cũ succo portulacarum, aut betarum, iuuat. & similiter iuuat fricare cum bedarugi, id est ocymo, seu basilicone fluuiali, id est foliorum latorum, & etiam iuuat sumere aur. 1. seminis sampsuchi, id est maioranæ, cum vncijs duabus succi eiusdem. Ait Galenus, Iuuat si fiat vnctio ex vino dulci, & oleo rosaceo, aut ex sanguine vaccino. Similiter ex seminibus cucumerum syluestrium tritis, & resolutis cum vino. Aaron: Inquit Aaron: Vngere puncturam vespæ ex lentigine aquarum & aceto, iuuat. Liber de Statuis astronomiæ: Frica puncturam vespę ex folijs xylocaracteris, id est arboris catubiæ recentibus, quoniam statim cessat dolor. Paulus: Inquit Paulus: Vngere puncturam apum, & vesparum ex aceto & luto, iuuat. aut cũ stercore bouino, aut aqua & sale, aut cũ lacte ficus. Simeon: Ait Simeõ: Punctura vespæ est calida & acuta: & emplastrum bonũ ad hoc, est bedarugi: & lenticulæ aquarum pistentur, & dissoluantur cum aceto. Sumat etiam succum lactucæ, & aliarum herbarum frigidarum. Filius Serapionis: Ait filius Serapionis: Vnge puncturam apum cum luto & aceto, aut stercore bouino cum aceto, aut ex folijs bedarugi cum aceto, aut ex viriditate, quæ inuenitur in vasis, vbi seruatur aqua, aut ex limo, qui inuenitur in vasis aquarum, si dissoluatur cum aceto.

Rasis 21 Continentis, cap. de Andirian: Andirian est quædam arbor similis capparis acuti, & grauis odoris, & eius fructus est in cassulis. Inquit Abuberig Morchus huius herbę, seu frutex, est fortioris virtutis solatro & kekengi: & valet contra morsum vesparum: & summariè valet contra omnia apostemata, si linitur super ea. Capite de Vrina vaccarum, & alijs eius partibus. Ait Marserus: Stercus bouinum distemperatum cum aceto, & tepidum emplastratum, valet cõtra morsum vesparum & apum. & hoc etiam dixit Chuz de felle. Lib. 22. capite de arpa, quæ est auis alba: Arpa auis est alba dixit Bymasui: Fel arpę debet siccari in vmbra in vase vitreo obturato, & ad morsum viperæ, scorpionis, vel alterius animalis fricari in aqua dulci in concula, & imponi loco parti sanæ per oppositum, & sanabitur. Dixit: Expertus sum illud, & inueni ipsum ad venenum serpentis, scorpionis, & vesparum, valde conferre. Lib. vigesimo tertio, capite de Calamentho: Dixit Bymasui: Calamẽthum cum proprietate, confert morsui vespæ, si bibitur in aureorum pondere duorum cum syrupo acetoso. Dixit Bymasui: Balabsicuk, id est taraxacon, frigidum est, & siccum in principio secundi, & siccitas in eo est cum dominatione. Dixit Iohannitius in Electionibus ipsius: Taraxacon si bibitur, confert morsui scorpionis, & vespę, & serpentum. Rasis 8 Almansoris, cap. de Puncturis vesparum, & apum, & formicarum volantium. Ad hoc confert locum ex aceto & luto vicissim linire, & pannum aceto infusum, & super niuem infrigidatnm superponere. Benefi-

cium quoq; præstat emplastrum ex lenticula de stagnis ex aceto imbibita su-
perpositum. & aquam niuis eò vsque desuper fundere, donec locus reddatur
stupidus, multùm auxiliatur. Post hoc autem locus caphura & aqua rosacea li-
niatur, quod non semel, sed multoties fieri debet. Panni quoq; in aqua rosacea
infusi, & niue desuper sunt ponendi, atq; de glacie ano aliquid est immitten-
dum. De aqua etiam cum niue mista tantum in potu sumat, donec satietur: qui
post hoc cum folijs basilicon, aut cum muscis est fricandus. Quòd si forus in
corpore calor acciderit, rob de succo vuæ acerbæ & psyllium in potu sumat,
Aeger præterea multum ex citrulis, & endiuijs, ac lactucis edat, & aquam, &
acetum, necnon syrupum vehementis acetositatis cum succo granatorum &
psyllio bibat: locus etiam mox multoties sugatur: cui etiam confert vt citruli,
aut portulaca, aut solatrum, aut semperuiua, aut his similia superponantur. Ad
hoc itidem valent, vt coriandri sicci, & puluerizati, quantum ter manu capi po-
test cum saccharo, & aqua frigida ad bibendum tribuātur: & vt locus cum fo-
lijs ieberuæ, id est mandragoræ fricetur. Rasis in Diuisionibus, cap. de Reme-
dijs venenorum: Vespæ autem & apis puncturæ, confert epithema cum bo-
lo Armeno, & aceto, & caphura, & superponere frustum grandinis in loco,
aliàs, in ano, et emplastrare cum maluis, et portulaca, aut solatro. Rasis in libro
de Propriet. animal. cap. de Propriet. tauri: Stercus boum, virtutem habet at-
tractiuā, et curat morsus vesparū et apum. Cap. de Propriet. auis, quę dicitur sy
rena, seu serena. Akemuen auis quā quidam serenā, seu syrenam vocant, cuius
vsus est comedere apes, si decollata fricetur in oleo, et manus, et brachia alicu-
ius inungantur, si postea ponantur manus, vbi sunt apes, non lædetur.

Albucasis 2 particula Azarauij, tract. 2. cap. de Morsu vespæ, apis & formi-
cæ: Dixerunt Sapientes, quòd venenum horum est calidum & acutum. Et in-
spiciens curationes ipsorum, reperi eos descripsisse cōtrarias medicinas, vide-
licet frigidas & calidas. & ego quidem probaui ambas in curatione prædicto-
rum, et non percepi manifestum iuuamentum in ipsis, et existimaui terminum
doloris esse eundem post appositionem medicaminis, et ante. Et legēs in histo
rijs inueni, quòd rex Almaymō dixit, Batisna, et Samne, et Ben Mesue suis me
dici, quòd si fricetur locus morsus apis cum muscis, recedet ab eo dolor. &
ego morsus ab ape, fricaui ex illis plusquam viginti muscas super loco, nec pro
tanto cessauit mihi dolor. & cum inuenissem rationem, relatum mihi fuit, quo-
niam apis illa praui fuit veneni: &, nisi fuisset illud medicamen, interfecisset. Et
ego quidem scribam ex medicinis ea quæ retulerunt, et quæ sum expertus,
et quæ non, sed proponam medicinas frigidas. Curatio ipsorum, est quòd
liniatur locus cum aceto, & bolo Armeno vna vice post aliam, & superpo-
natur ei petia panni, infusa in aceto infrigidato niue: aut effundatur desu-
per loco aqua niuis, quousq; priuetur motus loci, deinde verò liniatur cum ca
phura, et aqua rosacea pluries. et bibat multum de aqua niuis, donec redeat in
calorem suum. et superponatur ano frustum niuis: et emplastretur cum kerub
herbis calidis, id est, vt credo, contrarijs herbis calidis, scilicet frigidis. Et dixe-
runt quidam ex medicis, quòd si liniantur manus et corpus ex folijs althææ vel
tis non mordebitur ab ape. et si bibitur de succo eorum post morsum, iuuat. &
Et similiter operatur malua, quando teritur, et miscetur cum oleo cōmuni, Medici
vngitur cū eis, si postea mordetur ab ape, non offendet ipsius venenū. Medici-
næ calidæ, quæ contrariæ sunt his, sunt q̄ distilletur in loco morsus ex lacte fi-
cus, vel emplastretur ex folijs sisymbrij, i. balsamitæ syluestris, tritis. vel empla-
stretur cum bouino stercore, aut cum sale, et aqua calida: vel fricēur muscæ, &
liniatur cum eis locus, aut emplastretur cum nucibus tritis, et castoreo, et
modico aceti. Et vidi, quòd cùm quidam curaret educere fauum ex vasis
apum,

apum, & morsus esset ab ipsis, festinanter currebat ad ignem, & igni locum approximabat, vel superponebat ei cinerem calidum: & interrogatus à me super hoc, dixit quòd non inuenitur medicamen ad remouendum dolorem melius quàm istud. & erat ille homo sapiens in se, & plura examinans experimenta. Albucasis 23 particula Azarauij, capite 8. Modus emplastri ad puncturam vesparum, & apum, & formicarum volantium: Accipe Sisymbrium agreste, & tere bene, & pone super puncturam: aut tere folia maluæ, & desuper pone: aut tere folia lauri recentia, & super locum pone: aut illine locum cum aceto & luto, hora post horam, & superpone pannum in aceto infusum, super niuẽ infrigidatum: aut liniatur cum aqua rosacea, & caphura multoties, & superpone pannum intinctum in aqua rosacea super niuem infrigidatũ: aut emplastrizetur cum maluis, aut cum portulaca, aut morella, id est solatro, aut vermiculari, & similibus illis. Aliud ad morsuram lacertæ, aliàs, vespæ, & credo melius. Cinerem cum oleo confice, & locum emplastriza: aut accipe thuriones altheæ cum folijs eius, & tere, & emplastriza: & si cum succo althæę manus inunguntur, non tanguntur à vespis. Similiter faciunt folia maluæ trita cum oleo, quando totum corpus inungitur, vespæ & apes postea non pungent. Rabbi Moyses in lib. de Venenis, tract. 1. cap. 5. Ex conferentibus autem emplastris super morsuras vesparum, & apum apponendis, est, vt bolus Armenus, aut lentigo aquæ cum aceto dissoluta superponantur more emplastri: prodest etiam ad hoc si lintheolus in aceto, grandine, & aqua rosacea, immersus superponaẗ super locum. aut fiat emplastrum ex maluis, semperuiua, & viridi coriandro, aut cum melle, sale & aceto.

Auicenna secundo canone, tractatu 2. capite de Ardifieni, aliàs ardifigni: Ardifieni, aliàs, ardifigni, id est iuxta Rasim 21 Continentis, cap. de Andirian: est arbor similis cappari, acuti odoris valde, & grauis: habet fructum in thecis, cùm linitur super puncturam vespæ, sanat ilico. Capite de Bedarugi: Bedarugi, est ocymum fluuiale, scilicet basilicon foliorum latorum: ponitur super puncturam vespæ; &c. Cap. de Iumar: Iumar, id est germen palmæ syluestris, quòd in ortu suo, dum est adhuc recens, & molle, comeditur, est bonum, puncturæ vespæ more emplastri superpositum. Capite de Endiuia: Endiuia, quando ponitur emplastrum cum radice sua super puncturam vespæ, &c. confert & similiter cum sauich. Cap. de Sale: Fit ex sale emplastrum cum aceto & melle ad morsum vespæ, &c. Cap. de Nemen, id est serpyllo: Nemen, i. serpyllum, confert puncturis, & fit ex eo emplastrum puncturæ vespæ: & bibitur ad puncturam eius pondus ʒ. ij. de eo cum oxymelle. Cap. de Chamat, aliàs, alchamat, Inquit filius Alpatrich: Eius fel exiccatur in vase vitri in vmbra, & fit ex eo alcofol in latere morsus viperæ, sed non credo illud. Et quidam dixerunt, quòd expertum fuit ad venenum vespæ maioris, & iuuit: & videtur mihi, quòd liniendo factum est. Capite de Althæa: Althęa quando linitur cum aceto & oleo, prohibet nocumentum venenosorum vermium. Et confert decoctio eius cum aceto commisto, aut cum vino puncturæ apis, & illud fit liniendo, vt existimo. Capite de Cubeze: Cubeze, est species maluæ, & dicitur quòd syluestris est cubeze: & molochia est domestica. Folia eius sedant dolorem vespæ, more emplastri superposita, & propriè cum oleo. Cap. de Lauro: Laurus confert mordicationi scorpionis cum vino & arob, i. vino cocto, et est bona vespę & api, quando pungunt, &c. Auicen. 4. can. fen 6. tract. 3. cap. de Effumigatione vesparũ: Effugiunt ex fumigatione sulphuris, & alliorũ, & non appropinquant ei, quia linitur ex althæa, aut succo maluæ & oleo. Tractatu 5. cap. de Vespa: Vespa est vehementioris calefactionis quàm apis. Cura: Administretur desuper ex suctione illius quod scis, & si magnificatur timor, tunc illud quod

ſuccurrit, eſt pondus ʒ.s. ſeminis ſampſuchi, i. maioranæ, quoniam ſedat dolo-
rem in loco, aliàs, ilico eius, aut iiij. volæ coriandri ſicci: & ſumat ſuccos infrigi-
dantes cognitos, & potus infrigidantes. Et quandoq; ſuperponitur glacies li-
cut collyrium, & confert: & de epithematibus, eſt aqua maluæ, & aqua albeda
rugi, i. baſiliconis foliorum latorum. & citruli ſunt mirabiles cũ proprietate ſua
& althæa iterum, & blitis, & ſolatrum, & ſeſamum cõtritum, & folia eius: & ite
rum ficus, & acetum, & lutum, & aqua agreſtę: & iterum ſtercus vaccinum, &
propriè cum aceto, & iterum folia ſiſymbrij, & folia lauri recentis: & iterum ſu
mantur opium, & ſemen hyoſcyami nigri, & caphura, & liniatur cum ſuccis fri
gidis, & tegatur cum panno lini infuſo in aqua frigida, & liniatur in circuitu e-
ius cum luto & aceto: & ſimiliter herba fluminis, i. lenticula aquæ cũ aceto, eſt
mirabilis, & ſimiliter viriditas aquæ accidit ſuper curſum aquæ. & iterũ ſecun-
dum quòd exiſtimant quidam, euaporetur cum aqua & ſale, & liniatur cum la
ćte fici, & iterum ſurugi, i. vt credo, raſura parietum cũ aceto: & quandoq; fiũt
ex aquis horum, et decoćtionibus ipſorum embrocę, et expertũ eſt, q̃ quando
dimittitur membrũ in aqua calida hora vna, deinde permutat͛ ſubitò ad aquã
ſalſam miſtam cũ aceto, ſedatur ſtatim: & de fricationib. eius ſunt muſcæ: quo
niam ipſę ſedant dolorẽ. Cap. de Ape: Apis habet diſpoſitiones proximas ve-
ſpę, niſi quia dimittit aculeũ in pũćtura. & cura eius, eſt proxima curę veſparũ.

Plinius Secundus de Naturali hiſtoria, lib. 20. cap. de Paſtinaca domeſtica:
Folia eius ex aqua pota, apum, veſparum, & crabronũ ićtibus illita medentur.
Cap. de Ruta: In præcipuis medicaminibus rutę, eſt ratio. Valet contra apum,
ſcarabeorũ, et veſparũ aculeos, etc. Acetabuli menſura ſuccus ex vino bibitur,
& folia trita, vel commanducata imponuntur cum melle ac ſale, vel cum aceto
& pice. Succo perunćtos etiam habentes, negant feriri ab his maleficijs, &c.
Capite de Libanotide: Contra veſparum & ſimilium ićtus ex farina hordca-
cea & poſca vtiliſſima eſt. Cap. de Malua: In magnis laudibus malua eſt vtra-
que, & ſatiua, & ſylueſtris: Ex ſylueſtribus, cui grande folium, & radices albæ,
althæa vocatur, ab excellentia effećtus. Huic cõtra omnes aculeatos ićtus effi
cacior vis præcipuè ſcorpionum, veſparum, ſimiliumq;, &c. Quin & trita cum
oleo, qualibet earum perunćti ante, vel habentes eas, non feriuntur: Aculeos
omnes extrahunt illitæ crudæ, & cum aceto potæ. Cap. de Siſymbrio: Siſym-
brium ſylueſtre, efficax aduerſus aculeata animalia, vt ſunt crabrones, & ſimi-
lia. Libro vigeſimo primo, capite de Venenato melle: Remedium aduerſus
venenatas apes: Maluæ ſucco, aut foliorum hederæ perungi, ſalutare eſt, vel
percuſſos eum bibere. Cap. de Chryſocome: Apes nullo enim magis gaudent
flore: copia iſtius examina facillimè continentur. Item præſtantiſſimum eſt
contra ićtus earum, veſparumq;, & ſimilium. Libro vigeſimo tertio, capite de
Vino: Merum remedio eſt contra apes, veſpas, crabrones, &c. Cap. de Aceto
vini vitium: Medetur contra omnia aculeorum venena, & pruritus, &c. Cap.
de Fico: Laćtis ficulnei natura, aduerſatur crabronum, veſparúmque, & ſimi-
lium venenis. Cap. de Lauro: Lauri folia illita, veſparum, crabronum, & apum
venenis reſiſtunt. Lib. 29. cap. de Remedijs contra morſus apum, veſparum,
crabronũ, & ſimiliũ. Noćtua apibus eſt cõtraria, & veſpis crabronibusq;. Lib.
31. cap. de Natura ſalis, & eius medicinis: Salis natura auxiliatur aduerſus cra-
brones, & veſpas, ſimiliaq; ex aceto. ad omnia ſpuma ſalis iocundior vtiliorq;.

Halyabas in Regali diſpoſitione, 4 Praćt. cap. de Veſparum & apum pun-
ćturæ medela: Oportet dilatari punćturę locum cum phlebotomi acumine, et
locum ſugere fortiter: ſicq; terram ſuperpone Armenicam cum aceto diſtem
peratam: aut cum parietum raſura, cum aceto terraq; vaſorum, in quibus habi-
tant veſpæ, ſi trita diſtemperetur cũ aceto, et ſuporponatur, ꝓdeſt. Cataplaſma
quoq;

quoq; cum chalebo, id est calefo, id est salice & cubezo, id est malua optimè decocto, aut cũ sysa mi folijs optimè tritis. Superfundatur etiam aqua frigida loco, aut nix superponatur. Fertur quoq;, quoniam muscę si terantur, & locus punctus eis fricetur, sedatur dolor.

Constantinus in Pantechni quarto Practicæ cap. de Punctura vespæ & apis: Vespæ & apes, si quenquam punxerint, alcannam cũ hordei farina & aceto temperatam superponimus, lac ficuum, nuces, frondes basilici, blitis, frondes maluæ, hæc omnia valent, siue simplicia, siue composita, pistata, & superposita ad omnem puncturam, vbi dolor est. Telam araneæ & cæpam albam tere, & cum sale, & cũ vino superpone calidam. Item si ex succo maluæ quis inungatur, non mordebitur à vespis & apibus. Item musca manibus fricata, & morsuræ vel puncturæ superposita iuuat. Constantinus 7 Viatici, cap. de Punctura vesparum, & apum. Constantinus loco præallegato pro cura puncturarũ vesparũ asserit, ea quę prædixit in Pantechni loco præallegato, ideò non replico. Gilb. Anglicus 7 sui Compendij medic. cap. de Corporibus vermiũ annulosorum: Vespæ & apes cum pungunt, habent venenum acutum, &c. Quibus superponatur alcanna cum farina hordei, & aceto temperata, lac ficuum, nuces pistatæ cum aceto, frondes basiliconis, & blitis pistatæ superponantur: aut frondes maluæ, vel eius succus, & manns inde perunctas defende. Item conterantur apes & vespæ, & ponantur super puncturam.

Guilielmus de Placentia 3 suę Practicæ, parte 2. cap. 6. Cura conueniens vt trisq;, supple, vespæ & api, est vt statim super locum morsum ponatur succus sampsuci, id est maioranæ, vel pistetur coriandrum, & ponatur super locum. & sumat patiens res frigidas per os, scilicet succum lactucarum, & similium, & vinum granatornm, & berberis. & fiat emplastrum super locum cum maluis, violis, rosis, & succo citrulorum, & similium: accipiatur lenticula aquæ, & pistetur cum aceto, & ponatur super locum, & videbis mirabile. Ponatur iterum pannus infusus in aqua frigida & aceto, & erit vtile valde: vel in quibus dissoluatur opium, & hyoscyamum, & aliquid caphuræ cum succis lactucarum, & solatri, & erit conueniens. Aliud bonum & conueniens est, vt ponatur membrum morsum in aqua calida, & dimittatur per horam: deinde permutetur subitò ad aquam frigidam salsam, mistam cum aceto: statim enim remouebitur dolor. Fricetur statim locus cum saliua & aceto post puncturam, & sedabitur dolor, & non fiet apostema, neque inflatio. Bernardus de Gordonio primo suæ Practicæ, dictæ Lilium, cap. de Punctura apum & vesparum: Ponatur ferrum super locum, non vt repercutiat, sed vt alteret, & infrigidet. ponatur igitur frigidum, aut plumbum infusum in aceto, aut malua: hordeum & coriandrum, pistata cum aceto desuper emplastrentur & similia frigida. Iohannes Gadesden secundo suæ Practicę dictæ Rosa, capite vltimo: Ad morsum apis vel vespæ, pone super locum ferrum frigidum, & folia maluæ: & creta puluerizata super locum optima est, & pone membrum in aqua calida. Petrus de Abano in libro de Venenis, capite de Morsu & punctura apum: Mordicationi autem apum, & puncturę, confert epithema cum bolo Armeno, & aceto, & caphura. & qui manus suas & faciem succo maluæ abluit, non pungetur ab apibus. Guilielmus de Varignana in sua Practica, sermone quarto, tractatu tertio, capite quinto: Ad morsum apum & vesparum nos sumus experti quòd semen maluæ, quando cum vino & aqua coquitur, & modico aceti, & ex illa decoctione bibitur, sanat. Christophorus de Honestis in suis Problematibus de Venenis, problemate de Morsu, vel punctura vespæ & apis. Bezaar eius, est coriandrum datum cum saccharo.

De Crabrone, ſeu Scrabrone, ſeu Zambor Cap. XII.

CRabron, ſeu ſcrabron, ſeu ſcaraſon, ſeu ſcarabeus, ſeu zambor, ſeu, vt Latinè, calauronus, ſeu tafanus, eſt animal volatile, annuloſum, aculeatum, vt veſpa murmurans volando. Quidam tamen ſcarabeum aſſerunt eſſe animal parum volatile, diſtinctum à prædicto.

NATVRA ipſius, ſimilis eſt naturæ veſpæ & apis ſupradictæ.

ACCIDENTIA morſuram, ſeu puncturam ipſius conſequentia, ſunt etiam conſimilia accidentibus conſequentibus morſuram, ſeu puncturam veſpæ & apis.

CAVSAE prædictorum accidentium etiam, ſunt conſimiles.

SIGNA morſuræ, ſeu puncturæ ipſius, ſunt accidentia prædicta, & informatio habita, quòd præfatum animal fuerit quod momordit.

PRAESERVATIO autem, et cura etiam, eſt conſimilis. & ideo pro earum completa notitia recurſum habeas ad cap. immediatè præcedens. Quę tamen pro eis ab auctoribus in ſpeciali dicuntur, ſtatim infrà deſcribam. Dioſcorides in lib. de Simplicib. cap. de Fimo: Fimus boum, iuuat ad apum & graffonum, (aliàs, ſcaraſonum) & veſparum ictus illinitus. Capite de Satureia: Satureia contra animalia quæ aculeatis ictibus ſæuiunt, non inutiliter adhibetur. Serapion in lib. de Simplicibus, capite de endiuia, auctoritate Vnaym: Taraxacon, id eſt endiuia ſylueſtris, ſeu cichoreũ bibitum, confert puncturæ ſcorpionis, & azambor, id eſt zambor. Capite de Serpyllo: auctoritate Aben Meſuay: Habet proprietatem conferendi multum in punctura azambor, quando ſumitur in potu ex eo aur. 1. cum ſquinzibin, i. ſyrupo acetoſo. Capite de Lapide albezaar, auctoritate Aſij: Colores lapidis bezaar, ſunt multi, &c. Et quidam eſt qui dicitur cobhori, & marian: & eſt lapis in quo nullus errat, & eſt lapis multæ humiditatis, & mollis tactu, mollicie ſine ſuperfluitate, & caliditas eius eſt ſine ſuperfluitate etiam. Et proprietas eius eſt, quòd confert venenis animalium omnium, & plantarum, & morſibus, & pucturis venenoſorum, quando bibitur ex eo pondus xij. granorum hordei, aut fit linimentum cum eo ſuper locum morſus: liberat enim à morte, & expellit venenum per ſudorem. Et ſi ponitur lapis ille ſuper locum puncturæ, & morſus venenoſi animalis, quemadmodum ſunt punctura ſcorpionis, aut cantharidum malarum, aut zambor, confert iuuamentum maniſeſtum. Raſis vigeſimo Continentis, capite ſecundo: Ait Tabri: Fumigium populi, id eſt arboris taliter nominati, fugat ſcarabeos. Raſis 8 Almanſoris, cap. de Iis, quæ venenoſa animalia, etc. fugant. Cimices autem atque ſcarabei ex fumo paleæ, & ex fumo ſtercoris vaccini, & quàm maximè ex fumo azeci, id eſt vitrioli mineralis, & nigellæ fugantur. Et ſi facies ex prędictis fumigetur, licet poſtea mordicant, nõ multum nocebunt. Saphea quoque ærea oleo inuncta, & iuxta lectum, aliàs, locum poſita, valet ad hoc. Quidam præterea dicunt fumum ex folijs dulb, id eſt platani, ſcarabeos fugare.

Auicenna 2 canone, tract. 2. cap. de dulb, id eſt platano arbore: Iam quidem diximus quòd ipſe eſt venenum ſcarabeis, id eſt crabronibus. Et ſcarabei moriuntur ex folijs & corticibus eius. Auicenna 4 can. fen. 6. tract. 3. cap. de Effugatione ſcarabeorum: Fugat eos, ſecundum quod dicitur, fumus adulb, id eſt platani, & propriè fumus foliorum eius. Plinius Secundus de Naturali hiſtoria, libro 20. capite de Paſtinaca domeſtica: Folia eius, apum, veſparum, crabronum ictibus illita, medentur. Capite de Ruta: In præcipuis medicaminibus rutæ eſt ratio. Quæcunq; autem ruta, per ſe, aut antidoto, valet folijs tritis & pro vino ſumptis contra ſcorpionum ictus, apum, crabronum, & veſparum aculeos, &c. Capite de Siſymbrio: Siſymbrium ſylueſtre aduerſus

aculeata

aculeata animalia, vt sunt crabrones, & similia. Libro vigesimo primo cap. de Hyacintho: Radix aduersus serpētes, scorpiones, crabrones, similiaq́ bibitur ex vino semine trito. Libro 23 cap. de Vino: Merum remedio est contra apes, vespas, crabrones, &c. Cap. de Fico: Lactis ficulnei natura, aduersatur crabronum vesparumq́, & similium venenis. Cap. de Lauro: Lauri folia illita, vesparum crabronumq́, & apum venenis resistunt.

Libro 29. cap. de Remedijs contra morsus apum, vesparum, crabronum, & similium. Noctua apibus contraria, & vespis, cabronibusq́, &c. Libro trigesimo primo, cap. de Natura salis, & eius medicinis: Salis natura, auxiliatur aduersus crabrones, & vespas, similiaq́ ex aceto: ad omnia spuma salis iocundior, vtiliorq́.

De Musca uenenosa & non uenenosa, & culice Cap. XIII.

MVsca est vermis notus, duas habens alas, & octo pedes de putredine nascens, cuius duæ sunt species, quædam nanq́ est venenosa aculeum habens, vt vespa quæ pellem hominis perforat mordendo, quædam verò non est venenosa aculeo carens, quæ mordendo pellem hominis non perforat: culex autem dicitur vermis aliquantulum similis muscæ, nisi quòd corpus habet minus, & alas habet magnas respectu sui corporis, de putredine similiter nascens vt musca: & dicitur culex ab aculeo: quia aculeum acutissimū habet, quo pelles animaliū molestè perforat & sanguinem excutit, quæ vulgariter dicitur zenzala, & tempore maioris caloris acutius mordet.

NATVRA cuiuslibet prædictarum, & præsertim muscę venenosę, & culicis, calida est, & venenosa similis naturæ apis, & vespæ.

ACCIDENTIA morsus ipsarum videlicet muscæ venenosæ, & culicis consequentia, sunt similia accidentibus consequentibus morsus vesparum, & apum supra descriptis, & consimiles sunt eorum accidentium causæ.

SIGNA morsuum ipsarum, sunt accidentia prædicta, & informatio habita de præfatis vermibus cum momorderint.

PRAESERVATIO autem, & cura, etiam sunt consimiles. Quæ tamen pro eis ab auctoribus specialiter enarrantur, statim infrà describam.

Rasis 20 Continentis, capite secundo. Ait Tabri: Aqua decoctionis elleborí, occidit muscas, si ex ea domus irroretur. Et arsenicum citrinum puluerizatum, & positum in lacte, & in medietate domus, occidit muscas. Liber ingeniorum: Inueni in libro ingeniorum: ℞. condisi, id est ellebori albi recentis, arsenici citrini, id est auripigmenti citrini, tuberis, id est fungi sicci, an. trita informentur cum succo scillæ, & fac quam formam volueris, & pone super mensam, & non appropinquabunt muscæ.

Fumigium ex myrtis, aliàs muscis siccis, aut cum cymino, aut lupinis, fugat muscas paruas, & cimices. Absinthio posito in oleo non appropinquant zanfalices, id est paruæ muscæ. Ait Democritus: Si crines equi ponantur in porta cameræ, non intrabunt cimices neque zampaliones, id est culices seu paruæ muscę. & similiter facit fumus nigellæ aut cicutæ. Hippocrates ait: Si herba cannabis ponatur per lectum, non appropinquabunt ei cimices neque zampaliones. Rasis in libro de Proprietatibns animalium, capite de Proprietatibus leonis. Si sepo eius inungantur aliqua, non accedent ad ea muscæ. Capite de Proprietatibus equi: Pilus equi positus ad hostium domus, non ingredientur ad ea culices, quandiu ligatus fuerit ad hostium. Capite de Proprietatibus elephantis: Si suffumigetur locus domus, vbi sunt culices, cum stercore elephantis necat eas. Cap. de Proprietatibus cerui: Si suffumigetur locus culicum cum cornu ceruino, & vnguibus capræ, fugiunt ab

eo loco. Cap. de Proprietatibus lupi. Dentes eius canini, & cauda eius, sepulta in villa, non intrabunt eam muscę. Cap. de Proprietatibus Crocodyli: Decoctio ipsius, iuuat contra morsum muscarum, & aranearum, & vermium.

Rasis octauo Almansoris, cap. de his, quæ venenosa animalia, &c. fugant. Muscas quoq; aqua, in qua niger coquitur elleborus, interficit, & arsenici citrini odor. At suffumigatio cum olibano eas necat.

Auicenna quarto canone, fen sexta, tractatu tertio, cap. de Effugatione culicum, & cymicum. Fiat suffumigium cum seraturis ligni pini, aut cum calcadis, id est vitreolo minerali, aut cum nigella. Et melius quidem est, vt fiat aggregatio inter ea. Et similiter suffumigatio cum myrto sicca, et cũ sulfure, et bdellio, & spina nominata corti, aliâs coru, & stercore vaccino, & alharmel, id est ruta campestris tritum, & positum super lectos & fenestras, & cum folijs cypressi, & nuce eius. Et quãdo aspergitur domus ex decoctione radicum lupinorum confert, aut ex decoctione nigellæ, aut decoctione harmel, aut decoctione absinthij, aut decoctione rutæ. Cap. de Effugatione muscarum, & earum interfectione. Interficit eas arsenicum, quãdo ponitur de eo aliquid in lacte, & fugũt muscæ. Et interficit eas fumus eius, & fumus thuris, & decoctio ellebori nigri. Gilbertus Anglicus 7 sui Compendij medicinę cap. de Corporibus annulosis: Sub punctura apum, omnium muscarum venenosarum punctura intelligitur. Specialiter autem earum venenum destruit gentiana & hypericon, quę habent hanc virtutem ab effectu, & virtute consequente speciem. Guilielmus de Varignana in sua Practica sermone 4. tractatu 3. cap. septimo.

Chyrandus dixit: Si dealbetur domus cum calce mista cum condisi, id est elleboro albo seu specie eius, & opio, non ingredientur muscæ. Et iterum dixit Rasis: Si in domo dentes canini lupi, & corium, & cauda eius sit sepulta, non intrabunt in ea muscæ. Et iterum dixit, quòd si sepo leonis vngatur animal, non accedent ad ipsum muscæ. Et dixit Rasis: Si pilus equi ligetur ad hostium non ingrediuntur culices, quandiu ligatus erit. Et si locus suffumigetur cũ cornu cerui, & vngulis capræ, fugiunt à loco illo culices. Muscæ fugantur ex odore arsenici, imò secundum Hamech, si dissoluatur in lacte arsenicum citrinum, non cadit super eo musca quin moriatur. & suffumigium factum cum olibano eas necat. Et si elleborus niger in aqua decoquatur, & aspergatur domus, interficiet illas.

De Formica, & formicaleone Cap. XIIII.

FOrmica est vermis notus in partibus istis paruus, cui inter cetera animalia proprium est, & quantitate crescere, & virtute, quanto magis in ętate procedit: ex quibus quædam sunt quibus in senectute alę producuntur, & volant: vt tamen asserit Rasis in libro de Proprietatibus animalium, cap. de Proprietatibus formicæ: In India, vbi est dierum æquatio, sunt quædam formicæ magnæ vt canes velociores omni creatura Dei, quarum solicitudo est extrahendi arenam auream de mineris suis, cui equidem à quodam relatum fuit, quòd vidit formicam comedentem omni die carnes ponderis duarum librarum. Iuxta autem Chyrandum libro secundo cap. de Formicis: Formicarum septem sunt species. Formicaleon est vermis similis formicæ, sed nõ est formica, & dicitur formicaleon quasi formicarum leo, id est rapax, & aliquando dicitur myrmicaleon, myrmica namq; Gręcè, Latinè formica dicitur: formicaleon namq; formicas rapit, & deuorat.

NATVRA eorum est similis naturæ apis, & vespæ, minus attamen aliquantulum venenosa: verum auctores formicas volantes asserunt præcipuè venenosas.

ACCIDENTIA morsus ipsorum consequentia, sunt etiam similia accidentibus consequentibus morsus apis, & vespæ, parumper tamen remissiora. & consimiles etiam sunt, eorum accidentium causæ.

SIGNA morsus ipsorum, sunt accidentia prædicta, & informatio habita, quòd animal mordens, fuerit aliquod prædictorum.

PRAESERVATIO autem, & cura, sunt etiam consimiles præseruationi, & curæ morsuum apis, & vespę suprà descriptis: Quæ tamen pro eis ab auctoribus specialiter enarrantur, infrà describam.

Rasis 20 Continentis, capite secundo. Ait Tabri: Si ponatur calamita in foramine formicarum, expellet eas: & similiter pix, aliàs alkitran liquida.

Rasis octauo Almansoris capite de Puncturis vesparum, & apum, & formicarum volantium. Auctor præsentis operis: Recurre supra ad cap. vndecimũ pro præfato cap. & curis, auctoritate Rasis loco præallegato.

Rasis 8 Almansoris cap. de his, quæ venenosa animalia, &c. fugant. Formicæ fugantur ex alkitran, & ex sulfure, & assa. Et si ex istis in eorum foraminibus aliquid mittatur, moriuntur: & si ex eis circa foramen epithema fiat, non exibunt. Rasis in libro de Proprietatibus animalium, cap. de Proprietatibus tauri: Si vngatur radix arboris cum felle vaccæ, non accedent ad eam formicæ. Capite de Proprietatibus formicæ: Quando ponitur super introitum formicarum vespertilio, non egrediuntur inde, sed faciunt alia foramina aliunde aliquando, & non egrediuntur ab illis hostijs. Cor vespertilionis si sic præparetur, non egrediuntur, & egressæ non possunt ingredi. Et si inungatur meatus cum alkitran, nec egrediuntur nec ingrediuntur. Et quando sulfur suffumigatur, aut permiscetur, & suffumigatur cum radicibus colocynthidis, perimuntur omnes quæ recipiunt odorem eius. Et si radix arboris inungatur felle bouino, non accedent ad eam formicæ. Et si circuiuerit menstruata arena, non intrabunt in eam formicæ. Caules etiam, & assa fœtida quando proijciuntur in meatus earum, pereunt. Et si inungatur cum ipsis circa eas, non exeunt.

Albucasis secunda particula Azarauij tractatu secundo, cap de Morsu vespæ, apis & formicæ, quod descriptum est suprà, capite vndecimo, auctoritate Albucasis loco præallegato. Albucasis 23. particula Azarauij, tractatu secundo, capite octauo, dictione de emplastris ad puncturam vesparum, & apum, & formicarum volantium. Modus emplastri ad puncturam vesparum, & apũ, & formicarum volantium. Accipe sisymbriũ agreste, & tere bene, & pone super puncturã: aut tere folia maluę, & desuper pone, aut tere folia lauri recentia & superpone: aut illine locum cũ aceto, & luto hora post horã, & superpone pannum in aceto infusum super niuem infrigidatum: aut liniatur cum aqua rosacea, & caphura multotiens. & superpone pannum intinctum in aqua rosacea super niuem infrigidatum. aut emplastrizetur cum maluis, aut cum portulaca, aut morella, aut vermiculari, & similibus illis. Auicenna quarto canone, fen sexta, tractatu quinto, capite de Formica volante, & re simili illi: Illa est dispositionis proximæ api, & sanior ea, &c. & apud me est de iudicio vesparum.

Plinius Secundus de Naturali historia libro vigesimo nono, capite de Remedijs contra morsus apũ, vesparum, crabronum, & similium: Est & formicarum genus venenatum. Non nouere in Italia. Solifugas Cicero appellat, Solfugas Bætica. His cor vespertilionis contrarium, omnibusq; formicis, ac salamandris. Guilielmus de Varignana in sua Practica, sermone quarto, tractatu tertio, capite quinto. Ad morsum formicarum volantium, lenticula aquæ stagni cum aceto sæpe superponatur: & vulgariter frigidissima

vt nix. postea fiat fricatio loci cum muscis : sed ad aliarum formicarum morsum, fricetur locus cum oleo, & cinere: aut sugatur donec dentes egrediantur. & ex eisdem superponatur emplastrum. Cap. septimo: Formicę fugantur ex alkitran, & sulfure, & assa, imò & odor sulfuris, perimit omnes, quæ illum recipiunt, sed cũ colocynthide miscetur, & si aliquid ex eis in eorum foraminibus mittatur, morientur. & si ex eis liniantur eorum foramina, non exibunt. Et dixit Hamech: Quando origanum montanum cum sulfure puluerizatur super domum formicæ, dimittunt domum suam, & permutantur ab ea. Et Chirandus dixit. Si ex stercore vaccæ cum aceto, liniatur locus aliquis, formicæ non ascendent, &c.

De Pediculo vulturis. Cap. XV.

PEdiculus vulturis, est animal paruum sicut pediculus, id est sexcupes qui ab auctoribus communiter, & præcipue à Rasi vigesimo Continentis, capite secundo, auctoritate Galeni, & Aaron, & Iudæi, & ab Albucasi secunda particula Azarauij, tractatu secundo, cap. de Aldarca, vocatur darca, & quem Albucasis loco præallegato dicit appellari pediculum aquilę. Auicenna verò loco inferius allegato dicit ipsum nominari Gręcè memlistre. Nascitur autem præfatus pediculus vulturis in inguine & sub axillis. Albucasis autẽ loco pręallegato dicit ipsum vt plurimum inueniri in arbore aldibal, aliàs aldelab inter cortices arboris.

NATVRA eius est valde calida & sicca, & est valde acuti veneni.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt amissio auditus, & visus, & commotio sanguinis adducens anginam. & eruptio sanguinis per vrinam, & per nares, & per anum, & ex stomacho per vomitum, & ex pectore, & pulmone, & ex radicibus dentium, & vtplurimum mors, nisi debitè succurratur & præsertim in principio.

CAVSA amissionis auditus, & visus est maxima spirituum pręsertim auditui, & visui deseruientium, resolutio facta ab excessiua caliditate, & veneni acuitate ipsius animalis. Causa commotionis sanguinis adducentis anginam, est caliditas, & acuitas, & proprietas veneni ipsius animalis, quæ sanguinem commouentes, & aliquando ex aliqua speciali causa non potentes ipsum sanguinem facere ad extra corpus erumpere, faciunt ipsum currere ad gulam, sicut accidit strangulato, & consequenter adducitur angina. Causa eruptionis sanguinis per vrinam, & per nares, & per anũ, & ex stomacho, & ex pectore, & pulmone, & ex radicibus dentium, est acuitas, & proprietas pręfati veneni ad commouendum sanguinem, & ipsum erumpendum per loca prædicta, aut aliqua ex eis. Causa vt plurimum mortis, nisi debitè succurratur, præsertim in principio, est resolutio caloris innati, facta à malitia & acuitate præfati veneni.

SIGNA morsus prædicti, sunt accidentia prænarrata ; & informatio de præfato animali habita, & quòd morsus ipse est ita paruus, quòd fortasse non videtur.

PRAESERVATIO fit cum generalibus præseruantibus supradictis in secundo cap. quinti lib. & præcauendo sibi pro posse ab animali pręfato.

CVRA verò est similis curę iarariæ seu algerarati suprà dictæ in secundo huius libri cap. Quæ tamen pro ipsa ab auctoribus specialiter enarrantur, statim infrà describam.

Rasis vigesimo Continentis capite secundo. Inquit Aaron: Darca est animal minimum simile pediculo, & quem mordet, nec audit nec videt, &c. Detur ei lac nouiter mulsum: quia venenum eius, est vehementis caliditatis, & siccitatis.

citatis. Indiget ergo infrigidantibus, & humectantibus. Postea verò detur ei bezaar lapis quidam, qui viridis est coloris cum aqua frigida. Ait Iudęus: Iuuat contra morsum darcæ, qui dicitur sexcupes vulturis, sumere lac cum aqua ordei, & succo scariolarum, & caressetur locus. Ait Galenus: Darca est sexcupes vulturis, &c. Cura eius, est sumere lac recens calidum: quoniam res frigidæ & vnctuosæ opponuntur ei: & vnge supra locum bezaar, & da ei bibere succum lactucarum, oleum rosaceum, psyllium, aquam ordei, & aquam cucurbitarum, & comedat butyrum: & vnge locum cum solatro, & semine cucumeris, & citruli. Ait Simeon: Signum sanationis in isto, est quando patiens habet hæmorosagiam sanguinis, & non videt. Et cura eius, est sicut cura morsus iararię. Albucasis secunda particula Azarauij, tractatu secundo, capite de Aboarca: Curatio eius, est quòd acceleretur potare morsum in hora morsus lacte caprino statim mulso, vel calefiat. Et oportet vti frigidis medicinis, & pinguibus: quoniam venenum illud est acutum, & siccum. Et bibat aquam ordei cum manna, mucilaginem psyllij, & oleum rosaceum, & comedat cucurbitas, & portulacas, & teratur aliquid sandalorum aut memitæ & liniatur super loco, & liniatur cum solatro, & semine cucumeris, & similibus. Auicenna quarto canone, fen sexta, tractatu quinto, capide de Pediculo vulturis: Eius cura, est similis curæ algerarati, & ex eis, quæ sunt ei propria, est vt liniatur morsus cum bezaar, & cum succo lactucæ, & cum sandalis rubeis. Et confert morsioni eius lac dulce, & lac caprinum, & butyrum crudum, & terra sigillata, & alzeduar, id est zeduaria, & portulaca, & succus eius, & psyllium, & mucilago eius, & reliqua extinguentia, sicut aqua endiuiæ, & aqua lactucæ, & cucurbitæ, & citruli.

Halyabas in Regali dispositione, quarto Practicæ, capite de Vulturis pediculi puncturæ medela: Vulturis pediculus, si pupugerit, accelerandum est patienti propinare lac recens caprarum, statim vt mulgitur: cataplasmeturq; super locum confricatum sandalus rubeus cum lactucarum aqua distem peratus, & portulacæ, ac semperuiuæ: aqua quoque quesfare, id est coriandri, & talebi, id est solatri. Aquam etiam propina illi ordei, & terram Cypricam, id est terram sigillatam, ac seminis psyllij aliquid cum citruli aqua, & cucurbitæ: prodest enim.

De Porco luti. Cap. XVI.

POrcus luti, est vermis multos habens pedes.

NATVRA eius, est similis naturæ pediculi vulturis, & naturæ apis suprà descriptis.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt etiam consimilia accidentibus consequentibus morsum pediculi vulturis, et vespę: & consimiles sunt eorum accidentium causæ. Et similia sunt signa præter informationem, quòd præfatum animal fuerit quod momordit: et consimilis est pręseruatio, et cura. Quæ tamen pro eis specialiter ab auctoribus enarrantur, statim infrà describam.

Rasis vigesimo Continentis capite secundo, Ait Iudæus: Cura morsus animalis, quod nominatur porcus luti habens multos pedes, cuius venenum est multę caliditatis, est vngere locum ex oleo violaceo, et ponere ventosas absq; scarificatione.

Auicenna quarto canone, fen sexta, tractatu quinto, capite de Altamua, et porco luti: Hæc est bestia habens multos pedes acuti veneni, et est in iudicio pediculi vulturis et vesparum.

De Verme habente quadraginta quatuor pedes Cap. XVII.

VErmis xliiij. pedes habens, est vermis totidem pedes habens: quia ab vtroque latere xxij. pedes habet, & inde nomē præfatum assumpsit absq; alio proprio nomine. Vocatur autem à quibusdam auctoribus multipes, & à quibusdam centupes per hyperbolem, & non quia centum habeat pedes: quia non habet nisi xliiij. vt prædixi. Est autem vermis, qui cum paruus est, vt communiter reperitur in partibus istis, quandoq; aurem ingreditur: extenditur tamen aliquando præsertim in climatibus & regionibus calidis vsq; ad palmi vnius longitudinem. Ambulat autem ad anteriora: quandoq; tamē conuertitur, & in posteriora procedit, & diuisus in partes diu viuit.

NATVRA eius est modicum venenosa.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt dolor paruus, qui statim sedatur, & tumor magnus in labio, cum labium mordet.

CAVSA doloris parui, est solutio continui non profunda, & parua ipsius venenositas. Causa tumoris magni in labio, cum ipsum mordetur, est subtilitas cutis labij, propter quam morsus venas labij ipsius subtilem sanguinem continentis ac neruos eius melius attingit: quare consequitur maior dolor, & consequenter maior sanguinis, & aliorum humorum attractio, & per consequens magnus tumor.

SIGNA morsus ipsius, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita quòd prędictum animal fuerit quod momordit.

PRAESERVATIO autem eius, est pręseruatio generalis supradicta in secundo cap. quinti lib.

CVRA verò fit cum his, quæ ex auctorum mentibus statim infrà describam. Albucasis vigesima tertia particula Azarauij capite octauo: Modus emplastri ad morsum vermis, qui vocatur xliiij. pedes: Accipe milium, & confice cum aqua decoctionis basilici, & hyssopi, & fiat emplastrum.

Auicenna secundo canone, cap. de Sale: Fit ex sale emplastrum cum aceto, & melle, ad morsum habentis xliiij. pedes, & vespę. Capite de Asphodelo: Quando dantur ad bibendum fructus, & flos eius in vino, confert magnificè mordicationi scorpionis, & habentis xliiij. cum hoc quod soluit. Auicenna quarto canone, fen sexta, tractatu quinto, cap. de habente xliiij. pedes: Flos asphodeli est de theriacis eius. Et quandoq; sufficit administratio salis cū aceto.

Plinius Secundus de Naturali historia, libro vigesimo, capite de Cæpa syluestri: Purgamenta quoque earum, & excrementa in cinere illinientes ex aceto serpentium morsibus: Id ipsum quoq; multipedum ex aceto, supple, morsibus illinientes sunt auctores. Capite de Fœniculo satiuo, id est domestico, & syluestri: Dyocles, & aliud hippomarathri, id est fœniculi syluestris genus tradidit, longo, & angusto folio, semine coriandri medicinæ in satiuo, id est syluestri, ad scorpionum ictus, & serpentium, semine in vino poto. Multi & radice cum melle contra canis morsum vtuntur, & contra multipedem ex vino. Libro vigesimo secundo cap. de Ordeo: Farina ex ordeo decoquitur ad multipedum morsus cum melle. Capite de Milio: Farina eius cum pice liquida serpentium & multipedum plagis imponitur.

Libro vigesimo tertio capite de Aceto vini vitium: Vini etiam vitium transit in remedia acetosum maius, &c. cōtra multipedum morsus calidum in spongia adiecto sulfuris sestantes sextarijs tribus.

De Bestiola uenenata nascente in leguminibus Cap. XVIII.

BEstiola venenata nascens in leguminibus, est de genere aranearum solifugarum, id est aranearum, quæ diurno tempore, & elucescente sole remanent

manent abſconditę, nocte verò venantur, & eorum foramina exeunt: eſt autem ſicut aranea parua paruorum pedum.

NATVRA eius, frigida eſt, & venenoſa, ſimilis naturę araneæ, & phalãgiæ. i. rutelæ in cap. proprijs deſcripta.

ACCIDENTIA morſum ipſius conſequentia, ſunt ſimilia accidentibus araneę, & rutelæ, & conſimiles eorum accidentium cauſæ.

SIGNA morſus ipſius, ſunt accidentia prædicta, & informatio habita, quòd præfata beſtiola fuerit animal, quod momordit.

PRAESERVATIO autem, & cura, ſunt etiam conſimiles præſeruationi, & curæ araneæ & rutelæ ſupra in cap. quarto & ſexto prædictis. Quę autẽ pro ipſius morſus cura dicuntur, infrà deſcribam.

Plinius Secundus de Naturali hiſtoria libro 22. cap. de Beſtiolis venenatis naſcentib. in leguminibus: E leguminibus naſcuntur beſtiolæ venenatæ, quæ manus pungunt, & periculum vitæ afferunt, ſolifugarum generis. Aduerſus has omnia eadem medentur, quæ contra araneos & phalangia demonſtrãtur.

De Cimice Cap. XIX.

AVctores præclariſſimi de Venenoſis animalibus pertractantes, inſimul & de cimice, & de pulice, & de pediculo ſeu ſexcupede pertractarunt, non ideo quia præfata animalia fore venenoſa putauerint, ſed quia adeò ſunt naturæ hominis tœdioſa, atq; moleſta, vt venenoſitate quodammodo participare in eorum morſibus viderentur: vnde meritò cum de venenoſis animalibus pertractarunt, etiam & de eis cenſuerunt meritò pertractare. Eſt autem cimex vermis notus latus fœtens, præcipuè cum interficitur, naſcens communiter in lecti parietibus, & prę ſertim in eorum rimulis, ſiue confractibus ex puluere in ipſis putrefacto.

NATVRA ipſius, calida eſt, & acuta: attamen, vt prædixi, non eſt propriẽ venenoſa.

ACCIDENTIA morſum ipſius conſequentia, ſunt pruritus, & rubor.

CAVSA pruritus, eſt caliditas, & acuitas à cimice derelicta in loco morſus. Cauſa ruboris, eſt concurſus ſanguinis acuti præſertim ad locum morſus.

SIGNA morſus præfati, ſunt accidentia prænarrata, & perceptio pręſentiæ ipſius cimicis.

PRAESERVATIO verò, fit pręcauendo ſibi à conuerſando in locis, vbi tale tœdioſum animal reperitur: & faciendo quòd lecti parietes ſtent continuè bene terſi, atq; politi abſq; rimulis, & abſq; confractibus, & vtendo remedijs cimicum generationem prohibentibus, & ipſos effugantibus, & interficientibus, ex auctorum mentibus infrà deſcriptis.

CVRA verò fit cum remedijs pręſertim localibus frigidis, & humidis ſuprà laudatis in curis veſparum, apum, & formicarum, remiſſioribus attamen. Quę tamen pro ipſius morſus pręſeruatione, vel cura dicuntur, ſtatim infrà deſcribam, aduertendo quòd auctores propterea quòd pręfatum animal, eſt valde tœdioſum, quanuis non venenoſum, pro tam ipſius morſu pręſeruatione quã cura amplius vigilarunt. Et conſimiliter fecerunt de pulice, & de pediculo, ſiue ſexcupede. Raſis 20 Cõtinentis cap. ſecundo. Ait Tabri: Fumigium ex ſtercore bouino, fugat, & expellit cimices. Fumus ſulfuris, vel ligni aloes, ſeu vitreoli, occîdit cimices. Et fumigium ex myrtis ſiccis, aut cum cymino, aut lupinis, fugat muſcas paruas, & cimices. Inquit Paulus: Fumigium ex corigiola, aut vitreolo, aut ſtercore bouino, expellit cimices. Ait Democritus: Si crines equi, ponantur in porta camerę, non intrabunt cimices, neque campaliones, id eſt paruę muſcę. Et ſimiliter facit fumus nigellę, aut cicutę. Ait Sa-

lomon: Fumus cypressi, aut fructus eius, expellit cimices. Ait Rasis: Si vngatur corpus ex oleo, in quo coctum sit absinthium, non appropinquabunt ei cimices. Ait Hippocrates: Si herba cannabis ponatur per lectum, nō appropinquabunt ei cimices. Rasis vigesimo secundo Continentis, capite de Cypresso: Dixit Tabri quòd in fumigio, supple, cypressus, effugat cimices. Rasis 8 Almansoris, capite de His quæ venenosa animalia, &c. fugant: Cimices atq; scarabei ex fumo paleæ, & ex fumo stercoris vaccini, & maximè ex fumo azezi, i. vitreoli mineralis, & nigellæ fugantur: & si facies, ex prædictis fumigetur, licet postea mordeant, non multum nocebunt. Saphæa quoque ærea oleo inuncta & iuxta lectum, aliàs, locum, posita, valet ad hoc. Auicenna secundo canone, tractatu secundo, capite de Stercore: Stercus tauri propriè effugat vermes venenosos, & cimices, quando cum eo fit suffumigatio. Auicenna quarto canone, fen sext. tractatu tertio, capite de effugatione culicum, & cimicum: Fiat suffumigium cum seraruris ligni pini, aut cum chalcadis, id est vitreolo, aut cum nigella: & melius quidem est, vt fiat aggregatio inter ea, & similiter suffumigatio cum myrto sicca, & cum sulphure, & bdellio, & spina nominata corti, aliàs, coru, & stercore vaccino, & alharmel, id est ruta campestris, tritum & positum super lectos, & fenestras, & cum folijs cypressi, & nuce eius: &, quando aspergitur domus ex decoctione radicum lupinorum, confert, aut ex decoctione nigellæ, aut decoctione harmel, aut decoctione absinthij, aut decoctione rutæ.

De Pulice Cap. XX.

PVlex est vermis notus, paruus, velocis incessus, saltando præsertim, nascens ex puluere humefacto, & calefacto, præcipuè à calore, cui admiscetur calor, exhalans à corporibus animalium, & est niger & rotundus.

NATVRA ipsius, est calida similis satis naturæ cimicis.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt rubor atq; pruritus.

CAVSA ruboris, est sanguis attractus ad locum morsus. Causa pruritus, est caliditas, & acuitas à pulice derelicta in loco morsus.

SIGNA morsus ipsius, sunt accidentia prædicta, & perceptio præsentiæ ipsius pulicis.

PRAESERVATIO fit euitando loca, in quibus adest præsentia pulicum, & prohibendo generationem ipsarum, quod nempe fit tenendo loca à puluere bene munda, & generaliter ab omni superfluitate, & præcipuè ab vrina, & rorando persæpe ea cum aqua frigida, & præcipuè salsa, & effugando, & interficiendo eas cum his, quæ ex auctorum mentibus infrà describam.

CVRA verò similis est curæ morsus cimicis: verùm quia, vt in præcedenti capite suprà dixi, pulex, cimex, & sexcupes, non sunt animalia venenosa, quanuis sint non modicū tædiosa: ideo auctores celeberrimi de ipsis pertractantes principaliter in præseruatione ab eis, & ab eorum morsibus insisterunt afferentes, quæ statim infrà describam.

Chyrandrus libro secundo, cap. de Vrso: Corium eius, pulices fugat ab eo loco in quo ponitur, hoc sæpe verum est.

Rasis vigesimo Continentis, capite secundo: Dictum est in libro de Agricultura Persarum: Aqua decoctionis nigellæ, si ex ea irroretur domus, interficiet pulices, & similiter aqua salsa, & aqua decoctionis colocynthidis: Ait Tabri: Aqua decoctionis tribulorum marinorum, aliàs, cicerum Imperatoris, rorata per domum, aut circa lectum, occidit pulices. Aqua decoctionis, rubi interficit pulices. Ait Democritus: Si fumigetur do-

mus

mus ex cornu taurino, fugient pulices. Aqua rutæ ſparſa in domo, idem facit. Ait Calam: Aqua decoctionis oleandri, occidit pulices. Ait Meſuay: Aqua decoctionis xylocaracteris, id eſt ligni arboris carubię, occidit pulices. Ait Raſis in libro animalium: Si vngatur virga ex ſepo hericij, & figatur in medio domus, omnes pulices adunabuntur in ea. Iohannitius: Si vngatur ſcutella cum ſepo ſimiæ, & ſepeliatur in camera, omnes pulices current illuc. Similiter facit, ſi repleatur paropſis ſanguine, probatum eſt. Aqua decoctionis cucumeris aſinini rorata per domum, interficit pulices. In libro agriculturæ Romanæ: Domus irrorata ex decoctione ſeminis rapæ, occidit pulices. Raſis vigeſimo tertio Continentis cap. de Iambut: Dixit Bymaſui, Decoctio ipſius, interficit pulices, ſi ſpargitur in domo. Raſis octauo Almanſoris, capite de his, quæ venenoſa animalia, &c. fugant. Quando autem herba quæ vocatur cantar in lecto poſita fuerit, ſtupeſiunt pulices, & inebriãtur, & neq; ſalire, neque ſe mouere poſſunt, imò facilè capiuntur. Domus quoq; ſi ex aqua, in qua abſinthium, & colocynthis, & nigella cocta fuerint, rorata fuerit, interficientur. Quidam quoq; dicunt, quòd ſi in medio domus cauando fiat fouea, in qua parum ſanguinis fundatur, omnes in ea congregabuntur. Domus etiam ſi ex aqua, in qua haſſech, id eſt tribulus marinus cocta fuerit, roretur, pulices omnino deſtruuntur. aqua ſimiliter, in qua ruta coquitur, aut oleander, eos interficit. Raſis in libro de Proprietatibus animalium, cap. de Proprietatibus hericij: Si cum eius adipe iungatur baculus, & ponatur in domo, congregantur ad eum pulices.

Auicenna ſecundo canone, tractatu 2. cap. de Haſech, id eſt tribulo marino: Ex decoctione eius aſpergitur lectus, & interficit pulices. Auicenna quarto canone, fen ſexta, tractatu tertio, cap. de Effugatione pulicum: Quando aſpergitur domus cum infuſione colocynthidis, ſaliunt pulices, & fugiunt. & ſimiliter ex decoctione rubi. Et dixerunt quidam: Quando ponitur ſanguis hirci in fouea in domo, aggregantur pulices apud eum, deinde moriuntur. Et ſimiliter aggregantur ſuper lignum linitum ex adipe hericij, & effugiunt ex odore caulis, & foliorum oleandri. & hęc eſt herba nota iecumcuriem. ſ. herba pulicum: quę cum ponitur in lecto inebriat eas, & ſtupefacit: quare non viuificantur. Guilielmus de Placentia tertio ſuæ practicæ, parte ſecunda, capite ſecundo: Effugantur pulices, quando domus roratur ex aqua, in qua coctum fuerit abſinthium, colocynthis, & nigella: & interficiuntur. Similiter, ſi roretur domus ex aqua, in qua cicer ſylueſtris, vel ſacerdotalis, coctus fuerit, vel ruta aut oleander, omnes pulices moriẽtur. Scriptum eſt, Si herba perſicaria, vel herba ſignata, in lecto poſita fuerit, ſtupefient pulices, & capiẽtur de leui. Guilielmus de Varignana in ſua Practica, ſermone 4. tractatu tertio, capite ſeptimo: Chyrandus dixit, quòd corium vrſi fugat pulices. Et iterum dixit: Si quis ponat in pauimento domus, vbi ſunt pulices, lampyram, fugient. Eſt autem lãpyra vermiculus volans quaſi ſimilis muſcę lucens in æſtate de nocte, & ſcriptum eſt, quòd ſi fouea fiat in medio domus, & impleatur ſanguine hirci vel hericij, omnes pulices current ad locum. Et ſimiliter ſi inungatur locus, vel baculus, ex dicto ſanguine, & ponatur in medio cameræ, omnes aſcendent ſuper baculo. Quidam etiam dicunt, quòd idem facit pinguedo catti, & ſalſi hericij baculo illinito.

De Pediculo ſeu ſexcupede Cap. XXII.

Pediculus ſeu ſexcupes, eſt vermis in poroſitatibus animalis, & præcipuè hominis, generatus ex ſuperfluitate putrida in ipſis poroſitatibus aggregata, qui fouetur à calore ipſius animalis in plicis veſtiũ, vel in pilis eorum, cu-

ius signum est quòd in pueris voracibus propter eorum deteriorem digestionem, & cõsequenter superfluitatum coaceruationem ad cutis porositates expulsarum, præfatum animal non modicũ tædiosum copiosius generatur. Dicitur autem pediculus à pedibus, quia plures habet; videlicet, sex. Dicitur verò sexcupes, quia sex pedes babet: variatur autem in colore secundum varietatem coloris humoris, ex cuius corruptione generatur.

NATVRA ipsius, est calida, vt de cimice & pulice suprà dixi.

ACCIDENTIA morsum ipsius consequentia, sunt pruritus & modicus rubor.

CAVSA pruritus, est caliditas ibidem derelicta. Causa modici ruboris est quia solutio continui ex pediculi morsu facta, est facta amplius paulatim quàm fiat ex cimicis vel pulicis morsu.

SIGNA morsus ipsius, sunt accidentia prænarrata, & informatio habita de præsentia præfati vermis.

PRAESERVATIO verò ab ipsius morsu, fit cum his quę ex auctorũ mentibus statim infrà describam, præutendo purgationibus necessarijs iuxta humoris, ex cuius superfluitate generatur, abundantiam: considerata semper ætate, & ceteris necessarijs, & euitando ea quæ ad pediculorum generationem faciunt; vt sunt præcipuè ficus siccæ, & tenendo hominem in vestibus & camisijs & serabulis bene mundum, ipsas frequenter mutando, & frequentius expurgando, & euentando.

CVRA verò, similis est curæ morsus cimicis, & pulicis. Rasis 21 Continẽtis cap. de Asadarach: Asadarach, id est azadarach. i. berberus: dixit Chuz, quòd eius folia faciunt capillos longos, & interficiunt sexcupedes. Eius folia valent contra venenũ bibitum. Cap. de Astergai, id est vt credo, astigar. Dixit Chuz: Folia eius, faciunt capillos longos, & interficiunt sexcupedes. Et eius fructus, est nociuus stomacho, & est mortifer. Et eius folia, valent contra venenum. Libro vigesimo tertio Continentis, capite de Caso, aliàs, ciso: Casus aliâs cisus, id est hedera, est corigiola maior, quæ ascendit super arbores. lacrima eius illinita super pilos, eos radit, & interficit pediculos. Dixit Paulus: Gummi ipsius est vehementioris acuitatis, ideo radit pilos, & interficit pediculos. Capite de Aqua: Aqua maris acuta est, & infunditur super pediculos.

Auicenna secundo canone, tractatu secundo, capite de Argento viuo: Quod ex eo extinctum est, est medicamen pediculorum, & lendinum cum oleo rosaceo. Capite de Azedarach: Aqua foliorum eius interficit pediculos. Capite de Staphisagria: Staphisagria interficit pediculos, & propriè cum arsenico. Halyabas in Regali dispositione, quarto Practicæ, capite de Pediculorum medela: Cùm cuiusuis corpori innascuntur pediculi, medicamen bibere laxatiuum patientem impera, & cibis nutriri chymorum laudabilium, curareq; corporis mundificationem à sordibus plurimum: salsæ aquæ balneo vtatur, post aqua suaui: vestibus induatur lineis, mundis, & lotis: & si siccarum assueuerit esui ficuum, caueat hoc: & cum interfecto cataplasma corpus zibaco, id est argento viuo cum modico miuteregi. ℥i. staphisagriæ diligenter triti cum carthami oleo, & nocte cataplasma, manè balneum introeat. Assignatio medicaminis pediculorum: Aristolochiã longam & semcubari, id est pini folia diligenter tere, & cum zibaco interfecto. i. argento viuo mortificato cum amararum oleo amygdalarum commisce, & nocte corpus inunge, manè balneum ingrediatur, & cum calida lauetur aqua: postea autem cum aqua in qua sebum, id est alumen decoxeris iamenicum, aliàs, in quæ sceha. i. sandonicum speciem absinthij herbam lumbricorum decoxeris, Armenicũ, & bereniasecum. i. arthemisiã. Hoc etenim pediculos extirpat & annullat.

annullat. Aristolochiaq; longa & rotunda, & arsenicum rubeum, id est auripigmentum rubeum, si terantur, & cum bani, id est ben, oleo distemperentur, corpusq; cataplasmetur, & mane cum furfure, & fabarum liniatur farina prodest. Medicaminis assignatio, quod sordes purgat à corpore, & pediculos fugat: Sume costi amari, cardamomi, bouis fellis, cuiusque partem vnam, tere diligenter, ac distempera cum pistaceorum oleo, corpusq; cataplasma, & cum aqua laua, & furfure heueri, id est hordei: proderit nanque. Constantinus in Pantechni, quarto Practicæ, capite de Pediculis, & eorum cura: Pediculi si in corpore calido nascantur, hoc vnguento vngito: ℞. argentum viuum, & cinerem filtri, & cum aceto tempera & oleo, vel lithargyrum, & argentum viuum cum aceto tempera & oleo, sicq; vnge. In frigido corpore hoc vnguẽto vtere: ℞. Staphisagriam, nitrum, auripigmentum rubeum, & vnge cum oleo corpus. Similiter acetum cum aqua marina occidit pediculos, & si non habes aquam marinam, misce salem in aqua cum modico aceto, & idem facit. Et si post infirmitatem pediculi nascantur, fac oleum de carthamo, id est semine croci hortensis, & vnge quotidie, & laua cum aqua, vbi coctæ sint rosæ, & folia pini. & folia pini pista, & de isto succo similiter vnge.

De Dentibus & Aculeis animalium Cap: XII.

DEntes animalium sunt membra ossuosa in ore eorum existentia, omnibus manifesta, qui nempe principaliter, & primario generati sunt ad conterendum cibum animalibus ipsis necessarium: secundario verò ad defensionem eorum. & ideo iuxta Aristotelem secundo de Generatione animalium, capite decimo tertio, soli aliorum ossium per totam vitam augentur, adeò, vt si decem milium annorum esset vita, aut mille annorum, omnino maximos vtique oporteret fieri eos, qui à principio, & nasci frequenter: citò enim vtique contererentur non facta aliqua restitutione. Cuius nempe veritatis signum est, quòd in aliquibus, præsertim senibus, qui diu dentibus defecerunt, aliquibus ex eis remanentibus taliter quòd masticare non potuerunt, illi, qui remanserunt, reperiuntur valde magnificati. Aculei verò animalium sunt res subtiles acutæ, principaliter à natura generatæ ad defensionem eorum quorum plurimi reperiuntur in ore, vt puta in vespis, apibus, culicibus, & consimilibus. Aliqui verò reperiuntur in cauda, vt puta in scorpionibus & consimilibus.

NATVRAE eorum diuersificantur iuxta diuersitates naturarũ animalium in quibus præfati dentes siue aculei sunt, et præsertim iuxta naturas saliuarum, seu humiditatum in ipsis, vel circa ipsos existentium in eorum animalium proprijs cap. declaratas.

ACCIDENTIA remanentia eorum in morsuris consequentia, sunt accidẽtia cõsequentia morsus, siue puncturas eorum animalium intimata in eorum capitibus proprijs.

CAVSAE prædictorum accidentium, sunt consimiliter causæ eorundem, in præfatis eorum proprijs capitibus prædescriptæ. Causa verò remanentiæ eorum in morsuris, sicut accidit in morsuris stellionis & lacertæ dimittentium dentes, & in morsuris apum aculeos dimittentium, est teneritas ligamentorum eorum.

SIGNA ipsorum remanentiæ in morsuris, sunt eorum manifesta sensu perceptio & informatio habita, quòd animal quod momordit fuerit de dimittentibus dentes siue aculeos.

PRAESERVATIO eorum, supradicta est in præfatis eorum capitibus proprijs.


CVRA verò eorum vltra curas ipsorum in prædictis eorum capitibus prænarratas, ex auctorum mentibus infrà scribetur: aduertendo quòd talis intentio debet esse in cita extractione dentium, siue aculeorum. Rasis 8 Almansoris cap. de Puncturis vesparum, & apum, & formicarum volantium: Cùm hæc animalia aliquem mordent, dentes in loco morsus dimittunt, ideóque dolor perdurat, donec dentes inde euellantur. De his verò, quę eos exire faciunt, est vt locus cum oleo & cinere fricetur, donec egrediantur, deinde ex cinere cum oleo commisto emplastrum loco superponatur. Quòd si dolor perseuerauerit, locus erit sugendus, postea infirmus in aquam calidam mittendus, & de theriaca ad rutelæ morsus facta, erit ei tribuendum. Rasis in Diuisionibus, capite de Remedijs venenorum: Mordentia, si dentes dimittant in loco morsuræ, oportet vt fricetur cum oleo aliquo, deinde cum cinere leni: deinde emplastretur cum eo donec egrediantur. Albucasis 2 particula Azarauij, tractatu 2. cap. de Morsu reptilium animalium, quę relinquunt dentes: Curatio eorum, est quòd liniatur locus cum oleo communi, & cinere, donec egrediantur, postea submergantur in aquam calidam pluries, & bibat ex theriaca facta morsui rutelæ.

Auicenna 4 canone, fen 6. tract. 5. cap. de Stellione & lacerta: Quando mordet, dimittit in loco sui morsus dentes paruos, subtiles, nigros, & non cessat locus dolere, & prurire, donec auferantur cum seta, aut cum cuculo transeunte super eos: aut assumat eos, & colligat ipsos: quare sedatur dolor. Et quandoq; extrahit dentes eius oleum & cinis: deinde sugatur locus, & ponatur in aqua calida: & dictum est quòd comedere ataraxacon, id est cichoreum, valde iuuatiuum est ad morsum eius. Quòd si dolor magnificetur, detur in potu theriaca rutelæ. Plinius Secundus de Naturali historia lib. 20. cap. de Malua: In magnis laudibus malua est vtraq;, & satiua, & syluestris: ex syluestribus, cui grande folium, & radices albæ, althæa vocatur, ab excellentia effectus, &c. Huic contra omnes aculeatos ictus efficacior vis, &c. Aculeos omnes extrahunt illitæ, crudæ, & cum anetho, vel aceto potæ. Petrus de Abano in lib. de Venenis, cap. de Morsu animalium dimittentium aculeos ac dẽtes in locis morsis: Si autem mordentia animalia aculeos aut dentes in locis morsis dimiserint, tunc oportet, vt locus fricetur cum oleo & cinere suauiter, deinde fiat emplastrum super locum ex fermento & oleo, & sic aculei, vel dentes venenosi educentur.

FINIS.

BASILEAE

Per Henricum Petri, & Petrum Pernam.



FERDINANDI PONzetti, tituli S. Pancratij Presbyteri Cardin. Melfitensis, de Venenis lib. tres, ante annos xl. editi:

NVNC VERO MVLTO EMENDAtiores quàm antea typis excusi,

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO.



BASILEAE.

FERDINANDVS PONZETTVS CARDINALIS MELFITENSIS AVGVstino Nypho philpsopho præclaro, Salutem.



VM ANNO IVBILEI IN VRBE CONVENISsem Paulum Tholosam, interloquendũ visus est mihi plenus prudentia, ac beneficentia: quod postea consuetudo, multaq; honesta obsequia etiam erga me comprobarunt: quibus sane ab illa hora sum ei ea charitate deuinctus, vt in rebus suis, quando cedunt ex sententia, tantum capiam voluptatis: et econtrà mœroris, vt in proprijs. Et quia, vt nosti, vtitur multa remißione: nam & omnibus penè patent domus suæ fores. Considerans igitur iniquorum latebras, odia, & cupiditates habendi, & gratia tanti amici perspiciens libros medicinæ, excerpsi quæ habent momentum ad cognoscendas naturas venenosorum, & longe plura ad præseruandum ab eis, quod sanè magis confert hominibus, quàm postea subministrare sera remedia venenatis: non tamen pauciora annotaui ad curandum. Multa experta, multa probatißimis veterum auctoritatibus comprobata, reduxi in cõpendium remotis difficultatibus. Occupantur enim potius somno quàm lectione, qui istis detinentur. Superest ergo studiose mi Augustine occultorum naturæ fidelis interpres, vt ante editionem aliquod tempus huic operi diligenter accommodes, et si quid inuenies quod displiceat, non pigeat nunciare, eò maximè ne nobis accidat quod vulgò dicitur: dum à veneficis præcauere studemus, aliquos latenter instruere videamur. Vale.

FERDINANDI PONZETTI CARDINALIS MELTIFENSIS DE Venenis Liber primus.

De Communi notitia illorum Cap. I.



Vm processus diffinitiuus & diuisiuus non possint semper æquè accommodari disciplinis: nam quæ determinant res ad suas naturas, non sunt in omnibus continuè manifesta) neque omnia venena locantur sub vna specie, quæ propriè solet diffiniri: ideo sufficit ab initio subijcere, seu declarare nomen, ad quod cætera deinceps inquirenda possint referri. Ex istius sanè interpretatione, nō parua rerum extrahitur noticia. Aiunt igitur, venenum sic vocari, eò quòd ex se vadat per venas, quas aliquando coarctat. Et quia motus ipsius creditur terminari ad cor: ideo putant quòd circundat ipsum, vt venator feras. Ab alijs verò reputatur nomen compositum ex vę & neco, quia sæpe necat cum væ, id est dolore prænunciante mortem. Est nanque ex se potens interficere, siue sit simplex, siue mistum natura, vel arte, siue etiam medicina perniciosa, de qua Aristoteles: Pharmaca, inquit, quæcunque amara, & fœtida, & in parua quantitate data, sunt corruptiua corporis, non vocantur medicinæ, sed venena mortifera. Et si quantum ad rem sit illud, quod sua qualitate interimit eum, cui est contrarium ex modo suæ mistionis, quod cognoscitur, quia vt plurimum remanet in corpore sumentis secundum dispositionē quam habebat antequam assumeretur, & vincit, & permutat illud per alium modum ab eo quo ipsum corpus vincit, & permutat cibum in seipsum. Aliquando tamen causatur infectio per aliquid impressum patienti ab extra, vt dicitur de arbore, quæ nascitur in Archadia, appellata Taxos, à qua creditur quòd toxicum sumpserit nomen, quoniam interficit homines qui dormiunt sub ea, & si plerique asserant, quòd quando defigitur in illa clauus, perdit venenum, quia forte impeditur exhalatio fumi pestiferi illius.

De Diuisionibus venenorum Cap. II.

Quædam sunt venenosa in sua natura, & origine, & id vel ex mineris, vt argentum viuum, gypsus & similia: alia ex plantis, vt oleander: quarum aliquæ habent illud in succo, vt mandragora: quædam in fructibus, vt cornua anacardi: quædam in seminibus, vt hyoscyamus. Ex animalibus verò aliqua continent venenum in determinata parte corporis, vt fertur de cauda cerui: quædam in toto, vt cantharides, & multa in saliua, & ore, & aliqua in spuma, vel in flatu, vel anhelitu. Et nonnulla fiunt artificio, & si, vt plurimum ex alijs venenosis quando sublimantur, non tamen corrupta forma ipsorum corrumpitur venenositas, sed remanet in parte extracta. Signum est cibus dulcis versus in sanguinem, in quo remanet eius dulcedo: vel fortè per sublimationem illorum potius acuitur, & augetur malicia, vt constat in aliquibus, quando fumus alicuius rei venenosæ sublimatæ inuiscatur aliquibus scamnis, seu vestimentis, tangens ista remanet venenatus, vt sæpe accidit tempore pestis, in quo solo tactu rerum infectarū multi moriuntur. Et rursus quædam inficiunt qualitatibus manifestis, vt euphorbium, si concedatur esse venenosum, & alia qua dicuntur inficere à proprietate, puta illa, quorum effectus non potest tribui alicui qualitati, quam veteres vocabant mirabilem, puta caliditatem inflammantem napelli, aut frigiditatem stupefacientem opij, & sub istis locan-

tur multæ ſpecies. Inficientium autem ab extra aliqua ſubintrant poros cutis,
vt fumi prædicti ſublimatorum artificio, aut flatus quorundam ſerpentum,
ſeu rerum corruptarum, qui interdum trahuntur naribus, & impartiuntur
cordi. Et quædam interimunt viſu, vt baſiliſcus, & aliqua ſecundum alios au-
ditu, vt ſibilatio reguli. Idem de alijs ſenſibus. Quædam interficiunt citò:
quædam tardè: quædam incipiunt cum impetu, & citò dilatantur, vt haben-
tia ſubſtantiam ſubtilem: quædam è contrà, vt putreſcentia, de quibus pate-
bit poſt.

An Elementa ſint venenoſa Cap. III.

QVidam putabant quòd ſic: nam quando aliquod illorum multùm præ-
dominatur, poteſt diſtemperare, & interficere, vt conſtat de quibuſ-
dam exhalationibus, quæ ſunt miſta imperfecta. Sed quia alia eſt conſide-
ratio elementorum abſoluta, alia, prout ſunt in miſtis: non enim illa ſunt ve-
nenoſa: quia ſi ſic, omnia miſta, & animalia eſſent talia. Eſto enim quòd ex
actione intenſa qualitatum primarum poſſit alterari, & diſtemperari comple-
xio, ſeu temperies, & continuata actione deſtrui: iſtud tamen poteſt accide-
re ſine veneno. Si enim homines non ſubijcerentur iſtis diſcriminibus, non
infirmarentur, nec perirent. Cùm igitur iſta perturbatio infectiua ſecundum
peritiores, cauſatur ex modo miſtionis, ideo miſta duntaxat ſunt venenoſa:
& interdum poſſent etiam nocere ſine veneno, quando multùm excederent
in aliqua qualitate: & fortè exceſſus poſſet eſſe tantus, vt citius interficeret,
quàm certum venenum datum. Nam ſi euphobiũ interficit ſua caliditate po-
tentiali, multò magis habens eam in actu, & in gradu intenſiori. Et eſto quòd
animalia & miſta propinqua naturis elementorum, aliquando magis vexen-
tur ex perturbationibus temporum, & multus vapor eleuatus pronunciatur a-
nimum grauem, & habitantes loca paludinoſa, in quibus abundat humidum
putreſcibile, frequentius infirmantur. Et ranæ paruæ quando abundant
plus ſolito, prognoſticantur infirmitates: Iſta, inquam, diſcrimina immediatius
cauſantur à miſtis, vel ab eorum putredinibus. Si tamen venenum ſumere-
tur pro omni eo quod poteſt tempore breui inferre mortem, non ſolùm aer,
ſed aqua, ignis & terra poſſent vocari talia non ſeparata, quia nõ reperiuntur,
ſed quando prędominantur in miſto.

An poſſint inficere ſine contactu Cap. IIII.

TEnetur, quòd ſic: patet de piſce appellato torpedo ſtupefaciente manus,
& non retia: & ſol agit infra terram, & ambra trahit paleam, & magnes
ferrum, &c. Sed puto quòd ſemper concurrat aliquis contactus. Nam
qualitas parua illius piſcis defertur ad manus piſcatoris medio rete, cuius in-
fectio non percipitur, quia non eſt aptum diſtemperari ſicut manus. Sol ve-
rò dicitur agere in partes centrales influentia, qua occultè producuntur mi-
neralia, vel potius ſuo lumine calefaciente: licet enim non ſit formaliter ca-
lidus, calefacit tamen reflexione ſuorum radiorum: patet quando in ſpecu-
lo concauo accenduntur feſtucæ. Et manifeſtius agit ſuo motu, quia in di-
uerſis aſpectibus ipſius, generabilia & corruptibilia manifeſtius permutan-
tur. Et quando aliquod aſtrum eſſet frigidum, poſſet interdum ſuo radio ca-
lefacere: patet de luna in plenilunio, in quo noctes ſunt calidiores. Non e-
nim omnes calores ſunt eiuſdem rationis, puta igueus & naturalis, vel ge-
neratus ex motu: quia cauſæ & operationes iſtorum ſunt diſtinctæ ſpecie. Et
licet caliditas ignis comparata ad alia elementa, ſit prior & intenſior cauſata,
tamen ab aſtris eſt æquiuoca cum illa. Concurrit igitur ad inficiendum ali-
quis

quis contactus, quia nec ambra trahit paleam nisi calefacta, nec magnes ferrum, nisi istud recipiat aliquam qualitatem ab eo qua sit habile trahi. patet quia quando fricatur allio, impeditur attractio, quoniam tunc qualitas nō potest deferri ad illud: oportet tamen vt sit in debita distantia ad recipiendum illam. Nam nec membrum trahit nutrimentum quantumcumque distans. Et propterea prædicta differunt ab elementis, quia ista mouentur per se, ad sua loca quantumcumque distent, quoniam tendunt ad illa per propriam naturam, vt ad finem. Quæ etiam dicuntur de quibusdam fœminis in Libia vocatis Beitæ, quòd habeant in oculis duas pupillas, quibus interimunt homines solo visu, posset accidere, quando ira accensa in eis cogeret exhalare fumos sanguinis, vel alterius humoris illarum corruptos, qui prius quiescebant, & tunc delati ad aerem, & ex isto ad rem venenandam, inficiunt, sicut etiam mulieres menstruosæ maculant specula, vapore delato ex oculis ad illa. Multæ nanq; operantur diuersitates naturarum, vt aiunt, quòd in insula Nili reperiuntur homines appellati Tenterij, quorum voces timent, ac præsentiam fugiunt crocodili. Et licet aliquæ operationes istorum & similium ex pauca sensatione sint parum manifestę, concluduntur tamen ex aliis notis apud sensum. Quædam enim venenosa eorum subtilitate sunt adeò apta penetrare, vt solo flatu aut visu interimant: & de inficientibus qualitate intentionali, si qua reperiantur esset satis probabile, de quibus pòst. Et econtrà aliqua sunt adeo grossa, vt posita in ore, vel in vlcere nō multum profundo, non lædant sensibiliter, nisi prius à calore naturali reducantur ad actum. Ad propositum igitur: licet aliqua subtilia possint forsan agere sine contactu mathematico, in quo oportet, vt vltimæ superficies, videlicet agentis & patientis sint simul, non tamen sine physico, quo agitur in passum virtute formæ naturalis, vel influentiæ cœli, si qua datur: & in hunc sensum semper motor est simul cum moto, & de isto intelliguntur prædicta.

Quòd aliqua fiant venenosa, & non semper æquè inficiant Cap. V.

QVædam plantæ inficiuntur propinquitate veneni: nam si sub radice vitis ponatur euphorbium, vel napellus, vinum ex ea producitur venenosum: similiter quando ferrum rubiginosum ponitur iuxta porrum, vel fungum: ista tamen cognoscuntur colore liuido, nigro, vel viridi. Idem accidit iuxta cauernas, seu foramina animalium venenosorum, à quibus plantæ sæpe inficiuntur illa praua qualitate. Signum est quia tunc fructus earum lædunt, & ignoratur causa: non enim odor, vel color ostendit semper illarum malitiam. Nam & plerunque fœtida non apparent comedentibus talia, quoniam odoratus eget medio extrinseco: cibus verò intus susceptus non defertur per illud. Et denique sicut oscitantes minus audiunt voces, vel sonos, quia motus interior illorum prohibet percipere exteriorem: similiter accidit de illis fructibus infectis: quia actus gustus potest impedire illum olfactus, vt quando replentur viæ, per quas transit cibus. Et licet nerui dantes sensum & motum gustui sint proximi illis, & anhelitus sine quo non odoratur: non tamen possunt facilè simul exire in actum quod etiam non semper inficiat. Eodem modo suadetur ab aliquibus exemplo quorundam monachorum, qui quotidie infirmabantur, & non poterant prospicere causam, nisi quòd eorum agricola quadam die aduertit, quòd catus monasterij ludebat cum serpente: & tunc cognouerunt quòd infectio eorum causabatur ab illo, sed non poterat inducere mortem: quia lætitia serpentis ex ludo non permittebat acui venenum vsque ad terminum illius. Nec mirum, quia etiam mures ludunt cum illis. Sicut igitur venenosa habent diuersos gradus malitiæ,

ſimiliter & varios modos inficiendi. Idem etiam poteſt nocere vni & non alteri: patet de hyoſcyamo reſpectu turdi, qui creditur habere meatus adeò ſtrictos, vt antequam perueniat ad cor, remittatur eius frigiditas: vel forſan habet expulſiuam adeò fortem, vt præueniat nocumentum: vtcunque tamen, non eſt venenum omnibus ſpeciebus. Poteſt etiam aliquod inficere plura indiuidua, & non omnia: vt quæ habent fortem & ſenſibiliorem expulſiuam. Et aliqua lædunt ſecundum partem corporis extrinſecam, & non intrinſecam, puta cæpe, quod habet humidum, viſcoſum, & mordicatiuum in ſuperficie: ideo eius fumus cogit oculos lachrymari: non ſic intrinſecus: nam quando comeduntur partes ipſius ſuperficiales & ſubtiles, reſoluuntur calore naturali. Recipiuntur etiam cum cibis in locis plenis humiditatibus, quibus aufertur eis acuties, & malitia: groſſæ verò quæ remanent, non lædunt: quia diuiſæ per maſticationem à viribus vegetatiuis digeruntur, & vertuntur in ſanguinem. Lædunt igitur exterius, quia ibi calor debilis non poteſt partes ſubtiles reſoluere: quare vlcerant. Oppoſitum accidit de ceruſſa. hæc enim frigida & ſicca, habens partes groſſas, quæ interius acuitur, & ab intrinſeca caliditate vigoratur eius malicia: quare ſæpe præfocat, & interficit, quod nequit facere exterius, vbi potius lenit & ſigillat: occurrit enim mitiori calori, à quo non poteſt completè actuari. Et iſtæ varietates poſſunt etiam cauſari reſpectu temporis. patet de vite alba quando eſt recens, quia de ea comedunt homines & animalia, & quando peruenit ad ſtatum, vlcerat ſtomachum, & facit accidentia ſæua, & ſi aduerſetur veneno. Poſſunt inſuper euariari effectus ex fortitudine virium animæ, præſertim illarum quatuor, quæ ſubſeruiunt ſingulis membris, puta expulſiua, quæ ſæpe prius exit in actum quàm aliæ, quia forſan magis irritata, vel præcipuè ordinata à natura ad repellendum corporis nocumenta. Perturbatio etiam humorum & eorum diſcraſia in quantitate, vel qualitate, poſſunt retardare, & aliquando accelerare operationes & motus illorum: quoniam natura magis irritata citius conſurgit. Et licet vapores natura leues ſint apti ferri ſurſum, & graues deorſum, ſæpe tamen obſtructis poris & meatibus, aut perterritis viribus, vel alteratis inſtrumentis, ſubtiles vadunt deorſum, & graues ſurſum: quia minus læduntur miſta ex motu inordinato, quàm ex corruptioue.

Quæ ſint magis apta nocere Cap. VI.

COmparantes venena in malitia, aliqui tenent frigidum eſſe deterius calido, comparatione eiuſdem corporis. Frigiditas enim non ingreditur per ſe opus naturæ, & magis imitatur caliditatem innati. Alij econtrà: quia caliditas eſt actiuior & aptior ſubtiliari & aperire meatus, & potentiori vigore ducere venenum ad cor: putant enim iſti quòd plus lædat vigor veneni calidi, quàm cõtrarietas, ſeu malitia frigidi. Cùm tamen addunt quòd venena animalium ſunt deteriora illis plantarum, & iſta mineralium, non eſt verum ſimpliciter, niſi fortè comparando totam latitudinem vnius ſpeciei, ad totam alterius: quia cõſtat aliquod venenum minerale, vel plantæ, magis lædere quàm illud determinati animalis, puta caudæ cerui. Cùm igitur comparatio ſit habitudo in vniuocis, nõ debet propriè fundari niſi ſuper ęqualitate extremorum proportionabiliũ in eadem ſpecie. Cùm etiam hæſitatur an homo calidæ naturę ſumens venenũ frigidum, citius moriatur, quàm homo naturę frigidæ: videtur ꝙ cæteris paribus citius moriatur iſte, quia in eo eſt minor reſiſtentia. & licet venenũ frigidum credatur poſſe minus lædere reſpectu calidi: quia tamen trahẽs morã in corpore interea ſubtiliatur et acuitur calore venarũ pulſatilium,

tilium, ideo citius interficit. Alij econtrà: quia inter hominem calidæ complexionis & venenum frigidum, est maior contrarietas, quia intensior actio. Inquantum igitur natura calida, est fortior seu actiuior, effectus veneni frigidi sunt debiliores: nec refert quòd possint subtiliari & iuuari attractione, quia semper & in quocunque gradu venenum frigidum minus contrariatur complexioni frigidæ. Arteriæ etiam proportionatę cordi frigido, tardius trahũt istud respectu complexionis calidæ, & minus subtiliant. Nec est credendum venenum frigidum fractum arterijs calidis fieri magis acutum: quia ex ista alteratione potius minuitur potentia frigidi: vnde & si istud ex sui priori natura videatur magis contrariari vitæ, calidum tamen naturale animalium est per se validius, & in vtraque complexioue citius imprimit. Est tamen concedendum, quòd minus lędit calidam, quia ista fortius resistit, & ratione similitudinis minus opponitur. Experiẽtia etiam ostendit, quòd iuuenes minus lęduntur à frigidis, robusti respectu debilium: similiter non dico quòd aliquod cor sit frigidum nisi respectiuè, sicut tepidum vocatur frigidum per respectũ ad calidum.

An expediat ponere proprietates occultas Cap. VII.

COmmuniter tenetur, quòd sic. Sunt enim multi effectus, qui non possunt reduci ad primas qualitates: puta rhabarbarum non educit choleram per aliquam istarũ. Et Auic. Venenũ, inquit, est medicina quę corrumpit complexionem non contrarietate tantũ, sed proprietate quæ est in ipsa. Sed quoniam formæ substantiales rerum naturalium, non operantur ex se immediatè sine instrumentis, quę sunt qualitates actiuæ & passiuæ: ideo secundo de Anima dicitur, quòd calor naturalis est quo illa agit: aliter generatio nõ esset terminus alterationis, vt omnes fatentur. Et de Sensu & sensato: Qua quidem igitur, inquit, ignis & aqua & terra nihil natum est facere vel pati, vel aliud quicquam, sed qua supple parte inest contrarietas in eis, hæc omnia & faciunt & patiuntur. Et problemate 42. primę particulæ inquiens: Cur aliqua medicinæ educunt vomitu, aliquæ secessu, alię vtroque modo? Inquit, quòd calida & leuia, & liquefaciẽtia vomitu, frigida verò ratione ponderis secessu, & quæ sunt ex vtrisque cõpositæ vtroque modo. Nõ igitur tribuit istos effectus proprietatibus, sed mistioni primarum qualitatũ. Adhuc, si proprietas venenosa sumeretur pro propria passione, tunc sicut venena possunt intendi & remitti pariter formę substantiales, quod est absurdum. Si dicas quòd venenũ cedit loco habitus, quia permanet & producit effectus cõ similes: si istud esset verũ, tunc solùm concurreret vt principiũ. Quòd si dicas quòd proprietas precipuè aduersatur temperamẽto vitę, qualitates verò solùm complexioni, non obstat, quia destructa ista, destruitur proportio requisita, quare & operatio: quę licet dependeat à forma ista, tamen non se compatitur cum distẽperie, nec disproportione. Sequeretur etiam quòd nocumenta, quæ patiuntur venenati in calore & frigore, & alijs accidẽtibus, nõ possent distingui, nec reduci in causam: vocantur autem qualitates à Peripateticis differentiæ corporum, pro quanto cum eis completur omnis actio realis. Et quanuis addant duritiem, mollitiẽ, asperitatem, lenitatem, &c. Illæ tamen quatuor priores, sunt causæ istarum & aliarum. Et cum dicunt, quòd smaragdus & lapis bezoar, & similia operantur miranda, istud non fit sine illis, occultè tamen, quia multum refractæ non possunt percipi sensu. Nam nec tactus percipit nisi excellentias sensibilium, solùm enim cognoscuntur, quando à natura reducuntur ad actum mediante naturali calore. Nec rhabarbarum trahit choleram proprietate, sed similitudine in caliditate & colore. Nec inficere in parua quãtitate, arguit proprietatem, sed principaliter acutiem. Et cum dicitur quòd portulaca & sal cu-

rant ſtuporem dentium,ratio eſt,quia illa ſimilitudine trahit humiditatem infra dentes ad ſe:ſal verò caliditate liquefacit,reſoluit,& abſtergit.Ordo etiam vniuerſi exigit,vt entia naturalia agant cum illis : oportet tamen quòd ſint debitè ſubordinatæ agenti.Nam & multa operantur vnum per ſe,& aliud per accidens : Frigiditas enim remiſſa per ſe infrigidat,& intenſa aliquando per accidens calefacit,& exiccat recludendo calorem, qui tunc maius acuitur. Similiter calor intenſus poteſt per accidens infrigidare reſoluendo ſubiectũ caloris naturalis,per ſe verò ſolùm calefacere:vnde ſicut actio venenoſa eſt terminati ſuppoſiti,pariter & inſtrumenti.Concedentes igitur quòd illud venenum eſt calidum,cuius caliditas adiuuat proprietatem in reſoluendo ſpiritus, & humores,puta caliditatem napelli : & illud frigidum, cuius frigiditas adiuuat illam in congelando.Iſti, inquam,non ſolùm aſſerunt quæ repugnant doctrinis, ſed nec dicunt probabilia:quia non valet illatio, tale ſuppoſitum producit tale quid,ſeu interficit in parua doſi,& non manifeſtatur operatio qualitatum : ergo effectus non producitur cum illis : committunt enim fallaciam conſequentis, & arguunt à ſecundum quid ad ſimpliciter. Nouit enim vir ſapiens, quòd ortum omnium rerum ſub ſole ſemper præcedit aliqua legitima cauſa:excuſatur tamen aliquis recurrendo ad proprietates, quoniam aſſignare rationes omnium quæ dubitantur,eſt multis à natura denegatum.Nec etiã ſapiens tenetur,nec poteſt ſoluere omnia dubitabilia,ſed ſolùm quæ habent cauſas cognoſcibiles.Tenentes verò quòd venenoſitas inferatur à quibuſdã aſpectibus ſiderũm maleuolis,qui indiſponunt elementa tempore miſtionis, vix poſſunt ſaluare,quomodo quodlibet indiuiduum eiuſdem ſpeciei ſit venenoſum,puta viperę,niſi dicatur,quòd illa praua qualitas inducta ab illo aſpectu,potuit afficere totam ſpeciem:Vel fortè communicatur omnibus indiuiduis per ſucceſſiuam generationem.

An homo poſſit nutriri ueneno Cap. VIII.

QVidam tenent quòd non:Si enim nutrimur ſimilibus,ſequeretur quòd nutritus factus venenoſus,reponeretur extra latitudinẽ complexionis ſpecificę.Alij ecõtrà,quoniã odientes ſuos principes, nutriebãt puellas napello: vt miſcẽtes ſe illis morerentur.Et Ariſtoteles ſcribit ad Alexandrum de quadam educata veneno ſerpentum, quæ vrebat quicquid tangebat.In principio enim ſumebat de eo doſim adeò paruam, quæ poterat digeri:& poſt aliquod tempus augebat illam,& ſic ſucceſſiuè.Quantitatem,inquit Galen. hyoſcyami, quàm accepit in principio, vicit natura, & potuit ſuper eam propter paucitatem, & in fine aſſuefactum eſt etiam corpus, & factum eſt ſicut res naturalis illi . Nam & habitus cedit loco reſiſtentiæ. Et quædam plantæ translatæ ad locũ venenoſum,nutriuntur,& augentur.Peritiores tamẽ dicunt,quòd ſicut medicinę alterãt,niſi infra punctum ſupremum latitudinis complexionis humanę, infra quem ſolùm poſſunt eam permutare: ſimiliter nec nutritus veneno poteſt excedere talem terminũ.Illi verò reſpondẽt,quòd prædicta latitudo habet amplum ſpacium: quare ſi ſumpto veneno deperditur vnus gradus cõplexionis naturalis,acquiritur alius venenoſitatis in eadẽ latitudine,& ſic ſucceſſiuè:adeò quòd in fine quantũ deperditur de gradibus illius,tantum acquiritur de venenoſitate.Sed iſtud non tollit dubium, ſed eſt potius figmentum,quia in fine tranſgreditur gradus complexionis, cum quo non poteſt ſaluari vita humana. Similiter puella fuiſſet in extremo talis latitudinis,quin potius extra illum.Quare alij putant venenum adeò tranſmutari in corpore ſumentis, vt perdat formam & venenoſitatem : dum tamen permanet in ſtomacho antequàm digeratur,ſuo prauo vapore inficit os & labia

bia,quæ medio meri continuantur cum eo. Quare cum saliua infecta pôterat de facili venenare osculantes: habebat igitur illa puella semper aliquam partem napelli in stomacho, & in hunc sensum venenum spoliatum à sua malitia, potuit verti in substantiam nutriti, excepta parte quæ erat in stomacho non adhuc digesta. Sed quanuis ista secunda opinio, sit magis probabilis, oportet tamen considerare, quòd aliqua sunt omnino disposita ad nutriendum, & aliqua nunquam possunt digeri: & aliqua, quæ nedum permutantur, sed potius ipsa permutant corpora, nec cessant donec vincant. Et de istis non potest verificari prima nec secunda opinio, quia, si sumerentur in quantitate magna, mors præueniret nutritionem, & in parua non sufficeret. Et propterea Galen. videtur concedere solùm de frigidis, quia dedit exemplum de hyoscyamo: secus de calidis cum non trahant tantam moram in stomacho, vt possint digeri, quia prius interficiunt. Licet igitur possibilitates naturæ, sint amplæ, & dispositiones indiuiduorum variæ quibus interdum inutilia conferunt assuetis, concludere tamen ex istis, quòd venena vertantur in nutrimentum, videtur potius assertio, non cadens sub scientia, quæ est de illis, quæ sunt vt in pluribus, nec sub arte, quia principia istius, sunt experientiæ comprobatæ vsu longeuo. Cum etiam vita hominis exigat organa & spiritus sub certa temperie, hæc autem ex sanguine, aut humore infecto generari, nec conseruari possunt (& quod dicitur de parua quantitate, oportet tamen quòd quælibet talis retineat formam, quia secundum istam fit nutritio) vires etiam naturales non vertunt in substantiam, nisi illud ex quo potest constare animal, reliquum verò expellunt, præsertim puellæ, quæ ratione humiditatis habent fortem expulsiuam. Vnde si vita conseruatur per alimentum, istud debet esse simile in fine: venenosum verò non potest digeri, nec assimilari. Sequeretur etiam, quòd attractiua in principio traheret, & retentiua retineret, & digestiua digereret omnino disconueniens, & expulsiua non subministraret viribus quibus subordinatur.

De Actione uenenorum in genere, & modo nocendi eorum,

Cap. IX.

NOn enim omnia habent eundem: Et aliqui putant quòd prius inficiatur vna pars corporis, vel membri, quæ primo occurrit veneno, & ex ista sequens, ex qua alia, donec perueniat ad cor, cui præcipuè aduersatur venenum. Nam si opponitur complexioni & temperiei, ista principaliter est in corde, in quo etiam accidentia sæua magis manifestantur. Et dato quòd prius tangatur aliquod membrũ principale, vt cerebrũ, hepar, vel stomachus: in istis tamen, secundũ eos, non terminatur mótus veneni. Sed sanè aberrant, tum quia non considerant, quòd deficiente aliquo istorum trium, necesse est quòd deficiat animal, tum quia si intelligũt quòd pars prius tacta fiat adeò venenosa, vt possit ęquè inficere sequentem, est absurdum: quia non est eadem actiuitas partis tactę ad sequentem, sicut veneni ad primam. Nam si secunda esset facta æqualiter venenosa, oporteret vt dispositiones, quæ erãt subordinatę formę, seu viribus illius membri, essent permutatę, & alię prauę super inductę subministrarẽt illis, & tamẽ cõstat quòd in partib. tactis remanẽt dispositiones naturales: puta color, sapor, vt apparet in illa parte, in qua animal fuit vulneratũ & mortuum cum sagitta venenosa. Concesso etiam quòd quilibet excessus sufficiat ad mouendũ & ad alterandũ, non tamen ad transmutandũ seu remouendũ dispositionem fixam & naturalem, aliter non videremus mul-

tos ſanari. Sed forſan putant quòd per illas partes prius tactas & alteratas ve-nenum poſſit expeditius trāſire ad cor, vt dicitur in de Senſu & ſenſato quòd pars alterata adiuuat ad alterandum ſequentem, & multi tenent quò d alte-ratio fiat per minima in ſenſum, quòd alterans non poteſt à principio alterare maiorem partem: & ſi fortè iſtud non ſit ad propoſitum, quia non poteſt da-ri prior pars tacta: nam quacunq; ſignata datur alia prior. Verùm ſiue forma naturalis acquiratur per gradus, ſiue non ſolùm fiat per minima quantum ad partes ſubiecti, ſed etiam qualitatum, quia omnium entium naturalium exce-pta quantitate datur minimum, pro quanto formæ naturales determinant ci-bi ceream magnitudinem, quam vocant minimam: quia nulla ſaluatur ſub mi-nori. Ex acceptis tamen ab iſtis ſolùm poteſt concedi, quòd vires membro-rum propter illam alterationem reſiſtunt tunc minori vigore. Illud enim Ari-ſtotelis habitum ab habitu, &c. verificantur in actione merè naturali miſto-rum: non ſic in propoſito, quia in membris ſubordinatis animæ, poſt altera-tionem remanent adhuc vires ſubminiſtrantes, puta digeſtiua & expulſiua & aliæ, aliter illa pars non viueret, quia eſſet in totum defecta, nec poſſet redire ad priorem naturam cuius contrarium monſtrat experientia. Videtur igitur quòd inter venenum & partes tactas ſit potius ordo effectuum & non cauſa-rum, hoc eſt, quòd omnes alterantur à veneno, & non vna ab alia. Eſſet etiam ſpecies ignauiæ aſſerere prædicta de omni veneno ſumpto, vel de vno quoq; morſu animalis. Eſt bene verum quòd iſte tranſmutationes aliquando com-plentur tempore breui, quando venenum eſt valde calidum & acutum: aliquā-do longo, quando eſt obtuſum & frigidum. Et cum dicunt quòd Napellus o-mnem humiditatem corporis vertit ſtatim in venenum, non eſt verum, quia precedunt motus & alteratio: cùm enim ſubiectum ſit diuiſibile, non poſſunt omnes eius partes ſimul tranſmutari, aliter careret reſiſtentia & reactione. Na-pellus igitur, & ſi cogat aliquando ebullire humores, poteſt tamen prȩueniri expulſione. Nec eſt verum quòd ex partibus infectis inficiatur primo cor & per iſtud totum animal, & ſequatur mors. Iſte ſanè circuitus non eſt neceſſa-rius, quoniam mors poſſet ſuccedere ſtatim diſtemperato corde abſq; tactu alterius membri: poſſet etiam homo prius mori, vel ſaltem in eius corpore eſſe inducta totalis cauſa mortis antequam cor ſit infectum. Nam anima quæ eſt cauſa vitæ, non permanet in eo ſine certa temperie, non ſolùm cordis, ſed etiā ſpirituum & caloris naturalis & organorum. Quando etiam impeditur nutri-tio, poteſt mori ſine alio nocumēto eſſentiali cordis, excepto generali per col-ligantiam cum toto corpore quod regitur ab eo. Poſſet etiam cor prȩueniri nece quando ſpiritus refugerent in eo repentè, quia tunc poſſet ſuffocari. Si-militer quando prȩ nimio gaudio mouerentur ad circunferentiam, & in redi-tu armarium cordis eſſet clauſum. Alij verò declarantes modum venenandi dant exemplum de opio, quod ſi detur patienti magnum dolorem ſtomachi, tunc & ſi forte refrigeret partem doloroſam euaporando, tamen ſtupefacit to-tum corpus adeò, quòd videntur dormire, quia ſtupefactio eſt diſpoſitio, qua homo non ſentit niſi obtuſe, vel debiliter dormit: igitur ſolùm per accidens, pro quanto frigiditas opponitur ſenſationi priuatiuè & aliquomodo poſiti-uè. Sed quoniam modi inficiendi ſunt longe plures. nam aliqua inficiunt re-ſoluendo, alia fugando vires animæ: quȩdam immobilitando iſtas, quadam ſuffocando, alia ſerpendo, vel corrodendo, quædam vrendo: ideo non ſuffi-cit oſtendere vnum modum reſpectu omnium, vt patebit.

An Venena interficiant ab extrinſeco. Cap. X.

ANimalia cum ſuo anhelitu trahunt continuè aerem propter refrigerium cordis & arteriarum, & iſte motus ſubordinatur illi ſiſtolis & diaſtolis.

Et

Et quando contingeret, quòd cũ tali aere esset permistus aliquis vapor venenosus, tunc accedens ad cor, seu ad præcordia, statim inficiuntur: & quãdo infectio est multa, posset animal mori: nõ quòd cor trahat venenum per se, quia intenderet suam corruptionem, sed accidit aeri quando attrahitur, vt vapor noxius sit cum eo. Idem eueniret ex tactu aquæ infectæ, vt fertur de illo qui mortuus est, eo quòd se balneauit in calefacta cum lignis excisis ex cauernis serpentum. Et quidam flatus, seu fumi sunt letales, & ingrediuntur per poros cutis absq; eo quòd percipiantur: vnde dicitur quòd quædam venena interficiunt spiritualiter, quia medicinæ non trahunt humores, nisi natura transmittat ad eos quasdam qualitates, quibus sunt habiles trahi: non enim accedunt ex seipsis cum eorum corpulentia, & multa agentia inducunt interdum in passum dispositionem, sed formam, quæ non est ei similis in esse, sed eius similitudo immaterialis, & sensus, recipit species rerum sine materia: & ista receptio posset aliquando inferre dolorem, quando perciperentur, vt disconuenientes. Et talis dolor intentionalis, seu spiritualis, posset interdum augeri cũ modica actione reali. Exemplum datur, quando manus infrigidata ex tactu niuis approximaretur igni, & per istum modum aliqui venenantur, & ignoratur causa, hæc referuntur. Sed sanè dato quòd permutatio intentionalis possit exiccare humiditates naturales, & resoluere spiritus nostri corporis, vt aiunt, quòd species rerum possunt permutare vt res, non tamen venenare, quia fuerunt per se ordinatę ad repræsentandum obiecta, quorum sunt similitudines, & in hoc sunt efficaces, quoniam quælibet parua similitudo rei ostendit totã essentiam: patet de albedine, quæ videtur integra per paruum foramen. Est bene verum, quòd quando aliqua perciperetur, vt disconueniens, posset ponere spiritus in motu, & quando augeretur tristitia, seu dolor fortè cogeret ebullire humores. Sed isto casu infectio non causaretur ab illa specie immediatè, sed immediatius ab imaginatiua, quæ mouet calorem, & spiritus, qui aliquãdo possent vertere humores in choleram viridem, vel prasinam, causantem spasmum. Si tamen istud discrimen esset venenosum, posset dici, quòd venenum generatur in corporibus nostris, sicut fertur de illo vocato hippomenes: quod generatur in equa, quando agitatur furore amoris, quod distillat ab eius inguine.

Quomodo complexio resistat uenenis Cap. XI.

QVanuis istud vulgatũ, quòd homo nutritur similibus & corrũpitur cõtrarijs, sit vna ex intẽtionibus curatiuis, nõ tamen semper contrarietas vnius est causa curandi aliud. Licet enim qualitates non subordinatę, vt exigit natura subiecti, cum excessu, vel defectu, possent corrumpere temperamentũ vitæ: quando tamen venenatus sumeret aliud venenosum locum medicinæ: primum non curaretur ab isto, nec aliqua eius qualitate excedente, quin potius, si non fuisset actuatum à natura, posset celerius interficere, nisi fortè, tunc vires animę magis irritatę, quando instarent duę causę mortis, fortius insurgeret ad expellendum vtrumq;: aliter oporteret ostendere, à qua causa fuit expulsum secundum. non enim est credendum, quòd remanserit, quia esset aptum inferre mortem. Cum igitur nihil magis aduersetur & resistat cuiuslibet discrasiæ & malitiæ veneni, quàm bona & temperata complexio, quę sola restituit corpus in sanitatẽ: ideo est potius præbenda fides experientię, quã persuasionibus scribentium. Ratio etiam suadet, quòd maior contrarietas sit inter venenum & cor, quàm inter venenũ & venenum. non enim est dubitandum quòd virtus & robur cordis vnà cum spiritibus, & naturali calore, aduersantur magis nõ solùm veneno, sed cuilibet imaginabili distemperamento. Si

enim ſaliua hominis interficit ſerpentes & ſcorpiones, quia fortè in ea eſt impreſſa virtus membrorum totius corporis, quanto fortius complexio temperata? Dices, quòd ſicut extremũ magis aduerſatur extremo quàm medio, puta calidum frigido, quàm tepido: pariter venenum veneno quàm complexioni, non eſt ſic: quoniam temperies qualitatum, quando eſt adunata, ſeu reducta ad temperamentum medij, & ſubordinata viribus animæ, opponitur magis, non ſolùm exceſſiui frigoris & caloris, ſed cuilibet malitiæ humoris peſtiferi & veneni letalis. Nemo enim dubitat plures qualitates roboratas non eſſe efficaciores paucioribus non reductis. Eſt bene verum, quòd ſicut temperies complexionis vnà cum ſpiritibus innatis, & influentibus, exiſtentibus in eorum robore, poſſunt expellere quæcꝫ venena, & aliquando liberare habentes membra contracta, pariter quando eſt debilis ſuccumbere: complexio autem primo ſubordinatur formæ, & poſtea refertur ad operationem, quia iſta cauſatur ab illa, & in eius virtute operatur compoſitum. Et quando vna complexio comparatur ad diuerſas ſpecies, illa eſt melior, quæ locatur ſub perfectiori: quare illa hominis præſtat alijs, quia ſeruantur in ea longè plura & meliora reſpectu aliarum. Nec obſtat de acutie odoratus canis, aut viſus Aquilæ, quia comparatio propriè reperitur in ſpecie vltima: homo etiam non odorat, aut videt deterius illis, ſed melius ratione Iudicij. Quando verò comparatur intra latitudinem eiuſdem ſpeciei, quia omnia indiuidua conueneniunt in forma, illa eſt melior, in qua qualitates omnes fuerunt commenſuratę tẽpore miſtionis, ex qua ipſa reſultat, & iſta cognoſcuntur operatione.

De Vlteriori declaratione Cap. XII.

NOn inficior vnum venenum aliquando poſſe curare aliud, & liberare, quando ſummeretur ab aliquo infecto, hoc inquam, quia ſi eſſet ſanum poſſet mori ex illo primo: quando tamen dicunt quòd medicina venenoſa poteſt occidere ſanum & liberare venenatum, intelligitur quando in vna & eadem reperirentur virtutes diuerſæ: puta venenoſa, qua interimit, & iuuatiua qua liberat. Nam & interdum vna pars cibi nutrit, & alia ſoluit. Medicinæ verò venenoſæ, & ſi reſpectu naturæ, vel ex diſpoſitione ſumentis, vel loci corporis ipſius in quo recipiuntur, videantur aliquando conferre, non tamen ſunt dandæ, niſi quando non ſperatur quòd alię non habeant vim expellendi illud, & tunc debet conſiderari quantitas, quia magna non poſſet actuari à calore naturali, ſecus quando eſſet talis, vt in ea poſſet induci à natura ſumentis quædam diſpoſitio, qua agat & conferat. Nam quando miſceretur cum rebus non venenoſis, complexio cordis & calor naturalis, qui ſemper tendunt in melius, ſi eſſent inuicem vniti cum illis ſic actuatis, veluti cum re à qua eſt liberanda, inimicantur & contrariantur priori veneno. Et propterea non quælibet auctoritas de exhibendis medicinis venenoſis eſt extendenda, niſi fuerit comprobata experientia, vel alia ratione manifeſta. Nam cum dicunt quòd radix Mandragoræ emplaſtrata ſuper vlcus venenoſum curat, non eſt ſecurum, nec credendum: quia poſſet ſua intenſa frigiditate repellere virus peſtiferum interius. Si etiam, vt fertur, attractio, fit à calido, à vacuo, aut à forma ſpecifica, non eſt veriſimile quòd frigidum trahat vel educat: quia iſtud eſt de ratione calidi. patet quoniam veteres ſuper morſum canis rabidi ponebant emplaſtrum ex praſo, ſeu marrubio calido & ſicco, & ſale, vel ex ſulphure trito, quia educit ex vlcere humorẽ in quo eſt venenũ, ac etiam ſaniem ex pectore, trahit enim calida quadam ſimilitudine, & diſſoluit frigida vt contraria. Quando etiam dubitatur an ſecundum venenoſum ſumptum pro medicina eſſet eiuſdem ſpeciei

ciei cum primo, videtur ratione ſimilitudinis primum potius roborari, quia, vt
aiunt, ſimile facit furere. Sed non eſt verum, quia in exhibito poſſet ſuperindu
ci à natura aliqua diſpoſitio, qua factus diſſimilis, eſſet potens expellere pri-
mum: & iſta diſſimilitudo inducit in eo quandam indiuidualem contrarieta-
tē, qua vnum poteſt agere in aliud: & quando ſecundum & primū manerent
tandiu in corpore, quòd acquirerēt ſimilē diſpoſitionem, oporteret quòd tūc
vtrūq; expelleretur à viribus animæ, & eius naturali calore vnito cū temperie
cōplexionis, in quibus eſt habenda ſpes, quia idem accidit de medicinis, quæ
non educunt humores faciētes ægritudinem, niſi actuatę modo prædicto. Et
cum dicūt quòd quædā medicinæ, ſunt mediæ inter naturam corporis & ve-
nenū, licet ſit dubium, poſſet fortè verificari, pro quanto contineant aliquid ve
neni, & aliquid quod aduerſetur iſti, vt fertur de theriaca continente carnem
therij venenoſam, cuius ſimilitudine trahit venenū, & per alia cōponētia, qui-
bus conuenit, cum complexione humana reſoluit, deſtruit, & expellit illud.

An uenenoſa habeant tempus terminatum Cap. XIII.

QVanuis quędam operētur citius, quędam tardius: nō tamen poteſt ſci-
ri tempus prędiſum, ſeu punctuale: patet, quoniam frigida non agunt
vt calida, nec mollia vt dura, nec rara reſiſtunt vt denſa. Sumpta e-
tiam poſſunt effectus eorum multis ex cauſis retardare, & interdum accelera-
ri. Nam retenta in foraminibus occultis, differuntur: in loco verò propin-
quo cordi, accelerantur, ſimiliter ſumpta cum pauco vino, quia iſtud dirigit ad
cor ſolum: igitur poteſt ſciri quòd aliqua occidunt cito vel tardè, & fortè po
teſt coniecturari, quòd non pertranſibit talem diem. Et cum dicunt, quòd ſic-
ciora, vt phaſianus, vocatus gallus ſylueſtris, ſumēs venenū, citius moriatr̄, quā
domeſticus: quia cum iſte ſit humidior, ideo in eo inuiſcatur venenum & ob-
tunditur. Sed ſiue ſit humidior ſiue non, venena tamē facilius poſſunt penetra
re mollia, quàm dura, & ratione minoris reſiſtentiæ citius lędere. & de vene-
nis calidis non eſt dubiū. Et cum aiunt, quòd tardius lędunt mulieres quàm vi
ros: Si iſtud eſſet verum, poſſet accidere quando natura earum frigida, retarda
rèt tranſitum veneni ad cor, vel quando expelleretur cum ſanguine menſtrui,
qui interdum eſt venenum multis: ſed non inficit corpora ipſarum, quia aſ-
ſueta. ipſæ etiam minus conſiderant pericula. Et aliquæ ſunt tolerātiores ma-
lorum multis maſculis.

An reducta ad minima inficiant Cap. XIIII.

CErtum eſt quòd non, quando ſunt adeò parua, vt in nulla illarum reſerue
tur forma ſuæ ſpeciei, ſicut tunc non poſſunt per ſe exiſtere, pariter nec
operari. nec in eis remanent qualitates, quia præſuponunt ſubiectum. Vn-
de dubitatur de medicinis reductis in puluerem, quarum particulæ, ſicut non
poſſunt ſeorſum ſecerni, ita nec agere. Nam ſi viſibile in quantum tale poſſet
diuidi in infinitum, tunc etiam viſio poſſet creſcere proportionaliter. Sed ſa-
nè licet prædicta poſſint concedi de partibus minimis diuiſim ſumptis, acci-
piendo tamē illas ſimul, tenendum eſt, quòd non ſolū agant, ſed quòd facilius
deferātur ad loca anguſta, & commodius hęreant. Nec eſt verum quòd tunc
non ſaluentur in ſpecie, quoniā vnitæ retinent ſimul colorem, odorē & ſimilia
accidētia, quę niſi in ſubiecto quāto, ſub propria forma reperiri non poſſunt.
Idē conſtat de fumo & quauis ſubtili exhalatione, quæ lædit, & ſępe inficit, vt
accidit tēpore peſtifero: & tamen vterq; iſtorū eſt ſubtilior puluere. Non igi-
tur valet illatio, Non agunt in minima quantitate: ergo non ſunt talia: quia ſi-
militer poſſet inferri, quòd parua quātitas ignis, non eſſet calida, nec aquę fri-

gida:ſub quanta tamē portione,ſeu quantitate ſolitariè ſumptæ, poſſunt trāſ-
mutare corpus,licet credatur,quòd ſub illa qua ſaluant formā:in hoc tamen ſi-
cut in multis eſt præſtanda fides experientiæ.

De Diſtinctione uenenoſorum, & ijs quæ reputantur talia & non ſunt, Cap. V.

MVlta non venenoſa,lędunt ſolùm ſuis qualitatibus,& in cura iſtorum ſuf-
ficit vt exceſſus reducatur ad temperiem connaturalem , quod non
ſufficeret in venenoſis.Licet enim in iſtis oporteat interdum ab initio remit-
tere eorum audaciam,non tamen propriè curantur , niſi cum fuerit reſoluta,
vel expulſa à corpore . Intenſio etiam qualitatis,poteſt ſaluari in quolibet ſu-
biecto non venenoſo : patet de cicuta frigida in quarto , in cuius cura ſufficit
ſola reductio. Viperæ enim calidiſſimæ, non fugiunt illam ratione veneni,
ſed frigiditatis. Et eius ſemen emplaſtratum ſuper teſticulos,prohibet pollu-
tionem,& gonorrhœam,& in pueris augmentum herniæ, & ſuper virgam e-
rectionem , præſertim illa, quæ naſcitur in inſula Cretæ , ſeu Chios : & omne
diſcrimen ſequens ad comedentem illam, curatur ſolo vino calido , quod ſo-
lum alterat,& non educit. Si dicas,Iſtud accidit,quia habet ſubſtantiam raram
& reſolubilem,non obſtat,quoniam ſunt alia in quarto gradu caliditatis,quæ
habent illam denſam,& curantur faciliter,puta tithymalus,qui poſſet forſan re-
putari venenoſus : quia dicitur quòd vna ex ſpeciebus eius vocata à Græcis
Caritics,interficit piſces quieſcentes in lacunis: quod ſi eſſet verum, accideret
potius propter caliditatem quarti gradus aduerſam naturis piſcium frigidis.
Ipſa etiam permiſta cum aceto, qui lauat os ſuum,tollit defectus dentiū. Coc-
cognidium etiam quod eſt idem quòd mezereon reputatū calidum & ſiccū
in fine tertij gradus,& ſi inducat accidentia ſimilia venenoſis,non tamen eſt,
quia in diuerſis ægritudinibus humoralibus,dantur de eo abſolutè grana de-
cem cum vino, & permiſtum rebus educentibus melancholiam,expellit ip-
ſam,& curat quartanam : & tamen non eſt neceſſe,nec debent ægritudines
non venenoſæ curari venenis.Colocynthidis etiam, quam vocant cucurbi-
tam deſerti, fel terræ,& necem plantarum : iſtud eſt , quia continet partes ig-
neas & terreas valde aduſtas : patet , quia eſt nigra & aſpera,& ſi ſoleat ſuſpi-
cari venenoſa,quando tamen eius acuties remittitur artificio,educit humores
ex profunditate membrorum,& curat antiquum capitis dolorem,quę fieri nō
poſſent ſine intenſo calore,à quo fit attractio . Et quanuis non credatur exce-
dere tertium,puto tamen quòd non poſſit reponi in certo gradu, cuius ratio-
ne,quādo ſumeretur abſolutè,ſubuerteret &vlceraret viſcera,& aperiret me-
atus & venas, præſertim quæ naſcitur in arbore, vel reperitur ſolitaria: ſecus
forſan de illa in locis arenoſis & apertis. Succurritur tamen iſtis nocumentis
aqua paſſularum , vel mellis miſta oleo amygdalarum, quæ nullo modo ſuf-
ficerent venenoſis. Dices,quòd aliqua intenſiora in gradu caloris, non infe-
runt iſta nocumēta,puta piper & pyrethrum:non eſt mirum , quia natura loci
& eius cultus, & aſpectus ſyderum,prębent quandam ſylueſtreitatem,ſeu al-
peritatem,quibus qualitates primæ accelerantur,vel retardantur,ſeu intēdun-
tur,vel remittuntur,vel indiſponunt ad peius,vel ad melius operandum. Sę-
pe etiam ſalubria & nutrientia,cum non digerantur,creduntur fieri venenoſa
vt aiunt,quòd citrullus trahens moram in ſtomacho,generat humores ſimiles
venenoſis.Excedentia igitur in gradu caloris,vel frigoris,poſſunt ſolo nomi-
ne vocari venenoſa & non propriè,& forſan minus quàm putrefacta:puta ſe-
mina lauri facta acida,vel nuces corruptæ.

An

An naturæ specificæ illorum cognoscantur per effectus Cap. XVI.

QValitates non percipiuntur à nobis terminari ad certum gradum præcisum, vnde calida & frigida dicuntur cognosci solùm in specie subalterna: similiter nec proportiones mistorum, nisi ex accidentibus. Et dato quòd vires naturales sint continuę in actu secundo, qui si intercipere tur, periret animal: indispositio tamen agentis, vel passi, intendit & remittit actus illarum. Ista retulimus, quia interdum quod procedit ab vna causa, creditur procedere ab alia: & venenum quod est vnius speciei, sit alterius, vel non tale. Et propterea quando dicitur quòd aliquod est calidum, vel frigidum, in tanto, vel tanto gradu, intelligũt, quòd potest calefacere, vel infrigidare corpus temperatum in vno, vel in alio: & sic videntur saluare, quare ex indispositione aliquod minus intẽsum magis calefaciat, vel infrigidet. Sed quia nec iste modus ducit ad noticiam pręcisam: ideo veteres obseruabant experimenta comprobata in pluribus indiuiduis. Oportet tamen non ignorare, quòd res naturales non solùm cognoscuntur per effectus qualitatum primarum, sed etiam secundarum, qui aliquando præueniunt illas in operando: puta leuitas ignis. Concesso etiam quòd nec ista, nec grauitas sint formæ, sed accidentia circumscribentia istas: constat tamen, quòd ignis prius mouetur sursum, quàm calefaciat: similiter terra respectu grauitatis.

Quomodo mista diuersimodè exeant in actum Cap. XVII.

DVbitatur quomodo ignis vrat combustibile proximum, quòd non faciunt alia calida in eodem gradu, puta napellus. Pro noticia considerandum cum quanta diuersitate qualitates primæ sunt & operantur in mistis, cũ quantáue difficultate, vel facilitate exeant in actum. Sunt enim in eis in potentia aliquando propinqua, aliquando remota ad agendum intensè, vel remissè. Et de igne patet, quia non excutitur à lapidibus nisi cum ferro, non sic stupa, quia est apta cito vri. Similiter fumus statim accenditur à parua scintilla flammæ: idem quando excussa à lapide recipitur in sulfure, vel in escam siccam. Posito igitur quòd napellus haberet caliditatem in eodem, vel parum infra gradum, non tamen habet illam in subiecto eodem modo disposito, vt ignis respectu illorum duorum, licet in vna sit in propinqua dispositione ad vrẽdum, & in alia remota. Esto etiam, quòd in cęteris subiectum aptum pati, debeat esse approximatum, non tamen omnis approximatio est ęqualis, sicut nec quodlibet est aptum pati à quolibet. Cõcesso igitur quòd actio napelli sit ad finẽ assimilandi, & quando pręualet & incipit agere, durat donec destruat complexionem sumentis, siue fuerit calidæ naturę, vt maior ignis resoluit materiã minoris, siue frigidę ratione contrarietatis, non tamen eius actio est similis cum illa ignis, quia non habet caliditatem ita manifestè in promptu, sed cõclusam intra subiectum: ideo differunt in agẽdo. Idem suadetur ex natura contrariorum de salamandra, si reperiretur, quòd non vritur in igne propter maiorẽ resistentiam, vel clausuram pororum, vel intensissimã frigiditatem suę naturæ. Quòd verò napellus non interficiat coturnices, accidit, quia expellitur secessu, vel vomitu, & fortè cedit eis loco medicinæ.

Quod uenenositas non sit substantia Cap. XVIII.

ILlud vocatur albius in quo reperitur purior albedo, seu quod magis participat de perfectione propriæ formæ, vel est propinquius termino, à quo ipsa denominatur, & econuerso minus. Et de substantia dicitur quòd non intenditur, nec remittitur: aliter euariaretur eius forma specifica, quæ tamen

reputatur consistere in esse indiuisibili. Cōtrarietas enim propriè sumpta, quæ est fundamentum mutationum, reperitur solùm in formis accidentalibus, & in elementis, quia tenent locum medium inter istas & substantiales. quare nec intensio & remissio sumuntur penes quantitatem molis: quia si sic, nulla res parua posset esse albior magna, nec ratione subiectorum, quę licet possint fieri maiora, vel minora, non tamen intendi, aut remitti. Nec qualitates indiuiduales suscipiunt has passiones in abstracto, nec in vltima intensione gradus. Nam quando remittuntur in isto, perdunt nomen & diffinitionem. Ad propositum igitur, venenosum in concreto, non solùm potest intendi & remitti in vno indiuiduo, sed in omnibus eiusdem speciei. Et interdum plus in vno climate respectu alterius, puta scorpiones, qui in Italia non lædunt, vt in multis alijs locis, sicut nec domestici, vt syluestres. Sed satis digressum est.

FERDINANDI PONZETTI CARDINALIS MELFITENSIS, DE VENENIS, Liber Secundus.

De Præseruatione Cap. I.



HActenus de illis quæ conferunt ad præcognitionem, nunc de remedijs, & primò pręseruatiuis. Et ne fastidiētur legētes, maluimus referre solùm approbata auctoritatibus sapiētum, vel experientia, quæ est principium, & mensura artis. Aduertant tamen qui non præstant fidem nisi sensatis: quia & si illi non assignarunt continuè rationes manifestas, non propterea est putandum eos aberrasse, aut quòd temere tentauerint edere, quæ possent decipere posteritatem. Non igitur in dubijs est suspicandum de remedijs ab eis sancitis, & longo tempore receptis pro veris: vnde nec cupientes occurrere periculis venenorum, debent spernere remedia leuia, nec euitare incognita, nec à difficilibus perterreri.

De Præseruatione per cibum & potum Cap. II.

TImens venenari, ante alia curet habere seruitores, aut socios fideles, & circumspectos, qui cogitent quomodo vita patroni, vel amici est commissa fidei ipsorum, quod sępe faciunt, qui sperant remunerari. Facta igitur sufficienti degustatione timens, debet lauare os suum aqua, vt sciat melius distinguere cibos venenatos à consuetis. Illa enim simplex cum nullum ferè habeat saporem, loto ore disponit linguam, vt possit dijudicare multos: vnde non comedat famelicus, & teneat cibum aliquantulum in ore considerando sapores extraneos, puta valde acutos, acetosos, salsos, asperos, vel horribiles: quoniam omnes sunt suspecti. Et amaritudo quæ causatur interdum ex putrefactione, & dulcedo est magis considerāda, videlicet, an sit absoluta vel permista: Similiter de odore, an sit insuetus, & multo magis colores: quoniam sub albo potest occultari Arsenicum, & sub viridibus herbis oleander & napellus, & sub rubeis cinabrium, aut venenum sanguinis alicuius animalis, & sub citrino fel leopardi, &c. Adhuc caueant ne cibi coquantur cum lignis, quibus sunt commista folia prędictorum, præsertim assata. nā & carbones plantarum venenosarum possunt inficere: & fumus cerri accensi in locis clausis facit epilepsiam, & subet. Vestes etiam sunt custodiendæ, ne inficiātur aliquo vapore venenoso facto secundum artē, qui interdū est adeò acutus, vt solo tactu interimat. Similiter vasa in quibus coquūtur comestibilia & alia

& alia vsualia: quia posset in eis aliquid occultè reponi, vel cadere quando essent sub tectis antiquis, vel arboribus vetustis, maximè in quibus versantur serpētes. Nam & aliqua animalia parua in aliquo tēpore anni, sunt deteriora: & quādo mus moritur reclusus in vase, in quo seruantur comestibilia, trahēs illic morā corrumpitur, & inficit comedentē de illis. Sunt etiā custodienda illa in quibus seruatur vinum, quod valde diligunt serpentes, & interdū reliquunt in eo saliuam pestiferā. Nec cibi debent misceri cū illis, quæ facilè putrescunt, puta lac cum raphano, seu radicibus: quia fit acetosum, & corrumpitur, vel coagulatur in stomacho. Debent etiam abstinere ab immoderato exercitio, quia aperit meatus, & venas, & ab omnibus resoluentibus vires corporis regitiuas & fortè à balneo, quia aliqui fuerunt venenati in eo. Et quia natura ciborum debet aduersari venenis, quidam dabant ficus, & nuces, & aliqui castaneas: asserentes quòd decoctio medij corticis ipsarum bibita, tuetur. Et alij lupinos cedruceos, apium, & radices raphani syluestris vocati Rapesta. Securius tamen est sumere medium scrupulum vsque ad vnum foliorum rutæ cum vino, saltem ante cibum per duas horas, vt stomachus interea acquirat ab ea robur ad resistendum venenis, & lingua non impediatur discernere sapores: & intelligitur de domestica, quia syluestris est calida, & sicca in quarto: illa verò in secundo, & sicca in tertio: quæ etiam incidit, resoluit, & medetur contorsionibus, & acuit visum: præsertim succus eius cum illo fœniculi, & melle. Sed est vitandum semen etiam domesticæ, quia falsum, & acutum: & ob id medici componunt ex eo collyria. Et veteres dicunt quòd mustela dimicatura cum bufone, comedit solùm folia: & quòd caro ipsius, præsertim syluestris comesta, sit de fortioribus medicinis contra venena: quod forsan accidit, quia nutritur ex illa. Et quidam dicunt esse expertos, quòd quando ipsa ponitur in loco, in quo solet capere columbos, vel aues, non accedit: quia forsan imaginatur illos esse cum ea securos, vtrunque tamen expertum est bibere ante cibum medium cyathū vini, in quo sit decocta radix dictamni, præsertim cum baccis lauri: quia dirigunt ad cor, & valde roborant. Et quanuis dicant eandem virtutem, quæ est in isto esse in vincetoxico, hypericone, seu perforata, in aristolochia rotūda, enula, rafano, & lactucella: illius tamen est magis experta, præsertim primæ speciei. habet enim mirabilem vim calefaciendi, exiccandi, & incidendi. Secundæ etiam speciei insunt virtutes sanandi morsos, & hydropicos, & expellendi fœtum mortuum, &c. Est etiam expertum sumere ante cibum per duas horas modicum galbani cū myrrha, & vino, quia tuetur, & liberat.

De Præseruantibus relatis ab alijs Cap. III.

Quanuis dicāt quòd portare annulū, in quo sit sculpta imago serpentarij, cuius dextra teneat caput, & sinistra caudam, fugantur quæque venena: quia tamē addunt, quòd debeant obseruari anguli causati ab eleuatione æquinoctialis: ideo referemus quę sunt approbata à fide dignis. Et primò quòd frequēter odorare spicam celticā montanam pręseruat, pręsertim sumpta cū vino: similiter odor modici castorei dissoluti in oleo nardino, & odor serpylli vsualis. Et qui bibit qualibet die duos digitos mulsæ betonicæ, vel ℨ. vnam nigellæ tritæ, seu reductę in puluerem, permistā medio cyatho aquę, non læditur venenis. Galbanum etiam mundatum aqua calida, si de parte, quæ residet in fundo detur ℨ. vna cum aqua ordei, præseruat, & expellit venenum, & fœtum mortuum ex vtero. Sed debet eligi magis graue, quia est propriè antidotū venenis impositis sagittis. Et alij laudant radices asphodelorum cum aqua tepida: & eandem vim dicunt inesse seminibus cymini sum-

ptis cum aqua & aceto. Quædam autem auferunt tristitiam, & confortant
cor: puta olibanum, lignum aloes positum in aqua, qua temperatur vinum,
Similiter anisum, carui, & succus herbæ vocatæ purpurea, seu lampago.
Zedoaria verò, nedum confortat cor, sed etiam occidit vermes venenosos,
& masticata remouet odorem allij, cæpe, & vini: non tamen debet degluti-
ri, nisi in necessitate: quia calida in tertio. Agrimonia trita & bibita cum vi-
no, tuetur: & omnia quæ conferunt in præseruatione pestis, defendunt ab eis,
& restaurant spiritus.

De Detegentibus præsentiam ueneni Cap. IIII.

MVlta referuntur de lapide, in quo est affixus smaragdus: & intelligitur
de illo in quo sunt multæ maculæ rubeæ, & albæ. Existente enim isto in
mensa: si ibidem occultè deferretur venenum, dicunt quòd statim maculę oc-
cultantur, nec redeunt, nisi illo remoto, quod tamen negat experientia. Nec,
vt aiunt, carbunculus detegit, & si fortè fugat venena. Et quæ dicuntur de
cornu animalis vocati vnicorni, quod sudat accedente veneno, non est ve-
rum: quia secundum peritiores & expertiores, est propriè quoddam os extra-
ctum ex capite serpentis, qui vocatur Cornuta de genere surdorum, longitu-
dinis vnius cubiti cum dimidio, & ad plus duorum: habet enim in capite duas
eminentias veluti duo cornua dura, & ventrē ex transuerso plenū squamis, &
solum caput est venenosum, quod dicunt patêre, quia illo abscisso reliquū cor-
pus non inficit. Istud igitur os accedēte napello, therio, vel felle leopardi, quia
in istis solum dicitur expertum, statim sudat. Nam quando ab aliquo illorū ele-
uātur vapores, vadunt ad illud os tanquā ad aliquod simile: & quia est tersum,
ideo talis vapor in superficie illius à frigiditate aeris, vel ab illa ossis, vel ambo-
rū vertitur in humiditatē similem sudori. Sed est potius quędam madefactio
derelicta in eo, sicut accidit in multis lapidibus parum ante pluuiā: quando fri-
giditas illorum & temporis vertit aerē humefactum, seu vaporem in aquam.
Si enim procederet ab illo osse, cum multum sudaret, resolueretur humidū e-
ius, & cito aresceret. Interdum tamen non sudat, quando vapor illorum impe-
ditur à vento, vel alio obstaculo, vel quando venenum præsentatum non eua-
porat. Non enim omnia semper proferunt fumum, saltem aptum densari. Et
quidam dicunt, quòd illud cornu debeat poni super sal, quod licet sit exic-
catum à sole, quia tamen habet substantiam aquosam, sicut conficitur ex a-
qua & humore adusto: constat etiam quòd tempore pluuiæ de facili verti-
tur in illam. Istud tamen est difficile credere: quia ab omnibus reputatur ca-
lidum & siccum. Et quanuis illud posset fortè sudare accedente quouis va-
pore, non tamen alij tendunt ad ipsum per naturam. Fertur etiam quòd ele-
ctrum minerale sudet. Et alij, quòd scyphus factus ex aurichalco, permuta-
tur in varios colores quando accedit venenum. Et alij, quòd si ponatur cum
cibo venenoso lapis aquilæ, qui vocatur Etices, non potest deglutiri. hæc
referuntur.

De Remedijs illorum, & de domo S. Pauli Cap. V.

ISti fuerūt diu ante tempora Pauli, & in partibus Aegypti & Cypri exercue-
runt artem sub alio nomine. Nam quidem tūc vocabantur Psylli, & alij Mar-
si, qui tangendo & sugendo credebantur liberare morsos à serpentibus. Et de
quodam vocato Hexegon dicūt, quòd positus in dolio serpentum, circūmul-
cebatur ab eis: qui si fuissent venenosi, non euasisset, prȩsertim, quia hodie quā-
do volūt capere illos, faciūt prius macerari semē raphani syluestris, & ex eo vn-
gunt sibi

gunt sibi manus, vel ex succo dragonteæ. Et ego vidi quendã vngentẽ illas ex elixatura cardonis syluestris, quæ est vna ex speciebus chamæleontis: alba enim sanat & tollit dolorem dentium, & cum pipere firmat commotos, & cum aceto restringit gingiuas, & est sicca in tertio, & calefacit in secundo. Dicunt etiam, quòd sunt securi quando vngunt totum corpus ex cerebro leporis permisto oleo & aceto. Idem tamen operantur folia cupressi cocta in oleo: & certius grana iuniperi & asphodeli: quia nullus mordet vnctus ex illis. Portant etiam in manibus hypericonẽ & coralia, quæ excludũt vmbras melancholicas, & præbent fiduciam victoriæ. & serpyllum syluestre bibitum cum vino, defendit à quolibet venenoso. Quando tamen vadunt ad capiendum venenosiores, retinent illos per extremitatem caudarum, et interea expuunt super capita illorum. Saliua enim hominis, præsertim ieiuni deterret eos, quos tamẽ statim recludunt in scatula semiplena furfuris farinæ frumenti: quia, cùm comedunt de eo, remittitur acuties, & malitia: & sępe cum panno posito in ore illorum euellunt eis dentes. Quando verò inuicem concertant de peritia artis, dummodo non colludant, occultè suscepturus venenum, quod sibi debet offerri ab æmulo, paulò antè comedit tunicas ventrium vitulorum, vel alterius similis, vsque ad saturitatem. tunc enim quando venenum recipitur in stomacho, hæret potius villis illarum tunicarum, saltem per tempus. Et quidam ex eis bibunt tantam quantitatem aquæ calidę, olei & butyri, vt astantes credant quòd venter sit inflatus: paulò post tamen simulant dolores, & secedunt, donec faciant vomitum, quo eijciunt venenum simul cum tunicis, vel cum aqua prædicta. Non solùm enim confert cibus oppositus veneno, sed etiam vsualis: quia præoccupat & replet vacuitates stomachi, prohibens ne venenum hæreat suis rugositatibus. Sumunt etiam aliquid de Lemnia, quæ ratione siccitatis prohibet venenum deferri per corpus: non tamen debet adhiberi fides verbis ipsorum, quia sunt iactatores. Dicunt enim, quòd quando volunt experiri partus, ponunt vnum aspidem in manibus pueri, quem si non momorderit, credunt esse natum ex se, aliàs arguunt vxorem de adulterio. Dicunt etiam, quòd omnes de ista domo tempore veris bene olent: ego tamen inueni quòd olent sicut prius. Lapilli verò qui venduntur ab eis, quibus pollicentur tot miracula, constant ex illa Lemnia, quam Dioscorides vocat terram fragilem, quæ colligitur ex cloacis sordidis, in quibus ei miscetur sanguis caprinus: quos dicunt fugare omnia venenosa, præsertim quando sumuntur cum vino: & qui portãt faciunt securos: & super vlcera sanant. & licet credatur quòd sit terra sigillata, ista tamen habet propriam mineram: & colligitur ex terra, in qua nõ reperitur alia mistura. Vnus tamen ex ijs interpellatus à me, quibus in veritate se tuentur, respondit tandem, quòd cũ medicamine facto ex terra sigillata & granis iuniperi, addito modico luti Armeni: qui & si forsan mentiretur, istud tamẽ remedium defendit efficaciter, siue sumatur prius, siue post cibum. Et vnus alius iurauit mihi, quòd quando aliquis denunciat sibi quempiã fuisse morsum, dicit ei, Nõ moueas te, & signat eum in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti, & accipit de terra sub pollice dextri pedis illius, & distemperat eam cum aqua & istam dat ei bibere, & dicit hæc verba: Caro caruzet reparat sanum, & manuel paraclitum: & statim ille vomit, & morsus, quanuis absens, remanet curatus. Sed licet meminerim legisse istamet verba in quodam lib. medicinæ, inuestigando tamen an fuisset verum, dixit mihi vnus alius, quòd ille mentiebatur.

De Causis & difficultate cognoscendi eas Cap. VI.

Istę non possunt planè prospici sicut in cæteris ægritudinibus, patet tum de primitiuis. Nam siue venena sumantur per inaduertentiam, siue subdolè mi-

NOMINA EORVMQVE ETYMVM.



Li. 2. obser. c. 51. VM sit apud nos controuersum, an varia nomina, quorum etymum
hoc in loco sumus expressuri, vnum, & idem animal significent; ru
bricam synonymiæ vocabulo inscribere noluimus. Bellonius igitur i
obseruationibus animaduertit, apud Incolas Lemni insulæ versari Ser
pentem vulgò Laphiati nuncupatum, quem eumdem esse scribit cu
co, qui à Veteribus Elaphis appellabatur: fortassis Elaps, vel Elop
scribere voluit; nisi Elephantiam intellexerit, quem Serpentem Eliota Anglus nome
inde sortitum esse tradit, quia demorsos in lepram, seu Elephantiasim inducat. Alit
Elaps, vel Elops Serpentis nomen est, quem inter innocuos Nicander in Theriac
enumerauit his verbis.

Αλλὰ γεμὴν ἄβλαπτα κινώπετα βόσκεται ὕλην,
Ους ἔλοπας, λιβυάς τε, πολυστέφεας τε μυάγρυς
Φράζονται.

Quorum versuum sensus sic latino sermone redditur.

Per densas habitant syluas, per opacaq; lustra,
Quos Elopas, Libyasq; coronatosq; myagros
Dicunt.

Nonnulli interpretantur ἔλοπας διὰ τὸ ἐλλείπειν τὴν ὄπα, quoniam illis deficiat visu
Elops cum Cæcilia cōfunditur. Verùm hi scriptores hunc Serpentem cum Cæcilia confundunt, quæ Græcis ob cæcit
tem Typhlops vocabatur; vt in proprio capite enucleatum fuit. Alij tradiderunt El
pes, vel Elaphes dici quasi ceruinos angues; fortè ab ἔλαφος, quæ vox ceruū signific
Cap. 18. aut quia huiusmodi Serpentes, ceruorum more, sint meticulosi, aut quia celeri cu
ferantur. Clarissimus Faloppius in libro de Tumoribus præter naturam, ponderans
xilia ad dissipandas strumas necessaria, meminit Ceruonis anguis, dum retulit lo
Cernone. Ceruera. consuetudine apud Nationem Apulam receptum esse, vt hoc genus anguis pro dis
uendis strumis vsurpetur: sed cum postea hunc eumdem Serpentem Caprimulgam
... Boam intellexisse videtur. Deinde idem Author in eodem libro, pro

mor digitorum & nigredo vnguium pronunciant malum, quando verò post
mortem, cutis sit nigra, vel viridis, est signum fracturæ alicuius venæ. Qui
verò euadunt, sæpe depilantur, quia vapor venenosus corrodit humorem, ex
quo generantur capilli, & tardè, vel nunquam redeunt: quoniam interea re-
stringuntur pori: possunt tamen redire, quando siccitas pellis non multum
processit. Nec est verum, quòd sudor sit signum euasionis, nisi forsan in decli-
natione quando venenum resolueretur. In istis enim casibus sudor solet acci-
dere ex labore naturæ, nec, vt aiunt, fluxus ventris & vrinæ ostendunt incolu
mitatem, quia vsquequo venenum non expellitur, vel resoluitur, continuè po
test interficere.

De Curis & sex rebus vocatis non naturalibus Cap. IX.

MEdici omnes infirmos regulant aere, cibo, & potu, inanitione & reple-
tione, somno & vigilia, motu & quiete, & accidentibus animæ. Et quan
tum ad aerem quisque venenatus debet statui in loco claro & euentabili, ne
cogatur iterum inspirare suum flatum: & quando stetit diu in vno, mutetur
ad alium, & quando esset frigidus, calefiat cum lignis siccis accensis, & sint bo
ni odoris, & ad eum ingrediantur habentes anhelitum sanum: vestes etiam &
linteamina in quibus dormiunt, sint munda & fumigata odoribus notis. simi-
liter camisiæ sæpe mutentur. Et quantum ad accidentia animi, sermones sint
iocundi, & præbeant ei spem euadendi. Circa motum verò, posset ei conferre
ambulatio, & aliqualis labor, quando expectatur descensus, vel resolutio il-
lius, vel vt calor naturalis sopitus excitetur: aliter quies est primum remedium
incipientium ægrotare. Cibi autem debent habere naturam aptam faciliter di
geri, & confortando citò nutrire, & aduersari veneno: puta brodium gallinæ
pinguis coctæ vsq; ad dissolutionem: & alia quæ resistunt acutiei, & prohibēt
ne accedat ad cor, néue hæreat musculis & lacertis. Vinum sit subtile & clarū,
potens, boni odoris, & ab intio in quantitate notabili, vt possit permutare, vel
obtundere venenum: In processu verò quantitas impediret digestionem, præ
sertim fumosum & potens, quod etiam posset facere catarrhum. Quando ta-
men noceret, debet curari vomitu, & postea dari brodium anseris. Rubeum
verò & dulce datur, quando intentio esset prohibere motum veneni. Somnus
autem magis confert in calidis, quoniam prolixius in frigidis & humidis pos-
set causare subet, vel lethargiam. Venter posset solui quando venenū esset in
intestinis, & est liniendus quando instaret constipatio fæcum, & sudor posset
prouocari, quando venenum declinasset ad venas. Dicitur postremò, quòd in
necessitate debet poni in ventre muli, vel cameli statim occisi: quoniam calor
istorum resoluit venenum, & confortat spiritus, & omnia membra. Idem de
balneo & fricationibus: quia trahunt ad circunferentiam, & resoluunt, non sic
de phlebotomia, nisi fortè ad exonerandam naturam.

A quibus est incipiendum Cap. X.

ALiqua sunt adeò letalia, vt nulla peritia medicorum possint corrigi. Si-
cut interdum aliqui humores, ita vruntur in corporibus nostris, vt nullā
penitus expectent curationem: quia præueniunt spasmando. Ab initio tamen
antequam vires sint multum perturbatæ, & dum venenum est in stomacho,
debet educi vomitu: & solet dari aqua mellis tepida cum butyro & oleo sesa-
mino. Similiter aqua raphani destillata non solùm facit vomitum, sed mede-
tur omni præfocationi. & licet stercus galli non fallat, est tamen expertum da-
re drachmas duas pulueris radicis asari, hoc est baccaræ cum vino. Ista e-
ducit humores ex membris remotis sine labore. Quando verò ignoratur

natura veneni, debet potius dari aqua decoctionis seminis vrticæ cum butyro, & postea bibere lac & euomere. semina enim illius mundant stomachum & pectus: & emplastrata valent ad cancrum. Et quando sentiret inflammationem, dentur ei duæ vnciæ olei rosacei, & tantundem de aqua niuis, vel alia frigida, & iteretur vomitus: & quando non sufficeret, addatur modicum terræ sigillatæ, & de baccis lauri. Conuenit enim vomitus in omnibus venenis sumptis, excepto fortè sanguine tauri: quia nimis grauis. Nam quidam famulus meus volens occidere mures, præposuit eis farinam frumenti mistam modico arsenici subtiliter pistati, de quo comedens vnus ex duobus catellis domus, paulò pòst euomuit, & fuit liberatus. Et quia alter comedit de illo vomitu, mortuus fuit. Quando autem adeò superflueret, vt stomachus debilitaretur, capiatur puluis radicis termentillæ, seu bistortæ cum albumine oui, & ponantur super tegulam calidam, & sumatur. & si non sufficit, fiat fomentum ex decoctione aquæ pluuialis & pulueris illius radicis, duabus partibus, & vna spicæ, supra stomachum, & ventrem: & postea cum melle calido emplastretur: quia confortat, restringit, & sanat.

De simplicibus quæ curant Cap. XI.

INter magis experta dicitur esse pondus octo granorum hordei, smaragdi triti, dati cum vino. Et licet faciat accidentia sæua, citò tamen transeunt. Est enim tantæ virtutis, vt roboret oculos nostros, & destruat illos tyri & crocodili. Et licet iste reperiatur solùm in Nilo sub figura lacertæ: quia tamen depascitur super terram, ideo istud potuit aliquando experiri, sicut dicitur expertum, quòd adeps ipsius curet venena. Esto etiam quòd de quibusdam lapidibus multa dicantur: Gagates tamen nō est lapis: sed gumma, & vocatur à Dioscoride Agiros, & à Latinis karabe, cuius vna species est coloris nigri, alia crocei. & ex ista fiunt annuli, & reperitur in Lybia, & Britannia, & melior est quæ accenditur prope lumē lucernæ. Ista, inquam, excludit venena & serpentes, & sanat maleficiatos, & occupatos phantasijs melancholicis. Fertur etiam quòd experitur virginitatem, quando eius colatura cum rasura datur puellæ, si retinet eam non est corrupta, secus si cito mingit. Et quando cortex istius arboris inciditur minutim, & seminetur in lætamine, nascuntur ex eo fungi toto anno. Oleum dulce oliuarum, frangit audaciam cuiuscunque veneni: & oleum nucum, est antidotum multorum: similiter coagulum leporis. est tamen cauendum, ne corrumpat alias medicinas, quia valde calidum. Aristoteles verò preponit coagulum hinnuli, hoc est animalis non multum distantis à natiuitate. Et subdit quòd est substantia habens ignem intra se: quia decoctum calore animalis. Illud tamen leporis videtur efficacius: nā & sanguis istius frixus, multum confert vlceribus venenatis. Et agrimonia, quando est viridis sumpta cum vino, valet etiam ad morsus serpentum, & canum rabidorum, & ad anthraces. Et hypericō creditur curare quæque cōbusta & quartanam. Nec obstat quòd sit calidum: quoniam ista curant per se frigida, & per accidens calida: puta castoreum datum illi qui sumpsit succum rutæ agrestis. hæc enim cùm habeat subiectū molle, facilè resoluitur calore illius, etiam si haberent substantiam grossam: patet, quia doronicum calidum & siccum in tertio experientia confortando, destruit venena grossa, præsertim quod venit ex Syria in ramis duris & grauibus: & habet venas exterius citrinas, & interius albas. Et de radice enulæ Campanæ forsan calidiore, inquit Hippocrates, quòd aufert iram, & tristitiam, & curat venenosos corpulentos, quando sumitur cum vino, ac etiam tumores vlcerum malorum: debent tamē hæc & multa colligi certis temporibus, vt fertur de lactuca asini, quæ à Græcis vocatur anchusa in

mense

mense Februarij, quæ tunc comesta, vel bibita, ac etiam ligata collo præseruat, & masticata posita super serpentes, occidit eos. Idem facit aristolochia trita, vel eius succus cum vino: similiter radices asphodelorum cum illo lætificant cor. & grana iuniperi, quæ sunt vna ex speciebus cupressi, defendunt mirabiliter. Expertum verò antidotum, quod probant sapientes ad omnia genera, est lapis appellatus kemne, seu bezar, & habet colorem citri splendentem, & odorem vini, & generatur ex lachrymis ceruorum: nam facti debiles ætate, intrant quoddam flumẽ in partibus Orientis, & stant in eo immersi vsq; ad caput, donec emittant lachrymas, quæ coagulantur à frigiditate aquę, & aeris, & vertuntur in lapidem vsque ad quantitatem auellanæ, vel nucis, qui cadit, postquam exeunt ex flumine: de quo trito, secundum omnes, quando sumitur pondus xij. granorum hordei, expellitur omne venenum & virus per sudorem.

De compositis quæ reputantur experta Cap. XII.

VEteres capiebant nuces mundatas à duobus corticibus, partem vnam foliorum rutæ, salis triti vtriusq; partem sextam, ficus siccas albas, seu potius citrinas, quantum sufficit ad misturam, de qua dabant qualibet die quantitatem vnius nucis, quæ dicitur resistere furiæ, & acutiei cuiuslibet veneni: non tamen, vt aiunt, cõfert hyssopus humida, quæ est pinguedo lanæ sordidæ, nec chamædrys propriè curat. elixatura tamen chamæpityos creditur aduersari aconito. Radix gentianæ cocta cum ruta, addita myrrha, sumpta cum vino, cõtinuata per tres dies, liberat, quod intelligitur remissa acutie, & stomacho vacuo, ne operatio impediatur. Posset etiam conferre in calidis, quando daretur cum decoctione taraxacon, hoc est cicerbitæ, vel cum aqua cichorei, seu acetosellæ. Theriaca liberat, & confortat per formam distinctam à simplicibus, præsertim bona & fermentata, quæ cognoscitur, quando venenum datur gallinæ, vel phasiano, si paulò post imponatur in ore eius parum de ea non moritur. & licet quantitas nõ debeat transcendere ℨ. potest tamẽ augeri & minui, secundũ naturam ægritudinis cõplexionis, ætatis, & temporis: nec debet misceri cum calidis, puta cum gentiana, vel baccis lauri, nisi fortè venenum esset frigidum. Et licet aliqui permisceant cum ea lignum aloes, ambram, &c. & alij liquida, vt sumatur sine fastidio, vel diuretica, vt dirigatur ad vias vrinæ, vel spicam stœchados, aut nucem moschatam, vt ad cerebrum: est tamen cauendum, ne ex istis vel alijs permutetur eius forma specifica, neue auferatur ab ea pondus constitutũ ab inuentoribus suis, non enim fuit inuenta casu, sed experientia, & comprobata vsu longæuo: & siue detur ipsa, siue mithridatum, debet ieiunare per sex horas, vel circa. Pimpinella verò cocta in vino, si ei addatur modicum gentianæ & aristolochiæ tritarum, & gummi hederæ partes æquales, sumpta in potu non solùm liberant, sed etiam creduntur dissolui fascinationes. Et alij, quòd ventriculus ciconiæ, vel eius cerebrum sumpta cum vino diluto, additis duobus granis spicæ, curant venenum cuiuscunq; naturæ. In omnibus tamen capiatur terræ sigillatæ drachma vna, & galbani tantundem, & incorporentur oleo, & sumatur cum vino, & aqua: quia expellunt venena calida & frigida: & si fortè perturbarent, confortetur cor: & epithemetur cum speciebus temperatis declinantibus ad frigiditatem: præsertim si essent signa supercalefactionis. Et in omnibus generibus illorum debent semper custodiri hepar, stomachus, & caput cum prohibentibus corruptionem, & reducentibus ad temperiem.

Quæ curant confortando, & quæ alterando Cap. XIII.

QVi sumit de osse cordis cerui cum modico puluere ligni aloes, & tantũdem caryophyllorum cum vino, valde recreatur & gaudet, quæ etiam

curant omnia mortifera absque perturbatione. Signum est, quia quando illa tria incorporantur oleo, & vngitur ex eo caput galli, continuò cantat. Constat etiam quòd grana citri, & cortices ligni limonum, nutriunt & confortant cor, & spiritus, & expellunt illa. Et licet vera confortatio spirituum sit regeneratio: quoniam non propriè nutriuntur: sicut tamen vigorantur aere puro & lucido, & tristantur in tenebris, pariter roborantur cum illis. & propterea cum cibis & potibus debent misceri aromata, vt illi recreentur, & membra restaurentur. Quædam verò curant & alterant, puta terra sigillata, quæ facit vomitum: non tamen eius perturbatio est ita notabilis sicut illa, quam facit. & manifestius quando datur elleborus, aut cantharides, quæ & si curent, valde tamen perturbantur vires corporeæ: quare solent misceri cum subtili elimatura auri: quia confert cordi, & quadam asperitate detergit, & depurat superflua. Mastiche verò restringit & vnit partes lapsas: & aliqua ratione vnius partis nutriunt, & alterius expellunt: & quædam per vnam remouent nocentia, & per aliam alterant.

De Cura illorum in specie, & de cura calidorum Cap. XIIII.

IN istis sæpe accidentia sæua exigunt mitigari: & propterea post vomitum datur oleum amygdalarum dulcium, vel butyrum cum lacte vaccino, quia frangunt acuitatem venenosorum, & succurrunt mordicationibus, & parant illa expulsioni, quæ est præcipua intensio. si verò lac coaguletur in stomacho, quod cognoscitur, quia succedit rigor & sudor, propter conatum virium animæ, in expellendo: & aliquando sudor est frigidus, quando vires profundatæ non redeunt ad membra extrinseca: & tunc facto vomitu debet ei dari pondus vnius aurei coaguli leporis cum vna vncia fortissimi aceti: quia est efficax: dummodo postea sumat modicum decoctionis menthastri. Et quando lac coagularetur in vesica, deberet frangi cum illis, quibus frangitur in ea. & quando fit acetosum, quod cognoscitur ex nausea, grauedine, & vertigine, facto vomitu, statim detur vinum purum, & diatrionpiperon cum eo, & stomachus interea epithemetur. Aliqui verò ad extinguendam inflammationem dant trochiscos de caphura, & succum fructuum frigidorum. & quando esset magnus dolor in aliqua parte corporis, stupefaciunt illam: quando tamen cõtinuaret, solet dari modicum balsami triti cum vno cyatho lactis, quia liberat ab inflammatione & dolore: & quando venenum descendisset ad intestina, debet solui venter cum lenitiuis. Nec propterea omnia calida sunt eodem modo curanda. nam auripigmentum, & arsenicum valde perniciosa, faciunt mordicationes, inflammationes, & puncturas adeò dolorosas, vt sumentes sæpe moriantur exclamando: & vermes exeunt per anum, & aliquando per os: quia natura fugit istos excessus. Cura autem istorum, si qua esset possibilis, facto vomitu, debet statim remitti acuties cum iuleb, & oleo violaceo, aqua calida vel decoctionis maluæ aut hordei, & postea cum lacte: cum illis lauantur stomachus, & intestina, cum isto confortantur & nutriuntur. Et esto quòd aliqui dicant, quòd debeat eis dari parum æruginis ferri cum butyro, vel ʒ. vna fellis gazelli cum vrina asini, vel modicum crystalli subtilissimè tritæ cum oleo de amygdalis dulcibus: melius tamen est, vt post vomitum & remissionem acuitatis, seu malitiæ, pro antidoto capiantur quatuor vnciæ pinearum contritarum, quæ infundantur in vna libra aquæ per aliquot horas, & postea detur earum expressio. & quanuis arsenicũ minerale sit cito frangibile, & quod nascitur in Hellesponto & Cappadocia soleat præferri: est tamen ex se calidum in quarto, & deterius sublimatum in testa noua super carbones accensos, si agitetur, donec color citrinus permutetur in album: si tunc iterum sublime-

sublimetur, fit adeò acutissimum, quod secundum artem non potest fieri acutius, quod appellatur risagallum. rumpit enim omnia vasa fictilia, quando reponitur in eis. Aduertant igitur qui faciunt vnguenta ex isto, calce, & sapone ad tollendum pilos, aut euellendum vngues, vt statim, postquam sunt euulsi, lauent sæpius locum cum abstersiuis, ne corrodant carnem bonam: qui tamen cupit quòd non renascantur, vngat locũ succo hyoscyami. Et quidam dicunt, quòd cupiens vt renascantur, debet vrere capillos hominis, & ponere puluerem ipsorum in aqua, cum qua lauet sibi caput. Realgar similiter, quia fit ex auripigmento, calce viua, & sulphure, cito interficit. Solent tamen dari sumenti loco antidoti tres ℥. olei de nucleis pini: quia post remissionem acutiei liberant. cæteris verò calidis, quando cum eis associatur tussis, debet succurri cum lacte asinæ, quia nõ coagulatur. Confert etiã butyrũ & syr. de hyssopo. Expertum tamen remedium cuiuslibet veneni grossi & sicci, cui associatur tussis, est drachma vna vsque ad aureum serapini infusi in aqua mellis, vel decoctionis rutæ: cum alijs verò medicinis sufficit drachma media vsque ad vnam, dummodo habeat odorem galbani, & colorem rubeum clarum, & interius album: cum enim sit calidum & siccum in tertio, sua acutie frangit venena grossa, & lapidem vesicæ, & tollit pannum oculorum, & obscuritatem visus, quando destillatur in illis cum lacte mulieris. Medicus tamen diligens debet in curis venenorum obseruare motum ipsorum: quoniam augmentum status, & declinatio non reperiuntur in istis, sicut in alijs. de ære verò & quibusdam alijs calidæ naturæ dicemus, quando distinguemus siccitatem frigidorum ab illa, quæ reperitur in calidis.

De cura frigidorum in genere Cap. XV.

ISTis post vomitum conuenit theriaca cum vino veteri puro: & quando declinaret ad intestina, debet solui venter, & nutriri cibis calidis boni odoris, & qualibet die solet & debet dari quantitas auellanæ vsque ad nucem de infrascripta mistione, videlicet rutę, siue menthastri, pyrethri, cordumeni, partes æquales, assæ, quarta pars omnium, & mellis quantum sufficit, vel ʒ. vna myrrhæ, & media pyrethri cum vino: & quando opus esset, debet calefieri pectus, & caput pannis calidis, suffumigijs, & oleis odoriferis. Et si casu superueniret rigor magnus, vt sæpe accidit in febribus, capiatur pulicaria maior, & misceatur oleo, & vngatur corpus, quia prohibet illum. calefacit enim & desiccat in tertio. Quando autem apparent signa siccitatis, semper medicinæ calidæ, sunt miscendæ cum humidis: & cum declinat ad venas, debet dari eis petroleum cum assa fœtida, vel terebinthina sublimata cum modico theriacæ: quia sanant. posset etiam tunc conferre balneum, vt fumi mali extrahantur sudore. Nam licet calidis venenosis vt plurimum cõiungatur siccitas ignea, cum frigidis verò associatur terrea. Distinguuntur tamen venena non corrosiua à corrosiuis: quoniam corrosio frequentius inuenitur in habentibus caliditatem & siccitatem ab extrinseco: puta sublimatis, quæ dicuntur cognosci ex modo substantiæ, quia sæpe in istis est grossa & dura, in alijs verò subtilis & mollis. Verùm quia iste modus sæpe fallit: nam & quæ non habent substantiam duram, & sunt ex se calida, corrodunt: similiter quædam frigida terrea: ideo tutius est obseruare viam experientiæ, quæ facit artem. Nam & Adamas constans ex aqua congelata, incidit lapides & metalla, & granum ipsius immissum per virgam in vesicam, dicunt frangere lapidem in ea: & tamen est valde frigidum. Nec potest dici quòd operetur istud ratione partis calidæ associatæ cum eo, quæ si esset sensibilis, non posset se compati cum frigiditate quarti gradus illius: quia tamen terminatur à subtili terreo, ideo ratione istius

incîdit,&c.Et quando est contusum, si sumatnr de eo quantitâs vnius ℈. soluit
continuum,& causat vehementem dolorem stomachi, à quo non expellitur si
ne magna difficultate: quia cum siccitare terrea hæret membro,& cum frigidi
tate extinguit spiritus in eo:quare patiens sentit angustiam & processu tem-
poris cadit in syncopem,& tunc vix euadit.In principio tamen post vomitum
debet curari butyro & oleo dulci,& brodio pingui anseris,vel castrati.puto ta
men quòd debent dari incisiua & abstersiua, puta mel rosaceum, & forte cæ-
pa, & pisciculi saliti. & quidam dant in potu sanguinem hirci recentem. Sed
quando esset in intestinis, debet educi clysterijs similibus : si verò non suffici-
unt, detur in potu media ʒ. vsque ad vnam balsami, & bibat vinum clarum &
subtile: quoniam habentes expulsiuam fortem, sæpe sanantur.

De Cura argenti uiui Cap. XVI.

ISTud & si posset interimere, non tamen sua frigiditate & humiditate, quo-
niam terminatur multo terreo sicco,aliter non posset secundum artem vert
in puluerem rubeum, sed instar aquæ potius resolueretur in fumum,nec est ca
lidum, quia non concurreret cum sulphure ad producendum metalla. Princi-
pia enim diuersa,vt creduntur esse ista duo, debent habere oppositas naturas:
ideo si sulphur est calidum & siccum, argentum viuum erit frigidum & humi-
dum in gradu tamen remissiori : quia si superaret illud in aliqua qualitate acti-
ua, non cederet loco materiæ, sed agentis. Quare alchimistæ dicunt, quòd est
aqua viscosa, subtilis,alba,vnita terreo subtili, continenti humidum tempera-
tum,quia in eo est operatus calor solis, vt causa vniuersalis, & sulphuris,vt par
ticularis: patet ex eius colore tendente ad opacũ. Nec motus eius continuus
arguit caliditatem in eo:sed quia est graue non potest ascendere,nec in plano
descendere: vel forsan conatur illo motu deponere siccum terreum, quod re-
pugnat suæ naturæ: quæ si non esset frigida & humida,nõ mortificaretur cum
lixiuijs acutis, nec distemperaret metalla,nec immobiliter humores. & quan-
uis teneant,quòd ex sui natura non sit venenosum, & quòd posset dimitti se-
cessu sub forma priori,præsertim quando ille qui sumpsit,se exercet:posset ta-
men suo pondere opprimere intestina, & sua frigiditate congelare humores.
Quando verò sublimatur,acquirit caliditatem vstiuam,& siccitatem:quod pa
tet tum de parte, quæ remanet in collo vasis,tum quia sumens de isto sublima
to sentit fortes, & dolorosas punctiones : & nisi cito educatur vomitu, succe-
dit fluxus sanguinis : quare debent ei dari humida & vnctuosa , vt remittatur
acuties. & quando descendit ad intestina medicari cura disenteriæ : vnde qui
dant ab initio myrrham cũ vino,vel aquam mellis, aberrant, nisi remissa mor-
dicatione. Et quia sæpe prohibet exitum vrinæ,isto casu debet pluries fomen
tari pecten, & vesica cum spongia infusa in decoctione iuniperi, & seminis a-
pij,& bibat vinum,in quo sit decocta radix istius,vel acori. Et istud remedium
conuenit multis:quia valde prouocat, & testiculi vngantur oleo rutæ. Si verò
esset in aure,debet extrahi cum sternutatione,vel oleo calido, quod amouea-
tur infrigidatum,& iterum imponatur aliud calidum, & aliud,donec extraha-
tur : & teneat aurem super puluinar: quia,nisi extrahatur , posset facere epile-
psiam, vel apoplexiam , & fumus illius paralysim.

De cura Calcis, Aluminis, & aquæ Saponis Cap. XVII.

NOn loquimur de istis, eò quòd sint propriè venenosa: sed quoniam sum-
pta in parua quantitate,possunt interficere. nam quando calor vnitur sic
citati,coarctat,& obstruit meatus,& prohibet vires animę deferri per corpus:
substantia.n.tenax,valde resistit medicinis, & vix potest resolui. Calx igit^r cali-
da &

da & sicca, licet in vsu operum illa reputetur melior, quæ fit ex corticibus ouorum, & proxima quæ ex conchylijs marinis, & vltima quæ ex marmore excocto. Esto etiam, quòd ex ista, quando est alba, & dissoluitur in oleo rosaceo, curet fortè adustiones: quia tamen ex sui natura est sicca in quarto, ideo recepta in stomacho, corrodendo mouet dolores intensos: & quando declinat ad renes, sæpe prohibet vrinam, & interdum aperit, & vlcerat illas similiter ad intestina. Curatur autem cum humidis, & partim cum illis, quæ retulimus in cura arsenici. Lixiuiũ verò saponis, curatur potu lactis asinæ, butyro crudo, saccharo, xyloaloe, & syr. de hyssopo. Alumen autẽ, siue minerale, siue artificiale, siue iamenicũ rotundum, est grossæ substantiæ: scissum tamẽ, quo vtuntur medici, quando conficitur cũ vermibus inuentis in terra pingui, sanat cancrum: & licinũ intinctũ in eo impositũ orificio fistulæ, cõfert multum. Similiter silex, quę est herba notissima, quando fit ex ea puluis, & imponitur illi, sanat. & denique qui lauat suos oculos cum decoctione illius, tollit obscuritatem. Omnes tamen eius species sunt calidæ & siccæ, & secundum aliquos de natura vitreoli: de quo Galenus testatur vidisse tres venas, vnam nigram, ex qua fit atramentum (atrum enim idem est quòd obscurum) aliam citrinam, & vocatur colcotar: tertiam vocãt chalcanthum, quod est viride. & propriè vitreolum: quod etiam licet conferat ad multa, omnes tamen eius species, sicut & aluminis, sunt valde siccæ, & calidę, ideo possunt vlcerare, & cum siccitate obstruere. & coarctare anhelitum, & cõglutinare humiditates in stomacho: vnde quando non possunt expelli vomitu, debent educi secessu, & ratione siccitatis debent dari humida permista cum solutiuis: & inquantum acuta, pinguia. & licet omnibus speciebus conferat myrrha cum puluere cancrorum fluuialium, & vino potenti: dum tamen percipiuntur punctiones, debet continuè dari lac, butyrum, & brodium: etsi quidam dent in potu sanguinem phasiani.

De cura Lithargyrij, Magræ, Cinnabrij, Cerussæ, Gypsi, & Magnetis Cap. XVIII.

Lithargyrium, quod reputatur spuma argenti, est frigidum, & siccũ, & minus lædit illud, quod participat de minera auri, & econtrà plumbi. Artificio tamen fit ex laminibus istius, præsertim vstum: quia terreum & siccum. Et quanuis reputetur eiusdem naturę cum magra, præcipuum tamen signum sumentis lithargyriũ est, quod tingitur colore plumbi: quod accidit ex mortificatione caloris innati, & non ex colore: quia frigida, & sicca non extenduntur ad colorandam pellem. Cura est vomitus cum decoctione anethi. & aliqui dant cinerem ligni ficus: & alij misturam dactylorum, anethi & nitri: melius tamen est dare drachmam vnam myrrhæ boni ponderis cum modico spicæ Romanæ: & pro antidoto drachma vna vsq; ad duas seminis kemnæ triti, hoc est cataputiæ maioris, quæ est calida in tertio, & humida in primo. Ista enim est magis aduersa naturæ illius: debet tamen sumi cum aqua mellis, quia continuatum per quinq; dies curat. Magra verò, præsertim quæ defertur ex Babylonia, & facilè teritur, est potens natura exiccare, & conglutinare. patet, quia restringit sputũ sanguinis: habet etiam frigiditatem in promptu, quia mortificat calorem naturalem vermium, & cum siccitate immobilitat pabulum vitæ ipsorum. Illa tamen, qua vtuntur carpentarij ad signandum ligna, non est adeò efficax: prima verò exasperat guttur, & tracheam arteriam, & condensando humiditates in ea, potest suffocare. Vnde prouocato vomitu, debet curari cum aqua decoctionis anethi, ficuum, & butyro, & modico sale, & debent dari humida & pinguia, & declinantia ad caliditatem, & quæ cõferunt ad curam lithargyrij. Venter tamen in ista est soluendus cum hiera Ruffini, etiam itera-

quia ſicca difficillimè curantur: & pro antidoto drachmæ duæ eboris combu
ſti cum vino, hoc eſt dentis elephantis: quia educit ſicca quadam ſimilitudine.
Iuuat inſuper bibere de ſeminibus apij domeſtici cum vino. Cinnabrium e-
tiam ratione ſiccitatis conſtringit vehementer. & quia illud quod foditur ex
minera, habet colorem rubeum, aliqui crediderunt quòd eſſet ſanguis draco-
nis. Iſta tamen eſt herba frigida & ſicca in tertio, & ſolet adulterari minio: quia
eſt ſimiliter rubeum: ſed cognoſcitur, quia illa eſt interius alba. Eſto etiã quòd
cinnabrium & minium ſint rubea, illud tamen naſcitur ſolùm in Lybia, ex qua
defertur ad nos: minium verò venit ex Hiſpania, & naſcitur ex lapide permi-
ſto arenæ, & tritus mutat colorem, non autem cinnabrium: niſi fortè verifice-
tur de facto, ex ceruſſa combuſta, aut ex plumbo poſito in igne, donec fiat ru-
beum: ſed tunc eſſet calidæ & ſiccæ naturæ. Iſta, vt diximus, cognoſcuntur ex
accidentibus: quare cognita debent curari vt talia. Dicitur autem quòd omni
bus confert butyrum cum aqua calida, in qua ſint decocta ſemina rapæ: ſecun
dum alios tamen magis conferunt ij. ʒ. ſpodij, videlicet de illo quod fit ex radi-
ce cannæ aduſtæ: quia reputatur conferre melancholiæ prouenienti ex ſolitu
dine, vel timore. Poſſet etiã in caſu dari illud, quod fit ex ebore cõbuſto, quia
ſumitur loco ſpodij: non autẽ quod conſtat ex fuligine, quæ cadit ex locis vbi
reperiuntur metalla: nec ex cinere argentariorũ, quoniam valde ſtipticę adde-
rent in cauſam. Ceruſſa frigida & ſicca in ſecundo, fit ex laminibus plumbi cal
cinati, vaporibus aceti, ſeu ex iſto, quando eſt acerrimum, & in eo ſteterit diu
plumbum. Sumens autem de ea ſentit dolorem in ſtomacho, quia corrumpit
humidum roridum in eius rugoſitatibus. Et quia impedit digeſtionem, cauſat
ventum, & interdum ſingultum, quando nõ poſſunt expelli humores inuiſca-
ti in illo: & vrina apparet nigra, quando renes ex labore incaleſcunt, vel hu-
mores ex dolore vruntur: ſed mingitur ſanguis quando digeſtiua, ſeu retenti-
ua hepatis debilitarentur, aut prohiberentur dirigere illum ad membra, vel
quando vaſa vrinæ eſſent vlcerata. Curantur autem ſicut lithargyrium. & Aui
cenna dicit quòd detur ſumenti ſcammonea: ſed quoniam iſta multum pertur
bat, & cito operatur, ideo tutius educuntur cum lenitiuis miſtis ſolutiuis. et in
quantum viſcoſa, debent prius dari mollificantia calida, & aliqualiter inciden-
tia & ſubtiliantia. Et aliqui dant oleum lilij cum butyro: puto tamen quòd val
de conferat ſuccus abſinthij qualibet die aur. 1. cum hydromelle, & bibat bo-
num vinum, & comedat quæ reſtaurant naturam, quæ ſæpe expellit ex ſe no-
xia. Quando verò de vna vel alia ceruſſa ſumitur parua quantitas, non lædit
tunc, ſed continuata per plures dies interficit. Cùm enim illæ partes paruæ nõ
digerantur, quadam ſimilitudine coniunguntur in fundo ſtomachi, quod co-
gnoſcitur ex lingua, quę apparet alba: tingitur enim colore illius, vnde illic in-
uiſcatæ non creduntur poſſe curari. Eſto deniq; quòd mulieres ponant illam
in aqua roſacea ad ſolem: qua conſumpta addunt aliam, & ſucceſſiuè aliam, do
nec albeſcat, & poſtea cum ea decorant facies ſuas. Vidimus tamen quòd illæ
quæ vtuntur ea longo tempore, vt plurimum incurrunt fœtorem oris, dolo-
rem et nigredinem dentium: nam cum pars ſanguinis, qua erant nutrienda ex-
trema faciei, impedita ab illo linimento reſtringitur ad gingiuas, & quia ſuper
fluum putreſcit, vel corrumpitur illic, talia proferunt fœtorem: & quia fiunt ni
gra, ideò tinguntur dentes illo colore. Gypſum verò eſt genus lapidis, quod
licet ab extra compeſcat fluxum ſanguinis, ac etiam ſudoris, eſt tamẽ adeò ſti-
pticum, vt nullo modo ſit dandum pro medicina: trahens enim moram in ſto-
macho ſuffocat: quia coarctat diaphragma, & inſtrumenta anhelitus, frigidi-
tate etiam & ſiccitate conglutinat humiditates. Et quanuis dicant quòd tri-
tum miſtum albumine oui, vel pulueribus molendini, aut aquæ & aceto con-
ueniat

ueniat ad multa, ſtatim tamen ſumptum grauitate facit intenſum d olorem hy
pochondriorum, & ventris, & ſtupefacit membrũ cui adhæret. Quare ſi non
poteſt in principio educi vomitu, aqua calida, oleo liliorum, vel narciſſi, bu-
tyro, melle, &c. debet ſolui venter primò tum lenitiuis, & poſtea cum alijs a-
ptis educere humores valde frigidos & ſiccos: & poſt deſcenſum debet vngi
exterius oleo de cherua, & pro antidoto dari aqua cineris vitis cũ ſapa: et ſecũ
dum alios drachma vna ſtercoris muris triti cum vino. & quando facit tuſſim,
cum ſyrupo de hyſſopo. Dictamnus tamen cum oxymelle valde confert: prę-
ſertim prima eius ſpecies. Magnetum autem enarrantur multa genera. Quod-
dam trahit ferrum, aliud trahitur ab eo, aliquod trahit carnẽ hominis: & quod
vno vngulo trahit, cũ alio fugat, & aliud quod experitur fidem mulieris, quia
ſuppoſitum eius capiti, dum dormit, ſi vltrò accedit & amplexatur virum, eſt
fidelis: ſi verò non, fœtet, adeò ſibi, vt mallet diſcedere ab eo: & addunt, quòd
portatum conciliat amorem, &c. Tenent etiam, quòd ſi tritum p onatur ſuper
carbones ignitos, in quatuor angulis domus, timent, & fugiunt omnes. Si ta
men iſta eſſent vera, magis operatur imaginatio hominis, quã virtus rei, quo-
niam ex ſe eſt ſiccę & melancholicę naturæ. & licet dicant quòd media ʒ. illius
curet hydropicum, ſumens tamen vltra iſtam, efficitur epilepticus. Eſt autem
curandus humidis, & venter ſoluendus lenitiuis. & pro antidoto debet dari
allium, vel pondus octo granorum hordei, ſmaragdi triti cum vino.

De cura Aeris, Euriginis ferri, Lapidis lazuli, & Armenij Cap. XIX.

AEs eſt calidæ & ſiccæ naturæ, vt diſtemperet complexionem. Quando
enim colligitur ex loco proprio, in fundo ipſius eſt terra adeò calida &
exarſa, vt faciat illud liqueſcere, & dum recipitur, proijciunt ſuper eum aquam
dulcem frigidam, vt coaguletur. Confert tamen ad multa. nam illud quod ſu-
pernatat, & vocatur flos æris, valet ad lepram & cancrum: corrodit etiam car
nem ſuperfluam in ano, vel naribus, & diſſoluit venena. & quod excutitur per
cuſſionibus malleorũ, habet ſubſtantiam groſſam & claram, & fit rubea, quan
do irroratur aceto: ille tamen flos eſt bonus, quia habet colorẽ rufum. & quan-
do illud quod defertur ad nos ex inſula Cypri conficitur cum alumine & ſul-
phure, addito ſale, ſi coletur fit ex eo orichalcum. Sumens tamen de eo vltra ʒ.
valde inflammatur, & eius ſanguis pungit, & aliquando vlcerat ſtomachũ, &
inteſtina. Coarctat etiam pulmonem, & interdum ſuffocat. Cura iſtius eſt ſimi
lis illi arſenici, & quando non poteſt educi vomitu, cum illis enarratis, ſumat
mediam ʒ. vſq; ad vnam terræ ſigillatæ cum vino albo, & quando deſcendit in
ferius, educatur clyſtere lactis aſinę, et oleo de amygdalis dulcibus. Pinguedo
etiam ouium valde confert: & ſtomachus debet vngi oleo roſaceo. et pro anti
doto ſolent dari ʒ. ij. coralij rubei triti cũ vino, vel tantundem de radice acori
quando eſt alba, cuius ſuccus dirigit humores malos ad vias vrinæ, et confert
ad morſus ſerpentis. Et quando ſuſpenditur ſuper vaſa, vbi ſtant apes, nõ per
mittit illas diſcedere: Cum enim ſit calida et ſicca in ſecundo, creditur confor-
tare paruum calorem illarum: iſta tamen herba non cognoſcitur niſi quando
floreſcit, et debet colligi de menſe Auguſti. Quanuis ex elimatura ferri fiant
electuaria, et ferrugo et ſquamę illius calefaciant et exiccent in ſecundo, vel vſ
que ad tertium: id fit ratione caliditatis ſuperinductæ ab igne in eo. Nam et
quando eſt ignitum et candens ſi ſæpe extinguatur in vino iſtud bibitum ex-
tenuat ſplenem, et aperit oppilationes hepatis: habet enim partes adeò ſubti-
les et calidas, vt credatur deſtruere napellum. Squama verò quæ euolat, per-
cuſſionibus, et poſtea cadit, vocatur ſcoria: eſt enim quid tenue et latum. Fer-

rugo autem eſt pars quę liqueſcit: & ærugo acquiritur in ferro diuturnitate te-
poris, vel aliquo ſuperinducto. Iſta tamen permiſta ſale ammoniaco, reputa-
tur curare fiſtulas. Qui verò ſumit de puluere prædictorum vltra ʒ. faceret vo-
mitum vſq; ad mortem, quam præcedit dolor ventris, anguſtia valde intenſa:
quia cum acutie mordent & ſoluunt continuum. & corpus illius qui non mo-
ritur, cito extenuatur. Cura eſt ſumere butyrum & lac aſinæ miſtum cũ aliquo
ſolutiuo, quia nullum illorum eſt aptum reſolui aqua, etiam in qua tota nocte
ſteterit. Magnes reprimit violentiam illorum, & cũ ſua ſtipticitate ſedat vomi-
tum. Sumenti etiam limaturam abſolutè, quando noceret quantitas, detur pa-
rum de magnete trito, addito modico pulueris auri, & ſpicæ partibus æquali-
bus, in totum ʒ. 1. & ſumatur cum vino: & ſecundum alios tertia pars ʒ. vſq; ad
vnam balſami, curat, nedum prædicta, ſed etiam aquas deſtillatas cum ſcoria
ferri. Lapis lazuli, de quo tot referuntur ad tollendas ægritudines melancholi-
cas, & inducendum læticiam, & qui cum alijs medicinis ſolet ad multa confer-
re, quando tamen de eo abſolutè ſumeretur 1. ʒ. faceret accidentia mala ſimilia
venenoſis. Curatur autem exceſſus ſicut minium, cuius antidotum ſunt dra-
chmæ duæ karabe, triti cum vino. Lapis verò Armenus eſt adeò pernicioſus,
vt tertia pars vnius ʒ. interficiat: & ſecundum alios ſexta: cuius ſigna ſunt frigi-
ditas extremitatum: quoniam ſpiritus & calor ob timorẽ retrahuntur ad cor:
& quando differtur eductio, ſequitur ſyncope & mors. Et à multis curatur, vt
napellus, videlicet cum diamuſco, & radicib. capparis. Et quidam dant oleum
nucum cum decoctione butyri, & ſeminis napi, hoc eſt, illius ſpeciei raparum,
quæ tendunt ad colorem citrinum.

De Putreſcibilibus & cura humidorum Cap. XX.

ISTorum non ſolet poni cura particularis: nam quando tempore peſtis cre-
ditur quòd aqua ſit infecta, debet coqui & teneri in ea lignum aloes: ſicut
quando dubitatur de aere, alterari odoriferis notis. Sed quoniam humida
præſertim groſſa, frequenter putrefaciunt humores, & quantò diutius perma-
net in corpore, tantò plus augetur putredo, & niſi cito occurratur, poſſet to-
tum infici: ideo in iſtis intenſio curatiua eſt, vt reſoluantur, vel expellantur,
& quòd ſumant quæ aduerſantur putredini, puta myrrha cum ſucco abſin-
thij, & alia dicenda.

De Sudore, & quibuſdam, quæ corrumpuntur ex tempore, & curis Cap. XXI.

SVdor verò animalium, & ſi reputetur aquoſitas ſanguinis, quando tamen
fuiſſet permiſtus cum cholera putrefacta, vt ſæpe accidit, tunc ſumptus ca-
lefacit, & inducit febrem, & maculat ſanguinem. Corruptio verò cognoſcitur
ex fœtore, & quando defertur ad aliquod membrum, alterat: & quando ſpiri-
tus & calor in eo refugiunt, ipſum ſuccedunt accidentia ſæua, & timoroſa. So-
lent autem curari aqua calida, melle, & oleo amygdalarum: & pro antidoto da-
ri ariſtolochia cum ſale in totum ʒ. media, & poſtea bibat vinum rubeum. Et
quidam referunt, quòd quando ſudor hominis miſcetur modico pulueri loci,
vbi ſolent fieri colluctationes: tunc iſtæ, ratione caliditatis, & ſiccitatis, & ſu-
dor, quia ſalſus & amarus, reſoluunt apoſtemata mamillarum, vel lumborum,
& tollunt eorum inflammationem. Si tamen iſtud eſſet verum, intelligere-
tur niſi apoſtemata fuiſſent multum ſicca & dura, quia debent prius remol-
liri oleo violaceo, vel alcannæ, quæ etiam curant lac coagulatum in mamil-
la. De ſudore verò hominis ſani, patebit in tertio libro. Multa humida fi-
unt venenoſa ſucceſſu temporis: patet de ſemine trahente moram in va-
ſis

sis, vel in porositatibus membrorum, in quibus natura conseruat illud pro noua generatione. Potest enim interea alterari & corrumpi in prauam qualitatem. Nam & spiritus, qui generantur ex sanguine leprosi, sunt syluestres, & turbidi: & quando sanguis est paucus, obscurus, & subtilis, disponit homines ita ad iram, vt credantur esse insani. Nec istæ permutationes, vt multi putant, possunt facilè curari oleribus frigidis, quoniam alterantia sola non euacuant materiam putrefactam. Quare ab aliquibus curantur aqua mellis, & modico terræ sigillatæ, addito pauco aceto: & pro antidoto dant ʒ. vnam calamenti sicci cum aqua colata cineris ligni ficus. Suboriuntur etiam nocumenta ex vaporibus & fumis, qui interdum exeunt ex locis subterraneis, quæ steterunt diu reclusa: quando postea tempore terremotus, vel alterius nouæ aperturæ, seu ruinæ, ingrediuntur per nares animalium, interimunt. Nam & quidam temporibus nostris volens vertere argentum viuum in verum, cum per aliquas septimanas tenuisset vas ad ignem circumquaque coopertum, quando postea incautè aperuit illud: quia fumus, qui tunc exiuit, erat acutissimus, ingressus nares illius statim decessit sine loquela. Istæ tamen & similes infectiones, si darent tempus, debet in principio epithemari cor, & confortari cerebrum; cum notatis in cura epidemiæ.

De Cura carnium, & piscium putrefactorum Cap. XXII.

CVm omnis sermo in ista inquisitione tãtam habeat efficaciam, quantam ipsa peritia distinguendi, & applicandi remedia ad particulares ęgritudines, quæ multum, quin potius totum dependet ex prudentia medici: in proposito tamen nonnulla narrantur à scribentibus, quibus dicuntur homines posse venenari, quæ non sunt necessaria, nec fortè vera: Nos tamen, ne videamur negligere dicta antiquorum, retulimus causas, signa, & curas illorum. Et primò de carnibus assatis & statim reclusis in vase taliter cooperto, vt vapor seu fumus earum prohibeatur exire. iste cum sit adustus & subtilis prohibita transpiratione inficit illas carnes, quę, quamprimũ ingrediuntur stomachũ comedẽtis, causant angustiam, & fastidium. Et dato quòd humores grossi per naturã tendant deorsum, & subtiles possint expelli vomitu, si tamen cõtingat quòd leues, & calidi petant cerebrũ, faciunt accidentia similia venenosis. Cura istorum est, vt post vomitũ detur eis vinũ boni odoris cum succo cidoniorũ, & saccharũ cum xyloaloe & mastiche, & alia quæ inducũt somnum, quia iuuat digestionem. Pisces similiter assati & positi in loco humido & frigido, à quo fumi, & vapores illorum repercussi fuerunt, retenti in eis die vna vel plus, comesti mouent in stomacho singultum causatum ex materia viscosa, & grossa ipsorum. Indigestio verò facit ventũ inflantem ventrem. Et si cõtingat vt vapores humorum efferantur ad pectus, impediunt anhelitum, si ad caput, committunt catarrhum: & quãdo subtilitate & labore verterẽtur in cholerã, si pellatur ad oculos, facit eos citrinos. Sed sanè, & si fortè prędicta possent accidere quando diu stetissent coopertę in vase æreo, quoniam habet naturã valde vstiuã, quod ostendit vinũ quando stat per diem & noctem in eo, quia multum nocet: & propterea tutius sit non cooperire, nec dimittere pisces coctos in locis prædictis: ne prohibeatur exhalatio vaporis, neue humiditate putrescant: ego tamen diebus meis vidi multos comedẽtes illos infrigidatos, & nullum senserunt discrimen, nisi aliquando febrem solũ ex illis de stagnis, & lacunis, quia constant ex humido multum obnoxio putredini. Isti etiam conditi sale, pipere, & aceto non nocent. Vtcunque tamen comedentes debent cu-

rari quando post vomitum bibunt frequenter vinum odoriferum: & in quan
tum substantia piscium est grossa, confert myrrha, & vt putrefacta & calida
succus cidoniorum. Et quidam in principio dant terram sigillatam: quia quan
do viscosa, grossa, & putrefacta non educuntur vomitu, vel secessu, faciunt
colicam, vel subet.

De Melle, nucibus, & auellanis corruptis Cap. XXIII.

Dicitur, quòd trahens anhelitu fumum, seu vaporem mellis corrupti, cogi
tur sternutare. cum enim sit calidum, & siccum in secundo, addita ei cali
ditate putredinis, fit adeò acutum, vt petens velamina cerebri non solùm mo
ueat sternutamenta, sed etiam distemperet naturam spirituum. cumque anhela
re sit passio pulmonis, potest etiam inficere istum, & cor. & quando ex labore
dissoluerentur humiditates, succederet sudor. Comestum verò, quando par
tes subtiles pelluntur ad vasa vrinæ: quia acutum, & calidum faciunt ardorem
aliquando vlcerat: pars verò illius terrea si descendat ad intestina, mouet
fluxum. Vt enim mel in propria natura habet multas proprietates, pariter per
corruptionē acquirit prauas & oppositas naturæ suæ. Curantur autem cum
sy. de nenufare, & aqua buglossæ, agarico, & confortantibus cerebrum: & ad
renes confert cassia.

De nucibus etiam & auellanis corruptis dicitur, quòd inferunt angustiam,
quæ interdum augetur vsque ad syncopem. Istæ tamen solent expelli vomitu.
Esto etiam quòd possint inferre dolorem in stomacho, & forsan febrem, non
tamen est verisimile quòd faciant syncopem. & ego vidi comedentes mul
tas sine tot laboribus. Esset etiam insensatus qui comederet corruptas, quia
mutant saporem, & odorem: Aliquando tamen inducunt dolorem capi
tis, etiam in illum, qui comederet recentes, quia continent quandam humi
ditatem indigestam. Vtcunque tamen antidotum dicitur esse diacyminum, vel
vinum purum. Quæque etiam putrefacta post vomitum curantur cum rob po
morum, vel syrupo de ribes. Arabes tamen magis curiosi dicunt, quòd quan
do accidit istis eructatio habens odorem lini putrefacti, est signum mortis.

De partibus animalium uenenosis: de felle Leopardi, Viperæ, piscis Canis, & cura Cap. XXIIII.

Siue enim illud animal nascatur ex leone & panthera, siue ex pardo & læe
na, est tamen calidissimum, quod suadent maculæ nigræ, & velocitas mo
tus illius: & eius fel suo calore vrit humores, & multiplicat choleram: quę, quā
do diffunditur per corpus, committit ictericitiam, & in stomacho cogit ebulli
re, & vertere humores in viriditatem interficientem infra sex horas, quia hæ
rendo musculis illius facit spasmum. Dicitur etiam quòd patiens percipit ali
quando saporem aloes, quod accidit, quando fel distenditur super meri, quæ
est via, qua cibus ex ore transit ad stomachum: Cum enim illud fel sit amarum,
reputatur simile aloe: & quoniam valde acutum, ideo Scythæ pugnando vn
gunt sagittas ex illo, vt celerius interficiant. Idem fortè faceret gladius vnctus
succo napelli.

Et pro cura, quando datur tempus, capiantur terræ sigillatę, baccarum lau
ri an. pars vna, seminis rutæ, myrrhæ an. pars media, coaguli gazelli partes
quatuor, conficiantur melle, & sumatur de ea quantitas nucis. Mihi tamen vi
detur quòd sint potius danda confortantia frigida, & ponendi in balneo a
quæ odoriferæ, & curetur vt napellus.

Qui autem sumpsit de felle viperę, debet sæpe euomere cum butyro, & a
qua ordei, & pro medicina sumere mithridatum: & loco cibi succum carnis
pullæ

pullæ, & bibere bonum vinum lymphatum: reliqua quære in capite de Morsu draconis.

Sumens verò de felle piscis vocati Canis: etsi vix possit curari, nec fortè reperiri: debet tamen post vomitum medicari cum aqua, oleo rosaceo, & butyro.

De sanguine tauri, mulieris menstruatæ, cantharidibus, & curis, Cap. XXV.

SAnguis recens tauri, adeo constringitur in stomacho, vt nullo ingenio possit educi vomitu: facit autem nauseam, & sua grauitate, & caliditate infert dolorem & angustiam: & quando comprimit diaphragma, difficultat anhelitum. Curatur autem coagulo leporis, quia est acutius cæteris: & ratione grossitiei confert aqua cum aceto, & sale, quia subtiliat, & præparat descensum.

Sanguis verò menstruus, quem interdum exhibent meretrices cum alijs cibis, facit apparere sumentem stolidum. Curetur tamen cura leprosi, & recreetur gaudijs: & in potu sumat ʒ. vnam margaritarum tritarum cum aqua melissæ. & quidam temerarij putant, quòd semen hominis sit antidotum.

Cantharides verò calidæ inflammant os, & membra per quæ transeunt vsque ad pecten: & quia communicat anchis, & istæ genibus, ideo his omnibus inferunt dolorem. Cumque credantur esse natura diureticæ, quando petunt vasa vrinæ, sæpe vlcerant, præsertim vesicam, quod est periculosum, tum quia eius tunicę sunt subtiles, tum quia maiorem moram trahunt in ea, & tunc exeunt aliquæ guttæ sanguinis, & debent curari vt alia vlcera ipsius. Et quando humores infecti accederent ad virgam, faciunt apostema, & ad intestina fluxum vlcerosum, & ad præcordia syncopem. Et quando patientes eriguntur, longè magis vexantur, quia situs præbet eis maiorem aditum ad illa loca. Veteres autem vtebantur istis solùm in vnguentis. Hodie verò abscindunt eis pedes, & alas, & residuum dant in potionibus: & tamen illa duo reputantur antidotum residui corporis. Illæ autem quę nascuntur in spicis frumenti, sunt minus suspectæ: quæ tamen sicut & aliæ debent suffocari fumo aceti. Et dato quòd terra sigillata credatur esse istarum antidotum, vidi tamen Florentiæ, vbi erant in vsu, quòd portulaca & oleum amygdalarum dulcium multum contulerunt. Dicitur postremò, quòd sumentes illas, sentiũt odorem picis naualis. iste causatur ex exustione humorum.

De cerebro Cati, cauda Cerui, & cura, Cap. XXVI.

DIcunt, quòd comedens de cerebro masculi, fit veluti amens. Cum enim sit valde siccum, saltem respectiuè, quando euaporat ad caput, obstruit meatus cerebri, & quando impedit transitum spirituum animalium ad ventriculum posteriorem, quia tunc prohibetur memorari: ideo reputatur sine mente. Curatur autem dando bis in mense ʒ. vnam terræ sigillatæ cum aqua maioranæ, & cum cibis comedat aromatica, vt recreentur spiritus, & bibat vinum clarum, & cum eo aliquando sumat mediam ʒ. diamusci dulcis, & fortè sufficit bonum regimen.

Cauda verò Cerui est breuis, quia natura transmisit illic humorem adustũ, ne inficeretur reliquũ corpus: nec incõuenit quòd alię partes corporis possint se compati cum illa, quia sunt veluti connaturalia. Dicunt igitur quòd comedentes de ea, sentiunt tristitiam & mœrorem, & quando calor & spiritus mortificãtur, cadũt in syncopem. Cura est butyrum, & anethũ, & comedãt sępe de

confectione facta ex auellanis & fisticis cum saccharo. Et pro antidoto su
mat oculum illius, vel alterius cerui.

De plantis & partibus ipsarum reputatis uenenosis, & Scamonea, Scilla agresti, Mezereon, & curis Cap. XXVII.

SCamonea reputatur venenosa & non est. Nam licet sumpta vltra dosim,
faciat febrem intensam, illud est ratione caliditatis quarti gradus, quòd
vertit calorem naturalem in igneum: & quando eius calor imprimitur mẽ
bris solidis, attenuat & resoluit ea, & facit sitim inextinguibilem. Et quando
descendit ad intestina, mouet fluxum, cui nisi mox succurratur cum aqua or
dei & adipe renum capræ inferius, & cum iuleb rosaceo, & aqua plantaginis
per superius, infra tres dies egeritur sanguis. Aqua tamẽ calida, cydonia, & my
robalani sumpti, cito expellunt illam.

Scilla agrestis, & si fortè non transcendat tertium gradum caliditatis, quia
tamen non est suffocata in subiecto, sed adunata in superficie, ideo vlcerat lo
ca per quæ transit: aduersatur tamen venenis, quia cum sua acutie diuidit illa,
prohibet etiam ne hęreant tunicis. Curatur autem qui sumit de ea quantitatẽ
notabilem cum oleo, aceto & vino, vel potius prouocato vomitu cum aqua
calida & oleo dulci, & postea sumat vitellum oui elixatum in aceto & de semi
ne portulacæ.

Mezereon verò seu laureola & coccognidium eius species, habẽt lac adeò
calidum & acutum, vt interdum soluat continuitatem membrorum. Et quia
sæpe cor & spiritus compatiuntur, ideo succedit sincope. Et quando ex super
calefactione multiplicatur cholera, si accedit ad cerebrum, tingit oculos: & si
tunc anhelitus perciperetur frigidus, significat resolutionem caloris naturalis,
& phrenesis superueniens mortem. Debet tamen curari cura calidorum, &
pro antidoto mezereon, dari origanum assatũ. Coccognidij verò, sunt amyg
dalæ amaræ.

De Staphisagria, Euphorbio & Cura Cap. XXVIII.

ILla calida & sicca in tertio, etsi expellat & resoluat humores calidos & sub
tiles, aliter non sanaret morpheam, quia tamen sæpe defert secum illos ad
renes, ideo facit ardorem vrinæ: & quando sunt magis acuti, vlcerant vesi
cam, & prohibent exitum illius. Et quanuis vocetur pedicularia, quia interfi
cit pediculos, non tamen illum vulturis, qui est adeò calidus & siccus, vt mor
sus eius prope aurem tollat auditum: quia exiccat temperiem & resoluit spiri
tus in eius organo. Et nocumenta istius morsus, tollũtur cum aqua ordei, por
tulacæ, semperuiuæ, & lacte capræ nouiter emulso: incendium verò loci tolli
tur aqua solatri, & elixatura tamarisci. Accidentia verò inducta à staphisagria,
curantur aqua pura & labore, & quando non sufficerent, vt cetera calida.

Euphorbiũ caliditate & siccitate, creditur excedere omnia ferè genera gum
morum: ideo sumptum facit magnam angustiam & dolorem: quæ quando cõ
municatur toti corpori, perducit ad mortem. Interdum tamen humores subti
les expelluntur vomitu, grossi verò & graues secessu. Solet autem curari aqua,
butyro crudo, & iuleb rosaceo, ac etiam succo granatorum. Et hepar debet epi
themari frigidis, & emplastrari sandalis: Similiter cor cum illis quæ cõfortant
& extingunt inflammationem. Et quidam putant, quòd coagulum hœduli sit
verum antidotũ, & aliqui dant residentiam croci cum oleo amygdalarum, se
samino, vel rosaceo. Licet enim crocus sit calidus, roborat tamen hepar, & sto
machum: & sumptus cum vino lętificat, & facit risum. Signum verò quòd sit
solutiuus, patet, quia iuuat exitum fœtus ex vtero.

De

De Ruta agresti, Tithymalo, & Curis Cap. XXIX.

ILla calida & ſicca in quarto, alterat & inficit humores, quorum vapores leues, eleuati ad cerebrum, pars extenſa ad oculos, cogit eos eminere: in faciem verò inducit maculas rubeas, quia ſanguis inflammatur. Et quando cum ſua caliditate exiccat lacertos pectoris, aut diaphragma, impedit anhelare. Curantur autem nocumenta iſtius, ſicut cætera multum calida. Domeſtica verò opponitur venenis calidis & frigidis, & ſolet plantari in hortis, quia botraces ſæpe latent ſub radicibus plantarum, & illas corrodunt, & cum ſaliua inficiunt herbas. Et quoniam valde diligunt & delectātur ſub vmbra ſaluię, ideo debet plantari iuxta eam: iſtæ tamen ſicut & ſtelliones fugiunt loca, in quibus reperitur colocynthis, vel crocus. Et melior ruta eſt quæ nutritur ſecus arborem ficus, quia iuuatur eius humiditate.

Tithymalus valde acutus facit dolorem ventris: & quando natura pellit humores calefactos ab eo ad inteſtina, mouet fluxum: leues verò & indigeſti, vomitum: inuiſcati aūt in tunicis ſtomachi, cōmittunt ſingultum. Et quanuis iſta herba reputetur in caliditate ſimilis mezereon, non eſt ſic. patet, quia iſte facit accidentia longe deteriora: ambo tamen curantur cura calidorum: & venter debet liniri cum myrobalanis, violis, prunis, & polypodio, caſſia, agarico, & ſimilibus, cuius antidotum ſunt quattuor grana mumiæ, cum decoctione fructuum tribulorum aquaticorum: quia extinguunt inflammationes. De ſeminibus verò tribulorum terrenorum dicunt, quòd ſiquis ſumat ℥. vnā cum vino, curatur ab omni veneno, & tuetur à morſib. venenoſis, pręſertim therij, & frangunt lapidē renū: dicitur tamē, quòd in prouincia Thraciæ herba illorū eſt cibus animalium, & ſemina hominum. Mumia calida in tertio, & ſicca in primo ſecundum multos reperitur in ſepulchris Babyloniæ, in quibus corpora condiuntur balſamo, myrrha & aloe: vnde conſtat ex gumma quæ exit ex illis corporibus. Et quando de ea ſumitur pondus vnius kyrat cum vino puro, medetur puncturis ſcorpionis: & cum butyro ſanat vlcera, &c.

De Plantis manifeſtè uenenoſis, & napello, & eius cura, Cap. XXX.

ISta herba eſt calida & ſicca in quarto, & ratione ſtipticitatis habet radicem contextam ad modum retis. Et ſiue ſit vna ex ſpeciebus aconiti, ſiue non, ſiue etiam, vt dicunt, linita deleat albaras, & conferat lepræ: eſt tamen adeò pernicioſa, vt eius ſuccus rumpat vaſa in quibus reponitur: & quàm primum ingreditur os, inflammat labia & linguam. Et quando vapores humorum quos infieit, petunt caput, fugant ſpiritus animales, qui poſiti in motu, cauſant vertiginem, qua videtur patienti omnia ante conſpectum moueri in circulum, & quando aliqua pars, ſeu humor motus ab ea obſtrueret poros, vel meatus ventriculorum cerebri, cauſaret epilepſiam qua perditur ſenſus & motus, & quia tunc ſpiritus ſenſibiles & motiui prohibentur expandi. Cúmque ex perturbatione partim reſoluantur, partim prohibeantur ſubminiſtrare virtibus animæ & cordi, inde ſuccedunt ſyncopes & defectus, & cum accidentia continuantur, mors.

Et quanuis iſti ſint curandi, vt cætera valde calida: Arabes tamen dant vnā ʒ. confectionis diamuſci cum galbano & thure, alij theriacam magnam: quia tamen eſt multum calida, ideo alij dant vinum & mel. Radices verò capparis reputantur antidotum. Et alij iterato vomitu cum aqua ſimplici, butyro & terra ſigillata, dant poſtea octo grana ſmaragdi triti cum vino: puto tamen quòd multū conferat cōtinuè epithemare cor cū ſpecieb. frigidis in principio

& in processu cum temperatis, & in cibis ponere cordialia. Et quod dicitur
quòd animal paruum repertum in ei us radice, sit antidotum, non puto verũ,
nec hactenus fuit expertum. Illi autem qui euadunt, sæpe cadunt in pthisim,
& maciem, quia impeditur nutritio, & quando contingat quòd aliqua portio
illius descendat ad ventrem, terminatur vita fluxu, vel tenasmone.

De Anacardo, Oleandro, & curis Cap. XXXI.

ANacardus similiter habet succum calidum & siccum in quarto, est enim
adeò acutus, vt corrumpat carnem viperæ. Et quoniam vrit & putrefa-
cit humores, ideo causat febrem. Et quando fumi istorum petunt ventriculos
cerebri, spiritus animales inficiuntur illa praua qualitate, & adeò perturbãtur,
vt extensi ad memoriam, patiens efficitur amens. Et quando caliditas commu
nicatur intestinis, exiccantur fęces in eis. Et sumens de eo vltra ʒ. moritur bre-
ui tẽpore. Antidotũ istius dicitur esse lac camelæ, & myrob alani: & secũdum
alios grana pini torrefacta. Et quãdo psyllium infunditur in aqua, donec egre-
diatur mucilago, duæ ʒ. istius cum saccharo albo & iuleb, creduntur liberare,
tutius tamen est infundere semina, quàm corticem, propter periculum medul
læ. Nec obstat quòd anacardus ingrediatur confectionem conferentem ad
memoriam: quia restringitur eius venenum ab oleo nucum, & alijs quibus mi
scetur. sumitur etiam in dosi adeò parua, vt non possit nisi resoluere humidita-
tem extraneam, quæ prius obstruebat meatus illius. Oleander, seu potius eius
flores & fructus calidi in tertio & sicci in secũdo, similiter exurũt & faciunt an
gustiam: nec mirum, quòd aliquod minus calidum, aliquando citius & mani-
festius calefaciat, quando subiectum, in quo est, habet illam minus oppressam.
Vapor igitur, seu fumus istius eleuatus, perturbat vires & spiritus in cerebro:
in stomacho verò impediens digestionem, multiplicat ventum tumefacientẽ
corpus, & aucto tumore moritur patiens, quia calor naturalis prohibetur de-
ferri per membra. Et tam syluestris, quàm quæ nascitur in domibus desertis in
terficit homines, & vulpes, & vermes terrenos, & inficit aquas: quæ verò na-
scitur in ripis fluuiorum nõ est adeo perniciosa. Curatur autem cura calidorũ,
& eius antidotum sunt duę ʒ. granorum iuniperi cum vino.

De Castoreo, Elleboro, & curis Cap. XXXII.

CAstoreum excessiuè calidum, & si fortè non sit venenosum, quia succur-
rit stomacho distemperato & debili, causa frigiditatis, valde tamen per-
turbat: & quando corrumpitur, augetur caliditas, & in principio alterat humo
res, quorum fumi delati ad pectus acuitate soluunt continuum. Curantur au-
tem nocumenta istius lacte asinæ, quod est subtilius cęteris: nam ex illo alio-
rum animalium fit caseus, & non ex isto, quod datur ethicis, vt penetret mem-
bra solida. Et quidam permiscent cum eo syrupum acetositatis citri. Et quan-
do instaret necessitas, potest dari opium correctum vsq; ad duas ʒ. quod vo-
cant philomum, & solet exhiberi infirmis, qui non possunt dormire. De vrina
verò asini syluestris, dicitur quòd frangit lapidem vesicæ, & si non reperiatur
in regionibus nostris.

Elleborus albus reputatur perniciosior nigro, facit enim tremorem cordis,
& accidentia timorosiora: quia calidus & siccus in tertio. Nec obstat color al-
bus: nam licet caliditas ab initio denigret, continuata tamen actione dealbat.
Quando autem de eo capitur vna vncia cũ duabus lithargyrij, si tritẽtur sub-
tilissimè, & conficiantur aceto: si postea cum oleo communi, vel nucum po-
nantur in patella, agitentur & coquantur, vncti ex ijs in balneo curantur à
scabie. Sumptum autem valde perturbat vires animæ, & calorem naturalem,
quæ

quæ sæpe profundantur, & membra extrinseca remanent frigida: & quādo hę ret alicui membro sensibili, causat spasmum, quia contrahit neruos, vel musculos, & cum tendit deorsum, mouet fluxum mortalem. Flores verò nenufaris reputantur antidotum, & secundum Theophrastum pumex aspersa aceto extinguit feruorem, & trahit, & imbibit, &c. sed quia non est expertum, debet aliter curari, vt patebit. Niger est minus perniciosus, cuius radices seu cortices incisi in frusta reseruantur in vmbra cum dauco, & petroselino, & alijs notis. corrodit enim carnem mortuam, quoniam habet caliditatem magis in promptu: constat ex eius calore nigro, & sapore acuto mordente gustū. Colligentes tamen istum, vel album, comedunt allium, & bibunt vinū, vt tueantur à quodam fumo, qui exhalat ab eo quādo frangitur. sumptus tamen vrit linguam, & guttur, & loca per quæ transit, & terreitate potius soluit per inferius. Vapores veò humorum, qui sunt perturbati ab eo, quando vertuntur in ventum, cogūt eructare: & quando extenduntur ad pulmonē, coarctant anhelitum: & quando accidētia augentur, causant tremorē cordis: & sumēs de eo ʒ duas moritur suffocatus. Curātur aūt ambæ species butyro, melle, lacte, & brodijs vnctuosis, ac etiam absinthio, & vino: & quando succederet fluxus, debet poni in aqua frigida, & dari ei rob fructuum acetosorum. Nec veteres dabant istud nisi robustis, & de mense Martij, vel Septembris: & antea saltem per tres dies faciebant eos vacare gaudijs, & confortari bonis cibis, & moneri, quòd retardat senectutē. Ego tamen vidi laborantem quartana, qui sumpsit de eo vnā ʒ. cum dimidio, & mortuus est: fuerunt tamen culpati medici, quia dederunt ipsum sine alio solutiuo. solus enim nō actuatur à naturali calore. Nec solet in istis regionib. dari de eo nisi duo ℈: Plantatus verò secus vites, faciunt vinum solutiuum: quia praua qualitas remittitur à natura loci, & plantæ.

De Quibusdam frigidis, & de fungis & eorum cura,
Cap XXXIII.

INcipiemus ab istis, quia sunt magis in vsu: omnes tamen sunt frigidi in fine tertij, & humidi in primo. Experiētia enim ostēdit quòd ista est maior, quia putrefactio non fit sine humiditate: prędominatur tamen in eis vapor terreus, & grossus: & esibiles debent esse solidi, & albi, & aliquando rubei, vel fusci, vt vocati porcini, dummodo colligantur ex terra bona. Mali verò habent colorem liuidū, opacū, vel nigrum, & substantiā laxam, & sæpe nascuntur iuxta sterquilinia, & venenosi prope cauernas seu foramina animaliū venenosorū, aut arborū habentiū prauas qualitates, & prope oliuā, reputātur mali: cū enim habeat attractiuā fortem, fugit circūquaq; quicquid potest cedere loco nutrimēti: corrupta verò vel apta inficere, expellit, ex quibus postea illi generātur. Tubera similiter vocata tartoclea, quæ sunt veluti radices absq; stipite, distinguūtur à prædictis colore, figura, & modo substantiæ, nec sunt adeò frigida & humida: & meliora habent medullam solidam & albam, & nascuntur in locis, solitis producere incolumia, & pręcipue arenosis. Et istorū sola quātitas solet nocere: quę verò habēt medullam tendentem ad opacitatē, sunt humidiora. Cupiens autem comedere fungos, debet eos sæpe lauare aqua calida, & coquere cū pyris incisis, oleo, sale, & allijs: & pro securitate intingere in decoctione illorum bucellam panis, quæ data cani, si conturbetur, sunt vitandi, alias comedēdi cum modico pipere. Mali aūt ratione partis grossę, & terreæ faciunt ventū in stomacho, & in intestinis tumorem, & inepte obstruendo prohibent transitum cholerę ad chistim fellis: & quando vapor eorum impartitur pectori coarctando, impedit anhelitum. Sudor aūt succedit copia illorum, qui cū petunt cerebrū, quando extēduntur ad oculos, faciūt eos tenebrosos, quod est signū

mortis, quia prohibent expansionem spirituum. Curantur autem post vomi-
tum cum succo menthastri, & raphani, seu corticibus radicis istius, aut vino an
tiquo, addito ei pauco diacymino, vel loco istius parũ de semine sinapi, quod
creditur efficax: & interea prohibeatur à somno plusquam deceat. prædicta
tamen discrimina aliquando non manifestantur nisi post quartumdecimũ vel
vigesimum diem: quia natura illorũ grossa & terrea, mouetur tardè, & resisten
tia non est æqualis in omnibus.

De Opio, & cura, Cap. XXXIIII.

ISTud est succus seu gumma. & quanuis dicant quòd sit frigidum, & siccum
in quarto, non tamen creditur quòd habeat tantam siccitatem. constat e-
nim quòd colligitur de mane, dum ros est super plantas: tunc enim fiunt scis-
suræ cum cultello subtiles & superficiales, ne cortex transfigatur, & succum
seu gummam exeuntem reponunt in vase mundo in forma trochiscorum,
quam reseruant pro opio. Et alij exprimunt folia, & capita illius, & expres-
sum seruant pro eodem. ista verò non arguunt tãtam siccitatem. Et esto quòd
ratione frigiditatis stupefaciat, & congelet sanguinem, & humores, frequen-
ter tamen facit magnum somnum, qui, nisi ab humiditate obstruente sensum
communem, accidere potest: patet in pueris. Si dicas, quòd patiens aliquan-
do videtur immobilis: & si istud possit causari à frigiditate congelante, po-
test tamen esse in causa humiditas: quia etiam ista quando est multa, prohibet
expansionem caloris. nam & subet non committitur sine humiditate. Si deni-
que non esset humidum, non euaporaret: & tamen constat quòd eius vapores
inuiscantur musculis gutturis, & prohibent sermonem. non dico quòd frigidi
tas non præualeat, quia oculi profundantur, quando ligamenta ipsorum con-
trahuntur ab ea. & quando ipsa restringit spiritus in corde, interficit. Ista tamẽ
discrimina non succedunt semper: cum enim sit ponderosum, non est aptũ a-
scẽdere: signum est, quia qui sumpsit illud, sentit frigus in pedibus, qui lõgius
distant à corde: & in isto quando spiritus sunt obsessi, non succurrunt digestio
ni. & qui sumit de eo quartam partem vnciæ, nerui eius coarctantur, succedit
spasmus: & citius, quando sumitur cum pauco vino, quia præbet aditum. Cu-
rãtur autem post vomitum arthemisia sumpta cum vino: & profunditas som-
ni clysterijs acutis: & pro antidoto datur castoreum vel aureum vnum asse fœ
tidæ cum modico theriacæ: de qua etiam dicitur, quòd mista oleo sanat vlce-
ra sagittæ venenatæ. Fœtor verò vtriusq; speciei assæ, causatur à quodam va-
pore diffuso in diuersis partibus suæ substantiæ, & fortè super totã: quia quan
to magis pistatur, plus sentitur. Et alij putant quòd dictamnus sumptus cum
rob cidoniorum, curet opium.

De Mandragora, & cura, Cap. XXXV.

ISta creditur continere frigiditatem tertij gradus: & fortè maiorem & vnitã
aliquali humiditati, nam elixata cum ebore per sex horas, remollit eum: na-
scitur etiam in locis vmbrosis. ratione tamen suæ frigiditatis cõgelat vapores
in cerebro, & humiditatis, facit somnũ grauem: quia obstruit partem anterio-
rem, in qua locatur sensus communis. Illa tamen species, quę vocatur marbus
nõ reputatur adeò perniciosa. & correcta secundũ artẽ, dicitur curare nocumẽ
tum solatri. posset fortè verificari de illa specie, quæ est domestica, & habet fo
lia similia ocymi, quæ est comestibilis: de alia verò non est credibile. Vtcun-
que tamen, mandragora facit subet, & aliquando lethargiam, & vltra ʒ. j. in-
terficit. Quando verò eius radix conteritur & miscetur oleo & melli, dici-
tur conferre morsibus venenosis, & sedare dolores podagricos. Et Chirurgi-
ci dicũt esse expertos, quòd etiam eius radices sunt humidę. nã quando volũt
incide

incidere aliquod membrum sine spasmo, capiunt tres magnas, quas ponunt in amphora vini: & postquam steterint in eo, dant de illis vel altera illarum quantitatem trium anulusat, hoc est vnius scrupuli cum dimidio, & non vltra istam quantitatem: quia faceret apoplexiam. dicunt etiam, quòd vinum in quo steterunt, succurrit instantijs vigiliarum. Rubor qui aliquando apparet in oculis & facie sumentis, causatur ex motu sanguinis refugientis ad membra extrinseca. & veteres ponebant istos in aqua frigida ad reuniendum illum cum spiritibus, & naturali calore. Curantur autem, quando post vomitum datur eis butyrum, & mel, seu potius vinum, in quo sit dissolutum castoreum: dummodo istud non sit adulteratum cum opopanaco: quod cognoscitur, quia tunc color tendit ad nigredinem. Dicitur denique, quòd radix mandragoræ procurat amorem, quod fortè accidit, quia mas habet similitudinem formæ humanæ.

De Rana uiridi, & cura, *Cap:* XXXVI.

VEnter deglutientis istam tumet, & oculi obscurantur: sed non facit ardorem, nec fluxum, nec vomitum: quia frigiditas potius immobilitat. & cũ dicunt quòd cadunt dentes, posset accidere quando ligamenta ipsorum putrescerent, quod fieri non posset, nisi tempore longo: & forsan prius interficeret. Nec, vt aiunt, sumens statim fœtet: quia humores non putrescunt adeo citò. nec inuenio quæ sit illa rana, quæ committit tot discrimina: nam quæ degunt in aquis, comeduntur ferè ab omnibus. Et tamen dicunt, quòd sumens sanguinem degentium in paludibus, emittit semen vsque ad mortem. Est etiam compertum, quòd istæ coctæ cum oleo & sale, sunt remedium contra vermes venenosos, & lepram: & earum elixatura, confert dolori dentium: & secundum aliquos iecur illarum, est antidotũ omnibus venenis. Nec est verum quòd aliquæ viuant & vociferent in corporibus nostris: quoniam rumor, si quis audiretur, accideret potius ex grossa ventositate. vermes enim in nobis non viuerent, si intrarent aliunde. Sed quoniam aliquæ degunt in vepribus, vel rubis, & aliquando in arundinibus, & fruticibus, possent fortè prædicta verificari de aliqua istarum, vel de illis quæ cadunt tempore pluuiæ. Vtcunque tamen, sanguis testudinis marinæ sumptus cum vino, & coagulo leporis, addito cymino, medetur illis, qui biberunt ranulas venenosas. Coagula enim ratione caliditatis superinductæ, conueniunt omnibus ferè venenis frigidis.

De Hyoscyamo, & cura, *Cap.* XXXVII.

DVæ species istius sunt frigidę, & siccæ in fine tertij. Prima habet semen nigrum cum cortice spinoso, alia album, & florem mellinum: & vtraque est perniciosa. Stupefaciunt enim membra illius, qui sumit de aliqua istarum, & incurrit amentiam, quando vapor eius extenderetur ad memoriam: non sic tertia species, quæ est rubea, & mollis, & habet partes plenas humiditate, cum qua facit aliquando somnum, & contusa cum folijs defendit à morsu aspidis, &c. Accidentia autem illarum duarum sunt, epilepsia causata, quando vapores earum frigidi spissantur in cerebro: quia tunc obstruuntur meatus, & viæ per quas transeunt spiritus: & quando isti, & vires sensitiuæ impediuntur, vel molestantur, succedit phrenesis, non autem vertigo: quoniam frigiditas, & siccitas, impediunt motum. Cum verò trahit moram in ore, stupefacit neruos linguæ: facies, & oculi interdum fiunt rubei, quando sanguis refugit vapores infectos: propulsi verò ad cutem, quando non possunt expelli sudore, faciunt in ea pruritum, vel scabiem. Et ista solet cu-

rari fumo tertiæ speciei, præsertim in manibus & brachijs, dummodo
prius steterint in aqua decoctionis maluæ. Nocumenta verò omnium specie-
rum, curantur vomitu cum aqua mellis, butyro, & sale. Et quidam dant eis lac
bubulæ, vel asinæ. Dicitur tamen quòd oleum de lateribus, medetur omnibus
venenis frigidis. confert etiam theriaca cum vino, & reliqua dicta in cura fri-
gidorum.

De Psyllio, Coriandro, & curis. Cap. XXXVIII.

PSyllium frigidum in secundo, vel tertio, reputatur etiam siccũ, ab alijs ve-
rò temperatum in passiuis: eius tamen medulla dicitur esse calida & sicca
in quarto. non sic cortex: nam quando conquassatur cum aqua fontis, & sumi
tur cum syrupo violaceo, soluit choleram, & linit pectus. Veteres tamen deui
tabant ipsum propter timorem medullæ, quæ vrit & vlcerat. Sumens verò vl
tra dosim de folijs, succo, vel semine illius, posset mori, quando obstrue-
rentur meatus: quia tunc prohiberetur spiritibus, & calori naturali acces-
sus ad membra nutribilia, & interdum ad extrinseca, patet, quando rema-
nent stupida. Semina verò eorum & si sint parua, tamen in infusione a-
quæ sedant sitim, & soluunt ventrem: & quando sunt assata, restringunt
eum. Et licet idem ferè faciat semen marrubij, lini, portulacæ, &c. duæ ta-
men ʒ. de illo infusæ in aqua, donec egrediatur mucilago, sumptæ cum iu-
leb. curant adustiones, & inflammationes. aliquando tamen coarctant ner-
uos. Debent autem curari melle, & aqua anethi: & quando succederent sin
cope, & tremor cordis, suc curratur cum diambra, & electuario de gemmis,
vel diamusco.

Coriandrum est frigidum in fine primi, & siccum in secundo: Et alij putant
calidum, tum propter eius substantiam subtilem cito resolubilem, tum quia
in sapore percipitur amaritudo, quæ à calore, vt plurimum causatur: quia
tamen sumptum cum succo plantaginis, restringit fluxum sanguinis, ideo
creditur siccum. Nam quando fœmina bibit vnum granum seminis eius, dif-
feruntur eius menstrua vno die, & tot diebus quot sumpserit grana: quæ si es-
sent vera, nisi à siccitate & frigiditate accidere possent. Datur autem epilep-
ticis, vt prohibeat ascensum vaporum ad caput: & emplastrarum cum melle
prohibet erectionem virgę, nõ, vt aiunt, eo quòd resoluat semen, quia mel nõ
est tantæ caliditatis, sed quia repellit spiritus subseruientes generationi. quòd
verò coriandrũ sit in se frigidũ, & siccum: patet: quia eius aqua occidit vermes
extinguendo ipsorum calorem. & propter istas varietates aliqui putant quòd
facit vnum per se, & aliud per accidens, vel fortè quia habet partes in quibus
sunt distinctæ virtutes. Sumens autem de eo, quando est recens, mediam vn-
ciam, moritur: quia frigiditas non est in eo oppressa, & minor quantitas facit
stuporem, vel subet: color verò faciei est aliquando citrinus, quãdo oppilatur
kistis fellis, quia tunc cholera prohibetur transire ad ipsum. Et quando calor,
& spiritus non possunt deferri per corpus, est signum mortis. Curatur autem
vomitu ex aqua mellis, vel decoctionis anethi, & debet nutriri brodio pingui
gallinę, & ouis sorbilibus cum sale, & modico piperis, & dari in potu vinum
purum, & aliquid vincetoxici.

De Nuce metel, cicuta, solatro, & cura, Cap. XXXIX.

DE ista nuce dicitur, quòd sumens vnum kirat cum vino, inebriat, & duo
interficiunt oppilando: quia est frigida in quarto. Non dico quòd aliæ
species nucum sint frigidæ, patet de auellana & de Indica: ista est calida in se-
cundo, & humida in primo. Et licet credant quòd eius oleum possit cõferre
neruis, & lenire pulmonem: experientia tamen nocet cholericis, Et ne ac-
cidat

cidat æquiuocatio, nux vomica est fructus secundæ speciei tithymali: & nux tamarisci est fructus huius arboris. Succurritur autem sumenti de nuce metel cum butyro, & vino calido, sulphure, & ouo sorbili, & alijs dictis in cura frigidorum.

Cicuta est frigida in quarto, non tamen sicca in eodem: præsertim quæ nascitur in aquis, aliter non faceret somnum profundum. nec durities pulsus reperta in sumente causatur à siccitate, sed à frigiditate indurante, patet, quia vix potest moueri. Et interdum restringit anhelitum, vel obtundit instrumenta illius, & sensuum: & quando accidentia intenduntur, succedit mors. Cura est bibere sæpe vinum rubeum calidum, & ingredi balneũ olei, & postea sumat elixaturam origani: & pro antidoto ʒ. vna cum dimidio theriacæ dissolutę in decoctione dictamni, vel tantundem gentianę tritæ cum vino.

Solatrum quod alio nomine vocatur vua vulpis, est etiam frigidum in tertio: plus tamen stipticum quàm alia herba: sed species eius domestica habens folia similia illis ocymi, est comestibilis. Sumentes verò de granis, aut cortice radicis illius primæ vnciam mediam, moriuntur: & infra dosim stupefacit adeò vires sensitiuas, vt homo videatur amens. permutat etiam colorem corporis, quia mortificat spiritus: hęrendo verò stomacho, tollit ab eo sensum & vini digerendi, & vt plurimum interimit. Lac verò bubulæ creditur curare, tam istum, quàm illum qui sumpsit cicutam. Et quidam putant quòd folia parua istius, sint antidotum, quod est periculosum: ideo potius debet curari, vt alia frigida & sicca.

De aquis infectis & cura Cap XL.

Ista potest inficere, quando est permista rebus aduersantibus suę naturæ, quæ est, vt sit clara, leuis, & priuata malo sapore.

Infecta verò cognoscitur, quando cum ea miscetur lixiuium, quia separat ab ea omnem misturam, quã pellit ad fundum, in quo apparet residentia. Dicitur autem quòd calida in ęstate arguit permistionem vaporis extranei, quod est possibile, quando tales vapores essent subterranei, vel infecti ab aere: ex se tamen potest solùm infici in mineris per quas transit: pura verò potest nocere pro quanto est frigida in quarto: sed quia vix reperitur, ideo potius nocet quãtitas. Allium autem comestum, præseruat à nocumẽtis aquarum. Et esto quòd quantitas infirmet & maculet sanguinem, succurrit tamen venenis aquarum. Et iter agentes vtuntur eo, quando vadunt ad aerem frigidum: & solet reputari theriaca rusticorum, & vermes pestiferi fugiunt odorem illius. Et medetur puncturis ipsorum & morsibus serpentum, & cum vino defendit ab illo canis rabidi. Et emplastrum ex eo & folijs ficus cum cymino, curat morsus Mugali, quod creditur esse animal venenosum simile muri. Cępe etiam comestum cum aceto generat quandam humiditatem frangentem acutiem & malitiam venenorum, ex se tamen sicut & allium lædit corpora calida & temperata, prę sertim cruda, quia quantitas excedens inflammat humores. Nec mirum, quoniam etiam vinum, quando exuberat, potest distemperare, seu infrigidare cerebrum obtundendo calorem naturalem in eo. Curantur autem aquæ infectę cura putrefactorum iam dicta.

FERDINANDI PONZETTI CARDINALIS MELFITENSIS, DE MORsibus uenenosis, Liber Tertius.

De Præseruatione ab eis, & præsupponendis pro noticia.

Cap. I.


Stensuri modum quo quisq; possit se tueri, quomodòue ex ae
cidentibus cognosci & curari pro notitia, est aduertendum,
quòd crises non fiunt in istis, vt in alijs ægritudinibus, in qui-
bus natura sæpe præparat & reseruat humores vnicæ expul-
sioni, quã Medici tribuunt diebus creticis: alij verò motui lu-
nę, puta si perturbarentur, vel debilitarẽtur vires corporis, seu
si homo incipit ægrotare ipsa existẽte in aliquo signo Zodiaci, vt ariete cali-
do & sicco: quando postea peruenit ad signũ oppositè pręsertim in ambabus
qualitatibus, videlicet ad cancrum frigidum & humidum, ęger tunc fortifica-
tur, & vires factę robustę corrigunt vel expellunt humores noxios, non sic in
venenis & pręcipuè morsibus, in quibus, licet natura possit fortificari, non ta-
men virus venenosum potest extrahi ex vlcere nisi paulatim.

Credunt etiã quòd in omnibus ægritudinibus, quando humores destituun
tur à regimine naturę, quòd tunc ex ordine vniuersi subijciantur alicui plane-
tę, puta phlegma Lunę, mouenti die in diem: cholera Marti, de tertio in tertiũ:
melancholia Saturno, de quarto in quartum, &c. Verùm & si fortè posset con
cedi, quòd pro quanto corpora nostra constant ex elementis, pendeant ex
quatuor triplicitatibus Zodiaci, in quibus planetæ habent diuersa dominia,
non tamen est necesse, nec possibile, vt humores subtrahantur in totum à re-
gimine virium naturalium, quia sequeretur mors. Si enim dum viuimus nutri
mur, istud fit quandiu vires subministrantes in re nutrimenti trahunt conue-
niens, & expellunt quod non est de earum intentione, quæ operatio termina
tur simul cum vita. Si enim illi planetæ possent supplere operationes quibus
indiuidua humana, vel animalia perfecta tuentur & viuunt, tunc actio vniuo-
ca non differret ab æquiuoca. Cum etiam Medici dicunt, quòd ex accidẽtib.
sæuis peruenitur ad permistionem rationis, non intelligitur, quòd istud com-
petat intellectui ex se, sed ex defectu sensus, quando aberrant impeditis orga
no medio, vel instrumento: tunc enim operantur diminutè, vel corruptè: quia
non possunt subministrare intellectui similitudines rerum. De læsione organi
patet in phreneticis, & de illa medij quando baculus in aqua videtur maior,
quia per angulos, seu lineas refractas ab illa, quę est densior aere, & de lęsione
instrumenti, quando spiritus animales fiunt tenebrosi: dum tamen non lædi-
tur memoria, intellectus potest corrigere errores. Et quando dicunt, quòd
ex nocumento illato cordi ex morsu venenato, succedunt tremores, synco-
pes, seu defectus, &c. causa in istis non est solùm eo, quòd venenum ten-
dat ad cor, vel dirigatur ad illud ab alio, quia idem posset accidere, quando ca
lor & spiritus, quàmprimum sentiunt lęsionem veneni, obuiãt ei: & quãdo nõ
possunt illud expellere, retrahunt se tunc ad prohibitam expansionem eorum
vel quando fumus veneni dilatatur & occupat ex illa retractione, possunt se-
qui syncopes, & accidentia prædicta.

Spasmus etiam non solùm potest committi à veneno & morsibus, sed etiam
ab humoribus solis: quoniam multi possunt coarctare neruos, & imbibi in sub
stantijs ipsorum, & aliquãdo nocere cum sola qualitate: patet quãdo caliditas

appro-

appropinquat corio, vel membranæ: Primus vocatur de repletione: secundus de inanitione. Et in proposito, ambo possunt coincidere: puta quando dolor puncturæ, vel morsi, traheret ad locum multos humores, vel quando qualitas praua resolueret humiditatem substantificam alicuius membri. Sed tamen descendamus ad præseruationem.

De tuenda Domo Cap. II.

Aiunt quòd si suspendatur super limen domus scilla integra, defendit à cunctis animalibus venenosis. Cùm enim sit calida in quarto, & habeat vaporem valde acutum: percipitur enim à longe cum quo absque noua plantatione producit germina: ideo cum istis potest etiam expellere animalia venenosa. Magis tamen expertum est suspendere radicem primæ speciei arthemisiæ appellatam leptophyllos: quia non solùm prohibet accessum illorum: sed etiam diuertit oculos malos, quibus dicunt committi fascinationes, & strata super lectum, facit dormientes securos: & quando diu stetit in musto, eius vinum aduersatur omni veneno: & iter agentes ferentes secum illam, non sentiunt dolorē itineris: videtur enim continere in se temperiē propinquam vitę. Confert etiam ponere in partibus domus cinerem ligni pini: iuniperus etiam & laurus strati, valde tuentur. Et frondes, & rami polij montani fugant quæque reptilia venenosa. Corium arietis appellatum geldaceb, creditur excludere omnes serpentes, similiter & corium leopardi super lecto. Pauones etiam & cigni timentur ab animalibus venenosis. Et multi putant quòd quando pes dexter cerui, vel eius caput infigitur in porta domus, sit secura ab eis. Et quæque animalia pestifera fugiunt fumum vstum ex cornu & asphalto, & magis illum nigellæ, & granorum iuniperi, & galbani, & fumus serpentariæ, styracis, calamenthi, cupressi, & pilorum capræ, fugant omnia. & fumus aristolochiæ reputatur soluere incantationes, & eius puluis corrodit vlcera morsorum à vipera, & carnem fistulę: idem dicunt de fumo sisymbrij, agnicasti, & ocymi. & quando fit ex pulicaria maioris speciei, quę habet grauem odorem, expellit viperas & serpentes. Et quoniam valde diligunt vinum, ideo quando ponitur ante cauernas ipsorum, exeunt percepto odore: & tunc possunt interfici cum sagittis, vinum tamen remanet venenosum propter saliuam relictam in eo.

De tuentibus Homines Cap. III.

Qui se vnxerit ex medulla cerui, aut radice dragonteæ, seu colubrinæ, est tutus ab illis. & messores defatigati, comedunt serpyllum, quia excutit timorem. & de sanguine tauri dicunt, quòd solo tactu occîdit serpentes: idem de cornu eius portato. Et secundum multos in arbore fraxini, est tanta vis, vt nullus serpens velit ingredi vmbram illius: & si folia essent in vno loco, & in alio ignis, potius fugiunt in ignem. Et coopertus cum pelle cerui est tutus. Et ferens secum gagatem, non læditur morsibus, & captat beneuolentiam. Similiter lapidem serpentis. adeps leonis calidior cæteris, fugat omnes serpentes. Cicuta verò frigidissima creditur fugare viperas: sanguis galli sumptus cum vino, facit homines tutos à morsibus omnium reptilium, quod est possibile: quia etiam creditur quòd leo timeat gallum album: & multò plus catum, quia terretur ab eo viuo & mortuo. Qui tamen fert sub axilla oculum leonis, omnes bestiæ, & beluæ fugiunt illum: idem asserunt de magnete ligato brachio sinistro. Et denique vitis alba, quam etiam vocant bryoniam, portata, deterret serpentes, & emplastrata curas morsum therij, & cancrum, & vlcera fraudulenta. cum vino sedat panaritium: quod etiam creditur curari

emplastro ramusculorum sambuci. Pæonia, seu eius semen, sanat fascinatos, & suspensa collo pueri, tuetur ab epilepsia, quandiu illam retinet, & confert cordi: dummodo colligatur certis temporibns. Nec aliquis miretur de istis: quoniam auctor naturæ inseruit in diuersis rebus, diuersa temperamenta: quibus vna tutetur ab alia, & excessus vnius moderetur à temperamento alterius, & multa habent virtutes aggregatas.

De illis quæ excludunt bestiolas Cap. IIII.

DEcoctio pulicariæ sparsa in locis vbi sunt, necat eas, & certius decoctio colocynthidis aspersa, interficit bestiolas cuiuscunq; generis. Et Auicenna inquit, quòd fumus sulphuris cum bdellio, styrace, & assa fœtida, interficit zenzaras & cimices, quę etiam creduntur fugari floribus genistę. & aliqui magis laudant suffumigium ex myrto sicca, cum sulphure & bdellio. Sed quoniam cimices currunt ad ferrum quando infigitur in ligno in quo habitant, illic possunt interfici. & quando lauatur decoctione lupinorum amarorum, vel piscium salitorum, non accedunt. Confert etiam lotura decoctionis oleandri: similiter suffumigium ex nucibus, vel folijs cupressi, vel ex aliqua sanguisuga: sed est vitanda venenosa, vel habens caput nigrum. Quæ verò degunt in aquis currentibus, in quibus sunt ranæ, & habent ventrem tendentem ad rubedinem, & dorsum ad viriditatem, sunt idoneæ. Muscæ autem valde infestæ, interficiuntur fumo arsenici, vel decoctione radicis ellebori, quando miscetur lacti, quod valde diligunt. Et tafani moriuntur, quando præponitur eis oleum decoctionis stincorum tritorum cũ axungia porci, & farina fuliginis. Fumus verò corticum platani fugat scarabeos: sed chalcanthi, vel vngulæ sinistræ muli creduntur fugare mures. Expertum tamen est, quando comedunt de farina frumenti, vel alterius rei, in qua fuerit permistus puluis arsenici, moriuntur. & formicæ suffumigatæ, fugant omnes alias: sed debet postea obstrui locus, in quem se recipiunt, cum stercore vaccæ. Solent etiam ipsæ, & multæ aliæ bestolæ interfici fumo sulphuris, & argenti viui: quod etiam absolutũ fugat vermes & serpentes: & eius elixatura interficit pediculos, puta quando miscetur modicum ex eo vitello oui cocto, & vngitur caput, & postea lauatur lixiuio.

De curis morsorum, & seruandis in istis Cap. V.

NOn quilibet morsus ęquè nocet, nec interficit eodem tempore, vt fertur de basilisco infra tres horas, & ad plus infra duos dies: vipera verò in quinq; vel septem: & potest accelerari mors, quando solutio continui magis penetraret. similiter respectu loci, vt quando solueretur vena pulsatilis: & magis vbi cadit arteria magna: quia venenum potest citius accedere ad cor, & mouere syncopem: & quia continuatur hepati, posset prohibere nutritionem & transitum choleræ ad fel. signum est icteritia, quæ aliquando subsequitur. minus etiam cæteris paribus nocet in brachio, vel tibia, quàm in ore: quia istud colligatur cum stomacho, & hepate, & consequenter cum corde: & quando soluitur neruus, vel musculus, augetur dolor, & sæpe committitur spasmus. Quantum igitur ad curam, in principio est abstinendum à diminutione sanguinis, solutione ventris, ac etiam prouocatione vomitus, vrinæ, vel sudoris, nisi fieret sponte: vel ex agitatione, & retractione virium regitiuarum, aut spirituum supercalefactorum, venenum vlceribus forsan magis profundaretur, & quicquid dicatur ab alijs. Quando autem venenum morsus esset diffusum, & remissa acuties, posset etiam conferre balneum, præsertim ex decoctione aristolochiæ rotundæ liberantis per sudorem, qui tunc potest prouocari: similiter & vrina, quia intentio non solùm vertitur ad educendum venenum, sed

ad resoluendũ, remissa etiam audacia, & antè posset in casu conferre diuersio à membris principalibus, quæ in principio cum omni diligentia sunt defendenda, & confortanda. Patiens autem debet continuè stare in loco calido, ne venenum pellatur interius à frigore, & in aere lucido, vt spiritus recreentur, & moueantur ex centro ad circunferentiam, & sermones sint iocundi, quia tristitia & timor retrahunt & hebetant vires animæ. Quàmprimum tamen venenum apparet diffusum, debet dari in potu licium dissolutum in aqua frigida, quia sanat etiam vlcera intrinseca, & curat putredines, & morsus rabidorum: & fortius operatur quod venit ex India, quã ex Cappadocia. In vtroq; tamen insunt partes subtiles, & calidæ, quibus aperit, resoluit, &c. & grossæ, & frigidæ, quæ obtundunt, & resistunt, & sanant vlcera. Alij verò dant istis assam, & absinthium, vel terram sigillatam cum vino: ista tamen non est danda in principio, ne faciat vomitum, & conturbet. De nigella verò tenetur, quòd pro certo liberet: & puluis cancrorum fluuialium vstorum quando datur cum ℥. 5. myrrhæ, vel olibani, confert venenis frigidis, & calidis. In omnibus tamen morsibus, siue viperæ, siue aspidis surdæ, therij, & similium, præcipua intensio est confortare cor, & spiritus, cum notis in cura epidemiæ, & cordialibus frigidis in principio: & in augmento debet sæpe exhiberi puluis seminis citri cum vino: & loco cibi comedat carnes leporis, & alia quæ habent naturam aduersantem qualitate veneni, puta in morsibus calidis cancros fluuiales assatos, vel coctos cum lacte, & cerebella gallinarum elixatarum, & lac vaccinum, butyrum, & restaurantia. Dactyli verò, pineæ, & passulæ, conferunt magis frigidis: in omnibus tamen sunt vitandi cibi stiptici, grossi, vel melancholici. Et quanuis quidam dent allia, cæpas, & porros cum vino potenti, est tamen timendum ne quantitas trahat ex vlcere venenum ad loca intrinseca, neue inflammet sanguinem: non tamen debent pati famem, nec sitim. Et in omni cibo ponant de ista confectione: ℞. cardamomi, cinnamomi, zedoariæ, an. ʒ. ij. piperis longi, nucis moschatæ, folij, cubebarum, ligni aloes, caryophyllorum an. ʒ. 1. sacchari albi ad pondus omniũ: abstineat etiam ab omni euacuatione notabili, & præcipuè à coitu. Et quando sentirent magnum frigus, calefiant cũ pannis calidis vel igne in camera, vel sub lecto: & quando essent multum stiptici, vtantur lenitiuis, vel clysterijs cum lacte. Vinum debet esse clarum, & lymphatum aqua in qua sæpe sit extinctum ferrum: et quando timerent eam, vt accidit in morsu canis rabidi, debet vas, vel fistula cum qua bibunt cooperiri aliquo panno nigro, ne videant illam, vel aliter decipi. Verbena trita, & sumpta in potu reputatur efficacior: hanc Græci vocant hierobotanũ, hoc est, illustratiuum & purgatiuum: nam & sacerdotes gentilium vtebantur ea in purificationib. & quando ferebant illam secum, credebant se tutos ab hostibus, & quòd eius elixatura sparsa in conuiuijs pręberet astantibus hilaritatem, & quòd tria folia cum tribus radicibus illius curarent tertianam, & quatuor cum totidem, quartanam, & quòd semen eius cum succo fœniculi mundaret oculos. Et licet non reponatur in certo gradu caloris, est tamen multum sicca: quoniam conglutinat vlcera venenosa. Semen rapæ etiam domesticæ datum cum vino, creditur occurrere omnibus morsibus serpentum, ac etiam potionibus malis, & prohibere nocumenta malarum medicinarum: comesta tamen ingrossat humores, & cum oleo, & vino stimulat Venerem, quia ventosa. Succus verò syluestris, succurrit fistulis & vlceribus malis: & sanguis testudinis marinæ cum illo, & coagulo leporis, & modico cymini, sanat omnes morsus. In declinatione verò accidentium, licet venenum credatur tunc expulsum: quia tamen interdum latet oppressum: puta quando animal mordens ferret venenũ frigidum, tunc qui creditur liber, aliquando post multos dies vel menses redit

ægritudo:quare interea ſingulis decem diebus debet purgari cum hieralogo
dion, vel cum hiera Ruffini, dummodo humores infecti, ſint parati expulſio-
ni:& qualibet ſeptimana vtatur theriaca cum vino decoctionis gentianæ. &
quando iſta ſtat per tempus in muſto bulliente, vinum poſtea eſt efficax ad li-
berandum. balneum decoctionis agrimoniæ, ſcabioſæ, fumi terræ, & radicum
lapacij, iuuat ad reſoluendum. Expertum verò ad omnia genera morſorum:
Capiant ſerpylli, pulueris aſſæ an. ℥. duas, galbani & ſulphuris an. ℥. vnam con-
ectorum cum melle: quando de iſta ſumitur cum vino, valde confert, & em-
plaſtrata vlceri, ſanat.

De Curis vlcerum in particulari Cap. VI.

QVanuis ſigna dirigant in curam, narraturi tamē accidentia animalium
mordentium, & quomodo reducantur in cauſam, ne idem bis repeta-
tur, maluimus differre. Quidam putant quòd theriaca non ſit ponē-
da ſuper vlcere morſi: quia ſi fugat venenum, pelleret forſan ipſum ad cor. Alij
ecōtrà: quia ſi in ea ingredit̄ caro therij: ideo ratione ſimilitudinis iſtius trahit
ad ſe venena calida, & per potentiā ſui caloris poteſt deſtruere, vel reſoluere
tractum. Nam ſi aliquod ſimplex facit vnum per ſe, & aliud per accidēs, quan-
to magis illa ratione ſuorum componentium, quibus etiam ſupradicta qua-
dam ſimilitudine prius confortat, & roborat cor, & poſtea expellit, vel reſol-
uit. Debet autem dari morſo vna drachma pulueris ariſtolochiæ cum vino, &
ſine intermiſſione temporis ſuper vlcus poni gallus euiſceratus per dorſum:
ſed creditur magis tutum quòd prius ſugatur ab homine cibato, cuius os ſit la-
uatum vino, in quo ſit decoctum dictamnum, vel à pluribus hominibus, ne v-
nus multum ſugendo, fortè deglutiat ſaliuam venenoſam relictam in vlcere.
Eſt etiam cauendum ne ſugens habeat dentes corroſos, néue eius os male o-
leat. & ſi vlcus fuiſſet exiccatum, debet vngi lactuca, vel alia re humida. Vlce-
ra nanq; iſto caſu non egent exiccatione, nec conſolidatione, ſed apertione &
attractione: quia intentio in omnibus eſt prohibere diffuſionem veneni per
corpus. & ſi quid remanſit in eo, extrahatur. Et quidam circa locum morſum
per tres aut quatuor digitos faciunt ligaturas ſtrictas, vt cum ſanguine poſſit
exire venenum: & poſtea in circuitu ponunt ſuccum plantaginis, vel virgæ pa-
ſtoris cum aceto, & alijs ſtipticis. Sed quoniam iſtud non conferret, niſi vlcus
eſſet in tibia, vel brachio: ideo veteres in morſibus letalibus abſcindebant mē-
brum, ne inficeret alia. Verùm cùm iſtud ſit etiam difficile & periculoſum pro-
pter ſpaſmum: ideo debet potius dilatari vlcus ſcarificando in profundum: &
ponantur ſuper illo ventoſæ magnæ, & quantò citius, melius: quia cum ſan-
guine facilè trahitur virus. & qui differunt iſtud, cōſtituunt morſum in pericu-
lo mortis, præſertim ſi venenum animalis mordentis eſſet calidum: quia pro-
fundato non conferunt prædicta. & licet in morſu canis rabidi differatur dif-
fuſio, aberrat tamen multum, qui poſtponit remedia præponenda. Et quan-
uis dicant quòd quantò magis differtur apertio vlceris, tantò plus debet dila-
tari, ne exeat plus ſanguinis: debet tamen cōſiderari debilitas virtutis, quia ex
multo poſſet ſequi mors ante extractionem veneni. Cauteria verò actualia
potius incruſtant carnem, & prohibent exitum humoris venenoſi, niſi fortè in-
tentio eſſet remouere partem corruptam: & tunc debet fieri cum ferro ignito,
& melius cum auro, quia magis confortat. Vlcera verò parua, & non adeò ti-
moroſa, poſſent dilatari cum oleo miſto rutæ, vel cum iſta, melle, pice, & ſale.
Et forſan ſufficeret ponere ſuper eo anum galli depilati, vel potius ſciſſi per
dorſum vnus poſt alium, quando primus eſſet infrigidatus. & quando vlcera
eſſent maiora, conferret catulus ſciſſus: trahit enim potentius, & innata calidi-
tate

tate confortat. Ad prohibendum consolidationem vlceris, sufficit ponere in eo frustum gentianæ, vel laureolæ. capilli verò hominis vsti, quando ex eis sit puluis, iste impositus abstergit, & sanat vlcera sordida, & mollia: quæ si ante tempus consolidarentur, debent aperiri, & multum inflammata lauari decoctione radicis endiuiæ syluestris, vel cancro fluuiali pistato. Et quando morsus sentit magnum dolorem, vt accidit ex punctura neruorum, debent confortari labia vlceris. Et quidam dicunt, quòd sedatur tenendo in ore succum carthami syluestris: sed quia istud negat experientia, ideo certius mitigatur emplastro ex folijs pulicariæ. Et quando cum vlcere esset apostema, est incipiendum à cura istius, siue sit causa vlceris, siue econtrà, quia non posset, nec debet regulariter consolidari instante apostemate: debet tamen ex vlcere educi sanies, ne illud augeatur. In istis igitur casibus, & in omnibus vlceribus venenosis, debet poni hypericon contritum, vel eius succus: quia trahit & resoluit. Et quando renouantur emplastra, debet lauari vlcus aqua decoctionis nepetæ, quæ similiter aperit, trahit, & abstergit. Et quando locus morsus esset durus, vel haberet circumquaque ampullas, fomentetur cum illa, & postea fiat emplastrum ex pede columbino: quoniam exiccat, incidit, & abstergit: præsertim illa species quæ habet folia viridia. Sisymbrium contusum sedat omnem tumorem, & satureia obstat omnibus venenis animalium pungentium cum aculeo. Cognoscitur autem putredo vlceris ex fœtore, calore, & grauitate saniei: digestio verò, ex albedine, lenitate, & priuatione mali odoris: & interdum posset esse partim putrida, partim digesta. Et cùm obijcitur, quòd motus digestionis, & putrefactionis sunt oppositi, quia vapor in ista mouetur ex cētro ad circunferentiā: in digestione verò econtrà, nō obstat: dato enim quòd isti motus non possint competere eidem minimo præcisè, seu formaliter, secus respectu plurium. nam & febris supercalefacit, & tamen curat paralysim. similiter & in vlcere reperiuntur partes saniei aptæ reduci ad benignum, & istas digerit natura: malignas verò, quas nequit regulare, expellit. Vnde in eodem vlcere potest reperiri qualitas, qua significatur super dispositione, & alia super digestione.

Quæ sumpta curant vlcera Cap. VII.

QVando locus morsus esset factus niger, vel stupidus, significat quòd calor naturalis est mortificatus in eo: & tunc debet dari vinum decoctionis thymi, vel theriaca cum illo in quo sit decocta gentiana, & alia quæ restaurant spiritus & calorem, puta elixatura arthemisiæ, & diamuscum: in morsibus verò animalium valde calidorum medicinæ debēt potius dari cum lacte, seu seminibus citri mundatis à cortice vsq; ad drachmas duas cum aqua frigida, clara, leui, & boni odoris. Confert etiam diambra, vel electuraium de gemmis, & in morsibus frigidorum cum vino, vel decoctione rei calidæ. Conferunt etiam duæ drachmæ anethi cocti. Radix verò panis porcini cum vino liberat per sudorem, & emplastrata cum melle super vlcere, sanat: est enim calida & sicca in principio tertij. Et quando ex ea fit tenta, & imponitur fistulæ, trahit potenter: corrodit etiam carnem superfluam: succus eius bibitus, pluribus vicibus cum tribus vncijs vini, sanat duritiem splenis, & icteritiam, resoluendo humorem in vaporem.

De Morsu Viperæ & Draconis Cap. VIII.

HActenus de cura animalium mordentium in genere: nunc verò de signis, & curis aliquorum, & primò viperæ: siue enim nomen istius sit cōmune ad multas species, seu potius vnius ad plura indiuidua: vnaquæque tamen fert venenum letale: nam ex loco morso ab ea exit virus spumosum: quo-

niam calidum,& acutum cogit humidum in loco vlceris ebullire, vnde verti-
tur in virulentiam,& ſuccedente putrefactione aſſimilatur ærugini æris. Exu-
ſtio enim quæ continuè tendit ad nigredinem,tranſit per viride,velut per mi-
nus opacum, & interdum color occupat totum corpus,quando humores,ſeu
humiditates, quibus nutritur,vruntur, vel putreſcunt. Sudor verò ſuccedit
quando vires regitiuæ ex labore relaxant humiditates,& eſt frigidus,quando
ſpiritus & calor prohibentur expandi. Et interdum accidit ſingultus ex defe-
ctu digeſtionis,vel quia vapores vertuntur in ventum. Anhelitus verò coar-
ctatur,quando muſculi pectoris exiccantur multo calore: & tandem cùm ac-
cidentia augentur,ſine præſidio moritur æger infra tres dies,& interdũ prius,
quando cholera æruginoſa hærendo muſculis & lacertis,cauſaret ſpaſmũ, ali-
ter poſſet differri. Dicitur etiam quòd quando differtur partus ipſarum,conce-
ptus ab ea, corrodit ventrem, & ipſa moritur, & ille exit ſponte, ſiue ſit vnus,
ſiue plures. Et addunt quòd quando tempore coitus ſuſcipit ſemen, abſcindit
caput maſculi,quaſi præſcia ſui periculi. Complent enim,vt aiunt, coitum cum
ore,quia non percipiuntur in eis ſexus diſtincti. Morſus tamen maſculi cogno
ſcitur, quia habet ſolùm duos dentes: quoniam humidum tenax, ex quibns
conſtant dentes, reſoluitur intenſa caliditate: fœmina verò non adeò calida,
habet plures. Comparando autem morſus ſenioris ad iuniorem,etſi ambo ſint
letales, iſtius tamen citius interficit,& illius tardius curatur: quia difficilius re-
ſoluitur venenum magis ſiccum. Antidotum autem ſecundum multos, eſt vi-
tis ſylueſtris,& fructus tamariſci cum vino creditur multum conferre. Coſtus
etiam cũ eo eſt magnæ efficaciæ: curat enim quartanam. Et quia in eo eſt quæ-
dam humiditas inflatiua,iuuat etiam coitum. Et ex tribus ſpeciebus ipſius al-
ba eſt melior, præſertim leuis & aromatica: habet enim attractiuam fortem e-
ducentem à remotis,dummodo non fuerit adulterata cũ radicibus enulæ: ſed
cognoſcitur, quia iſta non mordet linguam,nec profert odorem. De dracone
verò terreſtri, quem dicunt ſic vocari à tortuoſitate corporis, ſecundum ali-
quos, eſt nomen commune multis. Et alij, quòd non ſit venenoſus, ſed mor-
dendo ſoluat continuum: habet enim tres dentes in vtraq; mandibnla, & infe-
rior|eſt eminentior,quod nec aliqui credunt: quia habet os paruum & rude,&
fiſtulas,quibus trahit aerem,arctas: nec profert vaporem per os,neq; per ocu-
los: quare ſecundum alios habet poros corporis latos per quos expirat, quod
nec eſt veriſimile: quia ſi habet corpus magnum,quod dicitur extendi ad vi-
ginti cubitos,non videtur quòd in eo ſint tot ſpiramenta: non enim poteſt cũ
tanta magnitudine caliditas eſſe oppreſſa. Mirum etiam eſt,quòd non dicant
cuius coloris ſit, qui multum cõfert ad cognoſcendum naturam illius,habent
tamen ſexus diſtinctos: quia fœmina vocatur dracęna. Sed ſiue ſit veneno-
ſum,ſiue noceat mordendo,dicitur tamen quòd caro balænę, quæ appellatur
kelan,ſit antidotum morſuum ipſorum,ac etiam viperæ. Et addunt,|quòd bi-
bentes de felle eorum poſt vomitum, curantur vino, & ſucco,ſeu brodio car-
nium,& confectione diamuſci. Arabes verò reputantes iſtos & alios ſerpen-
tes eſſe frigidæ naturæ ,dabant illis loco antidoti drachmam mediam vſq; ad
vnam caſtorei cum vino decoctionis abſinthij,& theriacam maiorem diſſolu-
tam vino veteri,vel ſuccum cæpę ſylueſtris maſticatæ. Tenentes verò illos eſ-
ſe complexionis calidæ,præſertim terrenos: nõ enim loquimur nunc de aqua-
ticis: dabant oleum balſami cum lacte ſæpe iterato: butyrum etiam vaccinum
cum melle. confert ſimiliter radix caudæ porcinæ. & quidam putant quòd
ſtercus alterius emplaſtratum vlceri liberet: quia trahit quadam ſimilitudine.
Similiter raphanus comeſtus, vel eius aqua deſtillata, aſperſa puluere lapidis
gagates,bibita,præſeruat, & ſuper vlcere ſanat. Prima tamẽ ſpecies dictamni
ſumpta

sumpta in principio valet ad omnes morsus: aliqui verò dant de puluere aristolochiæ cum succo menthæ: & alij elixaturam ebuli vocati chamæactis: sed magis probatur caro mustelæ syluestris condita aceto & sale. Ruta etiam creditur mederi morsibus omnium animalium: & cancri fluuiales cum sanguine testudinis marinæ multum conferunt: similiter pinguedo piscis: & hoc respectu animalium mordentium calidorum: in frigidis verò, vt creduntur esse dracones, datur hyssopus cum melle, sale, & cymino, & duæ drachmæ opopanaci cum aceto, pro certo liberant. hæc retulimus sub dubio, quia conferunt ad morsus multorum.

An prædicta sint calida, vel frigida, & de natura Colubri, & cura
Cap. IX.

ASserentes quòd vipera & draco sint frigida, suadent, tum quia curantur calidis, tum quia corpora morsorum ab eis infrigidantur, & quædam animalia dicuntur habitare per totam hyemen in solitudinibus Aphricæ veluti mortua. Sed sanè accidentia palàm demonstrant caliditatem, medicinæ verò dantur, vt conseruent calorem innatum, vel resoluant substantiam veneni, aut cogant istud euaporare. emplastra etiam calida trahunt humores infectos ex morsibus. Et quanuis non sit certum an stent reclusa in solitudinibus prædictis, possunt tamen aliqua manere illic, ne eorum caliditas repercutiatur frigiditate temporis: quia prohiberet exitum vaporum vstorum, quia fortè exurerent præcordia. Astutia etiam in eis arguit caliditatem, & de vipera, basilisco, & multis alijs non est dubitandum. Coluber etiam calidior, multis degit in vmbris, & accidit sæpe ad aquas, vt se refrigeret, & deponat venenum: non dico quòd omnia sint calida, nec illa quæ sunt, nocent sub vno cœlo sicut sub alio. Multa tamē referuntur de isto, quæ sunt potius fabulosa: puta quòd fugiat hominem nudum, & prosequatur vestitum: & moriatur percussus semel calamo & bis reuiuiscat. Est bene verum quòd aliqui serpentes quādo timent mori, vertunt corpus in circulum, vt saluent caput.

De Basilisco, & cura. *Cap.* X.

ISte solet connumerari inter serpentes surdos, quia priuatur auditu. Nam aer, qui subseruit virtuti auditiuæ, resoluitur ab intensa eius caliditate: non tamen est verum quòd eius venenum sit solùm in capite, eo quòd interficiat proferēdo fumum: quoniā totum corpus est venenosum. Nā veteres testātur, quòd quidam equitando, equus tetigit illum, & ambo statim mortui ceciderūt: potuit enim venenū deferri ad eum per equū, & ingredi per poros corporis. Nec spirare per latera, concludit, quòd venenū sit solùm in pectore: spirat tamen per illa, ne præcordia exurātur à fumis exustis, qui nisi spiramēta essent in qualibet parte corporis, subintrarent inter ossa, & neruos, & inter pellē, & carnem, & sæpararet partes & compagines sui corporis. Mortuus etiam interficit solo tactu, & tamen tunc non spirat, nec respirat, & interfectus ab eo, interficit alios: quia forsan vapor illius remansit in eo. Sunt autē idem Regulus & Basiliscus, quia eodem modo occidūt homines, & inducūt in eis similia accidentia: nam oculi morsorum & totū corpus obscurātur illo fumo. Vocatur tamē regulus, quia habet in capite maculam albam instar coronę, vel quia cęteri serpentes fugiunt eius venenum, & interfecti ab eo nunquā curantur: & rarò ab eis, qui habent colorem arenosum, & maculas super dorso albas & nigras. Et licet morsi ab istis possint euadere, nō tamē quando videtur dormire: quia est signū quòd perdiderunt, vel de proximo perdent motū & sensum: & quando succedit in eis siugultus, mors est propinqua, quia causatur ex de-

fectu nutrimenti. Dicitur tamen quòd istis confert sumere medullam ossium
cerui cum modico pipere. Si igitur infectorum à basilisco nulla à medicis po-
nitur curatio, quomodo dicunt quòd nascitur ex ouo galli antiqui continentis
interius quasdam malignas superfluitates, quæ ex longa mora excocta calidi-
tate ipsius circundatur quodam panniculo, & postea emittitur sub forma oui,
ex quo generatur basiliscus: istud sane vel est alterius speciei, vel est impossi-
bile & falsum.

De morsu Cornutæ aspidis surdæ, & cura Cap. XI.

VEnenum cornutæ est in solo capite, tum quia isto abscisso reliquum cor-
pus non inficit, tum quia humores, seu vapores corporis morsi ab ea pe-
tunt caput: inflammantur tamen labia & os: quia fumus eius, vel humorum in-
fectorum in ascensu dilatatur ad ista. Et aliquando ex cerebro accedit ad ocu-
los, quos facit tenebrosos, & quando spiritus perturbati ponuntur in motu, se
quitur vertigo, & dolor: quoniam per neruos motiuos procedentes à nuca,
& sensituos à parte anteriori cerebri, fumi prædicti diffunduntur, & impar-
tiuntur toti corpori, quod fit graue: quia maxima pars spirituum & caloris, qui
bus causatur agilitas, extinguitur, ad quæ statim succedit mors. Antidotum i-
stius dicitur esse semen raphani sumptum cum vino: puto tamen quòd magis
conferat succus papaueris cum eo, & oua piscium cum aliis dictis in cura vipe
ræ. Aspis quædam appellatur Sicca, quę est longior, & habet oculos veluti car
bones ignitos: & alia Asilus, quæ interficit non solùm morsu, sed etiam sputo,
quod emittit constrictis dentibus, quando eleuat caput. Caliditas autem am-
barum cōstat tum asperitate cutis, tum colore tendente ad cinereitatem, tum
quia celeriter interficiunt. Alia species propinqua istis vocatur Hirundo, ob
similitudinem coloris: & esto quòd non sit adeò longa, mordendo tamen facit
accidentia similia illis, excepto quòd vlcera istius sunt minora, quia dentes
sunt subtiliores: vnaquæque tamen mortificat colorem naturalem. patet ex ni-
gredine circa locum morsus causata ex sanguine, qui aduritur illis à caliditate
veneni, & postea congelatur frigiditate extrinseca. obscuritas verò oculorum
procedit ex vaporibus infectis, qui interdum inferunt capiti dolorem. Et quā-
do humores conturbantur in stomacho, mouent vomitum, & aliquando spa-
smum, quando tunicæ ipsius coarctantur à veneno morsus, vel ab humoribus
infectis ab eo, qui, quando descendunt ad intestina, faciunt fluxum perducen
tem ad syncopem & mortem. Curantur autem vt viperæ, dummodo dilatetur
vlcus à principio, & cum ventosis extrahatur virus: & detur ei theriaca cum
butyro, & carpobalsamus cum modico puluere gentianæ cum vino, aut cum
modico succo menthæ, vt prohibeat stomachum à spasmo. Aliì vèrò dant de
puluere smaragdi cum semine citri, & aliì castoreum cum cassia lignea. Sed
quia nimis calidum, solet dari aristolochia cum rosis, & de semine apiì cum vi-
no. Et aliqui dicunt quòd pellis stomachi ciconiæ cum modico vino, sit singu
lare præsidium.

De Hydra, Botrace, Stellione, & ouris Cap. XII.

DE venenis hydræ masculæ, siue fœminæ, quas putant sic vocitari, quia na
scuntur, nutriuntur, & degunt in lerna palude, seu littore maris Adriatici
prope Hydruntum oppidum: à quo forsan sumpserunt nomen: ὕδωρ enim a-
qua est. Sed quoniam dicuntur habere multa capita, quorum vno abscisso re-
nascuntur septem, ne cogamur referre absona prętermisimus loqui de eis: nam
& poetæ dicunt quòd fuerunt interfectæ ab Hercule, hoc est delata illa fama
quā ratio non capiebat. Multa nanque ex relatu & imaginatione veniunt in ora
hominum, quæ nō possunt cōprobari experientia, nec ratione. Quomodo e-
nim phœnix generat aliam dum ipse crematur: Est, n. impossibile vt ouum, seu
paruus

paruus vermis, ex quo dicitur renasci, possit foueri cineribus siccis. Quomodo etiam potest Salamādræ patêre accessus ad sphæram ignis: præsertim quia aues quę, volant multum in altum, labuntur deorsum: cùm enim aer sit illic valde subtilis, nō potest sustinere percussiones alarum. De bocta igitur seu botrace, quam aliqui vocant bufonē, dicitur quòd quando mordet, sua frigiditate stupefacit membra: quia obtunditur eis calor, sine quo non fit motus naturalis. Ista tamen accidentia non reputantur causari ex morsu, sed ex praua qualitate. Nam superioribus annis quidam cepit cannam, in cuius summitate steterat infixa botrax, & expellens cum ea animalia ex suo agro, reuersus domū, quàmprimum incepit comedere, euomuit cibum, quem tangebat, nec cessauit donec fuit sibi subministratus per manus alterius: & tunc cognouerunt, quòd illud procedebat à veneno cannæ inducto ab illa botrace, & communicatum suis manibus: cùm enim ipsa cōtineat venenum grossæ substantię, non aptum penetrare, ideo infectio non perueniebat ad terminum interficiendi, sed solùm inficiebat cutem: nec inficit anhelando, nisi inflammaretur ex ira: quia tunc fumus tractus cum anhelitu posset inficere, non tamen si esset grossus, vel fœtidus, quia posset vitari: nec inficit cum saliua, nisi inflammata: nec potest cito inflammari quia valde humida: vnde venefici suspendūt eā, quam sæpe percutiunt baculo: tunc enim spuma quæ exit ab ea, est venenum pestiferum factum acutum, percussionibus & ira. & licet sint frigidę & humidæ, habitant tamen æstate loca subterranea, & vmbrosa, ne paucus calor earum, resoluatur à sole, néue humiditas eis connaturalis alteretur, vel minuatur: quia forsan sub minori quantitate vel dispositione, non saluaretur illarum natura, & ea ratione in æstate exeunt de nocte: sicut enim ista resoluendo, pariter hyems suffocando calorem, posset extinguere vitam illarum. Et licet sit animal valde frigidum, non tamen caret caliditate suæ naturæ proportionata, sine qua non viuunt animalia. & nisi abundaret in illis humiditas, corpora earum non augerentur adeò cito. est autem aliter curandus qui sumpsit de spuma, aliter qui de saliua, vel sanguine, aliter morsus: sumens enim spumam, vel sanguinem factū acutum, debet poni in ventro animalis magni, puta mulæ occisæ de recenti: quoniam calor istius conuenit cum calore animalium perfectorum in actu vegetandi: quare naturalis infecti adiutus ab illo, fortius resistit: quod competit omnibus excessiuè frigidis, & interdum calidis, saltem quantum ad intentionem confortandi, & roborandi vires, & instrumenta animæ. Pro antidoto tamen solent dari decem grana smaragdi, reducti in puluerem cum vino, vel oleū balsami cum lacte: & quando sentiunt frigus, sumere grana fisticorum, vel piper longū. Morsis verò sufficit, vt detur de osse quod est in latere dextro sui capitis, de quo etiam dicitur quòd curat quartanam, & portatum procurat amorem. Vocatur autem stellio, quia habet maculas paruas super dorso similes stellis. non enim est illa lacerta quæ aspicit homines: ista enim est viridis: illa habet colorem æruginis æris, & fortè est de genere earum, quæ versantur in ædificijs, & domibus antiquis, & raro mordet, quia habet dentes tortuosos, quos relinqueret in vulnere. Et cùm aiunt, quòd morsi ab aliqua illarum patiuntur vomitum, & dolorem stomachi, ista discrimina potius accidunt illis qui incautè comedunt eius carnem, vel bibunt vinum in quo aliqua illarum suffocatur, vel relinquit saliuam. ista enim committit vomitum, qui vix potest curari. Et multi dicunt, quòd sumens vnum ouum istius, moritur infra vnam horam. Quando verò morsus manifestè appareret, dicunt quòd debet poni super eo scorpio tritus, & pro antidoto dari modicū de stercore falconis cum vino. Cura tamen ipsarum est rana cocta cum calamentho. Et qui credunt illas esse calidæ naturæ, curat infectos cura cantharidis, aliter cura frigi-

dorum. & quando vna ex eis ſuffumigatur, omnes aliæ fugiunt. & aiunt,
quòd quando elixatura vnius proĳcitur ſuper aquam balnei, qui lauãtur in eo,
fiunt virides.

De Tarantula Apuliæ & cura Cap. XIII.

SEcus mare Adriaticum prope Tarentum, reperiuntur quædam animalia
parua, quæ vocantur tarantulæ, quæ fortè ſumpſerunt nomen à loco. non
enim poſſunt omnia colere eundem, ſicut nec in quouis aere cuſtodiri:
nec idem aſpectus ſyderum dirigitur vbiq;. ab alĳs verò vocantur araneæ: ſed
differunt multum, quia illæ habent colorem ferè nigrum, & tres tantùm pedes
in vtroq; latere, nec mas diſtinguitur à fœmina: araneæ verò habent plures, &
reputãtur habere ſexus diſtinctos: quia maſculus vocatur araneus, quę habent
diuerſas figuras, non ſic illæ, quæ mordent potius in æſtate, quia tunc magis
acuitur earum venenum: hyeme verò recipiunt ſe in foraminibus terræ, ne for
tè calor earum extinguatur à frigiditate temporis: in æſtate occurrit eis maior
opportunitas mordendi, quando ruſtici deferunt ſegetes quas colligunt. Ex
morſibus autem, ſeu puncturis ipſarum, cauſantur effectus valde differen-
tes: aliqui nanque cantant, alĳ ſaltant, alĳ dormiunt, alĳ pulſant. & de quo-
dam ruſtico dicebatur, quòd continuè volebat præcipere, & dominari. cum
enim venenum ipſarum ſit valde terreum, & aduſtum, quando ex morſura,
vel punctura aliqua portiuncula illius ingreditur ſuperficiem cutis, in qua
ſunt nerui motiui, & ſenſitiui: in ſuperficie, inquam, quia dentes illarum ſunt
parui, non poſſunt profundari ad venas, ideo venenum per neruos, vel per
aliquem ramum illorum defertur ad cerebrum, in quo ſua terreitate ſtatim ſi-
ſtit, & firmat cogitationes, quas inuenit in eo, vel in parte, à qua oriuntur
motiui, vel ſenſitiui: vt enim læſis iſtis inficitur imaginatiua, pariter læſis il-
lis remanet infecta memoria: firmatis igitur cogitationibus à ſtipticitate ve-
neni, cogitur continuare propoſitum in quo erat. ruſtici verò etſi concipiant
illa quæ cæteri homines, frequenter tamen cogitant cantare, ſonare, chori-
zare, vel alteri præcipere, & ſimilia, quibus ſolent recreari illorum mentes
defatigatæ. Nec obſtat quòd melancholia contriſtet, & cantus, & ſoni, ſint
ſigna læticię: quoniam prædicta ſequuntur perturbationem virium ſenſitiua-
rum, ſpirituum, & organorum diſpoſitorum ab illarum veneno. Et eſto quòd
interea ſentiant aliqualem dolorem, cupiunt tamen potius explere ſuperindu-
cta à veneno: quia vires alteratæ, ſunt tunc magis pronæ ad illa. nec medio
tempore inclinantur ad alia oblectamenta: quia præoccupantur ab illa pra-
ua diſpoſitione, quam diſtinguunt corruptæ, quæ durat donec ſoluatur vene-
num. Sunt tamen potius accidentia humoris melancholici, quàm gaudia:
patet: quia in principio morſi apparent cogitabundi, & ſtupidi: & paulò
poſt permutati à qualitate humoris, ſaltant, vel cantant: quia melancholia
mouet de vna in aliam phantaſiam. Interdum tamen ſaltando curantur: quia
reſoluitur venenum, vel expellitur ſudore. Vt plurimùm verò venter mor-
ſi in principio reſtringitur, quia ſuſpenſus viribus animalibus ob timo-
rem, impediuntur etiam operationes naturalium: vnde reſtricto ventre
ſequitur aliquando vomitus propter ſenſibilitatem expulſiuæ ſtomachi. Cu-
rantur autem dando eis ſæpe decem grana lentiſci cum lacte. In iſta enim ar-
bore appellata grani viridis, ex qua emanat terebinthina, inſunt partes aquo-
ſæ, remiſſæ, calidæ, potentes alterare, & groſſæ, terreæ, exiccare, & obſiſtere.
Cumq; valde redoleant, mittunt ad caput vaporem confortantem cerebrum.
Nam & ſuccus eius, ratione ſiccitatis, retentus in ore tollit ab eo fœtorem,
& firmat dentes, &c. Et quidam dant eis vnciam vnam cum dimidia foliorum

mori

mori. Peritiores tamen in augmento curant illos agarico. & licet corpora robusta euadant sudore, vel labore, quando tamen est multus, debent refocillari frigidis, humidis, & quando pauperes nõ possunt aliter, recurrunt ad aquam. vitis verò alba recens, est antidotum istius.

De Aranea, & Rutela, & Curis Cap. XIIII.

DE morso ab aranea domestica dicitur, quòd cogit erigere virgam: nam etsi eius venenum sit acutum, quia tamen est natura terreum, mouet humores ventosos versus inferius, qui pulsi ad genitalia erigunt illam: terreitas verò percipitur colore ipsorum. Cura in principio est lac, & postea ruta cum vino, vel nigella cum eo. Rutela etiam quæ est vna ex speciebus araneæ mordens in principio, infrigidat membra extrinseca: sed circa locum morsuræ inducit solum pruritum: quia illic trahitur sanguis subtilis, qui acutie prurit. posset tamen locus fieri viridis, quando augeretur supercalefactio illius sanguinis. posset etiam morsus sentire frigus, quando calor innatus refugeret interius. istis solet dari succus purpureæ cum vino: quia curat morsus araneæ, & compescit feruorem sanguinis, & dolorem. Et quando esset multum supercalefactus, debet curari cum succo semperuiuæ maioris vel minoris. Folia etiam hederæ trita mista fermento, sanant morsus istarum, & vlcerum cancrosorum.

De Scorpione, Vespis, Apibus, & Curis Cap. XV.

SCorpio syluestris, siue mordeat, siue pungat, in principio tamen dolor trahit sanguinem calefacientem locum morsum: sed quia venenum eius reputatur frigidum, paulò post alia membra frigescunt, quando afficiuntur qualitate illius, vel quia calor, & spiritus in illo nocumento non expenduntur. Si verò contingeret quòd humores alterati putrescerent, facerent febrem vel sudorem ex conatu naturæ. Ista tamen accidentia causantur solùm ex syluestribus, quæ dicuntur habere corpus gibbosum, nigrũ, & caudas longiores, quos vocant geptarias, quorum fœminæ sunt maiores masculis, & omnes calidę naturæ secundum Arabes. In Italia verò non sunt adeò venenosi. creditur etiam quòd sint frigidæ naturæ: propterea morsi, seu puncti, curantur calidis puta allio crudo, & vino potenti, & ab aliquibus cum elixatura raphani syluestris, cuius frustum reddit eos immobiles, quando ponitur super dorsum ipsorum, nec mirum, quia agaricus solo tactu interficit eos. & aliqui putãt quòd si tunc liniatur elleboro albo, reuiuiscat. Lapis autẽ gagates, & bedeguar impositus alicui morsui, vel puncturæ scorpionis, trahit, & curat venenũ. idem facit scammonea cum succo menthæ liniti super vlcus. Omnes præterea fugantur fumo raphani, sepiæ, & lauri, vel lignorum pini, & granati, vel radice lilij cœlestis: & quando vnus ex eis suffumigatur, fugiunt alij: & oleum impositum foraminibus, vbi habitant, non permittit illos exire. Suffumigium verò ex stercore bouis, & eius cirbo adipino mistis extrahit illos, & possunt interfici. Raphanus etiam positus in orificio foraminis illius loci, prohibet illis exitum. idem operatur allium. Est tamen expertum quòd suffumigium ex sulphure, vngula asini, & galbano, pellit omnes. & sputum hominis ieiuni calidæ naturæ, perimit illos. Et portare raphanum, vel sentire eius odorem, non sinit eos accedere. Et quædam herba vocata à Dioscoride phalangium, bibita cum vino, non solùm mitigat puncturas scorpionis, sed etiam morsus phalangiorum, quæ est musca venenosa. Arabes verò ab initio dilatant puncturas, & iubent sugi venenum. Istis verò apud nos sufficit, vt scindatur mus, & ponatur super vlcus morsi: quia sanatur: & vnctus coagulo leporis, non mordetur à scorpione, nec à mure, nec ab aranea. & bibentes de aqua maris tepida, sunt

tuti ab illis, & ab aspide surda: morsi semel à scorpione, nunquam mordentur à vespis, apibus, nec à crabronibus. Et isti, secundum Aristotelem, capiunt muscas magnas, quas, abscisso capite, ferunt secum volantes: & omnes feriunt aculeo, quem dimittunt pungendo: quod apud nos nunquam fuit visum. An autem coeant, vel non, verisimile est quòd sic. nam & muscę, de quibus minus videtur, coeunt, & nõ generant: quod accidit multis genitis ex putredinibus. Scarabei etiam nascuntur ex fimo bouis, vel iumenti: conferunt tamen doloribus matricum, & prouocant vrinam, & menstrua, & extrahunt fœtum mortuum. De apibus verò dicunt, quòd earum rex careat aculeo. Et Aristoteles, quòd habet, & non vtitur eo: illæ tamen sicut & vespæ pungendo relinquunt locum rubeum, quando ad eum defluit sanguis, & sentit dolorem non ex eo quòd diuidat pellem, sed quando concurrunt illic humores, qui facerent apostema, vel pungeretur aliquis neruus, & relinqueretur in eo aculeus: non sic vespa, quæ etsi habeat plures dentes, cùm mordet, non profundat illos. Illæ tamen magis nocent, quæ habent caput nigrum. Crabrones verò post primam puncturam non possunt per tempus amplius pungere, aut mordere, quia relinquunt dentes in loco morso: neruusculi enim, quibus ligantur, sunt multum teneri: vnctus tamen succo maluæ permisto oleo, non læditur puncturis, nec morsuris illorum: quia obstructis poris non possunt profundare dentes, vel aculei. Fumus autem sulphuris fugat illos. & quando aculeus remanet, oportet vt extrahatur cum cinere, oleo, & fermento simul permistis. Si verò puncturæ essent venenosæ, debet primò sugi locus, vel dilatari, & poni super eum, quæ habent vim extrahendi virus saltem cum diaquilone. Et quando esset multum supercalefactus, debet lauari aqua decoctionis maluæ, quæ aliquando sufficit, vel cum butyro. Sisymbrium verò contusum, sedat omnem tumorem: & stercus bouis distemperatum aceto, curat: similiter duo aurei calamenthi cum syrupo acetoso.

De Rabie canum, causis & signis Cap. XVI.

ISti frequentius & manifestius quàm cætera animalia incurrunt illam, quia vescuntur cibis corruptis, lambunt etiam cadauera, & multa putrefacta, & alia faciunt, quibus vruntur humores facientes rabiem, præsertim in autumno, ex similitudine temporis cum natura illorum melancholica: quæ etiam acuitur siccitate æstatis præteritæ. Et rabies est maior, vel minor, secundum quòd causæ prædictæ sunt fortiores, vel debiliores. Cùm tamen dicitur, quòd in hominibus morsis congeletur sanguis, si esset verum, quilibet cito periret, quia non posset nutriri ex eo. Similiter dicentes quòd sub lingua canis reperitur vermiculus, qui si auferatur, est liber, non legitur hactenus expertum. Alia autem animalia, puta vulpes, lupi, &c. incurrunt rabiem potius in æstate, quàm in hyeme. Illa. n. calidior vrit humores per se: & ista per accidens restringendo calorem interius. & licet homines credãtur raro fieri rabidi ex se ipsis: sicut tamen quando humores in eis ebulliunt, & fiunt adusti, potest in eis causari lepra, & cancer quolibet tempore anni: pariter rabies, præsertim in melancholicis, & nutritis cibis aptis verti in istam, & cõmunicari capiti, quod ab ista ægritudine principaliter molestatur. Signa verò sequentia rabiem canis. Primũ est quod tenet caput versus terram: cùm. n. humor melancholicus sit grauis communicatus capiti, cogit illud inclinari deorsum. Secundum, ꝙ tenet linguam extra os: quia eget magna euentatione. Tertium, quòd aliquando non potest illam retrahere, quando ligamenta sunt remollita. Quartum, est timor qui infertur ab illo humore adusto, & nigro, qui non solùm cogit restringere caudam: sed

alias

alias partes corporis. Quintum, quærunt solitudinem: quia spiritus sunt facti syluestres. Sicut enim in propria natura mouentur ex centro ad circūferentiā, & prębent fiduciā, audaciā, & desiderium conuersandi cū paribus: ecōtrà diminuti, vel affecti ab illo humore nigro, refugiunt versus centrū & inferunt timorē disponentem ad fugā. Potest autē cognosci, an canis mordēs sit rabidus si super vlcus morsi, ponātur nuces masticatæ, quę si postquā steterint per duas horas dentur gallinis, si fuerit rabidus moriuntur, vel non comedunt illas. Idem accideret de medulla panis, si postea daretur alijs canibus.

De Accidentibus bonis & malis morsorum, Cap. XVII.

QVādo morsus à cane rabido habet vocem raucam, est signum malum: ostendit enim quòd arteriæ sunt iam exasperatæ siccitate veneni. Sed quandiu aspiciēdo speculum recognoscit seipsum, potest euadere. Significat enim quòd venenum non est adhuc diffusum, nec vires & organa sunt nimium læsa. Secus quando incipiunt se conuoluere super terram, instar canum, quod accidit, quia humor melancholicus, terreus, est plurimus, & cōmunicatus omnibus membris. quare iam imitantur mores canūm, qui solent facere similes conuolutiones, nedum super terram, sed etiam super pelles, & alia putrida. Istud, inquam, signum præsagit mortem, etiam si ostenderet se esse sanæ mentis: interdum tamen rident, quando sanguis bonus refugit ad cor, vel fortè reseruatus in aliquo eius ventriculo deuitās infectionem veneni, mouetur versus circunferentiam disponentem ad risum: sed quia isto casu spiritus non possunt alicubi recreari, nec succurrere membris: ideo est signum proximæ mortis.

De Solutionibus dubiorum, Cap. XVIII.

INterdum morsus dicit se esse vas vitreum, vel quòd cœlum cadat super ipsum. Causa primi est: quia timens aquam, timet etiam quæ constant ex ea, puta vitrum, nec si sunt affecti timore est mirum quòd vereātur ex quouis periculo frangi instar vitri. Causa verò secundi: quia si imaginatiua illorum est, ita deducta, vt nulla remanserit in ea occasio sperandi: ideo imaginantur omnia iam defecisse, & sic quòd cœlum cadat, quod est vltimum signum timoris: non loquor de illo qui incutitur à principio, quando siccitas non est adhuc impressa, sed post impressionem inductam in toto corpore: quia tunc etiam instrumenta animę sunt permutata, quod vt plurimum accidit post augmentum: signum est quia membra apparent iam arida ex defectu nutrimenti, & istum timorem vocant propriè hydrophobiam id est timorem aquæ: signum sanè infallibile mortis, quod aliquando differtur vsque hebdomadā vnā, vel duas, vel plures. Non enim potest sciri tempus præcisum: quia nec malitia veneni causata ex morsu, est æquè intensa in vno, vt in alio: nec vires expulsiuæ æqualiter operantur in omnibus. Cognoui enim hominem morsum, qui se lauauerat in aqua maris, & propterea credebatur liber, post plures tamen menses, cum tetigisset lignum Corni, statim redijt infirmitas: quia forsan illa planta habet attractiuam valde fortem, quare ex illo tactu commouit venenum adhuc non resolutum. Nam & Arabes dicunt quod istud potest differri ad septem annos, & interim non cognoscitur, nisi ex indispositione corporis, quæ continue tendit ad maciē. Et Astrologi putant, quòd significatores venenorū sint Saturnus & Mars: ideo effectus sequuntur motus coniunctionū, & oppositionū ipsorum. Obseruātes tamen motū naturæ dicunt, quòd illo tempore intermedio expulsiua non mouebatur: quia non irritata à veneno debili & fortè quiescente in loco distante à membris principalibus: sed postea ipso

vigorato,insurgit contra vires,& earum instrumenta,& committit nouā ęgritudinem,seu potius redit illa prior:& quando infirmi sunt debiles,succumbūt & sequitur mors.Nec inconuenit, quòd venenum pręsertim frigidum,aliquādo ex mora fiat magis acutum,ille tamen euasit regimine,& cura. Fugiunt igitur aquam post augmentum,seu prope statum: quia spiritus & membra iam disposita per siccum,inclinantur ad euitandum illam,veluti contrariam cōplexioni pręternaturali superinductæ,secundum quā operantur:seu potius,quia tunc imaginantur & timent canes,à quibus fuerunt morsi:& sic aspicientes aquas,putant videre vmbras illorum in ea:quare fugiunt non obstante siti intensa. Possunt etiam imaginari quæq; horribilia, aliâs ab eis cogitata, seu visa in picturis,vel narrata,quorum retinent adhuc similitudines in memoria:puta dæmonum,vel furiarum inferorum,istis profectò deterrentur homines etiam sanæ mentis. Vmbrę verò prædictæ non videntur ab eis,nec à sanis in aere:quia non reflectit illas sicut in aqua. Non igitur putant aspicere quæ afferunt gaudium,vel spem:quia istud prohibet color, & natura humoris melancholici,& tenebrositas spirituum,causantes potius tristitiam ac angustiam:nō sic in alijs ægritudinibus.Nam calor febris, & si exiccet & incutiat timorem, quando tamen iudicium in eis non est læsum,exigunt aquam, ad tollendam siccitatem superinductam. Confabulantur insuper, quòd interdnm in vrina morsi appareant imagines,seu vestigia catulorum:quod suadent, quia si vstio veneni potuit permutare humores in substantia & quantitate,quare & in figura,& sic relinquere in eis formam catuli.Et quando obijcitur, quòd venenum terreum,& adustum,tardè imprimit:Respondent,quòd istud non agit,vt tale sed quia calidum,& retinet figuram vt siccum.Et alij concedunt quòd vestigia prædicta possunt videri in vrina morsi à cane,non tamen in illa morsi ab alio homine rabido:quia naturæ vtriusq; sunt multum similes,nec vna est actiuior alia.Idem accidit de vrina canis morsi ab alio cane rabido: quia in ambabus potentia actiua & passiua,sunt ferè æquè potentes. Sed quāuis istud nō sit verum: quoniam posset obstare intensio rabiei cum maiore dispositione in vno indiuiduo,quàm in alio:cum hoc tamen quæ referuntur ab eis, sunt valde miranda,& apud me incredibilia:quia & si pars siccior & grauior, aquositas vrinæ possit residere,& se recipere in fundo,non tamen potest assignari causa à qua imprimatur,& articuletur in ea noua figura.Non enim ex priori potest inferri posterius,nisi quando in eis est necessaria dependentia: quare nec quo modo recipiatur in illa,pręsertim quia receptio figurę, est passio superficiei solidæ.Et aliqui quod plus est,addunt,quòd morsi mingunt caniculos viuos,ex eo quòd imaginatio vehemens impressa facit casum,&c.Sed istud impossibile,est magis ridiculum:dato enim quòd vehemens imaginatio credatur operari citius quàm natura,non tamen agit sine ista.Lineamenta etiam illorū non possunt formari in tam paruo tempore, quare nec animari, nec formata exire per loca adeò angusta:quare potius sunt quædam portiunculæ phlegmatis adusti,vel partes pinguedinis. Voces verò creditæ audiri in corpore morsi,sunt rugitus vaporum:qui etiam ex indigestione solent multiplicari in corporibus debilibus,& postea verti in ventum causantem sonum similem illi, qui auditur in cauernis,quando plures inuicem concertant. Morsi tamen aliquando incurrunt gonorrhœam, hoc est emissionem seminis inuoluntariam: quia calor naturalis illorum factus extraneus,liquefacit illud,& tunc ab expulsiua pellitur tanquam inutile,& per virgam:quia per istam est magis aptum expelli: non tamen delectat,quia priuatur spiritibus.nec est tenax,nec prurit,quia permutatum à propria complexione.nec isto casu pollutio procedit ab imaginatiua,sed à natura.Cum deniq; quęritur, Cur morsis à vipera vel cornuta non

accidunt

prædicta discrimina, & tamen sunt venenosiores: dicunt quòd isti moriuntur antequam possint transmutari humores modo prædicto.

De Præseruatione, & cura ipsorum Cap. XIX.

COmedens allium, & bibens vinum super illud creditur tutus à morsu canis rabidi, quia fugit odorem istorum. Et Dioscorides testatur se expertũ, quòd portare baculũ in itinere ex agno casto, defendit ab illis, & alijs morsibus noxijs. Et aliqui, quòd ferre dentẽ molarẽ canis, qui aliàs momordit hominẽ, siue ligetur in coxa, siue suspendatur in brachio, ponit in securo. Aiũt insuper, quòd canis moritur, quando datur ei cibus permistus modico risagallo, hyoscyamo, & hermodactylis. Quãtũ verò ad curã, dicũt, quòd morsus comedens de hepate assato canis mordentis, nõ vexatur timore aquæ. Et alij quòd mentha est singulare præsidiũ, præsertim cum granis granati, quia valde subtiliat, & destruit venenũ morsorum. Ante alia tamẽ super locũ morsum prius dilatatũ, debet poni ventosa, & postea emplastrari allio & cæpa simul tritis, & mistis cũ butyro: longè tamẽ magis confert factum ex opopanaco, aristolochia, & pice. Et quædam herba vocata ab Arabibus Albascen, hoc est, lilialis: quia similis flori lilij: hæc tam comesta quã emplastrata, mirabiliter medetur istis. Ponẽtes verò super vlcus pilos eiusdẽ canis rabidi, credũt quòd trahãt venenum quadã similitudine. Et quando locus est sordidus, lauant eum aqua cæpæ: multũ tamen cõfert emplastrum ex ista, sale & ruta. Si verò ante timorẽ aquæ, vel conuolutionẽ super terrã, detur ei de iecore hirci, tuebitur. Expertũ aũt est, si teratur gentiana, & qualibet die detur de ea ℨ. vna cũ duabus pulueris cancrorum fluuialiũ vstorũ, & vna myrrhę: quia curabitur proculdubio: & potest capere totum in duabus vicibus. similiter sanguis alterius canis sumptus in potu. Et quidã referunt, quòd fimus hirundinis tã linitus quàm bibitus cõferat. Et alij quòd si abscindatur caput canis, vel draconis mordentis: & excorietur, & ponatur aliquid de gũma euforbij, & applicetur morsui, liberat in totum. Nec mirum, quia quando spolium serpentis coquitur cum vino, si distilletur in aurẽ, mitigat: & quando lauatur os cum eo, tollit dolorem dentium præsertim mistum aceto. Et qui deniq; sumit ℨ. vnam seminis agni casti cum vino, & butyro, creditur liberari à quouis morsu.

De alijs morsibus, & illo hominis rabidi, uel ieiuni, & cura,
Cap. XX.

MVlti putãt quòd si homo rabidus morderet canẽ sanum, posset inducere in eo similem rabiem: quod si esset, accideret ex maiori proportione actiuitatis saliuæ venenosæ hominis respectu resistentiæ canis. Ego tamen nunquam vidi, nec audiui canem fieri rabidum ex morsu hominis, qui quando est rabidus, timet, & fugit canes. Quando etiam venenum non est diffusum, nec adhuc communicatum saliuæ, quę sępe differuntur, non inficeret. Et dato quòd esset diffusum, oporteret probare quòd potentia hominis superet resistentiã canis, quod est difficile: quia cõplexio istius, non est apta distẽperari, vt illa hominis. Signũ est quia multa tolerantur ab eis, quibus infirmantur homines, si etiam essent æquales: nocumenta tamen illata canibus, minus indisponunt. nam & incognita aliquando minus perturbant. non enim illi prospiciunt mala. dentes deniq; hominis potius contundunt carnem. quàm soluant continuum. Et multi tenent quòd si canis rabidus morderet alium rabidum, non interficeret, sicut nec vna vipera aliam, quia potentiæ sunt æquales: sed non est sic, quoniam multum operatur indispositio corporis vnius respectu alterius ad agendum, & patiendum. Quantum verò ad curam istorum dicunt, quòd caro bubulæ comesta liberet prædictos. De regimine verò sex rerum non naturalium iam patuit.

Quomodo saliua hominis conferat, uel noceat, Cap. XXI.

QVanuis illa sani credatur aduersari veneno cuiuscũq; animalis, experiẽ
tia enim interficit scorpionẽ, & mortificat serpẽtes, & aliquando curat
impetigines, & serpigines, inest enim ei quædã humiditas salsa,
quę resoluit, abstergit, &c. pręsertim cũ modico salis ãmoniaci in ore. potestta
mẽ vitiari ab acutie humoris cholerici, vel melãcholici, vt ferẽ de illa hominis
rufi, vel famelici, & lõgè plus ab illa leprosi: quia sapit naturã lepræ: & in istis
indispositionibus illa iuuenis magis lędit, quã senis, & istius quã pueri, & mas
culi quã fœminæ. Cũ enim sint ꝑmutatę à propria natura: ideo caliditas, & ma
litia superinducta illi subiecto quãto est validius, tãto ꝓducit effectus cũ maio
ri impressione illius malę dispositionis. vnde morsus iuuenis ieiuni, quãdo est
iratus, magis nocet: quia calor irę magis effrenitat stomacho vacuo: quoniã ci
bus sua humiditate reprimit, & ingrossat cholerã. In habẽtibus aũt naturam, &
complexionẽ temperatã, illa homini sani, est magis idonea ratione similitu-
dinis naturæ. nã & efficacius adiuuat digestionẽ, & aduersatur per se cuiq; ve
neno, de qua ꝓpriè verificantur prius narrata. Medici tamẽ curãt morsus irato
rum cum ʒ. media pulueris cancrorũ fluuialium vstorum cum vino: quod non
sufficeret, quando fuisset subsecuta ebullitio alicuius humoris: oporteret enim
prius amouere putredinem, & causam antecedentium & corpoream.

De Morsibus non uenenosis, Cap. XXII.

MVlta animalia lędũt solùm contũdendo carnẽ: & minus habẽtia dentes
paruos obtusos, vt homo: habẽtia verò illos acutos soluũt continuũ, q
aliqua faciũt cũ vnguibus, quę interdũ adeò nocẽt, vt postea vlcera fiãt vene-
nosa, vel fistulẽtur. Multi aũt putãt, quòd portare secũ dentẽ caninũ lupi, prę
seruet à morsib. idẽ referunt de canino leopardi, & canis pręsertim nigri: quia
nullus latrat cõtra eũ. Et quãdo oculus dexter alicuius lupi ostẽditur alijs, fu
giũt. & quãdo cauda ipsius sepelitur in aliqua villa, nullus accedit. & suspẽsa su
pra pręsepe vaccarũ, nõ appropinquãt. Pastores verò faciunt ignẽ cũ flamma
ad fugandũ illos. Fertur etiam quòd portãtes secũ cor vulturis, sunt tuti ab im
petu ferarũ, serpentũ, & latronũ: & addunt quòd mitigat iras Regũ. Et cor ves
pertilionis dicitur defendere à nocumentis salamandrę. & cerebrũ gallinę cũ
modico pipere, & vino lymphato, defendit à supradictis. Fabulãtur etiã, quòd
si puluis ellebori ponatur super cauernã ipsorũ, deterret eos. & si vulpes, vel
canes comederent de eo, fierent cęci. Folia verò arnoglossę portata sub polli-
ce pedis dextri, dicũtur fugare canes, qui quãdo bibũt de decoctione aspara-
gorũ, moriuntur, & quando ipsa miscetur decoctioni chamęleontis albę, oleo
& farinę, interficit illos porcos, & mures comedentes de illa: hæc referuntur.

De Morsu cati, mulæ, & aliquorum, Cap. XXIII.

CVm dẽtes cati mordẽdo profundãtur, inducũt dolorẽ. Sed cũ aiũt quòd
locus morsus fiat viridis à caliditate vrẽte, si esset verũ, accideret potius à
frigiditate extrinseca coagẽte cũ calore tẽperato morsi: vel forsan quãdo illic
defluit aliqua humiditas, in quã agit calor loci, vel superinductus à dolore. Et
quãdo alteratio nõ multũ processit, color tendit ad viriditatẽ, & quãdo conti
nuatur actio, vertitur in nigredinẽ. Nõ enim accidit de humorib. in corporib.
nostris, sicut de alijs mistis: quę in principio denigrãtur ab igne, & postea deal
bãtur: quia calores sunt diuersi, & subiecta nõ ęquè apta alterari. curanẽ aũt bo
no regimine. Et quidã dabãt eis cerebra aliorũ animaliũ, & vinũ clarũ boni o-
doris lymphatũ, & sępe lauabãt vlcus vrina hominis: quia corrodit malam im
pressionẽ: & alij cũ lacte caprę, & origano. Similiter curatur morsus muris syl-
uestris, & simię, & aliquorũ super quos veteres ponebãt fabas masticatas. Et
quidã putãt quòd betonica, & plãtago sumptę cũ vino veteri, conferãt ad o-
mnes

mnes: & quòd fimus caprarum decoctus in aceto, & linitus super vlcus, sanet. Circa locũ aũt morsus mulæ interdũ oriuntur ampullæ plenę humiditate citrina, vel rubea: & ideo quidã crediderũt, quòd esset venenosus, pręsertim, quia nascitur ex specieb. diuersis, puta asina & equo, seu ex equa, & illo. Sed licet accidẽtia, quę sequũtur, sint acta multũ nocere, & deteriora causentur ex morsu fœminę quã masculi: illa enim habet saliuã obnoxiã putredini, quã impetus irę potest inflãmare, & ab ea postea alterari humores & sanguis, nõ sic ex morsu muli: quia & si possit maiori impetu mordere, & fortius perturbare, quia tamẽ caret illa humiditate putrescibili: nõ sequũtur ad ipsum accidẽtia adeò mala. Ampullę igitur in morsu mulę, sunt aliquãdo rubeę, quãdo sanguis fluit ad locũ morsum: aliquãdo citrinę, quãdo portio cholerę, sed accidit ꝙ morsus nõ possit mingere, quãdo multũ sudat: quia aquositas vertẽda in vrinã dirigitur ad mẽbra extrinseca, à quibus relaxatur sudore. Et interdũ sequitur contorsio viscerũ, quando vapores illarũ humiditatũ vertuntur in ventũ. Curantur autẽ sicut morsi à cato, & vlcus circumquaꝗ fomentetur decoctione nepetæ.

De Veneno gladij, vel sagittæ venenatorum, Cap. XXIIII.

QVanuis dicant, quòd sit frigidũ, nõ est sic, vt retulimus in cap. de Fellẽ leopardi: possunt tamen aliquando esse frigida: puta spuma, vel sanguis botracis supercalefactę. Oẽs aũt, vt plurimũ, curantur cũ calidis, vt conseruetur caliditas innata, & resoluatur venenũ, quod ante alia debet educi ex vlcere cũ gallina euiscerata, aut vẽtosa: & cũ fuerit mundatũ, poni super illud de magnete trito: nõ loquor nũc de vulnerib. magnis illatis cũ ense, quę debent prius resarciri, sed de alijs: in omnibus tamen quando est timor, ꝙ partes propioquę putrescant, quod sæpe ducit ad mortẽ, debet dari in potu galbanũ cũ myrrha & vino. Est etiã expertũ, quòd puluis sulfuris mistus sputo hominis sani, curat vlcera prędicta, & morsus omniũ animaliũ aquaticorũ. Et duę vnciæ agrimonię tritæ, sumptę cũ duobus cyathis vini, liberãt. Assa deniꝗ cum oleo nõ solùm curat, sed expellit sagittã venenatã. nã & permista lacti asinę supꝫ dentem molarẽ extrahit ipsum. Quãdo aũt sagitta remãsit in vlcere, posset forsan educi frusto magnetis, pręsertim cũ Ethiopico, vel cũ ligno corni: quia habet fortẽ attractiuã, dũmodo tangatur. Et quidã vngunt sibi digitũ cũ colocynthide, quę nascitur solitariè in arbore, quoniã trahit multũ à remotis, quod adiuuat vis expulsiua: & quando nõ potest tãgi cũ digito, fiat aliud artificio, et vngatur cũ ea, & tangatur. Et Aristoteles septimo de Naturis animaliũ cap. 6. Capras, inquit, syluestres sagitta transfixas dictamnũ herbam quærere aiunt, qua spicula ex corpore eijciũtur: & Theophrastus, ꝙ ista deuorata eijcitur illa. Pro tutela deniꝗ vltra prædicta, annotaui remedium salubre, & expertum: quod sanè nullũ amicũ, qui hactenus illo vsus est, viderim fefellisse, nedum in præseruando à venenis, sed etiã à peste, & quauis contagione. Capiantur granorũ citri ℥. media, myrobalanorũ kebulorũ ℥. ij. luti Armeni ℥. vna cũ dimidio corticum ligni limonum, carabę, myrrhæ, coraliorum rubeorum, croci an. ℥. v-na, ossis de corde cerui, ligni aloes, caryophyllorũ an. ℈. 1, aloes loti ad pondus omniũ: terantur, & fiat pasta cũ optimo vino, & ex hac pilulæ, ex omni drachma sex, de quibus qui suspicatur, frequenter sumat saltẽ duas stomacho vacuo & differat cibum per duas horas. Aliud & expertum est. Quando venenatus, vel morsus sentit frigus, statim capiat modicum assæ fœtidæ, aristolochiæ rotũdę, terebinthinæ sublimatæ, theriacæ, petrolei, & omnia dissoluat in vno cyatho vini boni, & sumat totũ in potu: quia liberabitur per sudorẽ, & spumã: quia tamen interea debilitatur, debet statim refocillari cum notis: de primo tamen videbis mirabiles effectus. Vale Augustine.

INDEX RERVM ET VERBORVM QVAE in hoc opere de Venenis continentur.

B

præ-

V

FINIS.

BASILEAE

PER HENRICVM PETRI, ET PETRVM PERNAM, ANNO SALVTIS HVMANAE M. D. LXII.

